CORNELL
UNIVERSITY
LIBRARY

VENERANDISSIMI P. M.

FRANCISCI

QUINDOCII

PARMENSIS

$\ell \; 2^{\nu} \pm 2$

$\nu \pm 1$

REVERENDISSIMI P. M.

# FRANCISCI BORDONI

PARMENSIS.

REVERENDISSIMI P. M.

# FRANCISCI BORDONI PARMENSIS

RELIGIONIS TERTII ORDINIS

## SANCTI FRANCISCI

DE PÆNITENTIA EXGENERALIS,

Sacræ Theologiæ Doct. Colleg. Universalis Romanæ Inquisitionis Qualificatoris, ac in Patria Consultoris, Curiæque Episcopalis Examinatoris Synodalis,

## OPUS POSTHUMUM,

DE RECENTI PRIMO' IN LUCEM PRODITUR,

*Quod consistit in duas Appendices ad Manuale Consultorum in Causis Sancti Officii contrà Hæreticam pravitatem occurrentibus paulò ante impressum,*

*In Prima diffusè ostenditur quasi omnem excogitabilem Blasphemiam, quam in Deum, ejusque Matrem inclytam, & Sanctos, aut Sacra Sacrorum solet humana nequitia contorquere;*

*In Secunda verò explicantur essentia, Qualitates, ac diversitatum genus omnium Sortilegiorum, freqentiùs in tremendo S. Inquisitionis Tribunali præcurrentium.*

*Ad cujus calcem subsequitur nova Reimpressio Tractatus de Legatis ejusdem Auctoris, denuò revisus, ac in aliquibus correctus, ut satisfieri possit cupiditati multorum, qui hujusmodi volumine uti lætantur.*

Non minori diligentia, quàm industria

ADMODUM REVERENDI PATRIS MAGISTRI

## FRANCISCI ODOARDI MANCINI

A' Parma ejusdem Religionis Exprovincialis, Sac. Theolog. Doct. Colleg. Examinatoris Synodalis, ac in patrio Conventu Superioris Ministri &c.

PARMÆ,


Typis Pauli Montj CIↃ IↃ CCIII.
SUB SIGNO FIDEI, CUM PRIVILEGIO.

~~7599G12~~

A.6094.

CORNELL UNIVERSITY
The
President White
Library
RECEIVED 1891.

Stanislai Gamba



*Sereniſſime Celſitudini*

# FRANCISCI FARNESJ

## DUCIS PARMÆ, PLACENTIÆ, &c.

NE immane ſecum deferat ingrati animi facinus, præclarum hoc Opus de Blaſphemia, & Sortilegiis, explicatum doctrina Reverendiſſimi Patris FRANCISCI BORDONI Parmenſis, cui terris erepto Litteratorum Reſpublica æternum parentabit, Immortalitati tuæ ſacrandum par eſt, putari, Principum optime. Cui enim debe.

224

debebatur, nisi cui debet, quod vivat? Sorderet adhuc in tenebris, si fortè (ob charitatem nimiam) Tu luci minimè donasses: eumque adhuc expeterent hominum vota, nisi Tu, meræ pietatis gratia, dum Lugduni extaret, ex invidiæ forsan unguibus rapuisses. Quapropter plus debet Patrocinio tuo, quàm Auctoris ingenio. Nàm isti cum debeat, quod sit; illi tamen quod omnibus sit. Hinc cunctorum animos devincis; dum uni libero aere frui, permittis: cunctisque benefacis, vel unico beneficio. Et ista quippè sunt, quæ Farnesianum Nomen, qua terra patet, qua patet Oceanus, venerabile efficiunt: quæque immitari non valentes, vel omnes mirari, didicere. Tu ipse revolvas animo, quidquid usquemodò de Te Orbis audirit, quidquid usquemodò in Te Orbis perspexit. Quid namque de Te audirit, quod non sonaverit Justitiam, Clementiam, sivè Pietatem? Quid perspexit in Te, quod secum non tulerit Prudentiam, Magnanimitatem, atque Fortitudinem? Unum tamen de Te Orbis usquemodò audierit, unum in Te pariter Protoplastorum cœtus perspexit, quod cæteris majus est, & fortè jam Teipso: scilicet, cum tantorum Maximus sis; minima munera non respuere. Hoc ipsum mirari conor & ego: neque vulgaribus laudibus efferre ausim, quæ mortalium fastigia exuperant. Quid quid expostulent inclyti Generis tui, aut Martis, aut Minervæ pervetusta facinora, ea silentio prætereo; ne alieno jubare Principem decorare videar, qui Atavis ipsis humana conditione majoribus splendorem auxit, & decus. Princeps enim omni Heroica virtute superabundans, nil opis externæ cupit, alieni luminis non est indiguus. Commune votum est, terras ea maxima fœlicitate ditari, diuturno, scilicet, Tui Imperio, & sobole sempiterna, saltem virtutum. Hæ nimirùm sunt veri partus, qui, super sydera pervolare quemlibet mortalium, semper fuit Magnanimi Principis aviditas. Et è contrà, quæ ab Æteris excludunt; nimio rigore persequi Istorum pariter cura fuit. Si Tu ergo, SERENISSIME PRINCEPS, unus ex istis effici monstraris; contrà blasphemos, cæterosque criminum sectatores impugna zelantis Justitiæ vires. Non volvendo hujus Voluminis materialiter folia, ne fædaris; sed vigilanti cura: ut enormissima scelera, tàm pernitiosa omnium saluti, quàm labefactantia Rempublicam, impunita unquam remanere permittas. Sit denique Tibi salus à Domino semper, ac Tuis in sanguine unitis, fœlicitas jucunda. Et ubi non valet imbecillitas inutilis famuli, obloquendo; suppleat saltem Clementia Tuæ Celsitudinis, compatiendo.

TUÆ SERENISS. CELSITUDINIS.

*Humilimus, ac inutilis servus*
F. Franciscus Odoardus Mancini.

# BENIGNE LECTOR.

*DE non laſſis Typographorum ulnis, atque prę-*
*li poſtquam ſtrepitantis tortura: en prodit in*
*lucem (favente miſericordiarum Patre) iſtud Volu-*
*men, ut ad tuas denique perveniat manus. Ne mireris, ſi*
*tu, illud pervolvendo, in aliquibus deficioſum perſpexe-*
*ris: dum in Auctoris ſuplente vices perſpicatia inge-*
*nii deficiente; defectuoſum etiam reddit quid, quid*
*hujuſmodi agens videtur agitare. Non ſui Operis tan-*
*tùm, imò magis alienorum. Tu ergo, qui ſupponeris,*
*fulgure virtutibus; pręcipuè in hac parte his valere*
*debes. Non tantùm amicitiæ titulo; quantùm cha-*
*ritatis fulgòre. Vide quid contigit, non parum quidem,*
*Viri ſapientis dicere munia? Illius Bordoni ſcilicet, qui*
*ſplendidè ſcripſit; ſplendidèque per Orbem percurrunt*
*ejus Volumina. Hujus quidem oportuit, pertenere in*
*unũ ea, quæ per ſex intrà ſeptimum luſtra in oblivione*
*videbantur. Ita quod oculis pervenirent ſapientum*
*Appendices duæ, ad Manuale Conſultorum adden-*
*dæ; ut Opus hujuſmodi, ab eodem Auctore compoſitũ,*
*quando in humanis exiſtebat; poſt ejus abſeſſum (præ-*
*vio Catholicorum examine) per alium aut fucaretur,*
*aut terminaretur. Hoc non pauco ſiquidem labore, at-*
*que alicujus temporis conſumatione, potuit certò com-*
*pleri. Nàm primò (ut ità dicam) non ampliùs Au-*
*ctoris exiſtentibus auſpiciis, quaſi errabunda ovicula,*
*in campo Palladis videbatur tenuitas litteraria ſu-*

*bie-*

*ſubiecti ad unũ iſta concinnantis. Et ne tibi ſit hoc per-difficile creditu; non ſufficientiæ doctrinali, neq; ſolertiis forſitan exprimentatis facundiæ tribuere debetur id, quod in hoc Volumine complicatũ cernitur; ſed Providentiæ Divinæ, quæ ità diſponendo diſpoſuit, ut pro Univerſali eſſet condonatũ utilitate contrà nefas peſſimorum Prothoplaſti primi furfuries errabũdæ. Appendices ambæ ſiquidẽ nominavit prudentiſſimus Auctor, priuſquã de humanis obiret. Ideò ſub tali Titulo, quãvis inter ſe appareãt aliqualiter diſcrepatę materiæ; conſonum tamen fuit, ſub tali etiã ordine coaptari ſuo Principali, ne iſtud (ad inſtar Aquilę, fœcundatæ Pulliculis) remaneret ſine alis. Hoc ergo Volumen ſuſcipe benigno auſpicio, Tu, qui lecturus es; & humaniori, qua potes pietate, percurrere illud lætanter, ut magis abſque tędio pertranſire folia valeas, ne forſan perterritus errorum copia, in tui præjudicium reſultet certa qualis anxietas hujus expectati Voluminis. Non ſit denique tibi durum ſub oculis tantùm perſpicere inſolita quædam verba: ſeù non excerpta more Peritorum. Nàm enphaſis vulgatæ dictionis non potuit in ſua deformitate percipi; niſi aliqualiter monſtruoſa verſutia exprimebatur. Accipe, quod tibi prodeſſe poteſt; & abſquè ulla temporis mora compatere cætera, dum uni ſoli neque prodeſſent Volumina Sapientum; quãdo multis, ac quibuſcumque aliis prodeſſe, nequirent. Hæc pauca priùs perpende; ut Tibi charum ſit Opus, & in Domino vale.*

FACUL.

## FACULTAS REVERENDISS. PATRIS GENERALIS RELIGIONIS TERTII ORDINIS SANCTI FRANCISCI.

*NOS FR. BONAVENTURA GUGLIERI Assisias S.T. Doct. Religionis Tertii Ordinis Sancti P. Francisci de Pœnitentia nuncupati Minister Generalis, & Servus.*

*Admodum Reverendo Patri Magistro Francisco Odoardo Mancini à Parma S.T.D. Collegiato Exprovinciali, necnon Examinatori Synodali, ac Nostri Conventus ejusdem Civitatis Priori, qui apud se habens Manuscriptum, cujus titulus est* Due Appendices ad Manuale Consultorum &c. *Studio, & opere Reverendiss. Patris Francisci Bordoni B. M. Nostri ejusdem Ordinis Exgeneralis, loculenter elaboratum; virtute præsentium facultatem concedimus, ut servatis servandis, Typographo, ad imprimendum tradat.*

*Datum Mediolani in Conventu nostro S. Mariæ Paradisi die* 18. *Decembris* 1702.

Fr. Bonaventura Guglieri Min. Gen.

Loco Sig. ✠

*Fr. Jo: Baptista Pagani Secret. Gen.*

---

*FEria* 4. *die* 10. *Augusti* 1701. *Eminentissimi dixerunt, quòd præsens liber, prævia correctione, imprimatur.*

*De mandato Reverendiss. P. Magistri Fr. Jo:* Baptistæ *Pichi de Ancona, Inquisitoris Generalis Parmæ, legi Librum, cui titulus* Reverendiss. P. M. Bordoni Opus Tertium Posthumum, complectens Appendices ad Manuale Consultorum, *nihilve in eo deprehendi ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina, & Religione abiectum aut bonis moribus contrarium, imò dignum quod publicæ Utilitati quamprimùm in lucem prodeat censeo. In quorum fidem &c. In Conventu S. Petri Mar. Parmæ hac die* 26. *Septembris* 1702.

*Fr. Carolus Franciscus Fallettus Ordinis Prædicatorum Lector primarius in Collegio S. Petri Mar. Parmæ, & Sancti Officii Provic.*

*IMPRIMATUR*

Fr. Jo: Baptista Pichi Inquisitor Gen. Parmæ.

*IMPRIMATUR*

Aloysius dalla Rosa Vic. Gen.

*VIDIT*

Petrus Aloysius Match. dalla Rosa Consiliarius à Latere C.S.S. & P. Præs. Cam.

*De Roma, in laudem hujus Libri, transmissa fuit hæc subsequens poetica compositio Idiomate Italico vulgari; dum ibi sparsa pervenit notitia ejusdem Impressionis sub Pręlo jam existentis. Et ne sit frustra; fideliter ibi exprimitur.*

# IL LIBRO

Essendo morto il suo Autore; e restando ( per così dire ) Pupillo senza il proprio Genitore; se ne viene, come in sicura tutela sotto la Protezione del Sereniſſimo Signor Duca

# FRANCESCO FARNESE

## DUCA DI PARMA, PIACENZA &c.

Dal Quale riconosce il beneficio d' uscire alla luce doppo la ponderazione di un prudentiſſimo essame




*Parla il Libro medemo.*

DEl già estinto Bordon, pria ch' Io la luce
Havessi al Mondo, in dotta carta involto
Pupillo ignudo, e d' ornamenti incolto,
Alla tutella tua ne vengo, ò Duce.

Della morte il rigor crudele, e truce
Ch'à me non nato, il Genitore hà tolto.
Nulla cur' Io, che d'ei morì; insepolto
Il nome suo restò, che in Ciel riluce.

Vivi Tu pure, e in me benigno il Ciglio
Posa, che se per Te parto novello
Hor n'esco al Mondo, ancora à Te son Fglio.

Vivi; ne temerò l' aspro flagello
Di Critico livor, se sotto il Giglio,
Perde il Velen l'Angue più crudo, e fello.

Di Gio: Vittorio Mancini Accademico infecondo.

# INDEX

## Casuum de Blasphemia.


1 *Quid sit Blasphemia?*
2 *An falsitas includatur in ratione Blasphemiæ?*
3 *An de ratione Blasphemiæ sit prava voluntas inbonorandi Deum?*
4 *An Blasphemia non solùm Verbo, sed etiam facto committatur?*
5 *An malè dicere de Creaturis non sanctis, nec sacris, sit Blasphemia?*
6 *Quotuplex sit Blasphemia?*
7 *An Blasphemiæ imprecatoriæ sint hæreticales?*
8 *An omnis Blasphemia judicetur ab Inquisitoribus?*
9 *Cuinam virtuti opponatur vitium Blasphemiæ?*
10 *An omnes Blasphemiæ sint unius speciei?*
11 *Quale peccatum sit Blasphemia?*
12 *An jurare per falsos Deos sit Blasphemia?*
13 *An jurare per Creaturas sit Blasphemia hæreticalis?*
14 *An nominare pudenda Sanctorum sit Blasphemia?*
15 *An jurare per pudenda Sanctorum, quæ non habent, sit Blasphemia hæreticalis?*
16 *An jurare per membra honesta Dei, & Sanctorum, sit Blasphemia hæreticalis.*
17 *An sint Blasphemiæ: Ad despectum: velit, nolit?*
18 *De Blasphemiis similitudinariis.*
19 *De Blasphemiis protestativis.*
20 *De Blasphemiis conditionalibus.*
21 *De Blasphemiis comparativis.*
22 *De Blasphemiis renegativis.*
23 *De Blasphemia Meretrix.*
24 *De Blasphemiis desinentibus in* Azzo, *& talis modis.*
25 *De Blasphemiis contrà Deum, & Christum.*
26 *De Blasphemia in Beatam Virginem Mariam.*
27 *De Blasphemiis contrà Sanctos.*
28 *De Blasphemiis contrà res sacras.*
29 *De Blasphemiis imprecativis mixtis cum indicativis.*
30 *De Blasphemiis atrocibus.*
31 *Quomodò Blasphemia dicatur Publica?*
32 *An Blasphemia Publica sit de jure reservata?*
33 *Quis dicatur Blasphemus Consuetudinarius?*
34 *An Ira, Ebrietas, Ludus, & Jocus excusant à pœna, & ab inductione consuetudinis?*
35 *Quomodò probatur magna Ira, & Ebrietas ad excusandum Blasphemum à pœnis?*
36 *Quomodò probetur quis habituatus in Blasphemia?*

37 *An correctio fraterna præmittenda ſit ante denunciationem?*
38 *De obligatione denunciandi Blaſphemos hæreticales?*
39 *De Teſtibus quoad eorum perſonas probantibus crimen Blaſphemiæ.*
40 *De Teſtibus in cauſis Blaſphemiæ.*
41 *De Teſtibus ſingularibus.*
42 *De Teſtibus ex Auditu.*
43 *De Teſte Nocturno.*
44 *De Teſtibus contrariis concordandis.*
45 *De Teſte ſe corrigente, & declarante ſuum dictum.*
46 *De Teſte vocante alium in Teſtem.*
47 *De Teſte negativo.*
48 *De Repetitione Teſtium.*
49 *De Publicatione Atteſtationum.*
50 *De Tortura Teſtium.*
51 *De Citatione, Examine, Convictione, & Confeſſione Blaſphemi.*
52 *De Confeſſione Blaſphemorum.*
53 *De Indiciis, & præſumptionibus.*
54 *De Tortura reis Blaſphemis danda.*
55 *An Blaſphemus ſit de Hæreſi ſuſpectus?*
56 *An Crimen relapſus locum habeat in Blſaphemo?*
57 *De Abjuratione inaicenda Blaſphemis.*
58 *De Pœnis contrà Blaſphemos.*
59 *De Blaſphemia in Spiritum Sanctum.*
60 *An hæc verba:* non mi fido ne anco di Dio, *ſint Blaſphemia hæreticalis?*
61 *De variis dubiis circà Blaſphemos.*
62 *An Blaſphemus ex ira confeſſus pravam intentionem judicandus ſit hæreticus formalis.*
63 *De Blaſphemis à Creatore ad Creaturas.*

*Quoniam in Tribunali Officii S. Inquiſitionis contrà hæreticam pravitatem frequentèr, & magis, quàm de aliis delictis, occurrunt caſus de diverſis, & exquiſitis blaſphemiis, quarum modos execrabiles in dies perverſi homines excogitant, operæ pretium duxi, hanc materiam de Blaſphemia exactè tractare, ut Conſultores in promptu, & præ manibus habere poſſint reſolutionem quorumcunque dubiorum, quæ in hac materia accidere poſſunt. Et, ut clariùs procedam, ſingulas proponam diſtinctè ſub titulo Caſuum. Sit igitùr.*

# CASUS I.

## Quid ſit Blaſphemia?

VAriæ definitiones referuntur à Doctoribus, quas ex parte recenſet, & examinat Lucas Floronus in ſuo opere de caſibus reſervatis Caſu 3. à nu. 1. quæ ſecundùm ejus judicium, & veritatem, coincidunt in eundem ſenſum explicativum naturæ hujus vitii Blaſphemiæ. Ego autem eam ſic definio.

1 Blaſphemia eſt maledicentia contrà Deum, Sanctos, & res ſacras per modum contumeliæ. Dixi primò, quòd Blaſphemia eſt maledicentia, nam blaſphemare eſt propriè dicere mala de Deo ſecundùm D. Aug. tom. 1. lib. 2. de morib. Maniche. fol. 260. his

2 verbis: *Eſt autem blaſphemia, cum aliqua mala dicantur de bonis. Ita-*

*que jam vulgò blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere; de hominibus namq; dubitari poteſt, Deus verò ſinè controverſia bonus eſt.*

Definitio ergò noſtra in ratione generis accipitur à S. Auguſtino, & planè definitum explicat, quia exprimit hoc verbum *Maledicentia* blaſphemiam, quæ conſiſtit in malis Deo, Sanctis, & rebus ſacris attributis per vitium linguæ, per quam, ut ait S. Jacobus 3. 10. benedicimus, & maledicimus, ibi: *Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio.* Quod Chriſtus ipſe dixerat Matth. 15. 18. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.* Itaque blaſphemia primò corde, & mente concipitur, deindè ore, & lingua paritur, blaſphemia igitùr inchoatur in corde, & in ore conſumatur, prout ſpectat ad forum externum S. Inquiſitionis.

3 Dixi 2. *contrà Deum, Sanctos, & res ſacras.* Nam ex communi ſententia Doctorum citandorum blaſphemia afficit injuria tria prædicta. Probatur primò ex Sacra Scriptura, quæ expreſsè dicit, blaſphemiam contingere contrà illa tria, Levit. 24. 15. *Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Act. 6. 11. dicitur. *Tunc ſubmiſerunt viros, qui dicerent, ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum.* Iſaia 5. 24. *Abjecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium S. Iſrael blaſphemaverunt.* Ad Timoth. 1. 6. 1. *Quicunque ſunt ſub jugo ſervi dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur.* In Apocal. 13. 6. *Et apervit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in Cœlo habitant.* Ex his auctoritatibus clarè colligitur, blaſphemiam committi in maledicendo non ſolùm Deum, verùm etiam Sanctos Angelos, & homines, atque res ſacras Dei dicatas, ut clariùs habetur in dicto Textu Apocalipſis; nam ſub nomine *Tabernaculi* veniunt res ſacræ, & per reliqua verba; *Et eos, qui in Cœlo habitant*, Sancti Angeli, & homines; hi enim ſoli cum Deo in Cœlo habitant; *Secundò*, Sancti præcipiuntur laudari, benedici, & honorari, Pſal. 137. 17. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* Eccl. 44. 1. *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generat ione ſua.* Glorioſi autem ſunt omnes beati, & Sancti in Patria cœleſti, ubi gloria Dei perfruuntur; ergò non ſunt maledicendi, quia ſicut Deus laudatur in Sanctis ejus ex Pſal. 150. 1. dum ipſi Sancti venerantur, & honorantur à nobis; Ità Deus vituperatur, & blaſphematur in illis, dum contumeliis, & maledicentiis blaſphemantur. *Tertiò* D. Auguſtinus ſuprà relatus ex eo deducit, blaſphemiam eſſe maledicentiam contra Deum, quia ipſe ſine controverſia bonus eſt, ac proinde benedicendus eſt, non maledicendus, quia eſt plenus omnibus bonis; ergo per blaſphemiam non debet quaſi privari infinitis ejus perfectionibus.

Nulli autem dubium eſt, ſed extra controverſiam, quòd Sancti, & res ſacræ bona ſunt immutabiliter per participationem cum

Deo

Deo, Sancti quidem ratione beatitudinis, res verò ſacræ ratione benedictionis, conſecrationis, & ſacritudinis; ergo cum maledicit illis peſtifera lingua, dicitur blaſphemare derogando illorum bonitati; in omnibus ergo refulget excellentia divinæ bonitatis. *Ita omnes Theologi cum* D. *Thoma* 2.2. *q.* 13. *art.* 1. *Sayr. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 3. *Suarez tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 5. *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 6 *num.* 10. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. de rebus Sacris. *Sacr. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 3. §. *eodem modo Barſæus Capuccinus V. blaſphemia nu.* 1. *ego infrà caſu* 28.

4 Dixi 3. demùm, blaſphemiam irrogare contumeliam in eos qui blaſphemantur. Eſt autem contumelia injuria verbis facta alicui, & arguit contemptum; nam contumelia dicitur à contemnendo, *Inſtitut. de Injur.* §. 1. Per blaſphemiam ergò injuriatur, & contemnitur Deus, Sancti, & res ſacræ; derogatur enim eorum excellentiæ, & diminuitur de illorum honore, ſive obloquens habeat talem intentionem injuriandi, & inhonorandi Deum, quod eſſet execrabilior blaſphemia, ſivè non, adhuc blaſphemia eſt, quia verba ipſa ſignificant de ſe talem injuriam ex ſua conſtitutione; Ità omnes præcitati nullo diſcrepante.

5 Notandum autem, quòd tribus modis contingit blaſphemia ſecundùm communem omnium Theologorum Doctrinam. *Primò*, attribuendo Deo, quod ei non convenit, ut dicendo Deum ribaldum, manigoldum, impotentem. *Secundò*, removendo ab eo, quod ei convenit, ut, non eſt juſtus, non poteſt facere rem poſſibilem, non eſt caſtus, ſanctus &c. Quandocunque autem ei maledicus attribuit aliquam imperfectionem, ab eodem removet perfectionem oppoſitam maledictioni; qui enim Deum ignorantem blaſphemat, removet ab eo ſcientiam. *Tertiò*, ille blaſphemare dicitur, qui creaturæ tribuit aliquid, quod eſt proprium Dei, ut quòd juppiter ſit Deus verus, quòd Sol ſit ſummum bonum. Similiter contra Sanctos committitur blaſphemia eodem modo ab illis auferendo, quod Deus dicit eſſe in illis, vel eis tribuendo, quod Deus dixit non eſſe in illis. Pariter Deus dicitur blaſphemari cum ſuis Sanctis, quando nominantur eorum membra pudenda; eſt enim magna irreverentia, quæ non caret contumelia notabili, ut dicam ſuo loco.

Colligitur ex dictis, quòd cum blaſphemare ſit impingere Deo, Sanctis, & rebus ſacris imperfectiones, & defectus, quibus omninò carent, adeò quòd nec capacitatem ad eas habent, ut dicam infrà, cum agam de blasphemiis ex maledictionibus imprecatoriis, verbum blaſphemiæ ſemper includere falſitatem, unde Barſæus Capuccinus V. blasphemia, deffinivit benè, eam eſſe falſam locutionem contrà Deum, Sanctos, & res ſacras per modum contumeliæ. Quam rem tractabo in ſequenti caſu.

6 Matthias Berlinchius Schoelenſis Thuringus J. U. D. par. 4. ſuarùm concluſionum Praticabilium concl. 1. ex officina Jacobi Bietii Ambremii 1644. de Blaſphemia num. 34. negat, maledictiones in Sanctos eſſe Blaſphemias juxtà tenorem ſequentium verbo-

verborum. *In locis reformatarum tamen Eccleſiarum rectiùs, & quidem illæſa conſcientia contrarium dicimus per Textum in Apocal. cap. 6. verſ. 9. & ſequentibus. Deinde quia contrà S. Mariam, & alios Sanctos prædicti interpretes, ideò blaſphemiam committi tradunt, quoniam illis cultus, & honor divinus habeatur, & per iniuriam illis illatam Deus offendatur; ſed hodiè in noſtris Eccleſiis ſaniori intellectu ſacrarum litterarum docetur, ejuſmodi Sanctis honorem, & reverentiam Divinam non deberi, Apocal. 19. verſ. 10. & ſeq. quoniam per hoc blaſphemiam committeremus, ſi honorem Deo debitum ei adimeremus, & aliis Sanctis tribueremus.*

*Deindè patet, quòd multò minus blaſphemia committatur, ſi quis imagines, ſtatuas, & alia ſimulacra Sanctorum lædat, percutiat, & omninò templis ejiciat, per Tex. elegantem lib. 2. Reg. 18. verſ. 3. & ſeq. Propterea quia ejuſmodi ſimulacra in peccatum, & ſcandalum populi à Pontificibus contrà Dei præceptum Exodi 20. verſ. 3. Deuter. 5. verſ. 8. & ſeq. Pſalmi 81. verſ. 9. ſunt excogitata, quamvis me non lateat contrarium ſtatuere.*

*Farinac. in ſua praxi q. 28. num. 68. ibi Secundus caſus Nicol. Boetius deciſ. 301. num. 18. Hippol. de Marſil. in ſua praxi crim. §. Et quia num. 25. ibi. Puta, ſi quis percutiat imaginem.*

*Benè tamen fateor, ſi quis contumelioſum quoddam in S. Mariam, vel alios Sanctos proferat, per quod eorum memoria obſcuretur, auctoritas labefactetur, & ſcandalum oriatur, quòd is meritò extrà ordinem arbitrio judicis puniri poſſit. Fariu. q. 23. num. 27. §. limita hanc nonam ampliationem.*

*Niſi convitium ſit tale, per quod enormiter Dei majeſtas lædatur; Puta, ſi quis Sanctam Virginem ejus matrem proclamet meretricem, hoc enim, & ſimili caſu, cum majeſtas, & perſona Chriſti admodum borrendè offendatur, & is per indirectum pro ſpurio proclametur, meritò in pœna ordinaria in Blaſphemos ſancita puniri debet. Idem ſtatuo, ſi quis per Beatiſſimæ Virginis membra pudibunda, puta, anum, podicem, mamillas, & ſimilia jurat. Boer. conſil. 301. num. 1. uſque huc ad Verbum Berlichius.*

Auctor iſte in præcedentibus numeris recenſuerat diverſa exempla blaſphemiarum contra Deum, & tandem ſub num. 33. ex communi ſententia aſſerit, non propria, blaſphemiam committi etiam contra B. Mariam, & alios Sanctos ex Doctrina *cap. 2. de maled. Jodaci in praxi crimin. cap. 61. num. 11. verſ. Aliquave verba in ejus Sanctos, Covar. in cap. Quamvis part. 1. §. 7. num. 13. verſ. nonò hinc patet, Menoch. lib. 2. de arbitr. caſu 375. num. 14. Farinac. criminal. q. 20. nu. 25. Clarus §. Blaſphemia num. 1. quos contra ſe citat Berlichius, qui nullum citat Theologum. Negat ergò committi blaſphemiam in Sanctos, pro ut ejus errores extendimus ſuprà.*

7 Dicimus autem, hanc ejus propoſitionem eſſe hæreticam, cum adverſetur auctoritatibus adductis ſuprà ſub num. 7. ubi expreſſi dicitur, blaſphemiam committi etiam maledicendo Sanctis ejus; non poteſt ipſe ergò, nec alius illæſa conſcientia ſuſtinere hanc propoſitionem, cum hæretica contra Sacram Scripturam, quæ oppoſitum expreſsè ſit, docet. Hi ſunt effectus Eccleſiarum reformatarum

matarum, incidere in errores, quia apud ſe non habent verum ſenſum Scripturarum, cum defecerint ab Eccleſia Romana univerſali, intrà quam eſt tantùm verus Scripturarum ſenſus.

Probat ſuum errorem per textum in Apocal. cap. 6. verſ. 9. & ſeq. ſed quoniam in eo Capitulo ſexto ne Verbum quidem de blaſphemia, ideò non curavit regiſtrare verba Apocalipſis, cum nullum ſit ad ejus propoſitum.

Probat 2. ex eo, quòd noſtri interpretes dicunt iniuriam Sanctis factam eſſe blaſphemiam, quia cultus, & honor divinus habetur illis, ac proinde iniuria Sanctis facta offendimus Deum, qualem honorem Sanctis non deberi, ſaniori intellectu docetur in eorum Eccleſiis.

Duæ hinc colliguntur propoſitiones ponderandæ. *Prima*, quòd cultus, & honor divinus habetur Sanctis. *Secunda*, quòd per injuriam Sanctis illatam offenditur Deus.

8 Prima propoſitio eſt hæretica, nec ab ullo ex noſtris Catholicis aſſeritur. De cultu latriæ ſoli Deo debito expreſsè Deuter. 6. 13. Chriſtus Diabolo dixit. Matth. 4. 10. Vade Satana: Scriptum eſt enim: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Undè Catholici hunc cultum non tribuunt Sanctis, quibus non competit ex ſententia Divina, ſed alius cultus proprius Sanctorum, qui reſpectu Virginis Mariæ nuncupatur Hyperdulia, reſpectu aliorum Sanctorum dulia, ex communi ſententia Sanctorum Patrum, & Theologorum *in* 3. *diſt.* 9. *cum D. Thoma* 2. 2. *q.* 84. de latria ſoli Deo debita, *& part.* 3. *q.* 25. ubi de adoratione Sanctorum, quæ etiam ex Sacra Scriptura colligitur; nam Baalam adoravit Angelum talem ſibi cognitum ex divina revelatione *num.* 22. Abraham, & Loth paritèr venerati ſunt Angelum, qui eis apparvit, *Geneſ.* 18. *&* 19. Abdias adoravit Eliam hominem Dei Sanctum 3. *Reg.* 18. Saul quoque rex Samuelem prophetam adoravit, 1. *Reg.* 28. non adoratione Civili, aut politica, qua adoratur homo propter aliquam ejus excellentiam, quia eſt Dux, quia eſt Princeps, quia eſt Rex, ſed adoratione Catholica dulia nuncupata, qua Sancti uti Dei homines, & Servi venerantur propter excellentiam ſanctitatis, & amicitiæ inamiſſibilis, quam habent cum Deo, juxtà quod dicit Propheta Regius: *Laudate Deum in Sanctis ejus.* Dum Deus cognoſcitur, & prædicatur eorum Creator, & Redemptor, quod commune eſt omnibus hominibus, atque potiſſimum, quia eorum eſt glorificator, ratione cujus dicitur Deus laudari in Sanctis ſuis. De veneratione Sanctorum lege,

9 *Adriani* 1. *Epiſtolam ad Conſtantinum, & Irenem D. Baſilium in Pſal.* 33. *orat. in Quadraginta Martyres D. Bernardum ſuper ea verba, ſignum magnum Apocal.* 12. *D. Dionyſium de Eccleſ. Hierarch. cap.* 6. *S. Euſebium lib.* 13. *de Præpar. Evang. cap.* 6. *D. Athanaſium de Incarnat. Verbi. S. Nazianzenum in Cyprianum orat.* 1. *in Julianum S. Cyrillum Catheche ſi* 5. *Miſtagogica S. Ephrem ſerm. de laud. martyrum.* Quorum, & aliorum omnium Sanctorum Patrum doctrinam ſecuti ſunt Theologi omnes locis præcitatis. Itaque Berlichius errat toto

cœlo,

cœlo, & delirat, dum dicit, cultum divinum deberi Sanctis, ex Doctrina Catholicorum, qui tamen, ut viſum fuit cultum, qui tribuitur Sanctis, vocant duliam, & non latriam, quæ ſoli Deo cõvenit.

10 Secunda propoſitio, quòd per injuriam illatam Sanctis, Deus offendatur, eſt planè Catholica, Lucæ 10. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* Undè S. Hieronymus ad Riparium contrà Vigilantium propè medium inquit; *Honoramus ſervos, ut eorum honor redundet in Dominum juxtà illud: Qui vos ſpernit, me ſpernit.* S. Ambroſius ſerm. 6. hæc ſcribit: *Quiſque honorat Martyres, honorat Chriſtum.* Et Leontius receptus in 7. Synodo Act. 4. dicit: *Qui Martyres colit; Deum ipſum colit; ſicut qui recipit Apoſtolum, aut honore proſequitur illum, recipit, aut honorat Deum, qui miſit Apoſtolum.* Sic è contrà, qui ſpernit, contemnit, & contumelia afficit Sanctos, offendit Deum, qui in Sanctis ſuis laudandus eſt, non blaſphemandus. His ut certis explicatis non video neceſſariam conſequentiam negandi, injuriam Sanctis factam eſſe blaſphemiam; nam ex hoc abſurdo tantùm ſequitur, quòd colentes Sanctos cultu latriæ ſoli Deo competente, ſunt idolatræ, & blaſphematores tribuentes Creaturæ, quod ſoli Creatori convenit, idolatræ quidem, quia creaturam adorant, ac ſi eſſet Deus, blaſphematores verò, quia, quod ſoli Deo convenit, tribuunt Creaturæ. Qui autem de Sanctis maledicit, non committit idolatriam, nec ſe opponit latriæ immediatè, & directè, nam injuria illata immediatè terminatur in Sanctum injuriatum, mediatè verò, & in conſequentiam redundat in Deum, ex allata auctoritate *Qui vos ſpernit, me ſpernit*; non ideò ſequitur, quòd Sancti cultu Divino, qui latria nuncupatur, venerentur à Catholicis; ideò injuria in Sanctos proclamata non dicitur blaſphemia, quia ſit contrà divinum cultum ſoli Deo debitum, ſed quia eſt contrà alium cultum, qui vocatur dulia, competens ipſis Sanctis, propter eorum excellentem ſanctitatem.

11 Non ſolùm autem ex prima propoſitione de cultu divino, quem Berlichius dicit per Catholicos haberi Sanctis, quorum nullus, ut viſum fuit, ad tantam dementiam pervenit, colligit ſuum intentum; Verùm nec ex ſecunda propoſitione vera, & Catholica, quòd ſcilicèt, per injuriam illatam Sanctis offendatur Deus, quia non ſolùm per hoc peccatum Sanctis contumelioſum, verùm etiam per quodcunque aliud offenditur Deus; peccatum enim quodlibet corrigitur, & deſtruitur, ſi deteſtetur, prout eſt offenſa Dei, in ſententia omnium; ergò quodlibet peccatum adjunctam habet offenſam Dei, eſt enim tranſgreſſio legis divinæ, quæ accidere non poteſt ſinè offenſa Dei. Catholici ergò maledicentiam, & injuriam in Sanctos rectè vocant blaſphemiam ſpecialem, & diverſam à blaſphemia in Deum, quia non tantùm Deus propter ſuam excellentem bonitatem infinitam, excludentem omnem imperfectionem, & capacitatem ad quaſcunque imperfectiones, honorandus, & laudandus, non

verò

verò inhonorandus, & vituperandus per blaſphemiam, verùm etiam Sancti omnes venerandi ſunt, & laudandi in ſe ipſis, quia habent propriam excellentiam ſanctitatis, refertam variis virtutibus heroicis, quas in hac vita exercuerunt, quorum laudi, & veneration opponitur injuria, & maledicentia nuncupata blaſphemia, quæ eorum laudi, & veneration duliæ opponitur. Et quoniam qui honorat ſervum, honorat Dominum ejus, nos honorantes, & laudantes Sanctos, in illis etiam Deum laudamus, & confitemur; ideò ſicut laus ſervi redundat in Dominum, ità vituperium, & blaſphemia in Sanctos Dei ſervos reſultat in ipſum Deũ, non ideò tamen Sancti ſunt digni honore latriæ, quæ ſoli Deo convenit, dum enim per Catholicos viros Sancti laudantur in ſe ipſis, in quibus conſequentèr Deus colitur per eamdem, non poteſt dici, quòd colantur, & honorentur cultu latriæ, dum ipſi Deum adorant, quia ipſi non ſunt digni honore divino, ſi ipſi Deum venerantur; ſervus ergò Dominum obſequitur, non è contrà.

Subjungit Berlichius, quòd in ſuis Eccleſiis ſaniori intellectu ſcripturarum docentur, Sanctis non deberi honorem divinum.

12 Supponit iſte inimicus veritatis, Catholicos docuiſſe, & docere honorem Deo debitum etiam Sanctis deberi, quod uti falſum rejecimus ſuprà. Hallucinantur enim hæretici non intelligentes doctrinas Sanctorum Patrum, dum docent ſæpè, honorem nimirùm, & adorationem redundare in honorem Dei, id enim non eſt ità intelligendum, ut aſſerant, quòd eadem ſit adoratio, & cultus Dei, & Sanctorum, ſed quia adoratio, quæ Sanctis exhibetur, eſt propter Deum, tamquàm propter finem, ſicut quilibet actus virtutis dicitur eſſe propter Deũ, ad quem uti ultimum finem homo debet omnia referre. Deindè proxima ratio venerandi, & colendi Sanctos, eſt excellentia virtutum firmata gloria ſempiterna in illis per participationem à Deo, undè hoc cultu, & honore, quo Sancti venerantur, dicitur Deus honorari non ſecundùm ſe, cum altiori cultu dictæ latriæ dignus ſit, ſed quatenùs ſuam gloriam Sanctis communicat. Demùm honor Sanctorum in Deum redundat, quia fideles ex cultu Sanctorum excitantur ad laudandum, & colendum Deum.

13 Berlichius, dum negat, injurias Sanctis factas eſſe blaſphemias, faretur, Sanctos non eſſe dignos veneratione, neque eſſe adorandos, & ſic incidit in hæreſim *Calvini qui lib. 1. inſtit. cap. 12. impiè aſſerit*, Catholicos idolatriam committere, dum Sanctos adorant, id autem putat ſe probare hoc argumento. In adoratione Sanctorum aliquid detrahitur de honore Dei; ergò in ea adoratione committitur idolatria. Probat antecedens, nam Religio Deo debetur, & ſolùm verſatur circà ejus cultum; ergò cum Sancti per Religionem à Catholicis venerentur, in eorum cultu aliquid Deo detrahitur; & ideò inquit Calvinus, licèt Diabolus tentans Chriſtum, *Matthæi* 4. non petierit honorem latriæ, fuit ab ipſo repulſus dicente. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et ſubjungit idem Cal-

vinus hanc eſſe cauſam, cur Angelus, de quo in Apocal. 19. prohibuit Joannem, ne ſe veneraretur, tametſi Joannes non fuerit tàm amens, ut voluerit Angelo honorem Deo debitum. Prætereà hanc dicit eſſe cauſam, quare D. Petrus *Act.* 10. recuſaverit honorem ſibi oblatum à Cornelio. Dum ergò Berlichius negat Sanctis injuriam factam eſſe blaſphemiam, conſequentèr illis negat cultum, & venerationem, quam illis tribuit Eccleſia Catholica, quia in tantùm quis dicitur blaſphemari, in quantùm dignus eſt honore, quem illi verbo diminuit blaſphemator.

Certum autem eſt ex ſupradictis, Sanctos propter eorum ſanctitatis excellentiam eſſe dignos veneratione, ut de fide probavimus ſuprà, & colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 25. de Venerat. Sanct.*

14 Antecedens Calvini eſt ſimpliciter falſum, in adoratione ſcilicèt Sanctorum detrahi aliquid de honore Dei, contrà illud Pſal. *Laudate Deum in Sanctis ejus*, qui enim adorat Sanctum, veneratur Deum in ipſis, ut clariùs dixit Chriſtus ipſe, Lucæ 10. 16. *Qui vos audit, me audit.* Qui ergò Sanctos audit, ideſt honorat, ipſum Deum audit, & honorat; non ergò colens Sanctos detrahit aliquid de honore Dei. Hinc etiam ejus antecedentis probatio apparet falſa, quia religio non ſolùm verſatur circà cultum Dei, ſed etiam circà venerationem Sanctorum, & rerum ſacrarum, in quantùm hæc omnia referuntur in Deum, cum quo habent rationem unius, adeòquòd Deus ipſe dicitur objectum, cui ſcilicèt competit cultus Religionis, Sancti verò, & res ſacræ ſunt objectum quod, circà quod ſcilicèt verſatur cultus cum relatione ad Deum; Undè *Svar. tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 4. nu. 4.* dicit, quòd Religio, quæ eſt circà cultum Dei, numquàm Deum attingit ut objectum quod, ſed tantùm ut objectum cui, quia omnis actus Religionis tandem refertur Deo ultimo rerum omnium fini. Qui ad rem noſtram *ſub num. 9.* dicit, Deum eſſe objectum cui Religionis reſpectu ejus actus, quo Sancti venerantur ſpectati, ut ſunt templa Dei, in quibus aliquo modo Deus colitur, in quantum cum ipſo Deo ſunt aliquo modo unum. Quòd ſi Sancti in ſe ipſis adorentur propter propriam excellentiam, actus adorationis non ſunt actus Religionis hujuſmodi, quæ verſatur præcisè circà ſolum Dei cultum, ſed nuncupantur actus duliæ, ſcilicèt honoris debiti ipſis Sanctis, ratione propriæ eorum excellentiæ, ut docet *Valentia tom. 3. diſp. 1. q. 14. p. 4. & cum ipſo idem Svar. cit. lib. 3. de Sacrilegio cap. 6. num. 6.* Sicut ergò virtus, qua Deus colitur, ut gubernator omnium, vocatur Religio, qua uni, & ſoli Deo honor debetur, nomine latriæ, ſub quo etiam venit veneratio Sanctorum, quatenùs redundat in ipſum Deum, qui in illis, ut in quibuſdam vivis templis colitur propter ſe ipſum; virtus verò, qua ipſi Sancti in ſe

15 ipſis honorantur propter propriam eorum excellentiam, nuncupatur Dulia, ut ſæpius dictum fuit: Sic è contrà, vitium, quo Deus, & Sancti maledicuntur, appellatur cõmuni nomine blaſphemiæ, quæ prout Deum inhonorat, opponitur virtuti Religionis, cujus

actus

actus vocatur Latria, quę verò Sanctos injuria afficit, dicitur opponi Duliæ, & ſic blaſphemiæ in Deum, & Sanctos, ſpecie diſtinguuntur inter ſe, ſicut ſunt diſtinctæ Latria, & Dulia *ſecundùm Svarez cap. 6. de blaſphemia num.* 19. Patet ergò ex his, per honorem Sanctis tributum nihil detrahi de cultu divino, quia cuique debitus defertur honor, Latria Deo, Dulia Sanctis, ſine diminutione honoris Dei, in quem etiam cultus Sanctorum redundar, dum ipſi venerantur, & propter ſe, & propter Deum, qui eſt finis ultimus illorum, & omnium rerum.

16 Colligitur etiam ex dictis, per adorationem Sanctorum actu Duliæ non committi idolatriam, quia idolatria committitur, cum cultus latriæ exhibetur creaturæ, quæ reputatur Deus ab idolatra, ex doctrina Sanctorum Patrum, cum *Svarez. lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 4. *&* 5. Manifeſtum autem eſt, ex ſupradictis, quòd cultus per Catholicos Sanctis tributus, non eſt latria, ſed dulia, eiſdem relatus, non ut Diis, ſed ut Dei ſervis propter propriam eorum excellentiam; non ergò perpetratur idolatria in eorum adoratione.

17 Chriſtus repulit Diabolum à ſe, quia reverà petierat ab eo adorationem latriæ, ut clarè conſtat ex illis verbis: *Oſtendit*, ideſt Diabolus, *ei*, ideſt Chriſto, *omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei.* Hæc *omnia tibi dabo, ſi cadens*, ideſt genuflexus, *adoraveris me.* Nam ſe fingebat Deum, & patronum totius Mundi, ac proindè petiit, ut pro tali eum recognoſceret adoratione latriæ, quem Chriſtus à ſe rejecit indignum omninò adoratione aliqua, cum nullam in ſe habeat excellentiam virtutis moventem ad cultum, undè illi dixit: *Dominum Deum tuum adorabis*, non verò tu à me, qui ſum verus Deus adoraberis; Quòd Diabolus petierit adorationem latriæ, patet ex mox dictis, & docet *Gloſ.* ibi: *Ecce antiqua Diaboli ſuperbia, ſicut enim in principio volvit ſe ſimilem Deo facere, ità nunc volebat Divinum ſibi uſurpare cultum.* Et D. Thom. 1. Corinth. 12. idem dicit, apud Antonium de Gislandis Ordinis Prædicatorum, ſuper dictum Evangelium dub. 66.

18 Angelus autem Apocal. 19. nolvit adorari à Joanne, non quia commiſiſſet idolatriam, ſi adoraviſſet Angelum, ut reſpondet malè Calvinus, ſed non permiſit ſui adorationem propter reverentiam, quam Angelus fert Principibus Apoſtolis primariis Eccleſiæ militantis fundamentis, ità reſpondent Sancti Patres cum Beda, & Ruperto, apud Bernardum Puiol Theologum Perpinianum, in ſuo opuſculo de ſacro adorationis cultu. Joannes autem volebat adorare Angelum non cultu latriæ, ſed duliæ; non enim erat ità inſipiens, & imprudens, ut crederet latriam deberi creaturæ.

19 Petrus Act. 10. 25. honorem ſibi factum, & non tantùm oblatum à Cornelio Centurione non recuſavit, ſed acceptavit, & poſteà ex humilitate ſua, atque ex urbanitate elevavit eum genuflexum dicens: *Sur-*

ge, & *ego ipſe homo ſum*, quaſi volens dicere, non ſum dignus tanto honore, quo me proſequeris, cum ſim homo, ut tu. Cornelius agebat ejus opera; ideò oportuit illum præſtare debitum honorem. Falſum ergò eſt, quòd Petrus abſolutè recuſaverit honorem tamquàm cultum latriæ, ut dixit Calvinus, ſed acceptavit, ex humilitate ſe excuſando eſſe indignum tanto honore. Vide *Beccanum de Officiis Angel. cap.* 21. ubi reſpondeo ad prædicta de adoratione Angeli, & Petri, *num.* 6. & 9.

20 Ex prędictis colligamus, definitionem Religionis includentis quodlibet genus cultus, & adorationis hac ratione. Religio eſt virtus moralis inclinans hominem ad exhibendum verum cultum rei ſacrę propter ejus excellentiam. Hæc ratio competit Deo, & Sanctis ejus, quibus ut rebus ſacris, & excellentibus tribuitur cultus honor. Quoniam autem alia eſt excellentia Dei, alia Sanctorum; ideò Religio in ratione actus adorationis dividitur in Latriam, quæ eſt cultus Deo debitus, qui à nobis adoratoribus recognoſcitur, ut Supremus Dominus, omnium creator, & gubernator. Et Duliam, quæ eſt cultus Sanctis Angelis, & hominibus glorioſis debitus eorum excellentiæ, & ſanctitati illis inhærenti. Qui cultus reſpectu humanitatis Chriſti, & Beatæ Mariæ ejus Matris, vocatur Hyperdulia; excedunt enim cæteros Sanctos, & Angelos; ideò illis ſpecialis cultus eſt debitus. Iſtæ duæ ſpecies Latriæ, & Duliæ in ſententia Sanctorum Patrum, & omnium Catholicorum inter ſe ſunt omninò diverſæ formalitèr, nam Latria ſpecificatur ab excellentia increata, Dulia verò ab alia excellentia, quæ dicitur creata.

*Ità D. Thomas* 2. 2. *qu.* 81. *art.* 4. & *q.* 103. *art.* 3. *Sanctus Bonaventura, Ricardus, Gabriel, & alii in* 3. *ſent. diſt.* 9. *Svarez lib.* 2. *de habitu Relig. cap.* 5. *num.* 4. *cum eis Caſtropal. tom.* 2. *diſp.* 2. *num.* 6. Itaque quis prohibet dividere Religionem in has duas ſpecies, Latriam, & Duliam, prout dictum fuit. Ex quo ſequitur falſitas antecedentis Calvini, qui dicebat, quòd Religio verſatur ſolùm circà cultum Dei, nam id falſum eſt, ſumpto Religionis vocabulo pro cultu in genere accepto, pro honore communi Deo, & Sanctis ejus, nam cum Latria, & Dulia ſint duæ ſpecies, neceſsè eſt, quòd ſint ſub aliquo genere, quod aliud eſſe non poteſt, niſi Religio in actu adorationis.

Concludit autem Berlichius his verbis: quoniam per hoc blaſphemiam committeremus, ſi honorem Deo debitum ei adimeremus, & aliis Sanctis tribueremus. Ignoravit iſte Doctor Theologiam; ideò in his non potuit benè loqui, niſi caſu, dum dicit, eſse blaſphemiam honorem Deo debitum tribuere Sanctis, benè loquitur, ſed malè arguit, dum cultum quemlibet cum Calvino negat Sanctis contrà omnium Conciliorum, & Patrum definitionem de veneratione Sanctorum.

Super

Super falſum fundamentum nihil boni ædificari poteſt, cum ædificium ſemper corruat, ex eo, quòd Berlichius negat impiè, cultum Sanctis deberi, probat multò minùs non eſſe blaſphemiam lædere imagines, & ſtatuas Sanctorum, & illas ab Eccleſiis ejicere, ea ratione, quia ſunt in peccatum, & ſcandalum populi excogitata contrà Dei præceptum. Et affert exempla ſcripturæ pro ſe. Quibus modò reſpondendum eſt; ſicut falſum eſt, ut probatum fuit, negare Sanctis cultum proprium Duliæ, cui opponitur vitium blaſphemiæ in Sanctos, ità falſum eſt prohibere eorum imaginibus cultum eundem duliæ relativum, quatenùs in illis Sancti repræſentantur, & impium eſt dicere, læſionem earum non eſſe blaſphemiam in facto; id enim docent omnes, quos citabo infrà ſub caſu 4.

Suum commentum probat *ex lib. 2. Reg. 18. Verſ. 3.* Sed ego totum textum illum accuratè legi, & nihil inveni pro Berlichio, ſed ſolùm ibidem narratur mors Abſalon inhærentis quercui. Deindè adducit *capit. 20. Exodi*, ibi: *Non habebis Deos alienos coram me; Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra non adorabis ea, neque coles, ego ſum Dominus tuus fortis.* Quæ verba repetuntur in *Deuter. 5. 8.* Hìc ſolùm prohibetur cultus eorum, ac proindè interdicitur eorum fabricatio in ſimulacris, & idolis: Imagines verò, ſimulacra, & ſtatuæ Sanctorum non prohibentur, cum non ſint idola, neque falſi Dei, ſed veri Dei ſervi, cum quo in Paradiſo glorioſi regnant, undè ex ſacris Conciliis *in Synodo 7. act. 7. in Tridentino ſeſſ. 25.* præſcribitur ſacrarum Imaginum cultus.

Non valens ſuum errorem tegere, maledicentiam contrà Mariam Virginem, & Sanctos vocat verbum contumelioſum, per quod Sanctorum memoria obſcuratur, & auctoritas labefactatur, & dignum pœna ſtatuit proferentem hujuſmodi verba; ergò in re fatetur, Sanctos blaſphemari per verba contumelioſa. Et prævidens ſuum errorem non poſſe defendere, ponit exceptionem, puta, ſi quis, inquit, Sanctam Virginem proclamet meretricem, puniendus eſt pœna ordinaria in blaſphemos ſancita, quia majeſtas, & perſona Chriſti admodùm horrendè oſtenditur, & per indirectum Chriſtus pro Spurio proclamatur, idem dicit de jurantibus per ejus membra pudibunda. Fatetur, ergò hujuſmodi injurias in Virginem eſſe blaſphemias, quod verum eſt, non ſolùm quatenùs redundant in contumeliam Dei, ſed etiam quia ipſa Maria Virgo injuriatur ratione propriæ excellentiæ ſanctitatis. Et quia ſicut Deus laudatur in Sanctis ſuis, ità & blaſphematur in eiſdem; ergò blaſphematur non ſolùm Deus, verùm etiam Sancti ejus, dum maledicuntur. Confirmatur id ad hominem; dicit enim Berlichius, quòd Sancta Maria blaſphematur, dum quis jurat per ejus pudenda

pudenda; ergò ratione ſui blaſphematur, & non tantùm reſpectu Chriſti Domini, dum vocatur meretrix; neque enim ex nominatione pudendorum redundat aliquid contumeliæ in Chriſtum, cum ſicut vocatur meretrix. Quod idem dicendum eſt de cæteris Sanctis; cum injuriæ eis illatæ ex vi propria, non redundent formaliter in Deum, ſed ſiſtant in ipſis Sanctis, contrà quos directè proferuntur.

pudenda

CASUS

# CASUS II.

## An falſitas includatur in ratione Blaſphemiæ?

1 IN definitione blaſphemiæ Baſſei dictum fuit, quòd ea eſt falſa locutio, quia tamen id non omnibus placet, nam id negat *Svarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 4. num. 9.* cum dentur aliquæ blaſphemiæ ſinè falſitate, ut in blaſphemiis optativis, & nominando membra Chriſti etiam pudenda, cum hæc vera illi inſint, & per optativum nulla falſitas dicatur, quæ propriè conſiſtit in enunciationibus ſecundùm Philoſophos. Idem docent *Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. q. 1. & 2. ex illis Caſtropalaus par. 3. tract. 17. diſp. 2. par. 2. §. 1. num. 2.* Sed eis non obſtantibus cum majori numero Doctorum conſequentèr ad dicta in explicatione definitionis blaſphemiæ.

2 Dicendum eſt, falſitatem eſſe de ratione blaſphemiæ, non ſolùm prolatæ per modum indicativum, ſed etiam per modum imperativum, optativum, & imprecativum etiam reſpectu blaſphemiarum de membris, tùm honeſtis, tùm inhoneſtis Dei, Chriſti, & Sanctorum, ſi eorum oblocutio eſt blaſphemia. Non eſt difficultas de blaſphemiis indicativis, in quibus, ſecundùm omnes, reperitur expreſsè falſitas, tàm in actu ſignato, quàm expreſso, dum blaſphemator per ſuam oblocutionem aufert Deo, quod illi convenit, vel ponit in Deo, quod illi non convenit; aut quod eſt proprium ſolius Dei, tribuit creaturæ, cui illud non competit; in his enim oblocutionibus patet manifeſtè falſitas, ut ſi quis vocet Deum injuſtum, partialem, invidum, &c. vel dicat Diabolum ſanctum, omnipotentem &c. in his palàm eſt falſitas, abſcondi non poteſt, ſicut in blaſphemiis imprecativis, quæ ſunt, e. g. *Maledictus ſit Deus. Tædeat Chriſtum de converſione peccatorum, evadat Meretrix virgo &c.* In his, inquiunt, nulla apparet falſitas, quia hujuſmodi imperfectiones non aſſeruntur in Deo eſſe, ſed ſolùm imprecantur; nulla ergò falſitas in his, cum non proferantur modo enunciativo, in quo ſolo reperitur falſitas.

3 Sed contrà, quia in iſtis modis obloquendi optativè oſtendo falſitatem, nam in hoc blaſphemia *Maledictus ſit Deus* de præſenti obloquens in Deo ſignificat, & exercet etiam in actu capacitatem ad futuram maledictionem, ratione cujus blaſphemia optativa includit falſitatem, dum per ea verba blaſphemans dicit Deum capacem maledictionis, quod tamen falſum eſt, ut hæc, & ſimiles blaſphemiæ involvunt ſuam falſitatem; & ſi enim verba hujuſmodi de præſenti non impingunt futurum malum, ſed tantùm deſiderant; de præſenti nihilominùs

hilominùs Deum faciunt ſubjectum capax maledictionis, vel alterius mali, quod ſufficit ad falſitatem. Differunt autem blaſphemiæ indicativæ ab optativis in eo, quòd indicativæ de præſenti, vel præterito indicant imperfectionem ineſſe de præſenti, vel de præterito, ut cum quis dicit. *Meretrix Dei, aut meretrix, quæ fuit Dei*; tota maledicentia, & imperfectio tribuitur ineſſe, vel infuiſſe in his blaſphemiis enunciativis. In optativis verò unum ſignificatur de præſenti ineſſe, alterũ ineſſe in futurum; dũ enim quis imprecatur maledictionem, vel aliam imperfectionem futuram Deo; primo indicat, Deum ſuppoſitivè eſſe actu notatum capacitate imperfectionis, quæ illi imprecatur; aſſerit enim tunc per talem oblocutionem eſſe ſubjicibilem, & aptum natum recipere in ſe hujuſmodi imperfectiones, & ſecundo indicat per eadem verba futurum malum ex ſuppoſitione talis capacitatis, & ſubjicibilitatis, ratione primi convenit cum blaſphemiis enunciativis, cum de præſenti Deo innuat contumeliam, ratione verò ſecundi ab illis differt, cum imprecatio referatur ad futurum malum, quod optatur.

4 Confirmatur exemplo hominis maledicentis alterum hominem, nam ſolet imprecari malum, cujus eſt capax, regulariter loquendo; ferè nunquàm malum, cujus non eſt capax, ut ſi dicat. *Poſſis evadere Diabolus*, vel quid ſimile impoſſibile, quod rariſſimè contingit; ſicut ergò in homine verbum maledictionis dicit veritatem, in quantùm eſt ſubjicibilis verè alicui malo, & falſitatem, in quantùm non eſt ſubjicibilis tali, vel tali malo; ità verbum maledictionis in Deum dicit falſitatem, dum facit Deum ſubjicibilem, & obnoxium malo, à quo omninò procul eſt etiam in potentia.

5 Deindè hujuſmodi falſitas probatur ineſſe omnibus blaſphemiis ex definitione blaſphemiæ ut ſic, quæ dicitur auferre Deo, quod ei convenit, vel tribuere Deo, quod ei non competit, aut dare creaturæ, quod ſolius Creatoris proprium eſt; Manifeſtè autem patet dari in his falſitatem, cum locutio hujuſmodi non ſit conformis objecto, circà quod verſatur; ergò ibi falſitas reperitur, hoc ipſo, quòd ea diformitas eſt potentiæ cum objecto. Ergò quælibet blaſphemia includit falſitatem, conſequentèr etiam optativa, aliter non eſſet bona definitio blaſphemiæ, ſi non conveniret omnibus blaſphemiis.

6 Cajetanus 2. 2. q. 13. art. 1. docet in omnibus blaſphemiis reperiri falſitatem, ſed non eodem modo; nam in verbis enunciativis, ait, eam reperiri formaliter, in imprecativis verò virtualiter, ſeù in actu exercito; in his enim non enunciatur aliquid falſum, ſed appetitur id, quod eſſe non poteſt, aut non decet. Qui verò nominat ignominiosè membra Chriſti, in actu exercito locutionis dicit, ea eſſe vituperabilia, & digna contumelia, quod falſum eſt. Dic tu, ut ſuprà, enuntiari etiam aliquid falſum, dum per verba optativa dicitur Deus ſubjicibilis malo ex eo, quod illi appetitur.

7 *Svarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 4. num. 9.* aſſerit reſponſionem

Caje-

Cajetani eſſe nimis generalem, & methaphoricam, nam qui hoc modo odit Deum, ſignificat in actu exercito falſum, nam virtutualitèr dicit Deum eſſe odio dignum, quomodò univerſalitèr dicitur Proverb. 14. *Errant, qui operantur malum*. Neque enim in illis blaſphemiis imprecatoriis alius reperitur error, niſi purè practicus, nam qui ex ira, vel odio in Deum profert verba, optantis malum Deo, non ſentit illud eſſe poſſibile, vel decens, ſed appetit, licèt ſit impoſſibile, & indecens, ut ſatisfaciat furori ſuo. Similitèr verenda Chriſti nominans, non dicit illa in actu exercito eſſe vituperabilia, ſed facto tantùm vituperari poſſe ad explendum inordinatum affectum. *Suarez. ſequitur Caſtropal. part. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. §. 1. num. 2.* eadem ratione, & argumento.

8 Contrà autem eſt, quia odium Dei pravo affectu voluntatis conſumatur, & ideò nullũ verbum locutionis adeſt, quod exerceat falſitatem in odio contrà Deum, quòd Deus ſcilicèt ſit dignus odio, quod ſi conjungatur cum blaſphemia, tunc oblocutio arguit Deum eſſe dignum odio, hoc ipſo, quòd illi imprecatur; igitùr odium in tantùm involvit falſitatem prædictam, in quantùm eſt coniunctum cum blaſphemia. Et cum ipſa verba inferant falſitatem, eſto blaſphemi non ſentiant illud, quod de Deo dicunt eſſe poſſibile, vel decens, parùm refert ad rationem blaſphemiæ, ſivè credant, ſivè non credant, Deum eſſe capacem illius maledictionis; homo enim lingua lubricus dicit quidem blaſphemiam, ſed falſitas ſequitur ex ſignificatione verborum, quæ indicant Deum eſſe ſubjectum maledictionis, & imperfectionis prolatæ. Error ergò practicus ſufficit ad falſitatem inducendam in qualibet blaſphemia, ſivè blaſphemans credat, ſivè non ineſſe, vel poſſe ineſſe imperfectionem in Deum prolàtam; multi enim blaſphemant, dicentes, *Meretrix Dei*, & eum vocant partialem, & iniquum, & tamen credunt firmitèr, illum eſſe purum, & juſtum; ergò falſitas in blaſphemia non pendet ab intentione, & ſenſu obloquentis, ſed à ſignificatione verborum.

9 Illud Proverb. non intelligitur de errore, quod eſt falſitas, ſed de ignorantia, nam in quolibet peccato miſcetur aliquid erroris, & ignorantiæ, dum voluntas appetit pro bono, quod malum eſt, ità ferè omnes cum S. Thoma 1. 2. q. 6. art. 8. iterùm q. 77. art. 2. in corpore.

# CASUS III.

## An de ratione Blaſphemiæ ſit prava voluntas inhonorandi Deum?

1 DEfinita fuit blaſphemia falſa locutio contrà Deum per modum contumeliæ, quæ dicit injuriam, & contemptum in ipſum Deum. Nunquid blaſphemans debeat habere intionem, & animum infamandi, & inhonorandi Deum, proferendo verba blaſphemiæ? Quod videtur ſic, dum blaſphemia perficitur per contumeliam, quod evenire non poteſt, niſi per pravam voluntatem obloquentis.

2 Dicendum tamen eſt, quòd non eſt neceſsè ad rationem blaſphemiæ maledicere cum pravo animo injuriandi Deum, quia blaſphemia non conſiſtit in aſſentiendo, ſed in dicendo. Confirmatur, quia verba ipſa ex ſua ſignificatione continent injuriam, alitèr non diceretur blaſphemare ille, qui rejecta intentione prava, proferret verba blaſphemiæ, qui tamen blaſphemat, quia illa rejectio pravæ voluntatis ineffi-cax eſt, & nihil valet, ſicut in eo, qui proteſtatur verbo, ſe non offendere amicum, cui tamen impingit alapam, aut crimen, nam proteſtatio contraria facto non relevat proteſtantem, *Gloſ.*

3 *V. ſinè præjudicio cap. cum M. 9 de conſtitut.* conſequentèr proteſtatione non obſtante, offendit proximum, ità Deum offendit verbo blaſphemiæ ille, qui caret pravo affectu, ſicut alter, qui cum prava intentione blaſphemat. Ità omnes cum *Sanchez. lib. 2. cap. 32. num. 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 6. num. 8. Caſtropal. part. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. §. 1. numer. 3.* Si autem expreſsè, & cum animo pravo injuriandi Deum blaſphemavit, debet id in confeſſione manifeſtare, inquit Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 12.* ſed

4 non ſolet contingere blaſphemia cum tali pravo animo in homine, qui ex ira contrà alium hominem, vel ex indignatione promovetur ad blaſphemandum, cum quo *Caſtropal. cit. §. 2. num. 6.*

# CASUS IV.

## An Blaſphemia non ſolùm verbo, ſed etiam facto committatur?

1 OCcaſionem dubitandi tribuit allata definitio, dum dictum fuit, blaſphemiam eſſe falſam locutionem; ergò non poteſt conſiſtere in aliquo facto, ſi verbis conficitur.

2 Dicendum tamen eſt factum turpe contrà res ſacras, ut Laceratio, Conſputatio, Combuſtio, Deturpatio, Percuſſio; & ſimiles actus factos in imaginem Dei, vel Sanctorum, in Calicem, in librum Evangeliorum &c. reduci ad blaſphemiam, non eſſe tamen formaliter, & propriè blaſphemiam. Probatur utrunque, quia

3 non minùs factis, & ſignis, quàm verbis, contumelia, & dedecore poteſt quis afficere Deum, & Sanctos ejus; ergò quovis modo injuria inferatur facto, vel verbo, blaſphemia committitur, verbo quidem propriè dicta, quia dicitur vitium linguæ, facto verò impropriè, & reductivè. Ità omnes cum *Suarez tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 4. *numer.* 4. *&* 5. *Sanchez. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 5. *cum Caſtro, Corduba*, & aliis dicentibus iſtis duobus eſſe propriè blaſphemiam, quos contrà ſe citat Sanchez, ſed meliùs dicitur reduci ad illam.

# CASUS V.

## An maledicere de Creaturis non Sanctis, nec Sacris sit blasphemia?

1 HOmo cum cæteris Creaturis convitiari, & inhonorari potest duobus modis, primò formalitè, quatenùs sunt facturæ ipsius Dei, secundò ratione sui, cum illis detrahitur ob odium, aut aliam passionem sinè ullo ordine ad
2 Deum. In priori sensu detractio, & convitium est blasphemia, quia contumelia redundat in Deum; Posteriori modo non est blasphemia, sed maledicentia, injuria, aut detractio, ità omnes *cum D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. *Toleto lib.* 4. *cap.* 13. *cum illis Layman lib.* 4. *tractat.* 10. *cap.* 6. *numer.* 11. *S. imò etiam Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 14. 1

3 Notandum autem est, quòd nullus hoc modo solet blasphemare Creaturas, uti Dei sunt; id enim est actus speculationis, & intellectus, qui ad hos conceptus non advertit, sed tantùm voluntatem excitat, quæ pravum appetitum consolatur sola prolatione verborum, cum eo malo affectu contrà Creaturas. 2

# CASUS VI.

## Quotuplex ſit Blaſphemia?

1 BLaſphemia à corde incipit, & in ore reſolvitur, ut dicitur Matthæi 15. 18. à nobis relati ſub caſu primo n. 3. Unde alia dicitur cordis, alia oris. Secundò alia committitur cum formali intentione prava inhonorandi Deum, & Sanctos, alia ſinè intentione, prout dixi caſu 3. Tertiò alia eſt hæreticalis, alia ſimplex, & non hæreticalis. De hac agendum eſt ad noſtrum propoſitum.

2 Hæreticalis blaſphemia eſt illa, quæ continet formalitèr, vel virtualitèr hæreſim ſignificatam, & argutam in ipſis verbis præferentibus falſitatem contrà aliquem articulum, ſeù propoſitionem de fide. Ità omnes cum *Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 5. num. 7. Sanchez. lib. 2. cap. 32. num. 36. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 7. Lupus lib. 23. diſt. 1. Caſtropal. par. 3. tract. 17. diſp. 2. part. 2. §. 3. Baſſeus V. Blaſphemia num. 4. Direct. Inquiſit. par. 2. q. 41. Carena par. 2. tit. 7. num. 7. Souſa lib. 1. cap. 19. num. 14. Alberghinus in Manuali Qualificat. cap.* 3 16. qui omnes conveniunt, blaſphemias hæreticales explicari per modum indicativum, referunt exempla in eo, qui nominat Deum impium, injuſtum, invidum, impudicum, mendacem; ità dicens, renego Deum, Chriſtum, fidem, Sacramenta, &c.

4 Simplex verò, & non hæreticalis eſt illa, quæ nullam continet hæreſim, nec formalitèr, nec virtualitèr, neque odorem habet, aut ſapit hæreſim, exemplificant in blaſphemiis imprætativis per modum imperativi, ſeù optativi, & in nominatione pudendorum Sanctorum. Ità præcitati cum *Lazar. q. 7. num. 13.*

# CASUS VII.

## An Blaſphemiæ impræcatoriæ ſint hæreticales?

1 OMnes ferè Doctores, præſertim præcitati in caſu præcedenti, tenent, blaſphemias prolatas per modum *imperativi*, & optativi eſſe ſimplices, & non hæreticales, hac unica fulti ratione, quia in eis nulla apparet falſitas, cum ea ſolùm reperiatur in enuntiativis modi indicativi, non autem in modis imperativi, & optativi, in quibus veritas locum non habet, ergò nec in eis argui poteſt hæreſis, quæ eſt error in intellectu?

2 Hoc autem argumentum pluribus per nos rejectum fuit in caſu ſecundò, ubi probavimus etiam in oblocutionibus imprecatoriis, & optativis dari falſitatem, ex qua argui poteſt hæreſis non minus, quàm in enunciativis.

3 Dicimus ergò, blaſphemias imprecatorias eſſe hæreticales e. g. *Maledictus ſit Deus*, *Pigeat Deum*, *tædeat*, *cadat ab alto*, *diſpliceat &c.*

4 Probatur primò auctoritate Levit. 24. 11. *Cumque blaſphemaſſet nomen Domini, & maledixiſſet ei, miſerunt eum in carcere, donec noſcent, quid juberet Dominus, qui locutus eſt ad Moyſen, dicens Educ blaſphemum extra caſtra, & ponent omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus.* Si pro blaſphemia imprecativa contrà Dominum imponitur pœna lapidationis, quæ eſt mortis, qua poſtmodum pœna caſtigabitur blaſphemans hæreticalis, qui eſſet puniendus majori pœna, quæ non eſt dabilis; ne ergò ſupponamus hoc abſurdum, dicendum eſt, maledictionem eſſe blaſphemiam hæreticalem non ſimplicem, ac proinde puniri morte.

Nec ſequens textus oppoſitum dicit ibidem ſub num. 15. *homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*

5 Quia non ſunt diverſa delicta, *maledictio, & blaſphemia*, ſed idem

6 important, nam copula, & ſumitur pro ideſt, ex adductis per Barboſam dict. 110. num. 26. & ità intelligit D. Aug. q. 87. ſuper Leviticum, licèt habeat aliam lecturam, nam loco & habet adverſativam *autem* cum ergò textus ſacer habeat copulativam, pro eodem delicto ſumitur, & facit hunc ſenſum, quòd qui maledixerit, ideſt, blaſphemaverit Deum maledicendo, non ſolùm portabit ſuum peccatum ſecum in inferno, ſi non procurabit de illo pœnitere, ſed etiam morte non ſolùm temporali, ſed etiam æterna morietur in inferno; Et ità ex D. Aug. diſcurrit Decianus lib. 6. Crimin. cap. 2. num. 9. ubi ad propoſitum noſtrum ſubjungit: *Ex alio etiam compræhenditur, hæc verba*, Maledictus ſit Deus, *blaſphemiam continere*, *qua attri-*

*buitur*

*buitur Deo id, quod non habet, ſcilicèt paſſio, & pœna maledictionis, quaſi eſſet creatura, cui pœnas precamur à Deo, cum tamen ipſe ſit impoſſibilis, & non ſubjectus his execrationibus, & pœnis.* Hæc ille, citans pro ſe Boetium *deciſ.* 301. ex quibus manifeſtè patet, blaſphemiam imprecatoriam attribuere Deo, quod non habet, ac proindè dicere falſitatem, ex qua arguitur hæreſis, & ſic eſſe hæreticalem, & non ſimplicem.

7 Secundò probatur ex definitione ipſius blaſphemiæ, tradita à S. Ambroſio dicente, quod eſt vitium, quo attribuitur Deo, quod ei non convenit, vel removetur ab eo, quod ei congruit, ex eo cæteri cum D. Thoma 2.2. q. 13. art. 2. ad 3. S. Antonius part. 2. tit. 8. cap. 7. §. Item ſciendum, inquit. *Ut cum dicit, Maledictus ſit Deus, & hujuſmodi, derogat divinæ bonitati, non ſolùm contrà veritatem intellectus, ſed etiam ſecundùm pravitatem voluntatis deteſtantis, & impedientis pro poſſe Divinum honorem, quod eſt perfecta blaſphemia.* Ex his conſtat, blaſphemiam optativam attribuere Deo maledictionem, cujus omninò eſt incapax, ac proindè involvere falſitatem, & errorem in fide.

8 Tertiò probatur, quia illa blaſphemia eſt hæreticalis, quæ continet, ſeù ſignificat formalitèr, vel virtualitèr errorem contrà fidem, ſeù ſapit hæreſim, juxtà dicta in præcedenti, & in hoc omnes conveniunt, ſed Dei maledictio ſignificat errorem contrà fidem, nam de fide eſt, quòd ſimplicitèr ſit benedictus, & ità perfectus in benedictione, ut incapax ſit maledictionis; ergò verbum maledictionis jactum contrà Dominum, eſt blaſphemia hæreticalis; illud enim non ſolùm ſapit hæreſim, ſed formalitèr, & expreſsè eam indicat contrà benedictionem, & bonitatem Dei.

9 Non minùs ergò derogatur divinæ excellentiæ, & diminuitur de ejus honore per blaſphemiam imprecativam, & optativam, quàm per enunciativam, cum utroque modo in Deo arguat defectum, & imperfectionem actualem, non ſolùm indicativa, ſed etiam optativa, & hæc quidem magis, cum non ſolùm de præſenti Deo impingat defectum capacitatis, & ſubjicibilitatis, ſed etiam de futuro malum deſiderat, quod ei non competit, nec actu, nec potentia, ut certiſſimum de fide eſt; nam Deus ſemper, & pro omni differentia temporis eſt bonus, nunquàm malus, perfectus, lætus, fœlix, nunquàm imperfectus, nunquàm infœlix, nec pigens, aut tædens, ſeù miſer.

Ex his deducitur in ordine ad hæreſim, parùm referre conſiderare modum, quo blaſphemia evomitur, ſivè per indicativum, ſivè per imperativum, & imprecativum, cum utroque modo dicat imperfectionem in Deo, ſivè præſentem, ſivè futuram; Nonnè hæreticus formalis eſt ille, qui credit, Deum cras eſſe futurum maledictum, miſerum, infelicem &c. Ergò & de fide ſuſpectus ille, qui has imperfectiones Deo imprecatur, cum verba ipſa ab eo prolata moveant S. Inquiſitionis judices ad ità præſumendum contrà blaſphemantem, non minùs ac ille, qui blaſphemat per modum indicativum; utriuſq; enim modi verba repræſentant imperfectio-

ſectionem in Deo ſubjecto illi, vel ſubiicibili.

10 Sed nunquid hactenùs dicta locum habent in blaſphemiis imprecatis Sanctis, e. g. dicendo: *Maledictus ſit S. Petrus. Cadant Sancti è Paradiſo; ſint maledicti; pereant fame; tædeat eos; poſſit evadere meretrix, concubinarius &c. Maledictus ſit Angelus Domini; &c.*

11 ℟ Affirmativè, quia ſimilia verba arguunt, ſtatum Beatorum poſſe fieri infelicem, miſerum, & eos poſſe amittere gloriam, quæ in eis eſt inamiſſibilis, & pati plures miſerias, & poſſe peccare, quæ omnia ſinè dubio ſunt hæreſes; ergò ſic maledicentes ſunt ſuſpecti de hæreſi. Cum autem de fide ſit, Sanctos eſſe honorandos ex dictis caſu 1. num. 6. quorum honor diminuitur per blaſphemiam, nulli dubium eſſe debet, ſupradictas blaſphemias arguere hæreſim, dum ſtatum Beatorum de benedicto, ſtabili, impeccabili, & pleno omni conſolatione, honeſtate, & gaudio, repręſentant maledictum, inſtabilẽ, non perpetuum, peccabilem, & plenum triſtitiæ, inhoneſtatis, & miſeriæ. Quòd prædicta ſint de fide, colligitur ex ſacra Scriptura, nam Matthæi 25. 34. dicitur. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Et in fine num. 48. ſubdit. *Juſti autem ibunt in vitam æternam.* Vita ergò, quam poſſidere habent juſti, Sancti, & Benedicti, eſt æterna, & indefectibilis, quibus fidei articulis adverſantur ſupradictæ blaſphemiæ; ergò ſunt hæreticales. In Apocal. cap. 21. 4. *Abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abjerunt.* Pſal. 149. 5. *Exultabunt Sancti in gloria*, quibus perfectionibus gaudii, exultationis, & lætitiæ opponuntur ſupradictæ blaſphemiæ de tædio, fame, & miſeria. In regno Dei Sancti ſunt immaculati, & impeccabiles, confirmati in gratia, cui renuntiare non poſſunt per peccatum, undè Paulus 1 ad Corinth. 6. 9. *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque raptores regni Dei poſſidebunt.* Ecce quòd nihil coinquinatum poteſt eſſe in regno Cœlorum; non igitùr meretrix, aut concubinarius ibi eſſe poteſt, qui igitùr ità blaſphemat, adverſatur ſuo dicto his fidei articulis, ac proindè ſuo dicto redditur ſuſpectus de hæreſi. Procul eſt ab eis miſeria famis, & ſitis, quam illis incurrunt blaſphemi, Teſtibus Iſaja 49. 10. & Joanne in Apocal. 7. 16. *Non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos Sol, neque ullus æſtus.* Cur ergò blaſphemi has miſerias, & afflictiones exoptant Sanctis, qui earum facti ſunt incapaces? Certum ergò eſt, blaſphemias etiam imprecativas non ſolùm contrà Deum, ſed etiam Sanctos ejus, eſſe hæreticales, cum Deus, qui Sanctis ſuis tot bona poſſidere indulſit, non mentiatur, nec illos decipiat, ſed manuteneat in poſſeſſione bonorum eiſdem ex juſtitia debitorum.

12 Obſervandum autem eſt, quòd ſi quis dicat, *Meretrix S. Auguſtini.*

*ſtini. Sit maledicta illa meretrix Mariæ Magdalenæ &c.* hæc, & ſimilia obbrobria, & contumelias non eſſe blaſphemias hæreticales, ſi referantur ad ſtatum, viæ non ad ſtatum termini, & beatitudinis, quia conſtat ex Hyſtoriis, Auguſtinum, dum viveret in hoc mundo, ante ſuam converſionem habuiſſe concubinam. Mariam quoque Magdalenam fuiſſe peccatricem, & meretricem, teſtatur Evangelium Lucæ 7. 37. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Admitti autem poteſt in favorem blaſphemantis, quòd Sanctos inhonoraverit, intelligendo pro ſtatu viæ, non patriæ. Nec obſtat qualitas, & titulus ſanctitatis, quia uſus tituli reſpicit præſens tempus, quo ſunt Sancti, ſed ratione peccati reſpicit præteritum tempus peregrinationis hujus ſæculi; ſumitur ergò Sanctus in ſenſu diviſo, & pro diverſitate temporum, & reſpectu delicti, ut in via ſit delictum, ſanctitas in termino, ac proindè non in ſenſu compoſito, quia tunc eſſet blaſphemia hæreticalis.

# CASUS VIII.

## An omnis Blaſphemia judicetur ab Inquiſitoribus?

CErtum eſt, blaſphemiam hęreticalem, quam communitèr vocant enunciativam, & indicativo modo expreſſam, ſpectare ad Inquiſitorem, cum Epiſcopo, contrà judicem laicum; non verò ſimplicem, & quamcumque aliam, per modum imperativum, & optativum prolatam; quam nihilominùs puto eſſe ſubjicibilem, & ſubjectam. Simplex verò blaſphemia, quæ nullo modo ſapit, nec ſignificat hæreſim, eſt mixti fori, hoc eſt, ſpectat ad Judices Eccleſiaſticum, & Laicalem; ac proindè datur locus præventioni; non poteſt tamen laicus Judèx, qui putat Eccleſiaſticum levitèr blaſphemum puniſſe, condemnare blaſphemum utque ad condignam pœnam; Utique verò Eccleſiaſticus revocare blaſphemũ ad condignam caſtigationem blaſphemũ inſufficientèr punitũ à judice laico; ſed ab hac diligentia meliùs eſt recedere. Blaſphemantes verò de facto, juxtà dicta ſub caſu 4. à ſolo tribunali Sanctæ Inquiſitionis judicãdi, & puniendi ſunt privativè quoad judices laicos. Singula diſtinctè ſunt probanda.

1 Prima pars, quòd blaſphemia hæreticalis judicanda ſit in Tribunali S. Inquiſitionis, probatur, quia materia, ſeù objectum judicandum in hoc tribunali, non ſolùm eſt crimen hęreſis, ſed etiam ejuſdem ſuſpicio; propter hoc enim vocatur tribunal Sanctæ fidei, quæ violatur non ſolùm per formalem hæreſim, ſed etiam per illius ſuſpicionem, cum hæc dicat relationem ad ipſam hæreſim, & illius imago, & figura ſit, cap. *Ad Abolendum* 9. *cap. Excommunicamus* 13. §. *Qui autem, de hæret. cap. Accuſatus de hæreſi, vel ſuſpectus* 8. *& §. Sanè*, loquitur de Inquiſitoribus judicibus utriuſque delicti. *eod. in 6* Sed blaſphemus hæreticalis eſt de hæreſi ſuſpectus, ex quo in blaſphemia involvitur præſumptio hæreſis; ergò judicandus ab hoc tribunali. Ità omnes cum *Simancha de cathol. inſtit. tit.* 8. *Caſtro. lib.* 1. *de juſta hæretic. punit. cap.* 12. *Albertinus de agnoſcendis aſſert. cathol. q.* 6. *num.* 24. *& q.* 22. *nu.* 64. *Sanct. de blaſphemia cap.* 8. *initio, cum aliis Carena part.* 2. *tit.* 7. *num.* 13. *Lupus lib.* 23. *diſt.* 3. *art.* 1. *Sanchez. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 37. *Caſtropal. part.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 2. *p.* 2. §. 4 *num.* 5. & alii omnes.

2 Secunda pars, quòd judex laicus nõ ſit in his judex competens, probatur, tùm quia cognitio blaſphemię hęreticalis eſt merè ſpiritualis, cum per eam cognoſcatur

3 de lęſione fidei, quæ eſt principium omnis ſpiritualitatis; cauſæ autem ſpirituales non cognoſcatur à judicibus laicis, ſed tantùm ab Eccleſiaſticis *cap.* 1. *cap. ſi Imperator*

*perator* 11. *diſt.* 96. *cap. non placuit* 23 *cap. laicis* 24. 16. *q.* 7. *cap. Eccleſiaſtico de conſtitut. cap. cum laicis* 12. *de reb. Eccleſ. non alien.* ergò hujuſmodi cauſa blaſphemiæ hæreticalis ſpectat ſolùm ad judicem eccleſiaſticum, & Inquiſitorem. Tùm quia *cap. Ut Inquiſitionis* 18. *de hæret. in* 6. Mandatur judicibus, & dominis temporalibus, ut in cauſis fidei obediant Epiſcopis, & Inquiſitoribus; ergo cauſa blaſphemiæ non poteſt expediri à laicis, ſed tantùm eccleſiaſticis, cum ſit cauſa fidei tuendæ; debent ergò laici in hoc ſubeſſe, & non præeſſe, cum præcisè obedire teneantur & judicari, non judicare; *Ità Scaccia de Judic. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 56. *Marta part.* 2. *de juriſd. cap.* 13. *cum aliis Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 13. *plures citat Barboſa Allegat.* 51. *num.* 89. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 37. *Caſtropal. p.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 2. *p.* 2. §. 4. *num.* 5. *Albergbinus cap.* 16. *num.* 13.

4 Tertia pars, quòd blaſphemiæ imprecatoriæ ſpectent ad hoc ſacrum tribunal, probatur ex adductis præced. caſu, quia ſunt hæreticales; ergò ad hoc tribunal ſpectantes. Confirmatur, quia ſortilegia ſimplicia minùs ſapiunt hæreſim, quàm hæ blaſphemiæ, ſed illa ſubjiciuntur judicio hujus tribunalis, *inquit Salleles tom.* 1. *Regul.* 139. *nu.* 68. ubi valdè optat, ut inquiſitores conſtituantur judices blaſphemiarum, quæ non ſapiunt hæreſim, ut ſunt prædictæ in communi ſententia contrà ſuperiùs à me dicta.

5 Quarta pars, quòd ſimplex blaſphemia ſit mixti fori, probatur, quia nihil continet hæreſis, aut ejus ſuſpicionis, ex quo verò eſt, & ipſa in diminutionem divini honoris ſpectat ad judicem Eccleſiaſticum, in quantùm verò caret ſuſpicione hæreſis, ſpectat etiam ad judicem laicum. Ità omnes Canun. *ſuper cap.* 2. *de Maledicis, Marta de juriſd. par.* 2. *cap.* 13. *M. Antonin. lib.* 3. *reſol.* 12. *cum aliis Barboſa ſuper dictum cap.* 2. *num.* 6. *Allegat.* 51. *num.* 89. *Carena part.* 2. *tit.* 7. *num.* 14. *Albergbin. cap.* 16. *num.* 13. *Sperellus deciſ.* 134. *num.* 9.

6 Quinta pars, quòd laicus judiciqm factum ab Eccleſiaſtico non poſſit corrigere; neque è contrà, probatur, quia neuter in hoc caſu eſt judex competens judicandi ſuper facto alterius, an ſit legitimum, nec ne, cum prima
7 facie judex præſumatur benè exercuiſſe ſuum officium, pro eo enim ſtat præſumptio, *cap. poſt ceſſionem de probat. cap. ſicut, de re judic. Gloſ. V. cum ipſi, cap.* 14. *de Privileg. & fin. cap. ad Reprimendam* 8. *de offic. ordin.* Ergò cum judex prætenſor ſit incompetens, & cum ſuperior utriuſque non prius judicet tale factum, ulteriùs procedere non poteſt. Neſcio ergò, qua ratione Doctores dicant, Judicem eccleſiaſticum levitèr punientem blaſphemum, poſſe corrigi in eo, quòd ipſe iterùm poteſt condemnare blaſphemum, non legitimè punitum ab Eccleſiaſtico judice. Vide *Caren. par.* 2. *tit.* 7. *n.* 16. *aſſerentem cum aliis* ſupplementum pœnæ non poſſe fieri à laico, quia ad Eccleſiaſticum uti digniorem ſpectat declarare, quænam ſit pœna condigna blaſphemo.

8 In delictis autem mixti fori datur locus prævention, undè ſi blaſphemus punitus eſt à laico, non poteſt iterùm puniri ab Ec-

cleſiaſtico, & è contrà, quia non cõſurgit duplex tribulatio *Nahum cap.* 1. 9. nec afflicto addenda eſt afflictio, *cap. cum percuſſio* 2. 2. *q.* 1. *cap. ſunt* 42. *diſt.* 3. *de Pœnit. l. Pœna* 9. §. *fin. ad legem Pomp. de Parricidiis.*

9 Sexta pars de blaſphemiis facto, quòd cognoſcatur ab hoc ſolo tribunali, probatur, quia hæc cauſa eſt merè ſpiritualis, cum ſic tractans ſacras res, & imagines, videatur negare cultum ſacris imaginibus; ergò id crimen ſpectat ad hoc tribunal. Confirmatur, quia prava voluntas non minùs verbo, quam facto declaratur *l. Paulus reſpondit ff. rem ratam habere*, imò voluntas magis oſtenditur facto, quam verbo, *l. ſi tamen, §. ei qui ff. de ædil. edict.*

10

11 *M. Anton. lib.* 2. *reſol.* 11. *num.* 65. & parum refert ſuam voluntatem exprimere verbo, aut facto, *Gloſ. cap. Si quis uxorem* 11. 27. *q.* 2. ex facto igitùr colligitur, qualis fuerit voluntas agentis quod in caſu noſtro arguit factum hæreticale; ergò ab hoc officio præcisè judicandum. Hanc concluſionem Carena fusè probat, *part.* 2. *tit.* 7. *à num.* 41.

12 Religioſus blaſphemus hæreticaliter ſubditus & ipſe Inquiſitoribus, ſublatis privilegiis ſuperioribus regularibus cognoſcendi, & puniendi blaſphemos hæreticales ſui ordinis, ex bulla incip. *Romanus Pontifex* 26. *Pauli V.* & pœnis arbitrariis punitur. *Ita Pellizar. tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 213.

CASUS

# CASUS IX.

## Cuinam Virtuti opponatur vitium blaſphemiæ?

1 COnveniunt omnes Theologi, blaſphemiam uti vitium opponi virtuti religionis; nam ſicut religio præſcribit cultum, & honorem, atque laudem Dei, ità è contrà blaſphemia diminuit cultum, honorem, & laudem Dei, & Sanctorum ejus, in quibus laudandus, & honorandus eſt. *Ità Alexander Ales in ſumma par.* 2. *q.* 131. *member.* 1. *Azor. par.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *dub.* 1. *Sayrus lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 1. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 7.

2 Sanctum Thomam 2. 2. q. 13. art. 1. aſſerentem, blaſphemiam opponi confeſſioni fidei, quia blaſphemus negat de Deo, quòd confiteri de eodem deberet; ſupradicti inrerprætantur, ut confeſſio fidei accipiatur non pro aſſertione ipſius fidei, qua ratione ei contraria eſt infidelitas, ſed prout eſt quædam laus, & honor Dei, atque hoc modo blaſphemia opponitur confeſſioni fidei, non ipſi fidei, cui non blaſphemia, ſed infidelitas adverſatur. Ità *Bannes, & Ledeſma apud Sanchez lib.* 2.

3 *cap.* 32. *num.* 7. Quòd autem confeſſio dicatur laus, habet *D. Auguſtinus tom.* 10. *de verbis Domini ſerm.* 8. *his verbis: Si confiteor Chriſtus dixit, à quo eſt longè omne peccatum, non ſolius eſt peccatoris, ſed etiam laudatoris; Confitemur ergò, ſivè laudantes Deum, ſivè accuſantes noſmetipſos.* Confeſſio igitùr refertur ad laudem Dei cui opponitur blaſphemia, per quàm Deus non laudatur, ſed dishonoratur, & vituperatur.

4 Sed quoniam blaſphemia in Deum ut plurimum habet adjunctam hæreſim, ac proindè infidelitatem; ideò Sanctus Thomas dixit, eam opponi confeſſioni fidei, non verò immediatè, & formalitèr fidei, per illud volens ſignificare, quòd eſt affinis, & cognata hæreſi, & infidelitati, quibus ſolet conjungi, aperta verò eſt differentia blaſphemiæ ab illis; nam blaſphemia conſiſtit in dicendo, hæreſis verò, & infidelitas in ſentiendo falſum.

5 Blaſphemia autem non ſolùm prohibetur primò præcepto decalogi, in quo præſcribitur unius Dei cultus, cui opponitur blaſphemia, ſed etiam ſecundò, in quo interdicitur aſſumptio Divini nominis in vanum. Ità omnes *cum Sanchez. lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 8. *Sabelles reg.* 138. *numer.* 59. *&* 60.

30

# CASUS X.

## An omnes Blaſphemiæ ſint unius ſpeciei?

1 COmmunis eſt Theologorum ſententia, quod omnes blaſphemiæ ſint unius ſpeciei ſivè proferantur contrà Deum, ſivè contrà Sanctos, ſivè contrà res ſacras, licèt ſecundùm verba ſint materialitèr diverſæ. Nonnulli tamen probabilitèr, & ſatis ſapientèr ajunt, blaſphemias in Sanctos differre ſpecie à blaſphemiis dictis contrà Deum. Manifeſtũ quoq; eſt, blaſphemias quandoq; proferri ex odio formali contrà ipſum Deum, & Sanctos ejus; & ut plurimum conjungi cum hæreſi, & interdùm cum perjurio ſingula ſunt explicanda.

2 Primum de unitate, & identitate ſpeciei, probatur ex communi ratione, quod blaſphemia opponitur religioni, quæ unica eſt virtus reſpectu cultus divini, & Sanctorum; ſicut enim Deus colitur, & honoratur in Sanctis ſuis eodem cultu, quo in ſe honoratur, ac proindè unica religionis virtute; ità è contrà unico blaſphemiæ vitio eidem oppoſito inhonoratur, & vituperatur; vitia enim per virtutes ſpecificantur, & diſtinguuntur. Confirmatur, quia unius eſt ſpeciei juramentum, quo juratur per Deum in ſe, vel prout reſplendet in Sanctis ſuis, ità unius ſpeciei ſunt omnes blaſphemiæ ſivè ſint prolatæ contrà Deum, ſeù contrà Sanctos. *Ità Cajet. V. blaſphemia cæteri Thomiſtæ in art.* 1. 2. 2. *q.* 13. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 38. *Candidus diſquiſit.* 19. *art.* 6. Sed magis placet ejus diviſio in ſpecies.

3 Secundum, de diſtinctione ſpecifica inter blaſphemias in Deum, & Sanctos, ſpectando ſingulorum proprias excellentias, probatur, quia licèt unica ſit ſpecies virtus religionis præſcribens cultum Divinum, non tamen eſt infima, ſed ſubalterna, ac proindè genus diviſibile in ſpecies inferiores, quæ ſunt Latria, & Dulia, per illam autem colitur, & honoratur, & per blaſphemiam diminuitur de cultu latriæ, per hanc verò honorantur Sancti in ſe ipſis; digni enim ſunt ex eorum excellentia, & per blaſphemiam dishonorantur de cultu Duliæ; ſed Dulia, & latria ſunt duę ſpecies religionis inter ſe diſtinctæ, ut fatentur omnes Theologi *cum D. Thom.* 2. 2. *q.* 103. *art.* 3. ergò, & oppoſitæ blaſphemiæ ſunt ſpecies diverſæ. Confirmatur reſpondendo confirmationi oppoſitæ ſententiæ ſuprà adductæ; nam lata eſt differentia inter perjurium, & blaſphemiam,

4

5 nam Sanctorum invocatio non poteſt eſſe juramentum, ſi Sancti in ſe ſpectentur, quia non dicuntur teſtes infallibilis veritatis, poſſunt verò honorari in ſe ipſis cultu duliæ, & ſic contrà eos diverſa erit blaſphemia ab ea, quæ eſt contrà Deum. *Ità Leſſius lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 33. *fine; Suarez*

*tom.* 1.

*tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 5. num. 6. & cap. 6. fine, ex illis Caſtropal. p. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. §. 2. nu. 4.*

6 Ex his autem ſequitur materiales blaſphemias eſſe aperiendas in confeſſione, ſi ſunt contrà Deum, vel Sanctos. Sed ſecundùm priorem ſententiam ſufficit dicere Deum blaſphemavi, ſolent tamen pœnitentes explicare confeſſariis verba ipſa, ex quibus iſti veniunt in cognitionem qualitatis blaſphemiæ.

Nunquid blaſphemia in Virginem Glorioſam ſpecie diſtinguatur ab aliis blaſphemiis, quæ ſunt contrà Deum, & reliquos Sanctos?

7 R. Conſequentèr ad ſupradicta, dicendũ eſt, blaſphemiam contrà B. Virginem, & Chriſtum hominem ſpecie diſtingui à cæteris blaſphemiis, nam ſicut diſtinguitur ſpecie dulia à latria, ità & hyperdulia, quę habet propriam rationem cultus reſpectu earum creaturarum, quæ cum Deo ſunt ſunt conjunctiſſimæ, cujuſmodi ſunt humanitas Chriſti, & ejus ſanctiſſima Mater. Diſtingui autem ſpecie, docet *Bernardus Pujol Profeſſor in Perpinianenſi Univerſitate in ſuo opere de Adoratione diſp. 1. ſect. 8.*

9 Tertium, de odio formali contrà Deum blaſphemando, vel ejus Sanctos, probatur, quia tunc cum odio conjungitur blaſphemia, tamquàm una ſpecies diſtincta ab alia, nam aliud eſt odium, quod prava voluntate conſumari poteſt, blaſphemia verò ore, & lingua committitur, dum à corde pro-
10 cedit. Tunc autem blaſphemus ex odio debet hanc circumſtantiam explicare confeſſario, quia adjungitur ſpecies odii cum blaſphemia, quæ ſinè illo eſſe poterat. *Ità Cajet. 2. 2. q. 13. art. 1. §. Quo ad ſecundum, Bannes, & alii Thomiſtæ ibidem, Leſſius lib. 2. cap. 45. num. 32. Bonac. diſp. 3 ſuper primum decalogi qu 8. p. 3. ex illis Caſtropal. part. 3 tract. 17. diſp. 2. part. 2. §. 2. num. 2.*

11 Habens expreſſam intentionem inhonorandi Deum, proferendo blaſphemiam magis peccat, quàm qui ſimplicitèr blaſphemat, & quamvis blaſphemia ſit ejuſdem ſpeciei blaſphemare cum intentione, & ſinè ea intentione, quia eadem eſt virtus taciti, & expreſſi; ac proindè ejuſdem ſpeciei, nihilominùs ea prava voluntas, ſinè qua poteſt eſſe blaſphemia, aperienda eſt in confeſſione, ut quid entitativum blaſphemiæ conjunctum. Ità Leſſius *lib. 2. cap. 45. num. 33. cum Caſtropalao cit. num. 6.* Vide Sanchez *lib. 2. cap. 32. num. 33.* Quomodò blaſphemiæ ſint explicandæ in confeſſione.

12 Quartum de Blaſphemia hæreticali explicanda in confeſſione, uti ſpecies adjuncta ſpeciei, docent omnes cum *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 39. Caſtropal. par. 3. tract. 17. diſp. 2. par. 2. §. 2. nu. 2.*

13 Quintum de juramento, & perjurio cum blaſphemia conjunctis conſtat differre inter ſe, quia blaſphemia eſt contrà honorem Dei, juramentum verò ſi deficit in veritate, perjurium eſt, in quantùm Deus invocatur in teſtimonium falſitatis, quod eſt grave peccatum Deum facere teſtem falſitatis. Juramentum autem cum veritate aſſertum, ſed prolatione blaſphemiæ caret judicio, ac proindè imbibit malitiam blaſphemiæ.

An

14 An autem omne juramentum falſum ſit etiam blaſphemum. Affirmant aliqui, quia, qui Deum citat in teſtem falſum, facit illum confirmatorem falſi, ergò Deo tribuit, quod ei non convenit. Ità Caſtropal. *part.* 3. *tract.* 17. *diſp* 2. *part.*2. §. 3. *num.*9. qui rem confirmat, quia ſi quis dicat: Firmet Deus ſuo teſtimonio talem falſitatem, blaſphemus eſt, ſed eundem ſenſum habent juramenta falſa. Ergò ſunt blaſphemia. Idem dicitur, quandò juramentum eſt injuſtum, quaſi Deus ſit teſtis, & aſſicurator injuſtitiæ. Contrarium tenet *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 33. *cum D. Thoma*, nimirùm perjurium non eſſe blaſphemiam, quia perjurans non dicit aliquid falſum de Deo, ſed ſolùm adhibet in teſtem ſuæ falſitatis. Placet mihi hoc poſteriùs, quia perjurium conſiſtit in invocatione Dei, aſſerendo pro vero, quod eſt falſum; undè perjurium eſt aſſertio falſi pro vero, blaſphemia verò eſt dictio in ſe falſa contrà Deum. Quare dum invoco Deum in teſtem falſitatis meæ, non voco Deum confirmatorem falſitatis, ſed ejus nomine utor, ut mihi credatur pro vero falſum. Allatum verò exemplum in confirmatione eſt formalitèr blaſphemia, nec pro juramento in actu exercito, & in uſu ſolet admitti talis locutio, undè ſimplicitèr eſt blaſphemia.

CASUS

# CASUS XI.

## Quale peccatum ſit Blaſphemia?

1 BLaſphemia in Deũ, & Sanctos ex genere ſuo eſt peccatum mortale, contrà virtutem Religionis; non excuſat parvitas materiæ à mortali, ſed ſolùm inadvertentia. Blaſphemiæ, per quas detrahitur Sanctis reſpectu alicujus defectus, quem paſſi ſunt, dum viverent in hoc mundo, quandoque ſunt ſolùm peccata venialia.

2 Prima pars, quòd ſit peccatũ mortale, probatur, quia eſt inhonoratio, & diminutio honoris Dei, & Sanctorum, quæ de ſe eſt graviſſima, cum ſit injuria, & contumelia contrà objectum ſummo, & infinito honore digniſſimum. *Ità omnes cum Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 6. num. 1. Sanchez lib. 2. cap. 32. nu. 4. Bonac. de Blaſphem. q. 8. par. 3. Caſtropal. par. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. §. 2. num. 1.*

3 Secunda pars, quod in ea non datur parvitas materiæ ad excuſandum à mortali, probatur, quia quælibet blaſphemia notabilem injuriam irrogat Deo, & ejus Sanctis. Confirmatur, quia in Deo, & Sanctis ejus, omnis perfectio eſt præſtantior quavis perfectione creaturarum in hoc mundo; ergò quò major eſt perfectio, eò gravior eſt illius diminutio. Quare cum non detur in eis aliqua parva perfectio, nec modica, & parvi momenti diminutio dari poteſt, ſed quæcumque erit graviſſima. Ità Cajetanus *V. blaſphemia*; *Suarez cit. nu. 2. Caſtropal. num. 2. Sanchez num. 40. cit. Diana par. 5. de parvit. mater. reſol. 3. Mazuchellus diſp. 2. cap. 16. difficul. 2. nu. 63.* qui citat alios oppoſitum ſentientes, ſed intelligendi ſunt, ut mox dicemus.

4 Tertia pars, quòd inadvertentia, & defectus deliberationis excuſent à mortali, patet ex eo, quòd mortale peccatum petit in omnibus materiis perfectam advertentiam. Ità omnes præcitati.

5 Quarta pars, quòd blaſphemans imperfectiones Sanctorum, prout erant in hac vita, peccet ſolùm venialiter, probatur, quia ſimiles locutiones ſolùm arguunt quandam irreverentiam redundantem in eoſdem in ſtatu illo fœlici, ut ſi quis obloquatur, quòd Sanctus Iſidorus erat vilis perſona, alter Sutor, alter Calzolarius, Eunuchus, Monoculus &c. Si quis vocaret S. Auguſtinum *Scortatorem*, *Concubinariũ*, Magdalenam fuiſſe *magnam meretricem*, & ſimilia, quæ non ſunt defectus naturæ, neque conditionis perſonæ vilis, ſeu humilis, ſed vitia, & peccata, quæ aliàs commiſerunt, non ſunt excuſandi à Peccato mortali, quia illis inferunt gravem injuriam, non ſunt tamen hæreticales. Vide *Lazar. 9. 1. num. 30.*

6 Ideò demùm blaſphemans non excuſatur à mortali, imò ratio

joci auget crimen; nulla enim ratio ſuadet, quòd Deus, & ſancti ejus ſint blaſphemandi cum adjectione irriſionis, & ludibrii, quia jocus tamquàm noxius eſt in culpa *in cap. 1. de præſumpt. ita Navar. cap. 12. num. 48. Sanch. lib. 2. cap. 32. num. 41.* & hos eſſe graviter puniendos ab Inquiſitoribus, docet *Carena par. 2. tit. 7. num. 33.*

7 Differt autem blaſphemia ab odio Dei, ab infidelitate, à deſperatione, & perjurio. Ab odio Dei, quod eſt Deo malum deſiderare ex pravo affectu voluntatis, blaſphemia verò eſt malum dicere de Deo ſinè tali pravo affectu. Ab infidelitate verò, & hæreſi, quia hæc conſiſtit in aſſenſu eroneo contra Dei fidem, blaſphemia verò in dicendo contra honorem Dei. A Deſperatione, quia hæc eſt vitium, quo deſperamus ea, quæ nobis Deus propoſuit ſperanda, & poſſidenda in alia vita, & ſic eſt peccatum contra ſpem, contra quam non eſt blaſphemia, quæ derogat Divinæ Excellentiæ. Demùm differt à perjurio, nam hoc eſt invocatio Dei in teſtem alicujus falſi pro vero; blaſphemia verò, licèt ſit falſa locutio, tamen contingit ſinè teſtimonio.



CASUS

# CASUS XII.

## An jurare per falsos Deos sit Blasphemia hæreticalis?

1 DUobus modis potest cõtingere hoc juramentum. Primò seriò, ac si esset verum juramẽtum, quo vocarentur tamquam testes infallibilis veritatis, & in hoc sensu est blasphemia hæreticalis, qua tribueretur falsis Diis, quod soli Deo convenit, nempè honor, & laus infallibilis, & summæ veritatis. Secundò sinè tali intentione, sed joco, & ex usu loquacitatis, ut solet contingere in colloquiis familiaribus imprudentium, qui passim in ore habent. *Per Deum*
2 *Baccum, per Mercurium, per Jovem &c.* Nihil cogitando de natura, & conditionibus juramenti; imò si interrogentur, an intendant cultum aliquem, & honorem tribuere his falsis Diis, negabunt absolutè. Itaque in priori sensu est blasphemia hæreticalis, in secundo nec blasphemia, sed tantùm vana locutio. Ità aliis citatis *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 9. Lazar. quæst. 3. num. 48. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 6. numer. 13. Mazuchell. disp. 2. cap. 16. q. 3. num. 51. Salelles tom. 1. Reg. 139. num. 78.* sivè juret veritatem, sivè falsitatem, cum eo Sanctar. *de blasph. cap. 2. dub. 2. Lu-*
3 *pus de casibus reservatis casu 11. num. 16. §. 4.*

Notandum autem, quòd si aliquis judex reciperet juramentum expressum per falsos Deos ab aliquo fideli, uterque se redderet suspectus de hæresi, & quidem vehementèr, quia talis actus jurandi publicè, & solemniter arguit in utroque cultum, qui deberet tribui vero Deo, esse debitum falso Deo, ac proindè esse infallibilis veritatis, quæ soli vero Deo convenit. Confirmatur, quia in hoc casu neuter eorum potest excusari ab hac suspicione, cum his cadere non possit jocus, & irrisio, ubi seriò agitur. Idem dicendum est etiam inter personas privatas, dum seriò exigit una ab alia juramentum, sunt enim valdè suspecti de hæresi, dum quod soli Deo convenit, tribuunt falso Deo.

4 Quòd si infidelis jurat coram Catholico per suum idolum, ipse reverà peccat, quia cultus Deo debitus dat falso Deo. Recipiens verò illud ex causa, non peccat, quia respicit ad confirmationem externi verbi; non verò considerat venerationem idoli, quam solus Paganus intendit. *Ità S. Bonaventura in 3. sent. dist. 39. qu. 3 in resolut.* Licet enim petere juramentum ab infideli juraturo per suum Deum licèt falsum, etiam ex causa privata, quia exigens non attendit ad actum venerationis idoli, sed solùm intendit veritatem pro proximo expressam illis verbis: Ità *Sanchez lib. 3. cap. 8. num. 21. Suarez tom. 3. in part. 3.*

*diſp.*18.*ſect.*1.*Corol.*2. *Leſſius lib.*2. *cap*42.*num.*50.

5 Sed vir tàm exigens, quàm præſtans juramentum per falſos Deos, quandò uterque eſt Catholicus, blaſphemiæ reus eſt hæreticalis, & non quandò Catholicus exigit juramentum à Pagano jurante per ſuum Idolum.

Differentia eſt, quia ambo in primo caſu debent per juramentum honorem, & cultum vero Deo, & non falſo deferre jurantes per ſuum verum Deum. In ſecundo caſu exigens non intendit participare de cultu perverſo Pagani, ſed tantùm ab eo ſcire veritatem facti, ſuper quo jurat ille.



CASUS

# CASUS XIII.

## An jurare per creaturas ſit blaſphemia hæreticalis?

1 EAdem reſponſio, quam dedimus in præcedenti caſu, adhibenda eſt in præſenti; ſi enim ſeriò juret, hoc eſt, intendat honorare creaturas de hujuſmodi cultu infallibilis veritatis, nulli dubium eſt, ſic jurantem eſſe blaſphemum hæreticalem, quia creaturæ tribuit hunc honorem, qui ſoli Deo convenit.

2 Ità præcitati cum eodem *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 10. cum D. Thoma 2. 2. q. 89. art. 6. Soto lib. 8. de juſt. qu. 1. art. 6.* Et licèt non exprimant; quòd ſit hæreticalis, quia intendunt ſolùm confeſſarios inſtruere, tamen id non negant, expreſsè verò hæreticalem vocant. *Salelles tom. 1. Reg. 139. num. 79. Suarez lib. 1. cap. 6. num. 13. ex cap. 5. num. 7.* ubi vocat blaſphemiam hæreticalem, tribuendo creaturæ id, quod ſecundùm fidem ſoli Deo convenit, *Alberghinus cap. 16. num. 3. Diana part. 5. tract. 7. reſol. 8. ſed quia.*

3 Si verò non intendat ſeriò jurare, ſed joco, & ex pravo uſu loquendi, nulla eſt blaſphemia, ſed ſimplex juramentum ſinè judicio factum, eſt tamen peccatum veniale, quia inordinatè jurat. Ità colligitur ex ſupradictis, nam ex praxi nemò intendit cult, ũhonores hujuſmodi creaturis tribuere, ſed

4 ſolùm perſuadere veritatem, prout eſt, vel eam fingere in objecto, ut credatur à circumſtantibus, & quandoque ab aſſuetis juratur ex loquacitate, & lubrico linguæ.

5 Nota, cum finis juramenti ſit alterum facere certum de eo, quod dicit ipſe jurans, qui per creaturam rationalem jurat, tantam fidem præſtat, quantùm in eo æſtimatur fides humana. Qui verò jurat per Deum, vel Sanctos ejus, tantam exhibet fidem, quanta illis longè præſtanda eſt, nimirùm infallibilis, quandò verum juratur.

# CASUS XIV.

## An pudenda Christi, & Sanctorum nominare sit blasphemia hæreticalis?

1 NOminare pudenda Christi, atque Dei in Christo propter communicationem idiomatũ, & Sanctorum, quidem est blasphemia, quia nomiri non possunt, nisi deluſoriè, & cum magno dedecore, & cum contemptu, ut similia verba de se præseferunt, non tamen hæreticalis, quia non tribuitur Deo, & Sanctis ejus nihil, quod habent, undè ab eis nihil removetur, consequentèr nihil dicitur, quod argui possit, esse contrà fidem. Ità ferè omnes cum *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 28. *Candidus disquis.* 19. *art.* 4. *num.* 3. *Mazuchellus disp.* 2. *cap.* 16. *num.* 23. *Floronus casu* 3. § 1. *num.* 7. qui dicit non esse hæreticalem, *Castropal. pa.* 3. *tract.* 17. *disp* 2. *p.* 2. *§.* 3. *nu.* 6. *&* 7. *Suar. lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 7. *Salelles Reg.* 137. *num.* 30.

2 Procedunt dicta, etiam si expresse nominentur in Deo, ut si quis per membrum virile, vel anum Dei; aut per similia juret nominando Deum, Christum, Virginem, aut Sanctos, simplex est blasphemia, sed execrabilis, & peccatum mortale secundùm omnes, non tamen hæreticalis, quicquid dicant *Baldus*, *& Boerius apud Decianum lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 11. referentem ex Boerio *decis.* 301. *quemdam jurasse per anum Christi.*

3 Nullam ergò ex his puto esse hæreticalem, licèt dicantur de Deo, quia intelliguntur de Deo incarnato, cui post Incarnationem competunt, & prædicantur quicquid dicitur de Christo; valet enim argumentari hoc modo. *Christus habet corpus, manus, virilia, aures &c. ergò & Deus hæc*
4 *omnia habet*; fundatur enim hæc consequentia in unione idiomatum unius personæ scilicèt Verbi, quod ex duabus, & in duabus naturis est, scilicèt divina, & humana, quia secundùm fidem Deus factus est homo, ac proindè Deo competunt omnia prædicata hominis ratione naturæ, non in ratione personæ, quam Ver-
5 bum non assumpsit; ideò de hoc, vel illo homine dicitur, quòd est purus homo, peccabilis, filius Dei adoptivus, hæc autem de Deo dici non possunt, nec proindè de Christo, neque Verbo, quia naturam humanam assumpsit, non personam creatam, cui conveniunt ea prædicata. Confirmatur, quia jurare per membra Dei honesta, nulla est blaphemia hæreticalis, ut patebit sequenti casu; ergò nec jurando per pudenda, ex eo quòd utrunque reverà habet.

CASUS

# CASUS XV.

## An jurare per pudenda, quæ non habent, ſit blaſphemia hæreticalis?

1 SI quis impiè confundat ſexum tribuendo *Vulvam Deo, aut Chriſto*; Item membrum virile tribuat Virgini, meo judicio blaſphemat hæreticalitèr, quia illis tribuit cum magna injuria id, quod non habent; ergò blaſphemat hæreticalitèr. Ità de hoc verbo *Vulva Dei*, Vivianus *deciſ.* 388. *ex eo Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 9. §. *Et certè*, *Nald. V. blaſph. ſub initium*. *Albergbin. cap.* 16. *num.* 10. §. *Blaſphemia*, *ubi præter Carenam citat Campan. in diverſ. juris Rubr.* 11. *cap.* 16. *nu.* 88. *defendens diſp.* 3. *de caſib. reſerv. num.* 242. *ubi citat Graffium p.* 1. *deciſ. Aur. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 5. *Lu-*
2 *pus lib.* 23. *diſt.* 2. *diffic.* 4. Idem dic de hac blaſphemia *Vulva Chriſti* nam de fide eſt, quòd Chriſtus ſit homo maſculus, ac proindè habens membrum ſui ſexus, & non alieni ſexus.

*Sanchez. lib.* 2. *cap.* 32. *nu.* 28. *ex Cajet.* 2. 2. *q.* 13. *in fine primi articuli*, *Graffius in praxi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. ajunt, in ratione injuriæ non differre nominare pudenda, quæ habent, vel quæ non habent Sancti; non explicant autem, an ſint hæreticales, vel non hæreticales. Puto autem non eſſe hæreti-
3 cales confundendo ſexus Sanctorum, quia id non pertinet ad fidem, quod maſculus dicatur habere ſexum proprium, an alienum.

4 Similitèr hæc verba *Teſticule*, *Mencenator*, ſunt blaſphemiæ hæreticales attributæ Deo, Chriſto, & B. Virgini, ſunt enim pudenda, & magnam irrogant injuriam illis indicantia formalitèr contemptum, pluſquàm aliæ ſupradictæ, ut patet ex uſu vocabulorum, & ex conceptu hominum.

CASUS

# CASUS XVI.

## An jurare per membra honesta Dei, & Sanctorum sit blasphemia?

1 QUi jurant, vel aliter in vanum nominant membra honesta Christi Dei, Virginis, & Sanctorum, non dicuntur blasphemare dicendo. *Ad corpus ad, Sanguinem Dei Christi, Mariæ, D. Petri &c.* quia nullam continent falsitatem, nec in actu signato, nec in acto exercito. Sic autem jurare sine causa ex pravo habitu, vel ex indignatione, est grave peccatum proveniens ex magna irreverentia in assumendo nomen Dei, & Sanctorum in vanum, jurando sine causa, & modo illicito.

2 Notandum autem est, quòd hujusmodi verba referri possunt ad Deum vel ante Incarnationem, vel post Incarnationem. Priori modo concepta sunt hæreticales blasphemiæ, quia præscindendo Deus ab Incarnatione non habet corpus, neque Sanguinem, nec quidquam aliud spectans ad membra, & partes hominis; hæreticum enim est hæc credere de Deo ante Incarnationem: In posteriori verò sensu proferre non sunt blasphemiæ, quia reverà Deus, secundùm quod homo habet omnia membra, & partes, quasi cæteri homines habent. Sed quoniam homines, dum jurant,

3 ad hæc non advertunt, ideò hæc verba communiter interprætantur ab omnibus dicta esse in ordine ad Deum Incarnatum, in

4 ea fundatis ratione, quia in dubiis benignior interprætatio est facienda, l. semper 57. ff. de regul. jur. & in dubiis semper, quod est minimum, ut sequendum l. semper 9. eod. & dubia in meliorem partem sunt interprætanda cap. 2. de reg. jur. Nam verba secundùm mentem proferentis accipienda sunt, l. in ambiguis 97. eod. inquit. *In ambiguis orationibus maximè sententia ejus spectanda est, qui eas protulisset*, quod Navar. ad propositum consil. 6. de hæret. numer. 6. ait, procedere in iis, quæ pendent à voluntate solius proferentis, in ejus favorem accipienda sunt; ut docet Vulpianus *l. si quis intentione, vel oratione ambigua usus sit, id, quod ei utilius fuerit, accipiendum est* 66. de judic. quia de duobus malis, minus est eligendum, *cap.* 1. 13. *cap. Juravit* 4. *cap. non solùm* 7. 22. *q.* 4. Quare

5 judices hujus nostri tribunalis stare debent dicto proferentis, quandò aliud non habent, per quod illum convincere possint, quòd ea verba intellexerit de Deo antè Incarnationem *Lazar. q.* 3. *num.* 8. Quòd ea verba non sint blasphemiæ docent omnes *cum Tolet. lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 6. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 29. *Mazuchellus disp.* 2. *de casib.*

*caſib. reſervat. q. 3. num. 40. Floronus caſu 3. §. 1. num. 1. &c. Decian. lib. 6. Crimin. cap. 2. num. 13. Caſtropal. part. 3. diſp. 1. p. 2. §. 3. num. 7.*

6 Niſi intelligantur de Deo ante Incarnationem, prout teſtantur ſupradicti locis citatis, quia tunc blaſphemia eſt, & quidem hæreticalis, ut dictum fuit, prolatio eorum verborum. Deſumitur autem ex cap. *Si quis per Capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blaſphemia uſus fuerit* 10. 22. *q.* 1. ubi Eccleſiaſtici deponuntur, & laici anathematizantur. Senſus eorum verborum eſt de Deo accepto ſecundùm divinitatem, non verò ſecundùm Incarnationem. In priori ſenſu rarò contingit blaſphemia, & ſolùm quando expreſsè ſic intendit nominare Deum ſecundùm divinitatem, unde non cogitando de divinitate, verba intelliguntur in poſteriori ſenſu prolata, ut dixi ſuperiùs.

7 An hæc verba *Ad Corpus Dei Patris, Ad Sanguinem Spiritus Sancti, Per Barbam Filii Dei,* inferant blaſphemiam?

℟ Primam, & ſecundam eſſe blaſphemias hæreticales, quia per ipſas utrique perſonæ in ratione divinitatis attribuitur corpus, & ſanguis, quibus carent, cum prima, & tertia Perſona in Divinis non ſumpſerint carnem humanam, ſed ſolùm Verbum; ideò de ipſo talia dicere non eſt blaſphemia, quia de ipſo reverà prædicantur;

8 eſt autem magna irreverentia ſic jurare per Barbam Filii Dei, cum videatur potiùs locutio irriſoria, quàm juramenti ſpeciem habere. Ea autem verba *Ad ſanguinem Dei Patris* eſſe blaſphemiam, aſſerit *Floronus caſu* 3. §. 1. *num* 1. *fine*, & ante ipſum *Ludovicus Rodolfinus de Sabloneta q.* 18. *num.* 3. *Decian. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 13.

Sed cur eſt blaſphemia dicere *Ad corpus Dei Patris*, non verò *ad corpus Dei*, relicta dictione *Patris?* cum non minùs dicant divinitatem; imò magis eam exprimat poſterior propoſitio, quàm dicat prior, quæ divinitatem reſtringit quodammodo ad Patrem. Confirmatur, quia dicere *ad corpus Dei*, non eſt blaſphemia; ergò neque dicere *ad corpus Dei Patris*, nam in prædicato ſimplici primæ propoſitionis, continetur de neceſſitate etiam Pater, quia reverà Pater eſt Deus, & quicquid dicitur de Deo, dicitur etiam de Patre, quia omnes perfectiones Divinitatis ſunt communes tribus perſonis; ergò ab eiſdem excluduntur oppoſitæ imperfectiones, & ſicut imperfectio eſt Patrem habere corpus, ità & Deum eſſe ſimplicitèr corpus, aut ergò neutra eſt blaſphemia, aut utraque blaſphemiam indicat.

9 ℟. Eam eſſe differentiam, quia in ſimilibus propoſitionibus expreſſio *Dei* ſimplicitèr intelligitur in ordine ad Verbum, quod quia ipſum in ſe ipſo terminavit naturam humanam; ideò habet ea omnia prædicata corporea, quæ

10 naturalitèr competunt ipſi naturæ humanæ; Et quia filius Dei, ſecunda perſona in Divinis, eſt Deus, ideò ſub hac ratione dicitur Deus habere corpus, ſanguinem, barbam, capillos &c. quatenùs ſpectatur ut ſecunda Perſona, undè ea verba *Ad ſanguinem Dei*, interprætanda ſunt, *ad ſanguinem Dei*, ſcilicèt *Filii* Dei incarnati. Iſte autem ſenſus non

poteſt applicari ſecundæ propoſitioni. *Ad ſanguinem Dei Patris*, quia Deus reſtringitur ad Patrem, qui licèt cum Spiritu Sancto operatus fuerit Incarnationem Filii ſui, non tamen illã terminavit, niſi Filius; & ideò ſolus Filius Deus incarnatus prædicatur ab homine habere corpus, ſanguinem &c. non verò Pater, aut Spiritus Sanctus illis partibus carentes, quia Incarnationem non terminarunt. Parùm ergò refert ad propoſitum, quòd una earum locutionum magis referat divinitatem, quàm altera, quia non attenditur in cognitione blaſphemiæ hoc, ſed quod dictum fuit, nimirùm ea prædicata non competere perſonis Patris, & Spiritus Sancti, quia illæ carnem non ſumpſerunt, ſed ſolùm Filius; ideò reſpectu hujus non ſunt blaſphemiæ, ſicut reſpectu illarum; Addè prætereà, quòd non valet argumentari à ſimpliciter ad ſecundùm quid, propter diverſitatem adjecti, & prætereà facit illud commune axioma, quòd ex diverſis non fit illatio. Sed cum prolatio verborum pudendorum Dei, & Sanctorum ſunt blaſphemiæ, non verò membrorum honeſtorum, cum ambo inſint in illis.

11 R. *Sanchez lib* 2. *cap.* 32. *nu.* 29. eam eſſe differentiam, quia membra ex quo ſunt honeſta, niſi cum eorum honeſtate nominari poſſunt; inhoneſta verò non niſi cum rubore, indecentia, & ignominia exprimuntur; illa enim in ſuis vocabulis præſeferunt honeſtatem, hæc verò nullam, cum non niſi ignominiam, & deriſionem indicent ex ſe ipſis.

An ſint blaſphemiæ, & quales ſequentia verba: *Adſanguinacium*, *ad corpacium*, *ad barbaciam Dei*, *Chriſti*, *& Virginis Mariæ*.

12 Quamvis prolatio verborum ſecundùm rectam eorum determinationem non ſit blaſphemia, prout ſuperiùs dictum fuit, nihilominùs prolata hoc modo habent rationem blaſphemiæ, quia quandam rationem contemptus, & contumeliæ per illam productionem ſignificant; ac proindè indicant blaſphemum, non tamen hæreticalem. Si quis dicat *Al corpo*, *al ſangue di dieci*, *di diera*, *di dì*, reverà non blaſphemat, quia non nominat Deum, nec Sanctos, nec res ſacras; nec ſi intenderet, imò per ea verba nominare Deum, quia interprætantur de Deo ſecundùm Incarnationem, prout ſuprà dictum fuit. Malè tamen ità loquentes faciunt, quia illæ voces magnam habent cum voce Dei ſimilitudinem, quem artificiosè videntur in vanum nominare ſub illis verbis: Vide *Floronum caſu* 3. §. 2. *num.* 3. de hoc verbo, *Al corpo di dieci*, & num. 5. de particula *dì*, ubi citat *Plotum de blaſph. num.* 12. *Lazar. q.* 3. *num.* 36. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 31. *Carenam part.* 2. *tit.* 7. *num.* 43. §. 7. *vide infrà caſu* 18.

CASUS

# CASUS XVII.

## An ſint blaſphemiæ ſequentia, *Ad deſpectum Dei, Chriſti, Virginis, Sanctorum?* Item *velit, nolit.*

1 PRoferens ea verba de Deo, & Chriſto eſt blaſphemus hæreticalis, non verò ſi ea referat in Virginem, & Sanctos, reſpectu quorum eſt tantùm ſimplex infrà caſu 26. latiùs de Blaſphemiis contrà Virginem.

2 Primum probatur, quia illa directè adverſantur Omnipotentiæ Dei infinitæ, & arguunt illum impotentem; ergò tunc blaſphemia hæreticalis, nam de fide eſt, quòd nemò poteſt reſiſtere Dei voluntati, ſecundùm illud Geneſ. 50. 19. Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Roman. 9 19. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Jacobi 4. 6. *Deus ſuperbis reſiſtit.* Tales ſunt propriæ, qui jactant ſe velle ad deſpectum Dei aliquid facere. Et quod arguat reſiſtentiam blaſphemantis contrà Deum nolentem, patet ex eo, quòd homo contrà alium hominem nunquàm dicit *Volo facere hoc ad deſpectum tuum*, niſi quandò contendit cum eo, cujus contrà expreſſam voluntatem agere vult; cum ergò ea verba talem habeant ſenſum inter homines contendentes ab eo diverſum habere non poſſunt, quandò blaſphemans ea profert, quaſi contendens cum Deo nolente, ut faciat aliquid, & tamen vult facere contrà ejus voluntatem. Ità ferè omnes cum *Graffio par. 1. deciſ lib. 2. cap. 19 11.* Hoc erit ad deſpectum Dei; *Floronus caſu 3. num. 8. Salleles Reg. 139. num. 95. Lupus lib. 23. diſt. 2. diffic 3. Defendens. Quadrius de Caſibus Comi, diſp 3. concl 9 num 226. Sanch. lib. 2. cap. 32. num. 15. Covar. ab eo citatus* reputat oppoſitum falſum, *Diana part. 4. tract. 7. reſol. 8. §. ſed ponam. Lupus iterùm de caſib. Bergomi caſu 11. nu. 36.* Ubi ait verum, licèt taceatur litera O. dicendo, Al diſpetto di dì. *Lazar. q. 3. num. 36. & q. 7. num. 36.* pariter de tacente vocali O. *Mazuchel. diſp 2. cap 16. nu. 27 §. Veriùs. Candidus Diſquiſit. 19. art. 3. nu. 4. Decianus lib. 6. cap. 2. num. 5. Carena part. 2. tit. 7. num. 8.* multi tenent non eſſe hæreticalem, ſed erroneam, & temerariam *cum Baldo lib 3. conſ 456. Felino, Alexandro, Angelo, quos rejicit, referendo Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 15.* ducti ea ratione, quòd multa mala fiunt, quæ Deo diſplicent, & ſic quis facit malum ad Dei deſpectum, ideſt quamvis malum Deo diſpliceat. Hos ſequitur *Suarez lib. 1. cap. 5.* propè finem his verbis. *Per aliud autem verbum. A deſpecto non ſignificatur aliquid fieri poſſe, contrà efficacem Dei voluntatem, ſed vel ſignificatur voluntas faciendi, etiam ſi Deo diſpliceat eo modo, quo diſplicere poteſt per ante-*

*cedentem voluntatem, aut ſigni, quæ nihilominùs eſt magna irreverentia, & magnus contemptus, vel certè profertur etiam per modum imprecationis, optando Deo diſplicentiam, vel tædium tali re, ut Sot. etiam indicat.* Iſtos ſequitur Arza Vitalis de blaſphemia num. 57. ſed ejus rationes perimunt ejus concluſionem.

3 Id autem nonnulli Theologi confirmant, quia homo poteſt, ſi vult, reſiſtere voluntati Dei, cui ſe accomodat Deus, ne liberum arbitrium hominis violetur, undè de ea reſiſtentia dicitur Act. 7. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Et in Concil. Senon. contrà Luterum cap. 15. dicitur: *Nec tale eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Poſſumus ergò reſiſtere voluntati Dei abſque eo, quòd divina voluntas dicatur ſuccumbere nobis, & evadere impotens, cum hujuſmodi reſiſtentia non opponatur voluntati efficaci Dei, ſed tantùm inefficaci, quæ nihil diminuit de omnipotentia Dei, ſed tantùm dicit quandam diſplicentiam Dei, ſignificatam per illud verbum, *ad deſpectum Dei*; non eſt ergò blaſphemia hæreticalis.

Sed reverà allatæ rationes nullius momenti ſunt, ut infrà patebit, nam nulla ratione ille ſenſus diſplicentiæ applicari poteſt illis verbis *ad deſpectum Dei*, quæ non diſplicentiam, ſed voluntariam reſiſtentiam explicitam dicunt contrà ipſius Dei voluntatem, ejus qui vult agere in contem-
4 ptum formalem illius; nam dictio *deſpectus* ſignificat contemptum, juxtà illud Ciceronis: *Abjectus, contemptus, & deſpectus ab omnibus*, ideſt: *ſprezzato da tutti*: Item in alio loco: *Ludibrio, & deſpectui omnibus eſſe.* apud Nizolium verſ. eodem. Geneſis 16. 5. *Deſpectui me habet. Mi ſprezza*, dixit Sara viro ſuo Abram, quòd ancilla ſua poſtquàm ex eo conceperat, ſe deſpiciebat, & nolebat obedire reſiſtendo ſuis juſſionibus. Per hæc igitùr verba contemnitur voluntas Dei formalitèr ab eo, qui talia verba profert, judicante ſe velle agere, etiam Deo contradicente, ac proindè eum eſſe impotentem non valentem reſiſtere voluntati humanæ. Confirmatur, quia ea verba idem important, quod iſta, *velit*, *nolit*, volo facere &c. arguunt enim in Deum impotentiam, & diminuunt de Omnipotentia.

5 Et licèt præfata verba *ad deſpectum Dei* connotent quandam in Deo diſplicentiam, quia Deo peccata diſplicent, tamen primariò, & directè arguunt, & indicant diminutionem divinæ omnipotentiæ, nam non ſpecificatur eorum ſenſus à diſplicentia, ſed ab eo opere, quod intendit blaſphemans facere contrà voluntatem Dei, ac ſi cum alio homine contenderet.

6 Inquiunt ergò *Ad deſpectum Dei* ideſt volo facere hoc malum, quãvis Deo diſpliceat. Hæc interpretatio dictis verbis reverà aptari non poteſt, quia nullum importat contemptum, nec virtualem, nec formalem, ut ſignificat verbum ipſum, *ad deſpectum Dei* ut ſuperiùs probatum fuit. Prætereà hæc interprætatio præcisè explicat, quòd Deo diſplicent malè facta hominum, quæ cognitio de ſe eſt bona, quam non poteſt importare illud Verbum, quod ſo-

lùm

lùm contemptum dicit contrà Deum, ad quod nullam connexionem habet ea diſplicentia.

Ex his etiam patet ad rationem Suarez, quæ parùm differt à præcedenti de diſplicentia, non
7 enim illud Verbum *Ad Deſpectum Dei*, refertur ad diſplicentiam, ſed ad Omnipotentiam ſuccumbentem enixæ voluntati blaſphemantis formaliter contrariæ voluntati Dei, neque ipſe Suarez negat hunc contemptum ſignificare illud Verbum, quem cognovit magnum, & tendit contrà ejus omnipotentem voluntatem, quam arguit impotentem, & diminutam.

Ad confirmationem Theologorum dicimus, eam nihil probare contra nos, nec pro adverſariis, quia aliud eſt, nos reſiſtere voluntati, quod contingit, quoties peccamus, ſcientes nos facere contrà Dei præcepta; in hoc enim ſen-
8 ſu dicitur Actorum loco præcitato: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis* quod contingit, quando bonas inſpirationes nolumus acceptare ſed malè agere, quia ut dicit allegatum Concilium, Dei auxilio nos trahente, reſiſtere poſſumus pro libertate voluntatis noſtræ; ita currit argumentum. Aliud verò eſt reſiſtere, & facere malum cum expreſſa voluntate faciendi contrà voluntatem Dei nolentis, ut ſignificat illud Verbum *ad deſpectum Dei*, ideſt velit, nolit Deus, volo agere. In hoc poſteriori ſenſu illud verbum importat contemptum contrà divinam voluntatem, quam arguit impotentem, quaſi non poſſit impedire, quòd homo facere vult ad deſpectum Dei, conſequenter eſt blaſphemia hæreticalis formaliter oppoſita articulo fidei de Omnipotentia Dei; In priori verò ſenſu reſiſtentia non includit contemptum, nec reluctationem, ut ita dicam, contrà Deum, quia non adeſt illud verbum contemptus, & contrarietatis; conſequenter reſiſtentia dicit ſimplicem tranſgreſſionem legis, ſine ullo reſpectu formali contrariandi voluntati Dei nolentis, ut indicat illud verbum blaſphemiæ.

Non erit extrà propoſitum aliquid dicere de voluntate Dei, quomodo homo illi poſſit, vel non poſſit reſiſtere, ut melius intelligantur, quæ dicta ſunt occaſione hujus blaſphemiæ, & quidem ad favorem Conſultorum non Theologorum, ut ex parte fiant ſe Theologi.

9 Notandum igitur eſt, quòd voluntas in Deo eſt unica ratione ſui, & in ſe ſpectata perfectio ſimpliciter ſimplex, ratione verò objectorum, & circumſtantiarum multiplex eſt, & ſecundùm hunc ſenſum dividitur primò in voluntatem ſigni, & beneplaciti. Secundò in antecedentem, & conſequentem. Tertiò in abſolutam, & conditionatam: Quartò in efficacem, & inefficacem. De ſingulis aliquid dicendum eſt ſu-
10 perficialitèr pro ſingularum intelligentia. Supponendo, quòd voluntas Dei hìc ſumitur in actu ſecundo, pro ipſomet ſcilicèt actu colendi, qui à S. Auguſtino vocatur voluntas his verbis: *Nil magis eſt in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas*, ideſt, quàm ipſi volitio. Ità Bartholomæus Maſtrius Meldulenſis Ordinis Minorum Conventualium vir doctiſſimus in primum ſent. *diſp.* 4. *q.* 5. *num.* 91.

Bene-

11 Beneplaciti voluntas dicit actũ internum divinæ voluntatis in Deo exiſtentem, per quam Deus verò vult aliquid. Voluntas verò ſigni eſt actus externus, quo Deus ſe declarat, & ſignificat velle aliquid. Itaque actus divinæ voluntatis internus, & nobis occultus, qui nuncupatur voluntas beneplaciti, nobis notificatur per ipſum
12 Deum mediantibus ſignis. Signa autem hæc, ſunt quinque hoc compræhenſa verſu. *Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.* Deus ergò ſuam internam voluntatem per has quinque ordinationes, ſeù leges, quæ ſigna vocantur, nobis ſignavit, & innotuit, præcipiendo bonum, prohibendo malum, permittendo peccatum, ſignificat ſe velle, ut utamur libertate noſtri arbitrii, non verò ut illa abutamur, conſulendo bonum; ſed non obligando, ut in præcepto, & prohibitione; demùm implendo ſuam voluntatem; omnia enim quæcumque volvit fecit, ut dicitur in Pſal. 113. & 3.

13 In his omnibus ſunt actus boni; ideò ejus voluntas, vocatur voluntas beneplaciti, quæ verificatur ſemper reſpectu alicujus actus ab eo intenti, licèt alitèr à nobis primò concipiatur. Sit
14 in hoc exemplum Abraham, cui Deus præcepit ut ſibi ſuum immolaret filium, & licèt id nollet, ut poſteà ſe Deus declaravit, volvit tamen ejus obedientiam, per quam promptus erat ad immolandum filium ſuum; facit ergò Deus unum per aliud nobis innoteſcere, & ſic unum vult, non aliud voluntate beneplaciti. Paritèr vult alicui gratiam, quam confert in baptiſmate, faciendo illum ſibi filium adoptivum cum jure ad hæreditatem, quam tamen illi dare non vult, niſi perſeveret in gratia, aut cum ea decedat in Domino.

15 Per hæc ergò ſigna Deus ſemper vult aliquid, & ſuam adimplet voluntatem, cum in ea ſibi complaceat, quòd ſufficit, licèt quandoque non velit, quod nos concipimus velle, ut conſtat in exemplo Abrahami. Ità omnes Theologi cum D. Thoma part. 1. art. 11. & 12. Beccano ſuccintè,
16 & clarè cap. 11. qu. 1. de Volunt. Dei, Meldulenſis in primum ſent. diſp. 4. q. 5. num. 91. Suarez lib. 3. in primam part. cap. 8. qui ait voluntatem ſigni non eſſe veram voluntatem, ſed ſignum divinæ voluntatis, ſub num. 3. ait, voluntatem beneplaciti eſſe veram in Deo voluntatem, & ſub ea contineri totum velle Dei prout verſatur circà objecta creata.

Applicando hanc doctrinam caſui noſtro de blaſphemia, *ad deſpectum Dei* videndum eſt, cui nam divinæ voluntati opponatur, beneplaciti, an ſigni? Certè non opponitur ſecundùm Suarez voluntati ſigni, quia ea non eſt voluntas, ſed ſignum voluntatis beneplaciti, & ſolùm methaphoricè voluntas eſt; reſtat ergò quòd hæc blaſphemia ſit contrà voluntatem beneplaciti, ac proindè hæreticalis eſt, quia ea ſemper verificatur, & adimpletur ex parte Dei, ut viſum fuit; ergò qui dicit ſe velle facere aliquid *ad deſpectum Dei*, intendit illud facere contrà voluntatem Dei, ac proindè poteſt præſumi, ipſum ſentire non adimpleri ſemper beneplacitum Dei ex aliquo defectu impotentiæ ipſius Dei, quòd ad-

verſatur

verſatur articulo de omnipotentia ; ergò illud Verbum eſt blaſphemia hæreticalis.

17 Abſoluta voluntas eſt illa, quæ ſemper adimpletur ; & ideò efficax vocatur, de qua intelliguntur auctoritates Sacræ Scripturæ allatæ ſuprà ad probandam hanc blaſphemiam eſſe hæreticalem ſub num. 2. quibus adde illam Eſter. 13. 9. *Non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati.* Item Iſaiæ 46. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* ſequenti cap. 47. 3. *non reſiſtet mihi homo.* ideſt meæ voluntati abſolutæ, & efficaci nemò poteſt reſiſtere.

18 Conditionata voluntas eſt illa, per quam Deus vult aliquid dependentèr ab aliqua conditione, & non ſemper adimpletur. Ad differentiam præcedentis ſibi oppoſitæ, qua Deus vult independentèr à conditione, & ſemper adimpletur. Ità Meldulenſis *eadem diſp. 4. q. 5. num.* 94. Beccanus abſolutam vocat, quæ ſemper adimpletur ; & ideò etiam efficax dicitur. Conditionata verò, quæ non ſemper adimpletur, & ideò inefficax. Hanc autem voluntatem ſic explicant: *Volo, ut omnes ſervent mea præcepta, ſi vellint eſſe ſalvi.* Item, *volo ut omnes ſalvi fiant, ſi vellint, & per peccatum non impediant.* Poteſt ergò voluntas conditionata referri primò ad unum, ſecundariò ad alterum, juxtà diverſos modos concipiendi. Ex his deducitur, voluntatem conditionatam in Deo duo includere, primò expreſsè, & formalitèr includit affectum ſimplicis complacentiæ hoc modo explicatum. Placet mihi ſalus omnium. Secundò implicitè, & virtualitèr, ſeù eminentèr includit voluntatem Dei efficacem, quæ actu non eſt, eſſet tamen, ſi conditio poneretur in eſſe, & ſic ex hoc capite voluntas denominatur conditionata, & explicatur ſic: *Ità mihi placet ſalus hominum, ut niſi obſtarent peccata, efficacitèr illam vellem.* Hæc Beccanus ſatis clarè, *Meldulenſis eadem diſp. 4. q.*

19 *5. num.* 95. ait, voluntatem conditionatam ex eo, quòd vocatur voluntas inefficax ; non ideò dicendam eſſe voluntatem ſimplicis complacentiæ expreſſam à Beccano, & aliis, ut retulimus, his verbis: *Placet mihi ſalus omnium* : Rationem adducit, quia per ſimplicem complacentiam Deus nihil ordinat, nec quicquam facit, aut concedit, & ideò inefficax dicitur ; at ex vi voluntatis conditionatæ, qua vult omnes ſalvare, ordinat homines ad ſalutem, ac proindè reverà concedit eis media ad ſalutem ſufficientia, ut fatentur omnes. Quare dicitur inefficax cum reſpectu ad hominem, qui non vult concurrere cum Deo operando cum mediis ſibi oblatis ; in ſe verò voluntas Dei ſpectata, & quantùm eſt in ſe, dicenda eſt efficax, ſed partialitèr, ideſt, ex parte Dei, ſed ſinè imperfectione, quia hoc modo vult concurrere ; nam ſua lege ſtatuit nos ſalvare, quantùm eſt ex ſe, ſed non ſinè nobis ; ideò ex parte noſtra denominatur inefficax. De hac diviſione nihil Suarez, & pauca alii præter Scotiſtas.

Applicando hæc caſui noſtro, qui dicit, ſe velle facere aliquid *ad deſpectum Dei*, intendit velle adverſari, non voluntati conditionatæ, cum ſic loquens non conditionatè, ſed abſolutè loquatur,

tur, hæreticè loquitur, dum dicit ſe velle facere contrà Dei voluntatem abſolutam, quam non vult adimpleri, & tamen hæc ſemper adimpletur, ut fatentur omnes Theologi.

20 Antecedens voluntas eſt illa, qua Deus vult aliquid ſecundùm ſe habita ratione circunſtantiarum v.g. vult omnes homines ſalvos fieri, voluntate ſcilicèt antecedenti.

21 Conſequens verò, qua vult aliquid, non ſecundùm ſe, ſed habita ratione circunſtantiarum, cujus contrarium vellet, ſi non eſſent tales circunſtantiæ, e. g. Deus vult aliquem damnare, habita ratione peccatorum quem, ſi non peccaſſet, vellet ſalvare. Declaratur exemplo mercatoris, qui voluntate antecedente vult ſuas merces eſſe ſalvas; conſequente verò voluntate vult eas in mare projicere, conſideratis periculis imminentibus. Item declaratur exemplo judicis, qui voluntate antecedente vult, omnes ſubditos eſſe ſalvos; voluntate verò conſequente vult, aliquos puniri morte, ſpectatis eorum criminibus, manente tamen velleitate de eorum conſervatione, ſi leges id paterentur. Ità *Beccanus loco citato dal Bene diſp. 6. de Volunt. Dei q. 4. Meldulen. diſp. 4. q. 5. num. 96.* ubi dicit, quod voluntas antecedens quam Deus vult aliquid quantùm eſt ex parte ſua ſubminiſtrando ad illud media ſufficientia, quibus homo poſſit conſequi illud. Conſe-

22 quens verò eſt, qua Deus vult aliquid abſolutè; ſpectatis omnibus ad effectum requiſitis etiam ex parte noſtra concurrentibus. Undè Deus vult antecedentèr omnes ſalvos fieri, quia ex parte ſua præparat omnibus media neceſſaria, & ſufficientia ad ſalutem. Non verò velle conſequenti voluntate omnes ſalvos fieri, vel quia omnes cooperari non volunt, ut contingit in adultis, vel quia ordo cauſarum, cui humana vita ſubjicitur, impedimentum dabit, ut patet in infantibus ſinè Baptiſmo decedentibus. Sub-

23 dit ſub num. 97. Hanc duplicem voluntatem non eſſe in Deo reſpectu omnium volitorum, ſed ſolum reſpectu eorum, quæ pendent ex libera voluntate creaturæ. Sub num. 98. ait de communi voluntatem antecedentem eſſe voluntatem non ſolùm ſigni, ſed etiam beneplaciti. Et ſub num. 99. ait paritèr de communi, voluntatem conſequentem eſſe ſemper voluntatem beneplaciti, unde voluntas beneplaciti eſt genus ad voluntatem antecedentem, & conſequentem. Demùm ſub nu. 100. ait, hanc diviſionem coincidere cum præcedenti, ità quod voluntas antecedens ſit idem quod abſoluta, & conſequens

24 idem, quod conditionata *Suarez lib. 3. de Attributis cap. 8. à num. 7.* ait, de mente D. Thomæ, voluntatem antecedentem non eſſe abſolutam, & efficacem, ſed magis velleitatem, quam voluntatem, & vocari antecedentem, quia eſt de objecto ſeù fine bono ſecundùm ſe ſpectato, præſcindendo ab adjunctis, ſeù à particularibus

25 circunſtantiis. Conſequentem verò ſic vocari, quia eſt de re in particulari conſideratis omnibus adjunctis, & circunſtantiis ejus. Et hæc diviſio ſecundùm ipſum, & alios eſt de voluntate beneplaciti.

*Alvarez*

26 *Alvarez lib. 4. cap. 4. num. 3.* vocat antecedentem, non quia antecedat bonum, vel malum uſum liberi arbitrii, ſed quia antecedit voluntatem, qua Deus fertur in objectum conſideratum cum aliquo adjuncto, quæ eſt conſequens, & poſterior conſideratio ejus.

Applicando ſupradicta caſui noſtro, dicendum eſt, illam blaſphemiam *ad deſpectum Dei* adverſari voluntati divinæ conſequenti, quæ ex dictis ſemper adimpletur; ergò per ea verba Deus arguitur tamquàm impotens; voluntati autem antecedenti non contrariatur, quia ſecundùm Suarez ea eſt inefficax, illud autem verbum blaſphemiæ non arguit inefficacitatem, quia blaſphemans non contenderet, ut inſinuat illud verbum *ad deſpectum Dei*, quaſi blaſphemans velit reſiſtere Dei voluntati oppoſitum volenti efficaciter.

27 Efficax voluntas eſt illa, quæ benè agentes remunerat, & malè agentes punit. Vel eſt illa, quæ habet effectum ſuum in quacumque re, & ſemper adimpletur, neque poteſt impediri, juxtà illud Pſal. *Omnia quæcumque voluit, fecit*. Alias auctoritates Sacras ſuprà adduxi ſub num. 2. & 17. Itaque hæc voluntas concidit cum voluntate abſoluta, & conſequenti, de qua præcitati. Quandocumque ego operor aliquid boni, dicor operari cum voluntate, & gratia efficacibus Dei; eſt enim voluntas efficax, quando ipſa conjungitur cum ſuo effectu, ex hoc enim cognoſcitur eſſe efficax, ideſt operari.

28 Inefficax verò eſt illa, quæ vult omnes benè agere, & neminem peccare, inefficax, quia non omnes benè agunt, omnes non abſtinent ſe à peccatis; Inefficax, quæ caret effectu; vel quæ non ſemper, vel in omnibus non adimpletur e. g. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, non ſemper, nec in omnibus adimpletur Dei voluntas, contrà quam 29 intelligitur illud Act. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Meldul. num. 102. ait voluntatem efficacem coincidere cum Abſoluta, & Conſequenti, quæ ſemper important ultimam divinæ voluntatis determinationem; Inefficacem verò cum conditionata, & antecedenti, quæ dicunt non ultimam determinationem divinæ voluntatis, Suarez num. 10. efficacem vocat abſolutam, quæ ſemper adimpletur, de qua ad Epheſi. 1. dicitur: *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ* ſcilicèt, efficacis.

Applicando prædicta ad caſum noſtrum, dicendum eſt, præfatam blaſphemiam, *Ad Deſpectum Dei*, adverſari voluntati efficaci Dei, ac proindè arguere 30 illum impotentem, & non ſemper adimpleri voluntatem ejus efficacem, contrà illud de fide. *Omnia quæcumque voluit, feciti* non verò contrariari voluntati inefficaci, nam illa blaſphemia opponitur voluntati Dei reſiſtentis, ergò non voluntati inefficaci, ſed efficaci. Et hæc ſatis, redeamus ad quæſtionis alteram partem.

31 Secundum membrum noſtræ reſponſionis fuit, eam blaſphemiam *Ad Deſpectum Virginis, vel Sanctorum*, eſſe quidem blaſphemiam non hæreticalem, ſed tantùm ſimplicem, quia cum om-

nipotentia ſit Attributum Dei, ac proindè non competat Virgini, & Sanctis, per illud verbum nihil dicitur, quod fidei adverſetur, nihilominus gravis eſt blaſphemia irrogans eiſdem diminutionem eorum honoris, quia nihil faciendum eſt ad eorum deſpectum, & in eorum contemptum, & nihil aliud vult dicere *Decianns lib. 6. cap. 2. num. 5.*

32 Notandum autem eſt, quòd ea blaſphemia tribus modis proferri poteſt. Primò circà rem indifferentem; *ut ad Deſpectum Dei volo ambulare, cantare, &c* Secundò, *volo occidere, blaſphemare, furari, &c.* Tertiò, *volo audire Miſſam, viſitare Eccleſiam, dare Eleemoſynam, &c.* Quovis modo ex his proferatur, ſemper eſt blaſphemia hæreticalis, quia in prædictis omnibus arguit impotentiam in Deo contrà articulum de ejus omnipotentia. Tertius autem modus eſt pejor aliis, arguens præter impotentiam, Deo diſplicere bona opera, ac proinde non eſſe ſimplicitèr bonum, quod adverſatur articulo de ejus ſumma, & infinita bonitate.

33 Tertium de illis Verbis, *Vellit, nolit, volo occidere, &c.* probatur eſſe blaſphemia hæreticalis reſpectu Dei, & Jeſu Chriſti; non verò reſpectu Virginis; & Sanctorum, relatione quorum eſt tantùm ſimplex, quia importat diminutionem divinæ Omnipotentiæ, & Deum arguit impotentem; & habet eundem ſenſum cum præcedenti *Ad deſpectum* inquit *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 18. cum Toleto lib. 4. cap. 13. num. 6. Mazuchel. diſp. 2. cap. 16. num. 28. Candidus Diſquiſ. 19. art. 3.*

34 *n. 5.* Qui diceret: *Quamvis hoc ſit peccatum, vel offenſa Dei, volo facere.* non blaſphemaret, inquit Sanchez citatus, quia ſolùm indicat pravam loquentis voluntatem pec-

35 candi. Sequens verò locutio, *Volo peccare, quamvis diſpliceat Deo,* non eſt blaſphemia hæreticalis, ſed tantùm ſimplex, quia licèt Deo peccata reverà diſpliceant, irreverentia tamen hæc derogat divinæ bonitati, cui in nullo debemus diſplicere.

36 Dicens, *Ad deſpectum Dei Bacchi, &c.* non blaſphemat, quia verba referuntur ad Deum falſum, qui eſt blaſphemabilis potiùs, quàm honorabilis, & laudabilis. *Lazarius q. 3. num. 33. & ſequenti num. 34.* refert has *Ad deſpectum Dei non dico de vero.* Item *Ad deſpectum Chriſti lignei* Item *Ad deſpectum di Zii, & decii,* tamquã blaſphemia in jis, qui ex conſuetudine in eas prorumperent; utuntur enim his modis ad occultandam malitiam, & confirmatur, quia effectus cum principio facti æquiparatur facto, & de eo idem fit judicium, quod de facto ipſo, *l. ſi quis ſervo ff. de furtis, vincta Gloſ.* Ac proindè tamquam hæreticæ cognoſcuntur ab Inquiſitoribus. Sed de his dicam iterùm caſu ſequenti 18.

CASUS

# CASUS XVIII.

## De Blaſphemiis Similitudinariis.

1 VOco blaſphemiam ſimilitudinariam, quæ aſſimilatur veris blaſphemiis ex modo loquendi, quod tribus modis
2 contingere poteſt. Primò alterando verba hoc modo. *Meretrix Zii*, *Dieriæ*, *Dieci*, *Bii*, *Crii*, *Criſpi*, *Criſpoli*. Secundò diminuendo de verbo, hoc modo. *Ad deſpectum di Di. di Chriſ. Meretrix Ma. del Mar. Virginis Joannæ*. Tertiò addendo hoc modo. *Ad deſpectum Dei Bacchi*, *Chriſtophori*, *Dei lignei &c.* Vides, hos genitivos magnam habere ſimilitudinem cum dictionibus Dei, Chriſti, & Mariæ. Meritò igitùr dubitari poteſt ex data affinitate, an ſint blaſphemiæ, & quidem hæreticales, quod ſequitur ex antecedenti verbo inferens blaſphemiam hæreticalem, quandocumque determinatur, talia verba ſignificare Deum, Chriſtum, & Mariam.

3 Stando in rigore, & materiali ſenſu verborum, revera non ſunt blaſphemiæ, quia illæ dictiones nobis non repræſentant literalitèr ſpectatæ Deum, Chriſtum, nec Virginem, quos non ſignificant; nihilominùs, quia litera occidit, & ſpiritus
4 vivificat ſecundùm Apoſtolum 2. ad Corinth. 3 6. ſimilia verba alterata arguunt pravam intentionem blaſphemiæ, quam obloquens tali modo loquendi occultare ſatagit. Confirmatur, id, quia illa verba nullum certum habent ſenſum, ſed imperfectum, & mutilatum; ergò artificiosè ſunt inventa ad decipiendum audientes, ne putent, eos blaſphemare, quod indicat abuſum verborum, nam ſecundùm
5 D. Auguſtinum relatum in cap. 15. autem 4. 22. qu. 2. verba inventa ſunt, ut per ea homines non ſe invicem fallant, ſed ut eis quiſque in alterius notitiam cogitationes ſuas proferat; ſupradicta autem verba, ut quæ ferè nullum habent ſenſum ſaltem certum, cum nullam rem ſignificent hominibus notam, potiùs ſunt
6 deceptiva, quàm ſignificativa; quid enim eſt illud *Bio*, illud *Ma*, illud *Di*, illud *Dieria* &c. certè nemo ſcit. Verba hæc ſunt captiora, & ſigna ſic artificiosè inventa ad decipiendum audientes, nè ſciant, illos blaſphemare ad eum finem, ut correctionem debitam effugiant. Adde, quòd cum incipiant per eandem primam ſyllabam, qua inchoantur Deus, Chriſtus, & Maria, ex hac ſymboleitate, & affinitate non poſſunt non arguere palliatam blaſphemiam in foro externo. Quæro enim, an ab iſtis cur utuntur eiſdem dictionibus initio eodem modo incipientibus, & non aliis, e. g. *Meretrix di co*, *di fa*, *di mo &c.* Rationabilis cauſa non eſt aſſignabilis, nec dicant,

caſu ſic pronuntiari, quia in his aliqui ſunt aſſueti; non ergò caſu, ſed conſultò ità obloquuntur, ut pallient blaſphemiam, *ità Lazar. q. 3. à num. 33.* qui rem hanc proſequitur, Doctoribus *citatis*, *Petro Girardo ſingul. 83. Maſcardo concl. 194.* Sed in terminis noſtris ibi nihil dicit *Floronus caſu 3 §. 2. num. 3. & 5. Mazuch. diſp. 2. cap. 16. num. 31. & 34.*

7 Infertur ex his Inquiſitores hæreticæ pravitatis habere jus ſuper iſtos blaſphematores, qui malitioſè occultare quærunt blaſphemias hæreticales, ne puniantur, prudenter enim præſumere poſſunt, per ſimiles locutiones artificioſas velle ſuas blaſphemias palliare, & inquiſiti, ut ſe defendere valeant, reſpondentes, proferre ea verba, non ut blaſphement, ſed ſed ut per ea oſtendant ſe non blaſphemare, quibus non eſt credendum, quia in peccatis ſuis quærunt excuſationem.

8 Limitandum eſt tamen hoc, nimirùm tunc ſic loquentem blaſphemare, ſi conſtat, eſſe conſuetudinarium in blaſphemia, & præterea id eſſe intelligendum reſpectu illarum dictionum, quæ vel nullum ſenſum habent, vel illum præferunt obſcurum. In aliis verò non reperiri blaſphemiam, nimi-

9 rùm in ſequentibus. *Primò in Meretrice Criſi, Criſpi, Criſpoli*, quia habent ſignificationem perſonarum. Secundò *in Meretrice Virginis Joannæ*, quia limitatur, & ſpecificatur ad fœminam hujus nominis. Tertiò, *ad deſpectum Chriſtophori*, quia ſpecificatur de quodam homine hujus nominis. Quartò ea verba: *Ad deſpectum Chriſti lignei, Chriſti depincti, ſculpti*, eſt blaſphemia non hæreticalis, ſed ſimplex, quia per ea verba contumelia afficitur, & inhonoratur res ſacra, de quo genere ſunt omnes imagines Sanctorum depictæ, vel ſculptę, quę etiam in ſe ipſis adorantur relativè ad eum Sanctum, qui repræſentatur, & adoratur in illis, undè Chriſtus, & Sancti adorantur in illis adoratione abſoluta, ipſæ verò imagines terminant ad ſe adorationem relativam, quæ ſcilicèt cultu dignæ ſunt, quatenùs repræſentant Sanctos in ipſis depictos, ut docent *cum D. Thoma part. 3. q. 25. art. 6. Corduba lib. 1. q 5. dub. 4. expreſſiùs Bellarminus lib. 2. de Imagin. Sanct. cap. 21. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 5. q. 3.* latè Bernardus *Pujol de ſacro adorat. cultu diſp. 3. ſect. 7. Aſſert. 5.* & alii omnes Catholici. Si ergò dignæ ſunt veneratione, cultu, & honore, non ſunt blaſphemandæ. Illa igitùr additio *Lignei* non excuſat à blaſphemia ſimplici, ſed tantùm ab hæreticali.

10 *Ad deſpectum Dii Bacchi*, non eſt blaſphemia niſi contrà ipſum idolum; nam verbum *Deus* ſpecificatur, & limitatur per Bacchum, ut dixi præced. caſu num. 36. Nec ità fidem præſtans alteri intendit invocare fidem certam divinæ veritatis, ſed talem fidem qualis eſt fides humana unius hominis erga alterum. *Floronus caſu 3 §. 2. nu. 3.* & ex eo *Mazuchell. diſp. 2. cap. 16. num 35.* putant, habendum eſſe pro blaſphemo, licèt addat *non de bono*, ſed ego puto, magis per hanc additionem ſe declarare, excludere verum Deum ab hujuſmodi locutione.

CASUS

# CASUS XIX.

## De Blaſphemiis Proteſtativis.

1 BLaſphemia proteſtativa eſt illa, qua quis blaſphemat ſimul, & proteſtatur ſe nolle blaſphemare eodem verborum contextu, e.g. *Meretrix, quam nolo dicere Dei. Ad deſpectum, quod nolo dicere Chriſti.* Dubitatur hic, an per hujuſmodi proteſtationem excuſetur proteſtans à peccato blaſphemiæ?

2 R. Negativè, quia proteſtatio non prodeſt, nec relevat proteſtantem à facto contrario, quando non poteſt ſtare ſimul cum facto, quòd per ipſam deſtruitur; ſolùm verò prodeſt, quandò ſtare poteſt ſimul cum facto, quòd accidit, quandò ſolùm avertit animum, & conſenſum ab ipſo facto, ut tradit *Rota apud Rubeum par.5. Noviſſimarum ab Anno 1626. deciſ. 218. num.4. & 5. ex illa Paſqualig. q. 343. num. 3. & 4.* Pono exemplum in proteſtatione non potente ſtare cum facto, in Novitio proteſtante ſe nolle profeſſionem emittere, & poſteà ſeriò profitetur, clarum eſt factum pro-

3 feſſionis deſtruere proteſtationem Rota citata dat exemplum in caſu Emphiteuſis, in quo proteſtatio contraria facto, cum hoc ſtare non poteſt, quia non reperitur aliquid, quòd poſſit præſervari, ex quo exactio penſionis, & caducitas ſunt contraria, itaut ſimul ſtare minimè poſſint. In ſequenti verò exemplo per ſequens factum non deſtruitur proteſtatio, ſed

4 tantùm impeditur conſenſus ne accedat ad actum, e.g. Novitius proteſtatur per receptionem habitus profeſſorum, ſe nolle proficere, per hanc nolitionem perſeverantem in receptione habitus removetur, ſeù potiùs conſenſus impeditur, ne ſequatur valida profeſſio ex ſumptione habitus, non tamen ipſa nolitio deſtruitur, & proteſtatio, quia non eſt formaliter, & directè contraria receptioni habitus; cum ergò adhuc ſubſiſtat proteſtatio, conſequitur ſuũ effectum, & relevat proteſtantem, ità Sperellus *deciſ.79 num.14.* Ex his firmata majore, ſequitur minor, ſed proteſtatio in his verbis:

5 *Meretrix, quam nolo dicere Dei*, non poteſt ſtare ſimul cum prolatione horum verborum, quæ indicant ex ſe ipſis blaſphemiam, ſed deſtruitur per ipſamet verba, cum proteſtatio ſe ipſa non poſſit auferre proprium ſenſum blaſphemiæ ab illis verbis; ergò proteſtatio cum non ſit, ſed perimatur illorum verborum prolatione, non relevat, non prodeſt, non ſuffragatur obloquenti.

6 Deindè proteſtatio debet præcedere factum, ut valeat, & ſuum conſequatur effectum, *Sperellus deciſ.24. num.48.* nam eſt animi declaratio circà faciendum, adeoquòd poſt factum expreſſa, nullius eſt momenti, nec quicquam prodeſt, ex legibus, & doctoribus citatis *à Ciarlin. cap.202. n.39.*

Sed

Sed in caſu noſtro proteſtatio non blaſphemandi non præcedit verba blaſphemiæ, ſed ſequitur, ut clarum eſt ex modo proferendi; ergò talis proteſtatio nullius eſt momenti. Et id confirmatur planè, quia ex doctrina Chriſti apud Matthæum 15. 18. blaſphemiæ primò exeunt à corde, deindè procedunt de ore; ergò primum eſt blaſphemia, poſtquam ſequitur proteſtatio, & ſic cum ſit poſt factum, nullatenùs prodeſſe poteſt, maximè cum actus exterior, nempè locutio ſumat ſuam formalem malitiam à corde, & voluntate, à quibus primò exit, & deindè tranſit in actum exteriorem per oblocutionem; inquiunt enim Theologi cum
7 D. Thoma 1. 2. qu. 20. artic. 2. quòd malitia exterioris actus pendet ab actu interiore; in tantùm enim actus exterior eſt bonus, vel malus, in quantùm eſt liber, & voluntarius, ac proindè prout procedit à voluntate ratione advertente, à quibus ſunt actus interni, & immanentes, à quibus exteriores actus ſuam bonitatem, & malitiam recipiunt. Vide Scotum quolib. 18. ubi ſubtilitèr agit de malitia actus externi accepta ab interno. Undè cum actus internus jam dederit malitiam actui externo antè proteſtationem, ea nullatenùs prodeſſe poteſt proteſtanti, ut fugiat blaſphemiam, debeat enim tacere.

8 Inſuper proteſtatio in præjudicium tertii non valet, niſi ipſe conſentiat, *Bald. in capit. fin. de confeſſ. col.* 9. *Abbas in cap. Ex parte, de feud. num.* 5. *cum aliis Ciarlin. cap.* 106. *num.* 36. Nulli dubium eſt, eam proteſtationem ſic conceptam non acceptari à Deo in ipſo actu oblocutionis, cum ſit mixta ex verbis impudicis, acceptaſſet autem Deus proteſtationem, ſi facta fuiſſet antè verba, conceptam hoc modo. Nolo ampliùs blaſphemare; hæc enim eſt vera proteſtatio, & Sancta, quam Dominus acceptat, ſed prædictam, cum ſit mixta ex verbis blaſphemis non approbat.

9 Prætereà demus caſum, quòd quis proteſtetur ſe nolle blaſphemare, quandocunque profert in futurum hæc verba. *Meretrix Dei*, & poſtmodùm advertentèr illa pronuntiet, forſan excuſabitur à Blaſphemia? Nequaquàm, quia cum factum hoc prolationis dictorum verborum perimat proteſtantem, dum blaſphemavit proteſtando antecedentèr ſe nolle blaſphemare, nolvit blaſphemare, & poſteà blaſphemavit; non poteſt ergò excuſari à blaſphemia, quia proteſtatio evanuit per prolationem blaſphemiæ ſibi contrariæ. Et ſi non potuit valere illa proteſtatio facta antecedentèr ad quodcunque pertinens ad futuram blaſphemiam, quomodò valebit proteſtatio facta in medio verborum ſpectantium ad blaſphemiam?

10 Simile exemplum de eo, qui dicit alteri: Nolo te offendere, & poſteà impingit illi alapam. Nonnè percuſſus offenditur ex natura facti, & ſic neutri prodeſt proteſtatio, cum ea per factum illi contrarium perempta ſit, & evanuerit, ex

quo

quo cum non ſit, nihil operari poteſt. Similitèr dicens: *Meretrix, quam nolo dicere Dei*, proteſtatur ſe nolle blaſphemare, & tamen blaſphemat, quia proteſtatio cum evaneſcat per contrarium ſibi factum, non poteſt excuſare obloquentem, maximè cum in medio blaſphemiæ emittat ſimul, & deſtruat proteſtationem; ſicut ergò impingens alapam dicendo nolo te offendere, offendit, qui actus de ſe eſt offenſivus, ità proferendo verba blaſphemiæ dicendo nolle Deum offendere, offendit, & blaſphemat, quia ea verba de ſe ſunt offenſiva, & diminutiva honoris Dei, adeòquòd eum ſenſum blaſphemum proteſtatio non poteſt deſtruere; quia ſunt talia verba, quæ
11 ex natura ſua læſiva ſunt divini honoris, ac proindè prolata ex prava voluntate injuriandi Deum; inquiunt enim Doctores allegati à Paſqualig q. 328. quòd verba ex ſua natura injurioſa præſumuntur prolata animo injuriandi, & offendendi proximum, undè *ex Bartolo in l. ſi quis ff. de acquir. hæred. Abbas in capit. cum T. de re Jud. Jaſon. in l. ut cum ff. de juſtitia num.* 37. *Apud Floronum de caſu præſenti caſu* 3. §. 1 *num.* 6. §. *Præterea*, ex hac proteſtatione:
12 *Salvo honore tuo, mentiris*, infertur injuria, quia proteſtatio eſt nugatoria, & deceptoria, ſicut ejus, qui percutit cum proteſtatione non lædendi percuſſum.

13 Noſtram concluſionem, quòd ſic obloquens: *Meretrix, quam nolo dicere Dei*, non excuſetur à blaſphemia hęreticali, docet Floronus præcitatus, qui tamen in foro conſcientiæ explicat, ea verba proferri poſſe tribus modis, primò deliberando blaſphemare, & poſteà dixit ea verba cum proteſtatione, hoc modo blaſphemiam perpetravit, quia adfuit voluntas, quæ factum obligavit, ſecundò non deliberando, & aſſuetus protulit ea verba, adhuc blaſphemavit, tertiò, non deliberando, nec ex conſuetudine, ſed ex ſubita animi perturbatione verba illa pronuntiavit ſe corrigendo advertens ſe errare, excuſavit.

Sed non placet, quia poterat ceſſare à reliquis verbis, poſtquàm protulit primum verbum, ſequitur *Floronum Lupus caſu* 11. *num.* 36. antè iſtos idem dixit *Plotus num.* 17.

14 Contrarium tenent *Graff. in praxi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 72. *Lazar. q.* 3 *num* 28. *Carena part.* 2. *tit.* 7. *num.* 43. *Mazuchel diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 36. Probant, quia negatio in medio propoſitionis poſita, propoſitionem efficit negativam, ſecundùm omnes Philoſophos ſequentes. Confirmatur, quia licèt proteſtatio videatur contraria facto, tamen eſt declarativa animi, quæ operatur, ut actus dubii conſequentes intelliguntur ſecundùm illam juxtà omnes in cap. Cum M. de conſtitut. undè *Menoch. de arbitr. caſu* 86. *num.* 9. ait declarationi expreſsæ potiùs ſtari, quàm facto contrario.

15 Reſpondetur ibi eſſe duplicem propoſitionem, per unam exprimitur proteſtatio, quæ eſt negativa nolendi blaſphemare, per alteram explicatur blaſphemia, quæ eſt affirmativa, &

ideò

ideò non facit ad rem, quia licèt nolit blaſphemare, tamen blaſphemat, dum utrunque confundit ſimul, ideò non negat, nec excludit blaſphemiam, quæ perimit, & deſtruit proteſtationem, quæ ſuum effectum operari non poteſt.

16 Ad confirmationem patet ex hactenùs dictis; nam eſto proteſtatio ſit animi declarativa, tamen non excuſat à blaſphemia, cum facto ſit contraria, nec actus vocari poteſt dubius, cum non conſtet de proteſtatione, & de prolatione verborum, & ſolùm quæratur, an ea proteſtatio tantam vim habeat, ut excuſare valeat à crimine blaſphemiæ, quod negavimus, quia per factum oblocutionis perimatur proteſtatio, ulteriùs non poteſt excuſare à peccato, cum non exiſtentis nulli ſint effectus.

# CASUS XX.

## De Blaſphemiis Conditionalibus.

1 BLaſphemię ſub conditione prolatæ retinent eandem malitiam, quam habuiſſent, ſi pronuntiatæ fuiſſent ſinè conditione, ſivè conditio ſit de futuro, ſivè de præſenti, aut præterito. Quare conditio non excuſat blaſphematorem à blaſphemia hæreticali, neque à ſuſpicione hæreſis.

2 Probatur. Tùm quia eorum prolatio eſt aſſertiva, & de præſenti, adeòquòd verba ſic prolata non poſſunt producere ſuum effectum maledicentiæ contrà Deum, non obſtante conditione, quæ ſicut non tollit ſenſum proprium verborum, ità neque hunc effectum ſuſpendere poteſt, quin injuria Dei ſit illata. Tùm quia firmitas fidei ponitur in diſcrimen ſuæ firmitatis, dum blaſphemans Dei eſſentiam, & divina attributa incerta facit, intendens ea pendere à conditione, cujus eventus incertus eſt, cum poſſit eſſe, & non eſſe. Tùm quia conditio facit Deum in ſuis perfectionibus depẽdere à Creaturis, quod aſſerere hæreticum eſt, & prætereà eidem illa negantur ſub eadem conditione, ut patet in hoc exemplo: *Deus juſtus non eſt, ſi non caſtigat hunc perverſum. Renego Deum, ſi hoc verum non eſt.* Denegatur ergò Deo propria exiſtentia, & juſtitia de præſenti, & prætereà de independentibos, fiunt dependentes à creturarum dictis, ſeù factis. Ità omnes *cum Corduba q. 61. Royas par. 2. nu. 173. & 174. Leſſio lib. 2. cap. 45. num. 27. Salelles Reg. 13. num. 90. Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 24. Caſtropal. par. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. §. 3. num. 3. §. Cæterùm,* qui exemplificant etiam in conditionibus de præterito. *Nego Deum, niſi ità ſit.* Leſſius, Caſtropalaus, Sanchez, qui in utraque exemplificat. Vide infrà *caſu 25. num. 64. Deus non eſt Deus, niſi facit hoc miraculum.*

3 *Carena par. 2. tit. 7. à num. 47.* id concedit reſpectu conditionis de futuro, non autem de præterito certo, & vero, hoc exemplo. Renego Deum, ſi dies externa non præteriit, aſſerens, eam non eſſe hæreticalem, & probat primò, quia proferens eam propoſitionem, ità firmitèr credit in Deum, ut ex vi ſuæ propoſitionis impoſſibile ſit, eum non credere in Deum, quia impoſſibile eſt diem externam non præteriſſe, igitùr iſte non eſt blaſphemus hæreticalis.

℟. Argumentum hoc ſolùm probare, cum blaſaphemia ſtare poſſe fidem exiſtentiæ divinæ, quam verba hæc negant ex ſe, quæ cum ſint verba hæreticalia, talia remanent cum ſua blaſphemia, cujus ſenſum ea conditio tollere non poteſt; verba igitùr blaſphemiæ remanent talia, qualia fuiſſent prolata ſinè conditione, ſinè qua ſunt hæreticalia; ergò talia

gò talia remanent, non obſtante conditione.

Probat ſecundò, quia in caſu hujus blaſphemiæ non militant rationes ſupradictorum Doctorum; nimirùm verba ſub conditione prolata importare blaſphemiam, ex eo quòd fidei Divinæ denegatur omnimoda firmitas, cũ ſignificetur quaſi pendens ex conditione contingenti. Quę ratio non valet, quia in caſu hoc conditio non eſt contingens, ſed neceſſaria.

Contrà eſt, quia blaſphemia hæc hæreticalis eſt ex eo; quòd præfefert exiſtentiã Dei dependere à creaturis ſivè contingentibus, ſivè neceſſariis, hoc parùm refert, cum ſola dependentia arguat hęreſim; de fide enim eſt, quòd exiſtentia Dei eſt à ſe, & independens à qualibet re, ut patet ex illo Exodi *Ego ſum qui ſum*. Ideò ego ſum exiſtentia à me ipſo, qui ſum principiũ omnium, ac proindè omnium aliarum exiſtentiarum, conſequenter à nullo dependeo cum ſinè principio, à quo reliqua omnia.

Probat 3. confutando rationem Royas dicentis, quòd in actu conditionali adeſt voluntas de præſenti, quam ait non obſtare, quia voluntas, quæ de præſenti adeſt in proferente dictam propoſitionem, eſt Catholica, & impoſſibile eſt, ex vi quòd dictæ propoſitionis non ſit Catholica, quia impoſſibile eſt dictam propoſitionem non extitiſſe.

Reſpondetur in ea conditione duo ſpectari, veritatem præteritam illius rei, quæ impoſſibile eſt non extitiſſe, cum reverà fuerit, & ex hoc capite voluntas dici poteſt Catholica, quia veritas exiſtentiæ creatæ probat exiſtentiam divinam, ex quo fidei non adverſatur, tamen quia per hoc hujuſmodi conditio arguit in voluntate humana dependentiam divinæ exiſtentiæ ab humana voluntate, quod eſt ſecundùm conſideratum, ideò ex hoc capite voluntas blaſphemantis non poteſt dici Catholica, ſed præſumenda eſt hæretica.

Probat 4. quia conditio de præterito non eſt propriè conditio, undè ex ſtipulatione de præterito non oritur obligatio conditionalis, ſed pura, undè licèt Epiſcopus non poſſit deſpenſare in votis ex conditionibus de præterito, quia prò puris habentur, diſpenſat tamen in conditionalibus de futuro, *Sanchez lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 88. Quare ſicut in prædictis, & in votis ſub conditione de præterito, voluntatis aſſenſus eſt purus, ita & hæc verba proferens habet mentem, & aſſenſum Catholicum.

Reſpondetur argumentum nihil concludere contrà nos, ſed potiùs retorqueri contrà ipſum, ſicut enim illi contractus habentur prò puris, & abſolutis, ac ſi ea conditio illis adjecta non fuiſſet, ita hæc blaſphemia habetur pro pura, & non conditionata, ergò talis remanet, ac ſi prolata fuiſſet ſinè conditione de præterito, ſi enim hæc conditio alios actus non mutat, nec alterat, ſed puros, & ſimplices relinquit, cur debet alterare blaſphemiam de hæreticali ad non hæreticalem? Deinde in obligationibus, & votis honeſtis, & licitis aſſenſus voluntatis eſt purus licitus, & honeſtus, in turpibus verò, & illicitis aſſenſus licèt purus, quia caret conditione, eſt tamen turpis, & illicitus, ergò & in verbis blaſphemis

ſicut

ſicut voluntas eſt turpis, & illicita, ita & poteſt eſſe non Catholica, ſed ſuſpecta de hæreſi. Similitudo ergò non valet à contractibus licitis ad blaſphemias illicitas, & turpes, in illis enim voluntas bona eſt, in his mala habens ſuſpicionem hæreſis.

Probat 5. quia conditio de futuro impoſſibili adjecto matrimonio rejicitur, & matrimonium valet, cap. fin. de condit. Conditio verò de præterito falſa non vitiatur, ſed matrimonium ipſum, quia removet conſenſum ab actu. Igitùr etiam in caſu noſtro omnis aſſenſus hæreticus removetur ab ea propoſitione.

Contrà eſt, quia conceſſo antecedente, negatur conſequentia, nam in voluntate eſt contrahentis præſtare conſenſum ſub hac, vel illa conditione, à qua ſuſpenditur, vel negatur ab actu; in oblocutionibus verò non eſt in poteſtate voluntatis removere ſenſum, & ſignificationem verborum, quæ præſeferunt illum ſenſum, quem ex ſe habent, non obſtante conditionata voluntate, cujus vis eſt tantùm ſuſpendere conſenſum, non verò tollere ſenſum verborum.

Probat demùm exemplum allatum: *Si hoc non eſt verum, renego Deum*, quod eſt ſub conditione de præterito interprætando reſpectu ejus, cui non eſt nota aſſerta veritas, nam tunc proferens ea verba blaſphemat hæreticalitèr.

Contrà eſt, quia ſivè nota ſit, ſivè non, verba ſenſum hæreticalem ex ſe habent, cum ea conditio auferre nequeat ſenſum à verbis; ergò ea notitia carentia, non efficit ſenſum hæreticum, ſed natura ipſorum verborum, quæ cum illa conditione arguunt dependentiam Dei à rebus creatis, dicit ſenſum hæreticum.

4 *Salazar de uſu, & conſuet. cap. 5. num. 28.* apud præcitatos, ait ea verba ſub conditione prolata non eſſe blaſphema, ex illo axiomate. Conditio nihil ponit in eſſe *l. ſi quis 8. ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtam. l. Cedere 213. ff. de verb. ſignif.* ergò ea conditio ſuſpendit, ne ea verba inferant blaſphemiam.

R. Primò, aliud eſt ſuſpendere ſenſum phyſicum in contractibus, & obligationibus; id enim eſt in poteſtate voluntatis, quæ conſenſum præbere poteſt, quandò vult ex nunc, vel ex tunc ſuſpendendo illum, uſque ad eventum conditionis, aut alio modo pro ſuo arbitrio, in quo ſenſu procedit axioma legale. Aliud verò eſt ſuſpendere, & tollere ſenſum, & ſignificationem verborum tàm phyſicum, quàm moralem, & Thologicum; id enim præſtare non poteſt conditio, ſed verba relinquit in ſuo naturali ſenſu. Secundò, ſi conditio nihil ponit in eſſe; ergò verba de ſe blaſphemiam dicentia remanent in ſuo ſenſu naturali, & ſic ſunt hæreticalia, ſi nihil ponit in eſſe, ſed relinquit ea ut ſunt, ſunt de ſe hæreſim ſignificantia ex parte proferentis, qui ea turpitèr dixit.

5 Eſt in abuſu alter modus blaſphamandi, ſeù velle blaſphemare ex conditione hoc modo: *Poſſim renegare Chriſtum, ſi hoc non eſt verum, ſi non percutiam te, ſi te percuſſero. Renegare Chriſtum, ſi hoc eſſet verum; Volo potiùs negare*

*Chriſtum, quàm hoc credere. De quibus Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. num. 46. ex eo Belloch. & ex utroque Mazucbell. diſp. 2. de caſibus Mediolani cap. 16. num. 48.* aſſerentes non eſſe blaſphemias, ſed potiùs quoſdam modos jurandi. Verùm quidem eſt, quòd non ſunt blaſphemiæ aſſertivæ, dum per hujuſmodi verba loquens declaret animum habere blaſphemandi ad tenorem adjunctæ conditionis. Et ſic obloquentes puto eſſe ſubjectos huic Tribunali, quia hæ ſunt propoſitiones non levitèr ſuſpicionem ingerentes contrà illas proferentem, quaſi putet licere blaſphemare hæreticalitèr, intuitu eventus earum conditionum. Et licèt aliud ſit blaſphemare, & velle blaſphemare, nihilominùs quoad ſuſpicionem hæreſis pro foro externo puto idem eſſe utriuſque judicium faciendum. Tùm quia actu fieri, & eſſe in via paria ſunt, *Bart. & Bald. in l. Quamvis C. de inoffic. teſtam.* Tùm quia potentia, & actus ſunt ſub eodem genere *ex 8. Metbapb.* explicat *Scotus in 3. diſt. 22. q. Unica*. Ergò & uterque modus blaſphemandi inducit idem genus ſuſpicionis hæreſis. Tùm quia potentia in habitu idem operatur, quod potentia in actu, *Hypolitus conſ. 18 num. 10 & in l. ſi quis percuſſorem, C. ad legem Cornel. num. 2.* Ergò uterque eſt ſuſpectus de hæreſi.

6

CASUS

# CASUS XXI.

## De Blaſphemiis Comparativis.

1 BLaſphemia cõparativa eſt illa, per quam homo jurando, veritatem ſuam humanam comparat cũ Dei veritate, per hoc ſuam veritatem fulciendo, & corroborando mediante divina veritate, per quam conatur perſuadere alteri, ut credat ſibi, ſicut creditur Deo ſemper vera dicenti, & in uſu ſunt ſimilia verba. *Hoc ita eſt verum, ſicut Deus eſt verus, ſicut Deus eſt veritas, ſicut B. Virgo eſt Mater Dei, ſicut verum eſt Chriſtum eſſe natum de Maria Virgine. Hoc eſt verum ſicut Evangelium. Ità hoc verum eſt, ſicut quòd Chriſtus eſt in Cœlo, &c.*

2 Reſpondendum eſt, ſimiles locutiones eſſe blaſphemias hæreticales, quandò intendit veritatem humanam eſſe æqualem divinæ; id enim eſt tribuere Creaturæ id, quod ſoli Deo convenit, nempè veritas infallibilis, & infinita, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ut in noſtra, quæ infirma eſt, & quandoque homo fingit veritatem in re, cui ſubeſt, & latet falſitas, & mendacium; nam ſolus Deus eſt verax, & omnis
3 homo mendax. Ità omnes infrà citandi. Sed quoniam qui ità loquuntur, ut plurimùm talem non habent intentionem, ut eorum veritas ſit talis, qualis divina, in certitudine, & firmitate, ſed hoc modo loquuntur, ut perſuadeant aliis, ſe dicere verum, ad quod faciendum utuntur comparativo, ac ſi veritatem divinam adducerent in teſtimonium veritatis ejus, quod dicunt, ſufficit hoc enim illis, ut perſuaſus his verbis credat; aſſumitur ergò divina veritas ad firmandam propriam veritatem, ut fides adhibeatur narranti, ſeù aſſerenti de veritate ſua humana. Et in hoc ſenſu non habent rationem blaſphemiæ, nec ſunt culpæ lethales, ut inquit *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 31.* cui conſentit Caſtropal. *part. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. §. 3. num. 4. Suarez lib. 1. cap. 6. num. 12. Salleles Reg. 139. num. 100. & 101. Carena part. 2. tit. 7. num. 54. ubi citat Parlad. in ſuis quæſtionib. quotidianis q. 18. §. 1.* examinantem hanc propoſitionem. *Hoc eſt ità verum, ut verum eſt Evangelium. Bonac. p. 2. num. 13.*

4 Prædictis videtur obſtare Covar. ex Soto de pactis §. 7. nu. 9. verſ. 11. vocando ſimilia verba blaſphema, quia ea proferens æquiparat veritatem humanam cum Divina, & cum Divina ſit infinita, & Dei, qui non poteſt fallere, noſtra verò humana, & finita hominis, qui poteſt fallere, ideò nulla dari poteſt comparatio inter utramque ſimilitudinem; ideò qui talitèr obloquitur, blaſphemat, attribuendo creaturæ, quod ſoli Creatori convenit. R. Præ-

5 R. Prædictos Doctores eſſe intelligendos juxtà primum ſenſum obloquendi, cum expreſſa intentione æqualiter comparandi fidem humanam cum Divina, itaut veritas humana ſit ità certa, & firma, ſicut eſt divina. In hoc ſenſu nulli dubium eſt, ſimiles oblocutiones eſſe blaſphemias, & quidem hæreticales, quia valdè diminuunt de certitudine divinæ veritatis, aut eam faciunt communem in certitudine cum veritate humana. Et in hoc ità omnes præcitati conveniunt, hanc eſſe blaſphemiam hæreticalem, ſed quoniam nullus cenſetur habere, nec uti omnimoda comparatione, ſed tantùm ſimilitudinaria, & coadjuvare *infirmitatem* propriæ veritatis; ideò cum nulla adſit ſuſpicio hæreſis contrà articulum de infallibili veritate Dei; imò videatur magis ejus certitudo firmari; dum per eam humana firmatur, hujuſmodi verba non ſubjiciuntur judicio Sancti Officii Inquiſitionis.

6 Quòd ſi veritas humana fingatur, & reverà quod dicitur, ſit falſum, hunc blaſphemaſſe hæreticalitèr, dicendum eſt, quia infirmat divinam veritatem, ac ſi in dictis divinis poſſet ſubeſſe falſum, & ità ſentit ibidem Coquaruvias, ibi: *Quamobrem dum falſitas ſub his jurationibus affirmatur, fœdiſſimum eſt perjurium cum blaſphemia conjunctum.*

7 Dices, qui profert hæc verba: Hoc eſt tàm verum, quàm verum eſt Evangelium, ſine dubio ſuam veritatem facit parem veritati Evangelii, quæ eſt certiſſima, firmiſſima, & infallibilis; ergò talem facit ſuam, qualis eſt illa Evangelii, quod eſt blaſphemia hæreticalis; nam adverbia *tàm*, & *quàm* ex vi ſuarum ſignificationum utrique veritati tribuunt æqualem certitudinem, argumento eorum, quæ refert Barboſa dict. 400. quæ dictiones actum æqualitèr tribuunt utriq; copulato. Idem efficiunt dictiones hæ, *Ità*, & *ſicut* in his: *Hoc ità eſt verum, ſicut eſt verum, Chriſtum eſſe natum de Virgine*. Quæ important omnimodam ſimilitudinem ex jis, quæ habet idem *Barboſa dictione 179. numero 2. & dict. 366. numero 1.* Ergò cum ſimiles comparationes coæquent veritatem humanam cum divina, itaut divina in nullo excedat humanam, indicant blaſphemiam hæreticalem in proferente talia verba.

8 Reſpondetur, ea verba non importare omnimodam æqualitatem, ſed quandam analogiam, & ſimilitudinem veritatis humanæ cum divina, ſecundùm magis, & minùs, itaut humana participet aliquid de certitudine, & infallibilitate veritatis divinæ, non tamen adæquatè, & omnimodè, ſed ſolùm tantam, quanta ſufficit ad perſuadendum homini eſſe verum, quod dicitur.

9 In duobus autem caſibus obloquens veritatem divinam, offendit, *Primò*, quandò falſitatem pro veritate perſuadet prædictis verbis; tunc enim ſe reddit ſuſpectum de hæreſi, dum ſuam fictam veritatem, quæ in re eſt falſitas, aſſimilat veritati divinæ; quaſi poſſit illi ſubeſſe falſitas, palliata

veritate

veritate ficta. *Secundò*, rem dubiam faciendo certam, & confirmando divina veritate, ſimilitèr in hoc caſu proferens talia verba ſuper re dubia, facit ſe ſuſpectum de veritate divina, quaſi habeat pro objecto; materiam rem dubiam, conſtat autem de fide divinæ veritati non poſſe ſubeſſe falſitatem, neque dubitationem, quia impoſſibile eſt, quòd in Deo reperiatur mendacium, & dubium, cum Deus ſit ſummè bonus, & infinitè ſapiens, fallere, nec falli poteſt.

10 Occurrit talis caſus. Quædam mulier ad inveniendum auctorem furti, utitur cribro, quod ad nominationem certi hominis, qui culpabatur de furto, movetur. Alter, qui erat præſens, videns motum cribri, ſtatim aſſervit, *Iſte eſt latro, & hoc eſt tàm verum, quàm verum eſt Evangelium, quod legitur in miſſa.*

Numquid hæc verba ſunt blaſphemia hæreticalis, cum veritas hæc orta ex ſortilegio, ſi eſt veritas, comparetur cum Evangelica, quæ nullam patitur exceptionem falſitatis, ſicut veritas humana, cui poteſt ſubeſſe falſum, maximè in caſu præſenti, in quo ea verba profert ex credulitate, quam habuit ex motu cribri cauſato arte Dœmonis; per occultam enim cauſam, ac proindè per Dœmonem motum fuit cribrum, ex pacto ejus tacito cum perſona, quæ cribro uſa fuit ad inveniendum furti auctorem. Quare, licèt ipſe ſortilegium non fecerit, credidit tamen illi, ac proindè Diabolo, quod hæreticum eſt. Et augetur difficultas, quia compertum eſt, nominatum ad motionem cribri, reverà non fuiſſe auctorem furti, comparavit ergò mendacium cum veritate Evangelii, quaſi hoc ſit plenum mendaciis; his tamen non obſtantibus.

11 Cenſeo, proferentem illa verba non eſſe blaſphemum hæreticum, neque aliàs ſuſpectum de hæreſi, licèt crediderit firmitèr prædicta ex motu cribri. Ratio eſt, quia ut talia verba ſint hæreticalia, neceſsè eſt, ut illa proferens, ſciat illum non eſſe auctorem furti, ſed fingat, juxtà dicta ſub num. 6. Ille autem homo non fingebat mendacium ſub veritate, ſed putabat reverà nominatum eſſe furem. Verba autem illa bona fide prolata, pro veritate putata, ab eo non ſunt blaſphema, ſed tamen juramentum, illicitum quidem ex modo jurandi, ex quo non poteſt colligi ſuſpicio hæreſis, quia ille modus arguit tantùm quandam perſuaſionem ad inducendum alium ad credendum, ut ſuperiùs dictum

12 fuit. Nec ex eo, quòd certò credidit ad motum cribri illum eſſe auctorem furti, judicandus eſt ſuſpectus de hæreſi, quia credidit, implicitè Diabolo moventi cribrum; nam ut credens Diabolo ſit hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus, requiritur ſortilegium factum ab ipſomet loquente, & credente; in caſu autem noſtro credens nullum fecit ſortilegium, licèt factum fuerit ab alio. Nec credens Diabolo, cum quo nullum habet pactum reſpectu eorũ, quæ ſcire poteſt, ut furem theſaurum &c. *ſecundùm Sanch. l.2. c. 38. n.36.* per hoc præcisè redditur ſuſpectus de hæreſi, cum nec blaſphemus, nec ſortilegus ſit. CA-

# CASUS XXII.

## De Blaſphemiis Renegativis Dei, Chriſti, Virginis, & Sanctorum.

1 BLaſphemia renegativa eſt illa, quæ profertur per verba abnego, nego, renego, non credo, diſcredo. Magnam vim habent hæc verba, nam *abnego* ſignificat maximè nego, quod profiteri debeo, ait Calepinus; & ideò hæc verba prolata contrà Deum, Chriſtum, & res ſacras; ut renego Deum, Chriſtum, Oleum ſanctum, Baptiſma, Fidem, Crucem &c. ſunt
2 blaſphemiæ hæreticales ad Sanctum Officium ſpectantes, quia directè contrariantur fidei in primò capite, nam ſimiles abnegationes arguunt incredulitatem, & infidelitatem in proferente talia, qui negat exiſtentiam illorum, & verbo inducit atheiſmum. Ità omnes cum *Pegna part. 2. direct. comment. 66. §. Quoniam*, *Royas part. 2. num. 170. Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 11. Bonac. p. 1. num. 2. Carena p. 2. tit. 2. num. 9. Barboſa alleg. 51. num. 98. Mazuchel. diſp. 2. cap. 16. num. 17. Rodriq. in ſumma cap. 34. num. 1. Caſtropal. part. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. §. 3. num. 2. Suarez cap. 5. num. 7. Albergbinus cap. 16. num. 3. & 4. Sayrus lib. 6. cap. 13. num. 20. §. Reſpondeo.*

Qualis ſit blaſphemia renegativa contrà Virginem glorioſam, e.g. *Abnego Mariam*, *renego Puritatem*, *Virginitatem*, *necnon Sanctitatem*, *ac Maternitatem Virginis Mariæ*, *&c.*

3 Puto prædictas omnes oblocutiones eſſe blaſphemias hæreticales, quia adverſantur ejus exiſtentiæ, puritati, virginitati, maternitati, quæ de illa de fide credenda ſunt; ergò pro ſuſpectus de hæreſi habendus eſt ille, qui talia profert. Prædicta autem omnia eſſe de fide, clarè colligitur in Evangelio. Ità præcitati omnes, loquendo de blaſphemantibus contrà ejus puritatem, in aliis non exemplificant, ità tamen de aliis prædicatis dicendum eſt, quia non minùs eſt propoſitio de fide Mariæ exiſtentia, quàm ejus maternitas, & virginitas; exiſtentia enim de medio ſublata, neceſſariò tollitur maternitas, virginitas, & ejuſdem ſanctitas. Confirmatur à fortiori, quia, ut mox dicam, abnegans Sanctum Petrum blaſphemat hæreticalitèr, à fortiori renegans Mariam Virginem, quia confundit totam fidem catholicam, nunquàm enim exiſtente Maria, ut ea verba ſonant, omnes articuli, & propoſitiones de Incarnatione Verbi, & de ipſo Chriſto in nihilum rediguntur. Vides ergò quàm impiiſſima, & præjudicialis hujuſmodi renegativa Blaſphemia. Iterùm infrà caſu 26.

Abnegantes S. Petrum, S. Franciſcum, & alios Sanctos nunquid dicantur blaſphemare hæreticalitèr?

R. Affir-

4 R. Affirmativè, quia ſimul negant eorum exiſtentiam, & ſanctitatem, de quorum ſanctitate conſtat ex definitione Eccleſiæ, quæ non declarat aliquos Dei ſervos Beatos, & Sanctos nunquàm exiſtentes, ſed qui aliquandò fuerunt in hac vita, & nunc ſunt in æterna cum Deo regnantes. Et de Apoſtolorum, de Mariæ Magdalenæ, de Latronis, & aliorum, conſtat ſanctitate ex Evangelio. Dum ergò de iſtis negant exiſtentiam, & ſanctitatem, præſumuntur malè ſentire de eorum ſanctitate contrà Evangelium, & contrà definitionem Eccleſiæ, quòd ſcilicèt Pontifex Romanus errare poſſit in Canonizatione Sanctorum, quod eſt contrà Catholicam Fidem, quæ docet eſſe credendum
5 Evangelio, & quòd Romanus Pontifex non poteſt errare in Canonizatione Sanctorum, de fide credendum, ut docent *Pitigianus 3. ſent. diſt. 25. q. 2. art 5. Sylveſter verſ. Canonizatio, Joannes de Neapoli quolib. 10. apud Azor. par. 2. lib. 5. cap 6. q. 5. Affoſias de ſacris Reliq. §. 24. num. 5.* Quare ſic blaſphemantes uti hæretici judicandi ſunt ſuſpecti. *Ità Caſtropal par. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. § 3. num. 5. ob adductas. Lupus lib. 13. diſt. 2. diffic. 7. §. dico ſecundò*, aſſerit hunc denuntiandum Inquiſitoribus, quia eſt ſuſpectus de hæreſi. Alii omnes, quos vidi, negant eſſe blaſphemias hæreticales cum *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 36. Bonac. p. 1. num 3. Carena par. 2. tit. 7. num. 12. Candidus diſquiſ. 19 art. 2. num. 3. Salelles Reg. 139. num. 84. defendens diſp. 3. num. 232. Moronus reſp. 95. num. 29. Mazuchell. diſp. 2. cap. 16. num. 8.* afferens, renegantem
6 Sanctum Petrum blaſphemare hæreticalitèr, quia videtur denegare Eccleſiam, cujus eſt caput, eum ſequitur defendens præcitatus Bonac. Lupus, & Caſtropal. exemplificant in Sanctum
7 Franciſcum, alii in Sanctum Petrum; ſed nulla eſt differentia inter unum, & alterum Sanctum apud nos, quia renegatio adverſatur eorum ſanctitati, quæ omnibus communis eſt Vide infrà caſu 27. ubi de hac re latiùs.

Probant primò, quia non negatur aliqua veritas de illis pertinens ad fidem, ſed Sancti tantùm per ea verba contumelia afficiuntur. Secundò, quia hæ blaſphemiæ non cognoſcuntur ab Inquiſitoribus.

Ad primum conſtat, eas adverſari huic veritati fidei, quod Papa errare non poteſt in Canonizatione Sanctorum, ut dictum fuit ſuprà. Ad ſecundum Caſtropal. ait, ab Inquiſitoribus non judicari, quia fortè ignorant eſſe hæreticales; & Lupus præcitatus dicit, eas blaſphemias eſſe denuntiandas Inquiſitoribus, quia ſapiunt hæreſim.

An ſit blaſphèmus hæreticalis dicens: *Abnego doctrinam Sancti Auguſtini, Sancti Ambroſii. Nihili facio, babeo in ano &c.*

8 R. Eſt blaſphemia ſimplex, non hæreticalis, quia Eccleſia nullibi decrevit eſſe de fide credendum, eorum doctrinam de fide eſſe credendam. Confirmatur, quia quandoque præfati Sancti in nonnullis pugnant ad invicem, e. g. Sanctus Auguſtinus de Lege Moſaica, negat licuiſſe Apoſtolis, & aliis Chriſtianis uſurpare ceremonias legales ex affectu ſimulandi Judaiſmum,

licèt concedat licuiſſe ex affectu compaſſionis, ſeù ad oſtendendum illas ceremonias non fuiſſe malas, ſed bonas; Sanctus verò Hieronymus ait, Apoſtolis licuiſſe eas uſurpare ſimulatè, accomodando ſe Judæis, ut eos faciliùs lucrifaceret Deo. Ità Beccanus de lege Moſaica q. 10. Alia in hanc ſententiam dicit Lupus difficult. 8.

Quid dicendum de illo, qui dicit: *Renego de, di, diera, Domenedè.*

℟. Sunt blaſphemiæ hæreticales; nam ex communi opinione non ſolùm Sapientum, ſed etiam Vulgi, referuntur ad Deum, juxtà quod dixi caſu 18. Placentini dicunt: *Renego De*, ideſt Dio. Parmenſes *Domenedè*, & illorum confines *Domenedè*, ideſt Dominus Deus.

# CASUS XXIII.

## De Blaſphemia *Meretrix*.

1 PRoferri poteſt primò contrà Deum, ſeù Chriſtum, & Perſonas in divinis; eſt autem blaſphemia hæreticalis, quia adverſatur articulo fidei, de eorum puritate, caſtitate, & ſumma bonitate in omni genere entis, & eò eſt execrabilior, quò in Divinis attribuitur, in quibus repugnat non ſolùm ex infinita bonitate, ſed etiam quia impoſſibilis eſt ex parte patientis. Dicens ergò: *Meretrix Dei, aut Chriſti, ſeù Verbi, aut Spiritus Sancti*, importat Deum habere, Chriſtum habere dominium, poſſeſſionem, proprietatem, & gaudimentum illius perſonæ, quæ dicitur illius *Meretrix*; nam illud genitivum *Dei, & Chriſti* &c. demonſtrat dominium &c. Ità leges, & Doctores citati *à Maſcardo concl.* 841. Ità omnes de verbo *Meretrix Dei*, cum *Homob. de caſibus reſerv. caſu* 1. §. *Contrà verò. Bellocb. q.* 1. *num.* 241. *Alberghin. cap.* 16. *num.* 6. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 32. *Carena part.* 2. *tit.* 7. *num.* 9. Meretrix Chriſti.

2 *Lazar. qu.* 7. *num.* 27. Gregorius XIII. ità decernit contrà blaſphematores Chriſti, & ejus Matris: *Si Salvatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum purum hominem, vel etiam peccatorem fuiſſe, Matremque Dei non eſſe Virginem, & alias hujuſmodi blaſphemias, quæ per ſe hæreticæ dici ſolent, &c.*

3 Qui autem dicit: *Meretrix Chriſti*, facit ipſum peccatorem, quia non poteſt quis commiſceri cum meretrice ſinè peccato. Bullam hanc explicat *Carena*

4 *p.* 2. *tit.* 14. *num.* 22. Secundò contrà Virginem his modis: *Meretrix Maria, meretrix ipſamet Virgo, meretrix ipſa Domina noſtra,*

5 *meretrix Mà &c.* Hæc intelliguntur de Matre Dei, quæ per antonomaſiam, & quandam excellentiam ſignificatur illis verbis; ipſa enim eſt ſimpliciter Maria uti mare plenum omnibus gratiis, Virgo Virginum,

6 & noſtra Domina. Et eundem ſenſum habet illud *Ma*, diminutum ad occultandam malitioſè blaſphemiam, ut dixi caſu 18. Eſt autem blaſphemia hæreticalis, quia adverſatur articulo fidei de ejus puritate, & virginitate; quòd patet etiam ex Bulla præcitata Gregorii XIII. *Ità Plotus de blaſphem. num.* 13. *Floronus caſu* 3. §. 2. *num.* 6. *Lazar. q.* 3. *num.* 38. *Arſenſle ſol.* 18. *Lupus lib.* 23. *diſt.* 2. *difficult.* 4. *Pejirin. ad Bullam* 9. *Pauli V. num.* 16. *Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 9. *Albergbin. cap.* 16. *num.* 6. *Mazuchell. diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 32.

7 Idem dic, ſi quis eam vocaret Meretricem Dei, aut alterius, vel conſumaſſe matrimonium cum Joſeph ſuo ſponſo. Patet enim, hæc verba ar-

guere eam non eſſe Virginem contrà articulum fidei de ejus puritate, & virginitate, ità præcitati, dum dicunt eſſe blaſphemiam hæreticalem obloqui contrà ejus puritatem. Tertiò dicens: *Meretrix Sanctorum Petri, Auguſtini, &c.* blaſphemat, ſed non hæreticalitèr loquendo de illis, de quorum virginitate non conſtat ex Sacra Scriptura, vel ex definitione Eccleſiæ. Quare prolata contrà prædictos Sanctos, etiam Virgines, non ſunt blaſphemiæ hæreticales, ſed tantùm ſimplices, quia nulli propoſitioni de fide adverſantur, cum ex Sacra Scriptura, aut definitione Eccleſiæ nihil habeatur de fide credendum ſuper eorum virginitate, niſi de Sancto Joanne Evangeliſta, qui vocatur virgo ab Eccleſia, ut legitur in Reſponſorio Lectionis quintæ ejus feſti his verbis. *Virgo electus ab ipſo, virgo in ævum permanſit.*

8

9

Qui verò dicunt: *Meretrix Sancta Cæcilia, Sancta Agatha,* & reliquæ virgines, de quibus Eccleſia celebrat ſub titulo Virginum, cenſentur hæreticaliter blaſphemare, quia tota Eccleſia de illis celebrat, ut quæ ſemper coluerunt Virginitatem; proferens ergò contra earum honorem illud Verbum *Meretrix*, arguit in conſequentiam, Eccleſiam decipi, habentem pro Virginibus, quæ fuerunt meretrices; meritò igitur ſubduntur Sancto Officio.

10

Interrogandus autem eſt blaſphemus, ſuper blaſphemiis ex preſſis ſub num. 8. an illas intellexerit de ſanctis, dum erant in via, & in hac militanti Eccleſia agentes, an in patria, & Eccleſia Triumphante; ſi illas protulerunt de Viatoribus, ſimpliciter blaſphemarunt, ut intelliguntur ſupradicta; Si verò poſt mortem, tunc blaſphemia cenſenda eſt hæreticalis, quia dicere, quòd Sancti in Paradiſo habent meretricem, & peccare poſſe, adverſatur fidei; nam Sanctorum vita effecta eſt impeccabilis, ut dixi caſu 11. num. 15.

11

Numquid eſt blaſphemia hæreticalis dicere: *Meretrix Hoſtiæ Dei, Hoſtiæ conſacratæ, Meretrix Baptiſmi, Olei Sancti, &c.*

℟. Affirmativè, quia hæ oblocutiones contrariantur propoſitionibus de fide in materia Sacramentorum, & Sacramentalium, quæ ſunt Sacra, Sancta, & Immaculata, cum ordinentur ad Sanctitatem hominum, dicitur enim Sacrificio Miſſæ, quòd Hoſtia eſt Sancta, & Immaculata, & de fide eſt, Sacramenta continere gratiam, quam conferunt fidelibus miniſterio Sacerdotis; non poteſt ergò ſine nota hæreſis tribui imperfectio meretricii, quæ cum gratia ſtare non valet.

Quid dicendum de hoſtia nondum conſecrata, nec ſuper eam aliqua Miſſa ſit celebrata, numquid ſuper eam proferre illud verbum turpe ſit blaſphemia hæreticalis?

12

℟. Affirmativè, quia ejus abuſus facit ſortilegium hæreticale, ergò & blaſphemiam hæreticalem ejus prolatio per illud turpe Verbum; factum enim, & Verbum turpe, non niſi enormem effectum producere poſſunt.

ſunt. Antecedens probat *Carena p. 2. tit. 12. num. 53.* cum *Zanardo cap. 64. verſ.* imò teneo. Primò, quia in qualibet hoſtia reperitur Crux Chriſti ſemper adoranda. Secundò, Hoſtia ſemper repræſentat myſterium Miſſæ; undè eam ſpernere eſt in conſequentiam contemnere Sacrificium Miſſæ; Tertiò, ſi ſortilegus non intellexit derogare Sacramento altaris, cur potiùs adhibuit Hoſtiam, quàm aliam rem? Contra Farinac. *de delictis, & pœnis quæſt. 20. numer. 84. & de hæreſi queſt. 181. numer. 20.* dixi infra caſu 28. *numer. 20.*



CASUS

70

# CASUS XXIV.

## De Blaſphemiis deſinentibus in *Azzo*, & aliis modis.

1 EXemplifico in ſequentibus verbis: *Ad deſpectum, deſpectonatium, aut deſpectonem Dei, aut Chriſti, ſeù Mariæ, vel de Sanctis, &c.* de quibus *Lazar. qu. 2. num. 13. ex eo Floronus caſu 3. §. 1. num. 1. Lupus de caſibus reſerv. caſu 11. num. 17.* Hæc verba ſic producta in longam deſinentiam arguunt magnum dedecus, & convitium in obloquentem contrà Deum, & Sanctos; undè in ſententia omnium ſunt blaſphemiæ graves, ut indicant eorum caracterizationes in contemptum ſonantes.

2 Prima *ad deſpectum, deſpectonacium* ſunt blaſphemiæ ſimplices nullam arguentes hæreſim, quia proveniunt à verbo honeſto, quod dicitur conſpectus Dei nullam ſapiens hæreſim, quia *conſpectus* de Deo prædicatur, & Sanctis ejus, & de hoc plenæ ſunt ſcripturæ, unicum referam exemplum ex Apocalipſi 8. 2.

3 *Vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei*, ideſt coram Deo, in ejus præſentia, qui verum jurat per conſpectum Dei, non peccat, quia in nullo derogat divinæ bonitati, producendo verò idem verbum, tunc cum ſonet in contemptum Dei, eſt blaſphemia ſimplex, idem dicendum ſi proferatur contrà Sanctos.

4 Secunda blaſphemia eodem modo judicanda eſt tunc eſſe ſimplicem, quandò dicitur Sagradacium, aut Sagradonem; ſonat enim in contemptum. Verbum verò ipſum ſinè alteratione prolatum. *Deus ſacratus*, non eſt blaſphemia, quia Deo nihil aufert, cum Deus ſit ſacratus.

5 Tertia eſt blaſphemia ſimplex, quia licèt Deus, ſecundùm quod homo, ſit pauper, non neceſſitate, ſed virtute, & voluntate, juxtà illud Pſalmi 69. 6. *Ego verò egenus, & pauper ſum*. Item 87. 16. *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea*. Non tamen ſpernendus in ſua paupertate, ut indicant illa verba Pauperinum, Pauperatium, & Pauperonatium.

6 Quarta eſt blaſphemia hæreticalis ſonans formalitèr in contemptum, indicans nullam habere gratiam, ſed eſſe indignum gratiis, & favoribus, quod hæreſim arguere nulli dubium eſt, contrà illud Joan. 1. 14. *Plenum gratiæ, & veritatis*. Ut ſunt dicta verba *Exgratiatum, Exgratiatonem*.

7 Blaſphemia verò non hæreticalis eſt hæc: *Exgratio Deum, aut execror ſuperbus, quæ mihi concedit*. Signum ingratitudinis contrà Deum, à quo omne bonum, nulli autem articulo adverſatur, cum ſit ſignum ingratitudinis hominis, qui tòt bona in dies à Deo recipit. *Graffius in praxi lib. 1. cap. 10. numer. 29. ex eo Mazuchell. diſp.*

*diſp. 2. capit. 16. numer. 25.*

8 Quinta de *Meretrixanazza*, quæ eſt blaſphemia hæreticalis prolata contrà Deum, & Virginem, patet ex dictis ſub caſu 23.

9 Sexta de *Mariazzana*: eſt blaſphemia ſimplex in contemptum Virginis, quæ ab omnibus præ aliis Virginibus honoranda eſt, nec contemnenda oblocutione ſui nominis, cum illa ſit omni laude digniſſima. *Lupus numer. 17.*

10 Septima *Ad ſanguacium, ſeù ſanguinacium, aut ad corpacium Dei, ſeù Chriſti, necnon de Sanctis*, blaſphemia contemptiva Dei, & ejus Sanctorum, ſimplex quidem, non hæreticalis, quia ea productio non diverſificat ſenſum Verbi, ſed tantùm indicat contemptum; undè ſicut proferens verba, à quibus provenit eorum deſinentia producta, non ſunt blaſphemia hæreticalis, ità neque inſpecta eorum deſinentia, quæ cum ſolùm indicet diminutionem Dei honoris, & contumeliam, remanet blaſphemia ſimplex.



CASUS

# CASUS XXV.

## De Blaſphemiis contrà Deum Dominum, & Jeſum Chriſtum.

1 IN Exodo *cap.* 20. *num.* 7. præcepit Deus, ne quis aſſumeret nomen Domini in vanum, illis verbis: *Non aſſumes nomen Dei Domini tui in vanum; nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtrà.* Quod interdictum repetitur *Deuter. cap.* 5. 11. ferè eiſdem verbis: *Non uſurpabis nomen Domini tui fruſtrà, quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen ejus aſſumpſerit.* Quod antecedentèr etiam ſcriptum reperitur in *Levitico cap.* 19. 12. ſub aliis verbis: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus.* Sub nomine Domini Dei venit Deus in ſe ipſo ſpectatus, & in perſonis; non enim in vanum eſt nominandus Deus, nec Dominus, nec Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus, neque Chriſtus, nec Dominus Jeſus; ſub eo igitùr interdicto prohibetur vana uſurpatio Dei in ſe, in perſonis,
2 & in Chriſto. Non eſt ergò nomen Domini in vanum, & fruſtrà accipiendum, hoc eſt, ſinè cauſa, inutilitèr, imprudentèr, & pro re levi, ſed ex cauſa, utilitèr, prudentèr, & pro re gravi, ut evenit in juramento licito, quod cum ſit actus latriæ bonus, & meritorius non prohibetur,
3 ſed præſcribitur, ut cum judex petit juramentum à ſubdito judicialitèr interrogando, vel cum privatim juramus ei, qui non vult credere veritatem de eo,
4 quod dicitur. Juramentum ergò licitum hìc non prohibetur, ſed quod eſt perjurium, ut dicitur in Levitico loco præcitato, *Non perjurabis.* Contingit autem perjurium, quandò juramentum caret ſuis comitibus, quos enume-
5 rat Jeremias 4. 2. *Et jurabis: Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.* Fruſtrà ergò, & in vanum uſurpatur nomen Dei, quandò nominatur ſinè veritate, ſinè judicio, ideſt, inutilitèr, imprudentèr, ſinè cauſa, & pro re levi, & ſinè juſtitia, cum præjudicio ſcilicèt alterius.

6 Notandum autem eſt, quòd quatuor modis poteſt nominari nomen Domini, admirando, indignando, jurando, & blaſphemando.

7 Admirando quidem, quandò videmus, vel ſentimus aliquid mirabile, ſeù prodigioſum, aut inſolitum, ſolemus dicere, *Poteſt facere Deus, potentia Dei, oh Deus ſacrate.* De quibus primis duabus *Lazar. q. 3. num.* 12. dicit non eſſe blaſphemias, quia non detrahunt Dei potentiæ, cum ſolùm proferantur per modum admirantis, *Bonac. p. 2. num. 9. Floronus caſu 3. §. 2. num. 1. Belloch. q. 12. nu. 31. Mazuchell. diſp. 2. cap. 16. num. 47.* Imò nullum videtur peccatum,

tum, cum verba in ſe non ſint turpia, ſed bona, neque admiratio mala ſit, imò bona, quia Lucæ 7. 9. etiam Chriſtus admiratus fuit, ibi, quo audito Jeſus miratus eſt. Non prohibetur ergò nominatio Dei cum admiratione, quia per eam ejus omnipotentia manifeſtatur, & confitetur per admirantes.

9 Indignando, & ex ira in vanum nominatur nomen Dei, qui animo reverenti, & non ex indignatione aſſumendus eſt, aliter peccatum eſt ſaltem veniale, proveniens ex illicito modo nominandi, dummodò non miſceantur prædicata imperfectionis, quia tunc eſſet blaſphemia.

Jurando nominatur nomen Dei, tunc nullum eſt peccatum, quandò juratur in veritate, judicio, & juſtitia, pro qua re vide *Sanchez lib.* 13. *cap.* 4. *Bonac. de Juram. part.* 3. Quòd ſi exprimatur per verba imperfectionis, tunc conjungitur cum blaſphemia, in quo ſenſu egi *caſu* 10. *num.* 14. *caſu* 12. *num.* 3.

10 Blaſphemando demùm nominatur nomen Dei, & quidem in vanum, & fruſtrà, propriè prohibitum in præallegatis locis Sacræ Scripturæ, quod contingit multis modis, quorum aliquos in prædictis caſibus recenſui, & expoſui.

Primò, de Blaſphemiis nominando Domini pudenda, quæ habet ſub caſu 10. quæ verò non habet, caſu 15.

Secundò, de Blaſphemiis ex membris honeſtis, caſu 16.

Tertiò, de Blaſphemia *ad deſpectum* caſu 17.

Quartò, de Blaſphemia *Meretrix* caſu 23.

Quintò, de blaſphemiis ſimilitudinariis, cum alteratione ſcilicèt nominis Dei, caſu 18.

Sextò, de Blaſphemiis proteſtativis, ut *ad d ſpectum, quam nolo dicere, Chriſti*, caſu 19.

Septimò, de Conditionalibus; *ut renego Deum, ſi hoc non eſt verum*, caſu 20.

Octavò, de Blaſphemiis comparativis, ut *hoc eſt ità verum, ſicut eſt verum eſſe Deum*, caſu 21.

Nonò, de Blaſphemiis renegativis, ut *renego Deum*, caſu 22.

Decimò, de Blaſphemiis deſinentibus in Azzo; ut *ad deſpectonacium Dei*, caſu 24.

Aliarum exempla, quæ in præcitatis locis non recenſuimus, hìc ſunt ſubjicienda.

11 Maledictiones, & imprecationes contrà Dominum ſunt hujus generis: *Maledico Deum, maledictus ſit Deus; pereat, cadat è cœlo; execror Deum; tædeat; diſpliceat; pigeat; perdat corpus.* Super quibus vide *Decianum lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. *&* 9. *Sanchez lib.* 2 *cap* 32. *num.* 17. *&* 36. *Floronum caſu* 3. *num.* 9. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 16. *nu.* 20. 21. 24. *&* 39. *Bonac. p.* 2. *num.* 2. *Graff. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 7. *&* 11. *& in praxi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 27. & alii communitèr.

Obſervandum ſuper prædictis blaſphemiis primò, ab omnibus ferè haberi pro ſimplicibus, & non hæreticalibus. Ego nihilominùs ſum contrariæ ſententiæ, & puto eas eſſe hæreticales, prout pluribus probavi ſub caſu 7. per totum. 12 *Secundò* tria illa verba imperſonalia, *tædeat*, *diſpliceat*, *pigeat*, *adde pœniteat Deus*, ſi referantur ad malum culpæ, non ſunt blaſphemiæ, quia reverà hoc

malum Deo diſplicet, ac proindè nihil de divina bonitate diminuitur, ut docet *Menoch. caſu* 375. *apud Sanchez num.* 17. Utique verò blaſphemiam ſonant, ſi proferantur reſpectu alicujus boni, quod nunquàm Deo diſplicet, ſicut malum culpæ; ità etiam *Floronus* §. 2. *nu.* 7. *Mazuchel. num.* 20.

13 *Malè ſe habeat Deus*, eſt blaſphemia Deo tribuens, quod impoſſibile eſt ei evenire poſſe. Ità *Azorius*, & *Rodriq. apud Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 18. Puto hæreticalem cum aliis imprecatoriis.

14 *Exgratiatus Deus ſuper bis, quæ mihi facit*, eſt blaſphemia arguens ingratitudinem obloquentis contrà Deum, cui tamen debetur gratiarum actio, ut docet Paulus ad Theſſal. epiſt. 1. cap. 5. 18. *In omnibus gratias agite*, & Epiſt. 2. cap. 1. 3. *Gratias agere debemus ſemper Deo*; blaſphemat ergò, qui hæc verba contrà Deum dicit, & videtur ſuſpectus, quòd Deo gratiarum actio non debeatur. Vocant tamen blaſphemiam ſimplicem, cum ſit imprecatoria, *Graff. in praxi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 29. *ex eo Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 25. *dixi præced. caſu num.* 7.

15 *Non placeat Deo, quod hoc faciam*, ſi referatur ad malum, non eſt blaſphemia, ſed Verbum bonum, ſi ad bonum, eſt blaſphemia, & verbum malum, quia non diſplicet, ſed placet Deo bonum. *Ita Decian. lib.* 6. *cap.* 2. *numer.* 8. *Covar. de pactis* §. 7. *numer.* 9. §. *Quinto*, *Lupus caſu* 11. *numer.* 29. coincidit cum dictis hìc *numer.* 12.

16 *Non poteſt facere Deus, quòd hoc non ſit verum*, non eſt hæreticalis, quando conſtat de veritate rei, de qua eſt ſermo, imò nec ſimplex, cum nihil diminuatur de potentia Dei, quæ eſt tantùm ad poſſibilia; quod enim verum eſt, non poteſt non eſſe tale, etiam reſpectu Dei; eſſet verò hæreticalis, ſi adverſaretur factibili à Deo. *Ità Decian. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 10. *qui præcedenti num.* 6. Rem hanc proſequitur ſecundùm datam diſtinctionem.

17 *Non poteſt facere Deus, quòd ego hoc non cambiaverim pignus*; ſi verò non cambiavit, nihil falſi dicit, ac proindè non eſt blaſphemia, quæ in ſui ratione formali poſtulat falſitatem ex probatis caſu 2. *Ità Decian. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 6. *ex Alexandro conſil.* 15. *in* 3. *contrà Socinum conſil.* 102. *lib.* 1. aſſerentem, per dicta verba quendam Hebræum blaſphemaſſe, quem defendit præfatus Alexander.

18 *Si hoc diceret Deus, ego quidem contrà ipſum dicerem, mentiris*, eſt blaſphemia, ſivè referatur ad factum verum, ſivè fallum, propter verba ſequentia, quæ expreſsè arguunt Deum capacem mendacii, ac proindè eſt hæreticalis contrà veritatem fidei, Joan. 14. 6. *Ego ſum vita, via, & veritas*. Cum Deus ſit ipſamet veritas non ſolùm in concreto, ſed etiam in abſtracto, non ſolùm non eſt mendax, ſed nec umbram capacitatis habet mendacii. Tenent eſſe blaſphemiam *Cæpola conſil.* 76. *ex illo Grammat. ad conſtit. Regni, incip. Blaſphemantes num.* 20. *ex illis Decian. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 20.

19 *Neque tu, neque Chriſtus Aſinus hoc unquàm faciet*, eſt hæreticalis blaſphemia, & atrox, etiam ſi res eſſet infactibilis, quia tractat Chriſtum tamquàm rudem, impoten-

potentem, inſulſum, & ineptum, atque inutilem. *De illa Clarus V. Blaſphemia num.* 3. §. *Cæterùm ex illo Decian. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 13.

Dices pro reo, ea verba *Aſinus Chriſti* intelligenda eſſe non de Chriſto directè, & immediatè, ſed de Aſino, ſuper quem aſcendit, dum Jeruſalem intravit; erat enim Aſinus Chriſti, quia eum poſſedit, & illo uſus fuit; articulus enim ille genitivi caſus indicat poſſeſſionem ex dictis per Maſcardum concl. 841. per genituum enim caſum alicujus dominum demonſtratur; ſic ergò interprætantur ea verba *Neque tu, neq; Aſinus Chriſti* hoc eſt, Aſinus, qui portavit Chriſtum; erat enim Aſinus Chriſti, & quo ad dominium, quoad poſſeſſionem, & quoad uſum. Sed reverà eum ſenſum non habet, ſed alium, quem initio adduximus; concidunt enim in eandem perſonam; ſolemus enim dicere *Vidi illum ſceleratum, latronem, atq; malevolum, hoc eſt tuum Patrem*; prædicta enim alia non ſunt perſona ab ipſo Patre, ſed eadem omninò cum eodem Patre.

21 *Veſtra fides, eſt fides de Genitalibus*, eſt blaſphemia hæreticalis; nam ita obloquens inferre videtur fidem eſſe rem turpem, monſtruoſam, & nullius momenti, & injuria cenſetur illata Chriſto, qui fidei Catholicæ auctor eſt. Recenſetur *à Claro V. Blaſphemia initio, ex Soeino conſil.* 119. *lib.* 4. *ex illis Decian. lib* 6. *cap.* 2. *num.* 10.

22 *Potius vellem laqueo eſſe ſuſpenſum, prout ille* dixit Judæus iratus in faciendo quendam computum, elevando manum verſus crucifixum. Refertur *ab Hoſtienſi in ſum. de Judæis* §. *Et in quibus, à Felino in cap. Auditis, de præſcript. nn.* 53. *ex utroque Decian. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 10. Puto eſſe ſimplicem blaſphemiam, quia reverà fuit crucifixus, ſed non ſuſpenſus opprobriosè; ut latrones. Nec excuſatio Judæi, aut etiam Chriſtiani valeret, ſi vicinior eſſet crucifixus, quàm furca latronis; quia ſermo dirigitur ad proximiorem, à quo quaſi excitatur ad loquendum.

23 *Si ego haberem Deum, Pontificem etiam, aut Epiſcopum, ipſis eriperem oculos.* Eſt hæreticalis; nam ea verba arguunt eſſe capacem punitionis, & poſſe ab homine malè tractari, non ſolùm lingua, ſed etiam corporalitèr, & licèt Chriſtus his opprobriis
24 eſſet ſubjectus, quia in Incarnatione aſſumpſit omnes defectus corporis, qui communes ſunt totæ naturæ humanæ, ut docent omnes Theologi in materia Incarnationis, undè paſſus eſt multa tormenta, & tandem mortem, tamen reſurrexit glorioſus, & impaſſibilis; ideò per ea verba ſe reddidit ſuſpectum de hæreſi. Reſpectu aliorum non eſt hæretica, quia nulli fidei articulo adverſatur. Super eo caſu conſulvit Bald. *ut refert Clarus V. blaſphemia, & ex illis Decian. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 12.

25 *Hoc non faceret Deus, me tali modo eſſe debitorem.* Si debitum taxatum à creditore eſt injuſtum, bona eſt locutio, quia Deus rem injuſtam facere non poteſt; ſi verò eſt juſtum, cenſetur blaſphemia, quia Deus omnibus juſtitiam adminiſtrat, & cum adverſetur ejus juſtitiæ, dicenda eſt hæreticalis. Recenſet eam Affligtus *in conſtit. Regni V. blaſphemantes n.* 5. *apud Decian. lib.* 6. *c.* 5. *n.* 10.

26 *Deb Aſina* Dei, ſuper qua conſulvit *Bald. quem refert Clarus V. blaſpemia initio*. Blaſphemia eſt, ſi intelligatur de Glorioſa Virgine, inſpiciuntur antecedentia, & conſequentia ad eam qualificandam.

27 *Veniat malum illi traditori Deo, & illi, qui eum depinxit, & etiam illi, qui credit quòd ſit bonus, dum facit nunc pluere*. Refertur à *Claro V. Blaſphemia num. 3. à Deciano lib. 6 cap. 5. num.* 10. eſt hæreticalis, quia adverſatur articulo ejus fidelitatis, & bonitatis; in ejus verò poteſtate eſt pluvia pro quolibet tempore, licèt ex ea ſequatur damnum, quia id accidit propter noſtra peccata.

28 *Poſſim renegare Chriſtum, ſi hoc non eſt verum*, dixi caſu 20. num. 15.

29 *Nec poteſt Deus*, ut ſic prolata eſt hæreticalis; adverſatur enim Omnipotentiæ, & Deum dicit infirmum, & impotentem: Si verò ſpecificetur res, reſpondendum ut ſuprà ſub num. 16. Refertur à *Covar. de pactis p. 1. § 7. num. 9. verſ. Quartò, ex eo Graff. par. 1. lib. 2. cap. 19. num.* 11.

30 *Per vitam Dei*. Eſt ſimplex juramentum, ſivè ſit aſſertorium, per quod intenditur perſuadere veritatem, ſivè execratorium, & imprecatorium, per quod Deus adducitur non ſolùm in teſtem, ſed etiam in judicem, & vindicem, ſi falſum ſit, quod juratur. De quibus *Bonac. part.* 2. per totum, *Sanchez lib. 3. cap.* 1. Exemplum aſſertorii *Per vitam Dei, hoc verum eſt*. Execratorium ex parte jurantis.

*Per vitam Dei poſſim mori, ſi hoc non eſt verum* Execratorium ex parte ejus, qui juratur *Per vitam Dei occidam te* Quandocumque ergò juramentum eſt licitum licet etiam per vitam Dei jurare, quando verò eſt illicitum, adhuc uſus eorum Verborum *Per vitam Dei* non eſt blaſphemia, quia nihil aſſeritur contrarium fidei Catholicæ, imò pronunciatur id, quod eſt de fide, nempè Deum habere vitam in ſemetipſo: dicitur enim Joan. 5 26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*. Et cap. 14. 6. dicitur *Ego ſum via, & veritas, & vita*. omnes Theologi cum *D. Thoma part. 1. quæſt. 18. art.* 2. Deus ergò, & Chriſtus ab eo habent vitam increatam, & ſunt vita non ſolùm in concreto, ſed etiam in abſtracto, Deus, & Jeſus ſunt vita perfectiſſima, qua primò vivunt; omnes enim divinæ operationes à vita denominantur vitales; ſequitur ergò ex his, quòd prolatio illius verbi non eſt blaſphemia, cum in ſuo ſenſu vero, & reali dicat perfectionem in Deo eſſentiale ejus prædicatum. Et ita probat multis *Decian. lib. 6. cap. 2. num. 13. Graff. par. 1. lib. 2. cap. 19. num. 13. qui limitat cum Soto lib 8. quæſt. 2. art. 3. ſol. 4. Covar. de Pactis par. 1. § 7. verſ. 6. cum aliis Hiſpanis Sanchez lib. 2. c. 32. num. 25.* dicentes eſſe blaſphemiam cum juramento execratorio & ejus eſſe ſenſum *Per vitam Dei*, amittat ſcilicèt Deus vitam, ſi non eſt ità. Sed reverà talis ſenſus eſt alienus non ſolum ab opinione hominum, ſivè ignorantium, ſive peritorum in Italia, ſed etiam improprius, & improportionatus ſignificationi vocis, quæ cum ex ſua natura præſeferat vitam, non poteſt ſignificare mortem, & privationem vitæ. Confirma- 32

firmatur, quia apud Patres antiquos erat in uſu juramentum per
31 hæc verba *Vivit Dominus*, quod reverà niſi verbaliter differt ab his *Per vitam Dei*; Hi ſiquidem duo modi de plano ſignificant Deum habere vitam, ſi ergò prior modus non ſignificat juramentum exceratorium cum blaſphemia, nec poſterior. Nec verum eſt, dum Pater Filio comminatur dicendo *Per vitam meam te occidam* adducere Deum in vindicem ſuum, ſed tantùm in teſtem humanæ fidei propriæ. Aliud enim eſt dicere, *Per vitam meam, aliud, Peream, Deus me præcipitet, ſi id non eſt verum*. In his ergò adeſt imprecatio non in illo priori dicto, ſicut nec in ſequentibus. Per animam meam, Per ſalutem Animæ meæ, ſeù patris mei, in his nullum malum, nulla execratio contra ſeipſum, cum ſolùm ea verba indicent proteſtationem propriæ fidei, ut alter credat, quod dicitur, aut timeat malum comminatum. Et id ſuadetur, quia Joſeph Princeps in terra Ægypti fidem Pharaonis conteſtatus fuit ſuis fratribus his ver-
32 bis *Per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus. Urias pariter Davidi dicenti ei, ut domum ſuam rediret, reſpondit Per ſalutem tuam, & ſalutem Animæ tuæ non faciam rem banc* 2. Regum 11. 11. Mulier quoque *Thecuitis Davidi juravit bis verbis: Per ſalutem Animæ tuæ Domine mi Rex*. Ibidem 14.19. Erat ergò in uſu is modus jurandi, ſeu conteſtandi fidem humanam apud Hebræos, non ergò eſt veriſimile, quòd hæc verba ſint execratoria, ſive verum, ſive falſum narretur, quia non video unde ſumenda ſit hujuſmodi diverſitas execrationis reſpectu falſi; & inexecrationis reſpectu veri. Si ab aliquo eſt deſumenda, maximè à veritate, & falſitate, quod tamen verum non eſt, quia licèt veritas, & falſitas rei narratæ redundet in verba conteſtationis, ſeù juramenti; non ideò tamen mutat ſenſum verborum, qui idem ſemper manet. Neque ſenſus mutatur, quandò malum comminatur tertio, quia non egreditur malum ab eo, cui fuit incuſſum; illi ergò modi jurandi, & conteſtandi ſuum naturalem ſenſum retinentes, qui in ſe bonus eſt, ſolùm, & præcisè ſinè mutatione ſuæ ſignificationis, denominantur variæ, vel falſæ conteſtationes, nequaquàm verò malæ malitia pœnæ. Hoc autem juramentum non dicitur execratorium in ſe ipſo, quaſi verba ipſa. *Per vitam Dei, per ſalutem meam &c.* in ſe includant maledictionem, & imprætationem, ſed reſpectu mali comminati, & non alia ratione dicitur execratorium, licèt quandoque verſetur circà falſum; execratio igitùr refertur ad malum comminatum. 33 Et reverà execratiorium propriè acceptum, eſt illud juramentum, in quo exprimitur à jurante malum ſibi, ut ſi dicat: *Deus me caſtiget, ſi hoc non eſt verum*, dicitur execratorium ex parte jurantis, ex parte quoque alterius, ſi addatur. *Si te non percuſſero*.

34 Neque veriſimile eſt, quòd Joſeph, Urias, & Thecuitis volverint jurare, ſeù conteſtari execratoriè in faciem ſui Regis Pharaonis, & Davidis, cum quibus modeſtè, & reverentèr, ut decet, loquebantur. Scio

35 Scio *D. Thomam* 2. 2. *q.* 89. *art.* 6. dicere, Juramentum execratorium eſſe illud, in quo divinum judicium exercetur, & per quod homo ſolet jurare per caput ſuum, per filium ſuum, vel per aliquam aliam rem, quam diligit, ſicut & Apoſtolus juravit 2. Corinth. 1. dicens: *Ego teſtem Deum invoco animam meam*. Et hoc modo explicat juramentum à Joſeph factum per ſalutem Pharaonis, vel per modum execrationis, quaſi ſalutem Pharaonis obligaverit Deo, vel per modum conteſtationis, quaſi conteſtando veritatem divinæ juſtitiæ, ad cujus executionem Principes Terræ conſtituuntur. Hæc ex D. Thoma, quem omnes ſequuntur, quos citat Sanchez *lib. 3. cap. 2. num. 36.* exemplificans in his verbis. *Per meam, vel alterius vitam, ſeù ſalutem*. Eſt juramentum execratorium, ideſt, Deus auferat mihi vitam, ſi non eſt ità.

Reſpondeo, ſuperiùs probatum eſt, illam execrationem, nec formalitèr, nec virtualitèr contineri in illis verbis, ſed neceſſariam eſſe illius expreſſionem, ut dicatur in ſe ipſo execratorium.

36 Prætereà conteſtatio facta à Joſeph, ab Uria, à Thecuite, non fuit verum juramentum, cum in ea nullum verbum de Deo, aut rebus ſacris expreſſum fuerit; eſt enim juramentum vocatio divini nominis in Teſtem, ſecundùm omnes; per dicta autem verba nihil Dei nominatur; ergò nullum juramentum; illi enim vocabant in teſtem ſui aſſerti ſalutem ſui Regis, & non Dei veri. Non fuit ergò juramentum, ſed ſolùm proteſtatio veritatis confirmata fide humana, qua credebant ſuum Regem eſſe veridicum in dicendo. Undè Cajet. ſuper dictum articulum 6. ait: *di-*
37 *centem per fidem meam ſic eſt*, non eſſe intelligendum de fide Theologica, ſed humana, ac proindè non eſſe juramentum; ſi ergò non eſt juramentum dicere, *per fidem meam*, multò minùs dicere per ſalutem meam, per caput meum, cum præſeferant res naturales, & proximior ſit fidei divinæ fides humana, quàm ſalus, & caput, ut patet ex ſymboleitare verborum; ergò ab his verbis alienum eſt juramentum.

Et ità dicendum eſt, ne Joſeph, Urias, & Thecuitis dicantur tribuiſſe ſuis Regibus cultum latriæ, qui eſt actus veri juramenti ſoli Deo competens, ac proindè illos fuiſſe blaſphemos, & hæreticos, nec valet excuſatio, quòd verum eſt juramentum per creaturas; quia in eis relucet divina veritas, quia cultus ille terminavit ad Reges præcisè, ut Reges, prout colligitur ex modo loquendi illorum, qui intendebant ſuos Reges honorare cultu ipſis debito. Hinc eſt, quòd *in cap. ſi quis* 10. 22. *q.* 1. Si quis per creaturam juraverit, mandatur accer-
38 rimè caſtigari. Quare hoc, niſi quia, quod Deo debetur, tribuitur creaturæ, nempè cultus latriæ juramento exercitus? In Creaturis autem ſpectatis ratione naturæ non relucet veritas divina, ſed tantùm ſpectata ratione gratiæ, & ſic juratur, vel per Deum, vel per Sanctos, vel per res ſacras, in quibus magis, & ſupernaturalitèr relucet ſpeciali modo veritas infallibilis ratione ſtatus eorum.

Jura-

39 Juramentum autem D. Pauli 2. Corinth. 1. 23. addnctum à S. Thoma, eſt quidem execratorium, non ex vi horum verborum, teſtem Deum invoco, ſed ex ſequentibus. In Animam meam, illa enim præpoſitio *in* expreſſa in Biblia Sixti V. deeſt in codice D. Thomæ, facit enim hunc ſenſum *in*, ideſt, contrà Animam meam, ità colligitur ex cap. 12. Lucæ num. 52. *Erunt enim ex hoc quinque in domo una diviſi, tres in duos, & duo in tres dividentur, Pater in filium, & Filius in patrem ſuum*, ideſt, contrà importat dictio *in*, ut obſervant omnes, & notat *Gloſa v. in tres ſuper quæſt. 1. cauſæ 28.*

40 Concludamus ergò ad noſtrum propoſitum ea verba, *Per vitam Dei*, eſſe verba juramenti, & non ampliùs ſignificare, quàm verbum ipſum; *Vivit Dominus*, ſi vivit, ergò habet vitam in ſe ipſo; ergò per vitam ejus jurare poſſum, ſicut juro ſinè blaſphemia, per corpus, & Sanguinem ejus, *Sanch. lib. 2. cap. 32. nu. 30.* à fortiori per vitam Dei, quæ formalitèr eſt intrinſeca Deo, abſque ullo ordine ad incarnationem.

*Deus ribaldus*, eſt hæreticalis, quia adverſatur articulo fidei de bonitate, & juſtitia Dei; nam illud verbum *Ribaldus*, importat hominem ſceleſtum, facinoroſum, nefarium, & improbum, de quo *Graff. part. 10. lib. 1. cap. 10. num. 32.*

41 *Veniat vermis canis Pontifici, & omnibus, qui eum elegerunt in Pontificem. Deus neq, poſſet facere, quòd non eſſet Pontifex.* Tres ſunt oblocutiones *veniat vermis canis Pontifici*, eſt imprecatio hujus mali contrà Papam, non eſt blaſphemia, ſed malum imprecatum, gravitèr puniendus ille, qui talia Pontifici omnium Patri ſpirituali auguratur. Secunda paritèr, *& omnibus, qui elegerunt eũ in Pontificẽ*, nec eſt blaſphemia, cum ſicut & prior ſit malum optatum omnibus quantumvis excellentibus, non tamen Sanctis, contrà quos tantùm maledicentia eſt blaſphemia, undè cum Cardinales faciant Papam, dicta maledictio intelligitur vibrata contrà illos, & ideò
42 non eſt blaſphemia. Tertia verò *Deus non poteſt facere, quòd non eſſet Pontifex*, in eo ſenſu quòd Papa factus, & creatus à Cardinalibus non poteſt non eſſe factus, veritatem habet, quia nec Deus poteſt facere, ut, quòd eſt factum, non ſit factum, ſi quidem partem haberet in re falſa, quando reverà factum eſt, quod aſſeritur non factum; ſi veritatem habet ea propoſitio blaſphemia non eſt, cum hæc includat falſitatem ex dictis caſu ſecundò.

Si verò intelligatur, quòd Deus factum Papam non poſſit diſſolvere, & deponere à Papatu, in hoc ſenſu eſt hæretica, quia adverſatur Omnipotentiæ Dei, & ipſum facit impotentem. Super prædicta conſulvit *Calderin. conſ. 2. de Judæo, quem refert Clarus V. Blaſphemia initio*, *Decian lib. 6. cap. 2. nu. 12.* vocat blaſphemiam in Spiritum Sanctum. Quid autem ſit blaſphemare contrà Spiritum Sanctum, dicam infrà ſuo loco.

43 Malè veniat Nicodio, ſunt verba ſuſpecta, quia in uſu non reperitur tale nomen conveniens alicui perſonæ, undè cum habeat ſimilitudinem cum nomine *Dei*, cum *Nico* conjuncti dat judici

occaſionem

occaſionem malè ſuſpicandi ſuper intentione illud referentis, juxtà dicta de blaſphemiis ſimilitudinariis ſub caſu 18.

44 *Deus injuſtus, crudelis, necnon traditor, ſivè partialis, aut parteſanus*, ſunt omnes blaſphemiæ hæreticales, quia adverſantur articulis fidei. Prima *Injuſtus* adverſatur juſtitiæ contrà illud Pſal. 118. 137. *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum*. Item 144. 17. Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis. In nulla ergò re poteſt de injuſtitia reprehendi. Secunda *Crudelis*, adverſatur ejus miſericordiæ contrà illud Pſalmi 32. 5. *Miſericordia Domini plena eſt terra*; nullibi ergò reperitur ejus crudelitas, neque etiam in puniendo, quia citrà condignum punit peccatores. Tertia, *Traditor*, contrariatur charitati, & juſtitiæ, quia Deus neminem offendit, ſed omnes diligit; Pſal. 144. 20. *Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe*. Item 145. 8. *Dominus diligit juſtos*. Et in Evang. Matth. 5. 45. *Qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*. Omnes ergò homines tàm bonos, quàm malos diligit, & benefacit illis; non ergò illorum proditor eſſe poteſt. Quarta, *Partialis*, *Parteſanus*, blaſphemia hæreticalis contrà illud Petri Act. 10. 34. Non eſt perſonarum acceptator Deus. Indifferens eſt Deus, omnibus tribuit ſecundùm opera eorum, quæ ſequuntur illos, de dictis blaſphemiis uti hæreticalibus *Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 36. Arſenale fol. 18. Caſtropal. part. 3. tract. 17. diſp. 2. p. 2. §. 3. num. 2. Salelles lib. 1. Reg. 139. num. 73. Carena part. 2. tit. 7. num. 9. §. Quintò. Bonac. p. 1. num. 2. Lazar. q. 7. num. 12. & 19. Graff. in praxi lib. 1. cap. 10. num. 44. Mazuchel. diſp. 2. cap. 16. num. 25. Lupus caſu 11. num. 16. Zanard. de Blaſph. cap. 10. verſ. tertiò dixi. Albergbin. cap. 16. nu. 2.*

45 *Velit, aut nolit Deus, ego volo*. Eſt hæreticalis, quia adverſatur Omnipotentiæ, de qua dixi caſu 17. num. 33.

46 *Quamvis ſit offenſa Dei, volo eam committere*. Non eſt blaſphemia, ſed declaratio pravæ voluntatis agendi, de qua dixi caſu 17. num. 34.

47 *Volo peccare, quamvis Deo diſpliceat*; non eſt hæreticalis, quia reverà peccata Deo diſplicent, ut dixi eodem caſu 17. numer. 35.

48 *Timeo, quòd Deus mei non recordetur*. Hæc verba arguunt Deum de oblivione, quod eſt imperfectio, ac proindè ſunt hæreticalia, contrà illud Iſaiæ 49. 14. Dixit Sion: *Dereliquit me Dominus, & Dominus eſt oblitus mei*. Reprehendit Deus ſic obloquentes hæreticè. *Nunquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te; muri tui coram oculis meis ſemper*. Major eſt memoria jugis Dei ſinè comparatione ergà homines, quàm cura habita per matrem ſui infantis, quæ illius obliviſci poteſt; Deus verò unquàm obliviſcitur noſtri, nec poteſt obliviſci, quia nos ſemper memoria retinet, non ſolùm intellectu, ſed etiam voluntate, qua nos in mente ſua deſcriptos continuò fovet, & pro nobis operatur, muri noſtri, hoc eſt corpus noſtrum ſemper cuſtoditur à Deo,

ut in

ut in eo anima noſtra vivat ſemper, tamquàm circumvallata muro, quod eſt corpus noſtrum ſimul cum Anima cuſtoditum à Deo; De hoc verbo *Mazuch.diſp. cap.16. nu.* 30. *cum Belloch. nu.* 250. *&* 252. *Lazar. q.7. num.* 50. quod ſit hæreticalis *ex num.* 45. Excuſari poteſt ſic obloquens à ſuſpicione hæreſis, quandò protulit hæc verba occaſione alicujus infortunii, & mali paſſi, vel imminentis, quia tunc ea verba interprætari poſſunt, Deum non occurriſſe huic malo pœnæ, cum potuiſſet homini facere gratiam, & non fecit, dum per hoc caſtigavit; *Deus ergò oblitus eſt mei*, ideſt, nolvit mihi benefaceres impediendo hoc malum.

49 *Deus non fecit hoc matrimonium.* Eſt hæreticalis, quia derogat omnipotentiæ Dei, qui ſicut eſt auctor matrimonii, & in ratione contractus, & in ratione Sacramenti, ità & eſt creator hujus, & hujus matrimonii, ſivè ſit benefactum, ſivè malefactum, loquendo de malo pœnæ; Deus enim eſt omnium rerum conditor. Ità *Lazar. q.7. num.* 52. *Belloch. num.* 250. *&* 252. *cum Mazuchello diſp.* 2. *capit.* 16. *num.*20.

50 *Coram Deo*, non eſt blaſphemia, ut dixi caſu 24. num. 2. quia habet hunc ſenſum *coram Deo*, ad præſentiam Dei; nulla ergò in illis verbis reperitur falſitas. *Ità Lazar. q.3. nu.* 12. *Belloch. p* 2. *q.*12. *num.* 32. *ex illis Mazuchell. diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 46. *Lupus caſu* 11. *nu.* 21. *Bonac. p.* 2. *num.*8. *ſubdit Lupus cit. §. tertiò*, ea verba propriè ſignificare aliquid fieri cernente Deo; fit enim Deo coram; ergò ipſo cernente, ne dicatur cœcus, vel inadvertens, & id colligit *ex cap. Et venit* 45. *diſt.* 1. *de Pœnit.*

51 *Poteſt facere Deus, Potentia Dei*, de quo dixi ſuprà hìc num.7. ſecundùm Lupum caſu 11. nu. 21. verſ. Quartò, habent hunc ſenſum, quod poteſt facere aliquid, velit, nolit Deus, ut ſi aliquis vellet quemquam percutere, diceret, *poteſt facere Deus*, ideſt, poteſt ne Deus me impedire, quin illum percutiam? *Bonac. p.*2. *num.*9. Senſus quidem iſte eſt hæreticus, ſed quia interprætari poteſt in alium ſenſum, vel ſecundùm admirationem, ut dixi ſub præcitato numero, vel ſecundùm indignationem, non contrà Deum, ſed proximum, videtur habere rationem juramenti ad incutiendum timorem alicui, ideò evitari poteſt ſenſus hęreticus.

52 *Ad deſpectum illius birci cornuti, feci hanc rem.* Non eſt blaſphemia, ſi hæc verba in ſe ſpectentur, quia nihil continent injurioſum contrà Deum, aut Sanctos ejus. Quod autem ex Theſauro *lib.* 1. *q. forenſ. q.* 78. *&* *Royas par.* 2. *num.* 173. *&* 174 *refert Carena p.*2. *tit.*7. *n.*9. *§. ſextò*, intelligendũ eſt, ea verba eſſe blaſphema ex circunſtãtiis antecedentibus, vel conſequentibus, & Royas nihil in terminis.

53 *Neque Deus ipſe, quamvis deſcenderet de Cœlo, non removeret triticum ab iſta Ara*, eſt hæreticalis contrà omnipotentiam Dei, ſi homo poteſt removere, & de facto removet; non ergò poterit Deus, qui omnipotens eſt? Caſum hunc ex *Vivio deciſ.* 275. *num.* 18. *Lazar. quæſt.* 7. *numer.* 33. ubi ait, dictum Vivium defendere non eſſe blaſphemiam, quia ille homo altercabatur cũ alio ho-

mine, & non cum Deo, ſed errat, ait ille, quia cum verba de ſe ſint blaſphema, non eſt neceſsè, quòd indignatio dirigatur contrà Deũ, cum quo nulla eſt rixa. *Caren. p. 2. tit. 7. n. 43. ex illis Alberghin. cap. 16. num. 5.*

55 *Deus Invidus, Mendax, Ignavus, Tyrannus &c.* ſunt blaſphemię hæreticales. Nam invidia eſt dolentia de bono alterius, undè opponitur charitati, ex *D. Thoma* 2. 2. *q.* 36. Deus autem nulli invidet, cum ſit ipſamen charitas, juxtà illud Joannis epiſt. 1. cap. 4. n. 16. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo eſt.* Mendacium eſt dictio falſa cum intentione fallendi, vitium contrà veritatis virtutem, *D. Thoma* 2. 2. *q.* 210. Deus autem in omnibus dictis ſuis verax eſt, neminem decipere, & fallere vult, nec poteſt, cum in eo ſit ſumma bonitatis perfectio. Joan. 14. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Eſt ergò Deus fons, & origo omnis veritatis, undè, qui illum vocat mendacem, ſuſpectum ſe facit de hæreſi. Illud verbum *Ignavus* arguit inertiam, & pigritiam in Deo, quod adverſatur ſummæ ejus diligentiæ, ſolertiæ, & providentiæ de omnibus creaturis, de quo in Pſal. 12. 2. *Dominus de Cœlo proſpexit ſuper filios hominum.* Paulus Apoſtolus 1. Corinth. cap. 9. nu. 9. Dei diligentiam, & ſollecitudinem in omnibus rebus, etiam in bobus commendat illis verbis: *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Ità eſt, ut eidem docuit Pſal. 35. 7. *Homines, & jumenta ſalvabis Domine.* Et quidem hæc prøpter illos conſervat, & facit Deus vivere pro utilitate hominum, propter quẽ facta ſunt, ut inquit D. Ambroſius *de Noe, & Arca cap. 4. circà med.* Qui ergò illud verbum pronuntiat contrà Deum, ſe facit ſuſpectum de hæreſi contrà ejus diligentiam, & providentiam in gubernatione mundi. Hæreticum eſt verbum Deum vocare Tyran-
56 num. Quamvis apud veteres nomen Tyranni in bonam partem acciperetur pro Rege, vel Monarcha, qui plenam in ſubditos habet poteſtatem, ut inquit Paſſeratius hoc eodem verbo: nihilominus poſtmodum ab omnibus ſemper in malam partem acceptum fuit, & duo importat, primò uſurpationem injuſtam dominii, & poteſtatis ſuper Populum; ſecundò iniquum uſum poteſtatis, & juriſdictionis; eſt ergo perfectus Tyrannus uſquequaque injuſtus, & hoſtis, qui ratione juris, & exercitii utriuſque injuſti ſe exercet in offitio ſuo. Deus neutro modo dici poteſt Tyrannus, nec jure dominii, nec actu exercitii, quia juſtus eſt Dominus, & rectum judicium ejus, ut cantat *Pſal.* 118. *num.* 137. Et in alio *Pſal.* 49 12. *dicitur Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus.* *Item Pſal.* 88. 12. *Tui ſunt Cæli, & tua eſt Terra, orbem terræ, & plenitudinem ejus, tu fundaſti Aquilonem, & mare tu creaſti.* Errat ergo hæreticè, qui Deum vocat Tyrannum, ſumitur hoc verbum etiam pro Crudeli, quod Deo adverſatur, cum ipſe ſit *benignus, & miſericors.* *Sapient.* 7. 23. *benefaciens, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens.* De prædictis blaſphemiis, ut hæreticis, omnes cum *Caſtropal. par.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 2. *p.* 2. *§.* 3. *num.* 5. *Alberghinus cap.* 16. *nu.* 2. *Hermanus Buſembaum in Medulla Theologiæ moralis lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 1.

58

Ob

57 *Ob Deus Ignarus, ineptus.* Blaſphemia eſt, quia adverſatur omni ſcientiæ ejus, & prudentiæ illius, nam Pſal. 146. 5. dicitur: *Sapientiæ ejus non eſt numerus.* Salomon in libris Sapient. 6. 15. *Ipſe Sapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator.* Eccleſ. 1. 1. *Omnis Sapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum* lib. 1. Regum 2. 3. *Deus ſcientiarum Dominus eſt.* Qui ergò Deum vocat ignorantem, & inſcium, hæreticè loquitur. Alterum verbum manifeſtè arguit contrà obloquentem, ipſum eſſe ſuſpectum de hæreſi; inſcitia enim, & ineptitudo adverſatur infinitæ ejus prudentiæ. Jerem. 10. 12. *Prudentia ſua extendit Cœlos*: de his duabus blaſphemiis *Azor. p. 1. lib. 9. cap. 28. q. 3. Alberghinus cap. 16. num. 2.*

58 *Neque Deus poteſt facere hoc tempus clarum.* Hanc eſſe blaſphemiam hæreticalem contrà omnipotentiam Dei, nemo ſanæ mentis negabit, de hoc divino attributo Geneſ. 17. 1. *Ego Deus omnipotens.* Tobiæ 13. 4. *Non eſt alius Deus omnipotens.* Undè Angelus Mariam Virginem edocuit de Incarnatione Filii Dei, quem erat de Spiritu Sancto conceptum illis verbis: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Lucæ 1. 37. Quia cum ejus voluntas ſit omnipotens, & efficax, omnia poſſibilia facere poteſt, quod confirmatur in Pſal. 113 *Omnia, quæcumque volvit, fecit*, ſolo ſcilicèt nutu voluntatis ſuæ, inquit *D. Athanaſius ſerm. 4. contrà Arianos, & D. Aug. in lib. de Speculo cap 7. & lib. Meditat. cap. 29.* inquit: *Voluntas tua opus eſt, cui velle eſt poſſe, qui omnia, quæ ex nihilo creaſti, ſola voluntate feciſti.* Et S. Leo ſerm. de Nativit. *Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia.* 59 Ex quibus auctoritatibus Sanctorum Patrum manifeſtè apparet, ſolam Dei voluntatem efficacem per ſe ipſam eſſe proximum, & immediatum principium productivum rerum extrà ſe, abſque alia potentia executiva eidem voluntati divinæ ſuperaddita, ſecundùm communiorem, & probabiliorem ſententiam, de qua fusè *Meſſulenſis in primum ſent. diſp. 4. num. 111.* ad quem remitto Lectorem, cum pro præſenti materia ſufficiant, quæ hìc refero. Deus ergò cum habeat voluntatem infinitam, ac proindè à nullo impetibilem in ſuis operationibus ad extrà, fides catholica rationabiliter docet, Deũ facere poſſe quæcumque ſunt factibilia, ſic dictante ejus omnipotenti voluntate; non enim eſt ſicut homo, & ratione ſui, quandoque non valens implere ſuam voluntatem, quam habet finitam, & ſæpiùs infirmam in operando, & ratione impedimenti extrinſeci, quo operari non poteſt, quod vellet, quia per ſe ipſam ſolùm habet actum ſuæ volitionis imanentem, ad extrà autem non 60 operatur, niſi mediante potentia executiva, quam e. g nunc experior, dum ſcribo hac manu tamquàm inſtrumento, & potentia executiva, meam adimpleo voluntatem. Deus ergò cum ſola voluntate, ſinè alio adjuncto ad extrà operetur, à nullo impediri poteſt, ideò dicitur in omnibus, & per omnia potens, & omnipotens, & nunquàm impotens.

61 Dixi, quòd Deus eſt omnipotens reſpectu omnium factibiliũ,

quia quæ ſunt impoſſibilia, & infactibilia, Deus facere non poteſt, non propter ejus impotentiam, quæ in eo nulla eſt, nec per imaginationem, nec propter defectum ejus, quod dicitur infactibile; repugnat enim ſibi ipſi, quòd infactibile ſit factibile, & non ens ſit ens, undè, cum non ens nequaquàm ſit ens, non poteſt eſſe objectum divinæ Omnipotentię, ſed tantùm ens, quòd terminare poteſt ad ſe divinam voluntatem ejus effectivam, & productivam.

Dices, ſi Deus poteſt facere omne factibile, poterit etiam peccatum facere, quia id eſt factibile, cũ fiat ab homine, ut manifeſtum eſt; ſed hoc eſt falſum, imò hæreticum, quòd Deus facere poſſit peccatũ; ergò facere non poteſt omne factibile; nam dicitur *in Epiſt. 1. Petri c.* 2.22. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.

62 R. Peccatum propriè non dici factibile, quia id dicitur factibile, quod à non eſſe per agens producitur in eſſe poſitivum, cum ſua entitate, ſubſtantia, & accidente, quòd ut aliquid poſſit terminare actionem agentis; peccatum autẽ hoc modo, non exit, cum nullam entitatẽ habeat, ſed de non eſſe tranſit ad aliud non eſſe, quòd eſt privatio rectitudinis debitæ actui, qui debebat exire cum ſua rectitudine, à qua defecit ex prava hominis voluntate. Quare cum peccatum non dicatur propriè factibile, ſed defectibilé, ideò Deus benè dicitur producere omne factibile, licèt non poſſit producere peccatum, ſicuti facit homo, qui ſuam voluntatem, dum peccat traducit de non eſſe ſimplicitèr, ad aliud eſſe privativũ rectitudinis debitæ actui.

63 *Deus nõ curat de me*, eſt hęreticalis juxtà dicta de verbo *Ignavus* ſub n. 55. Pſ. 54.23. *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*. Sap. 6.8. *Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur cujuſquã magnitudinem, quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualitèr cura eſt illi de omnibus*. Oblocutus ergò fuit ille contrà Dominum, qui omnium curam habet, ac proindè ſe ſuſpectum de hæreſi fecit. *Ità Buſemb. lib. 1. tract. 2. c. 1. n. 1. infrà* 65.

64 *Deus non eſt Deus niſi facit hoc miraculum* Blaſphemia hęc hæreticalis eſt, juxtà dicta ſub caſu 20 de blaſph. conditionalib. Eſtq; juxtà illud Pſ. 13. Dixit inſipiens in corde ſuo. *non eſt Deus*. A fortiori, qui illud verbum foras emiſit. Et licèt conditio nihil ponat in eſſe, quaſi blaſphemiam nõ inducat; id enim falſum eſt, in eo, quod incertam, & periclitantem facit Dei exiſtentiã, cum illa conditio cenſeatur impoſſibilis ex parte noſtri, cum homo non poſſit cogere Deum ad faciendum miraculum, & ea non faciat turpitèr petẽtibus, ideò eſt hęreticalis blaſphemia, quæ etiam alias talis eſſet, ſi non adderetur cõditio; nã ea ut dixi eod. caſu 20. relinquit verba in ſuo ſenſu abſoluto, ac ſi cõditio non adeſſet. Undè cũ ea conditio non verificetur, quia ſinè dubio Deus tunc non facit miraculũ, ſequitur ea verba accipi abſolutè, ac ſi nulla adeſſet conditio. Et argumentum eſt in promptu, ex quo ſequitur hæreſis: *Deus non eſt Deus ſi non faciat tale miraculũ*, ſed reverà non facit; ergò Deus non eſt Deus. Si verò tunc facit miraculum, ſequitur, quod Deus eſt Deus, nihilominùs de præſenti ponitur in dubium exiſtentia Dei, ac proindè etiam in hoc ſenſu eſt hæreticalis, quia factio miraculi eſt contingẽs; exiſtentia verò Dei neceſſariiſſima. De hoc verbo blaſphem. *Maſuch diſp. 2. c. 16. n. 29. vid. infr. caſ. 62.* 66 67

65 *Deus non videt omne id, quod operatur in terra*, eſt hæretica contrà articu-

articulum divinæ providentiæ, Pſ. 13.2. *Dominus de cęlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Quæ verba replicantur pſ.52.3. & in pſ.101. 20. dicitur poſt eadem ferè verba. *Dominus de cęlo in terram aſpexit.* Et Chriſtus Dominus teſtatur de ejuſdem providentia ſuis Apoſtolis Lucæ 21.18. illis verbis. *Et capillus de capite veſtro non perbibit.* Si Deus tantam curam habet de uno ex noſtris capillis, qui ferè nihil eſt, quid dicendum erit de diligentia, & cura cęterorum ejuſdē hominis, & eorū, quę ſunt in mundo, & parvi momenti, Matth. 10.20. *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſūt: nolite ergò timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos,* & ſi loquatur cū Apoſtolis, & de Apoſtolis, quòd illorum curam exquiſitam habebit, tamen eadem verba intelligenda etiam ſunt de cæteris hominibus. Videt ergò Dominus, qui cæcos illuminat *Pſ.*145 8. ea quæ indigemus, & ſedulo nobis providet, & ſuppeditat neceſſaria contra hujuſmodi blaſphemū *Azor.p.1 lib.9.c.28.q.3.*

66 *Deus non providet egeſtatibus noſtris*, Eſt hæretica ut præcedens contra Divinam providentiam, de qua ſępè in ſacra Scriptura 1. Reg. 16.1. *Providi enim filiis ejus.* 1. Iſai, *Mihi regem*, fuit autem David Sapient. 14.3. *Tua autem Pater providentia gubernat*; Eccl.55. *Ne dicas coram Angelo. Non eſt providentia, ne fortè iratus Dominus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum.* Hæc ſententia dānat obloquentem ut hæreticum contra Dei providentiam. *Ita Caſtropal. p 3. tract.17. diſp.2. p.1. §. 3. n.2. Carena p.2. tit.7. n.* 11. & alii.

67 *Deus birce cornute*, eſt hæreticalis contra Dei honorem, *Eccl.*50. 21. Perfectus eſt honorem Domini, & Paulus *Epiſt.1. ad Thimoth.c.* 17. *Soli Deo, honor, & gloria.* Illa; autem verba directè opponuntur honori Dei. Illud verbum *cornutus hircus* ęſtimatur apud omnes maxima injuria in homine ſine dedecore, qui propriā uxorem ſcortū facit alterius, de quo Job 13.10. *ſcortū alterius ſit uxor mea, & ſuper illā incurvētur alii, boc enim nefas, & iniquitas mea*, redundat quoq; in vituperium V. Mariæ, quæ Sponſa Dei dicitur.

68 *Ob Deus, cęcus, berlumus, Lęſus, ſeù monoculus*, eſt blaſphemia hæreticalis, quæ opponitur perfectę viſioni Divinæ, qua nos continuo reſpicit Pſ.31. 18. *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum.* Zachar. 1. Dominus vocatur oculus hominis, omniū Tribuum Iſrael. Perfectiſſimus eſt in viſione, quia ſecundum Pſ. 112. 6. *humilia reſpicit in cęlo, & in terra.* Cæcus ergò nō eſt Deus neque imperfectus in videndo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & cęcos illuminat ſecundum Pſal. *Dominus illuminat cęcos.* 145 8.

69 *Deus eſt tàm miſericors, quòd non quærit noſtra peccata, nec ea non punit*, eſt blaſphemia hæreticalis; licèt enim Deus ſit miſericors, non ideò tamen eſt injuſtus, & infidelis cum decreverit punire peccata hominum, quos non pœnituerit ſuorum peccatorum. Jer 30 11. *Caſtigabo te in judicio.* Apoc. 3. 19. *Quos amo, & caſtigo, & arguo.* In Epiſt. 1. ad Theſs. 4.6. *Dominus vocatur vindex*, & ad Hebr. 10.30. dicitur *Mihi vindicta, & ego retribuam eis.* Eſt ergò Deus judex juſtus requirens peccata hominum, & ea puniens citrà condignum, in quo miſericordia dicitur ſuperexaltare judicium; *Jacobi* 2.13. *Lazar.q.7.n.48.*

70 *Deus eſt tàm juſtus, dum non recipit peccatores.* Blaſphemia hæreticalis eſt, quæ adverſatur ejus miſericordiæ; Deus enim vult, omnes homines ſalvos fieri, qui ſcilicèt

volunt

volunt ſalvari, juxtà illud Zachar. 13 *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos* Item Malach. 37. *Revertimini ad me, & ergò revertar ad vos*, undè benè dixit D. Aug. *Non ſalvabit te ſine te*. Jer. 31. 34. *Propitiabor iniquitati eorum, & peccata eorum non memorabor amplius*. Certum ergò eſt, quòd Deus recipit peccatores, dum volunt recipi à Deo, non per hoc diminuitur ejus juſtitia, ſed magis elucet, & augetur. *Graff in praxi lib. 1. cap. 10. num. 49. ex eo Lazar. de Blaſph. quæſt. 7. num. 48.*

71 *Debodo à Dios*, Devoveo Deo, ideſt, maledico Deum, execror Deum. In hoc ſenſu eſt blaſphemia ſecundùm *Sanchez lib. 2. cap 32 num. 19.* ubi alios citat, & *Salelles Reg. 139. nu 88* Si verò ſignificet votum facere, & ſe Deo dedicare, Verbum eſt honeſtum, & non turpis blaſphemia, & hoc eſt proprium ejus ſignificatum ex natura ipſius Verbi, quo ſenſu etiam Cicero, Virgilius, Ovidius, & alii uſi ſunt, legi poteſt apud Paſſeratium V. devoveo.

72 *Deus bonacius*, non eſt hæreticalis, ſed ſimplex, arguens non levem contemptum, quia Deus licèt ſit infinitè bonus, & ſolus bonus *Lucæ* 18. 19. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*. Infinitè ſcilicèt, & independenter, atque impartícipatione, non tamen ſpernendus in ea, ut inſinuat illud verbum protractum. Vide Zanardum de blaſphemia §. Differentia autem.

73 *Nolo obedire, quamvis Chriſtus hoc mihi imperaſſet*, Eſt blaſphemia hæreticalis, quia opponitur Divinæ Omnipotentiæ, cui vult reſiſtere, qui talia profert. Faciunt ad rem, quæ dixi de verbo *ad deſpectum Dei* ſub caſu 17.

74 *Deus non eſt patronus mei*, Eſt hæreticalis contra plures auctoritates Sacræ ſcripturæ, quæ Deum vocat dominum & dominatorem omnium, Exodi 34. 6. *Dominator Domine Deus*. Iſaia 3. idem dicitur. Dicitur *Dominus Dominantium, & Dominus Dominorũ*. 1. ad Thimot. 6. 16. Apoc. 17. 14 & cap. 19 16. *Deus Deorum, & Dominus Dominantium*. Deut. 10. 17. & in lib. Judic. 8. 23. dicitur. *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus*: Sunt verba Gedeonis, poſtquam occidit Zebee, & Salmana. Ecce error iſtius blaſphemi in fide, qui nollet Deum regnare ſuper ipſum.

75 *Deus curam habeat de Porcis* eſt hæreticalis, caudam habens colligatam cum præcedenti; dum enim non vult Deum ſibi dominari, videtur facere illum ſervum, undè hanc aliam protulit blaſphemiam, quæ arguit Deum non eſſe Dominum, & dominatorem omnium, ſicut de fide oſtenſum eſt, Deum eſſe Dominum, & non ſervum, nec famulum, & perſonam vilem.

76 *Tù vis hunc Tovagliolum manere ſuper terram; & ego volo, ut maneat ſuper meum genu* Loquebatur cum Deo, contra cujus voluntatem propriam exihibebat in illo facto. Eſt hæreticalis, dum contendit contra voluntatem Dei expreſſam, quam dicit ſe ſcire eſſe contrariam propriæ, intendens illam evincere, quod arguit Deum eſſe impotentem, & poſſe reſiſtere efficaci voluntati Dei, quod eſt hæreticum, contra illud Gen. 50. 19. *Num Dei poſſumus reſiſte-*

*reſiſtere voluntati*. *Roman.* 9. 19. *Voluntati enim ejus quis reſiſtet?* *Eſther.* 13. 9. *non eſt qui poſſit reſiſtere ſuæ voluntati*. *Sapientiæ* 7. 27. *Et cum ſit una, omnia poteſt*. Hæreticè igitur loquitur iſte, dum altercatur cum Dei voluntate, dicens ſe illi reſiſtere. Non eſt impotens Deus, ſed omnia ſunt ei poſſibilia, quæcumque enim volvit, fecit in Cælo, in Terra. *Pſal.* 113. *nu.* 3.

*Deus non habet mecum quid facere; Ideò ipſum relinquo in Angulo.* Blaſphemia eſt hæreticalis, quia adverſatur articulis de creatione,
77 & de providentia; Deus enim eſt Creator, & pater omnium hominum. *Geneſ.* 1. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam.* Deus Pater omnium eſt. *Eccleſ.* 23. 4. *Domine Pater, & Deus vitæ meæ ne derelinquas me.* In oratione Dominica quiſque vocat illum Patrem, quilibet ergo cum Deo partem habet tamquam ab eo creatus, nullus ergo eſt alienus à Deo, ſed cum eo eſt, tamquam creatum ſub Creatore. Providentiam à Deo tollit, qui eum relinquit, ac ſi eſſet otioſus in angulo domus, quaſi deſpectus, obſcurus, & ignorans quæ fiunt in loco ſecretiori; id enim ſignificat angulus interior domus. *Act.* 26. 26. *Latere eum nihil horum arbitror*. *Neque enim in angulo quicquam horum geſtum eſt.* Loquens Paulus ad Feſtum de ſua prædicatione facta non in abſcondito, ſed coram omnibus.

*Volo facere meam voluntatem, &*
78 *non tuam, quia ego Dominus*. Eſt hæreticalis blaſphemia contra dominium Dei, à quo ſe ſubtrahit, dum dicit eſſe Patronum, juxtà dicta hìc ſub *num.* 74. & contra illud *Joan.* 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Negat ergo dependentiam à Deo in ſuis operationibus. Et licet Deus hominem reliquerit in manu conſilii ſui. *Eccleſ.* 15. 14. dederit ſcilicet liberum arbitrium, in agendo tamen, & uſu illius adhuc dependet à Deo ſine illius læſione ut dicitur infrà *num.* 20. *Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcit omnem operam hominis*. Dum ergo ea profert verba, contendit, ſe omnino eſſe à Deo liberum, non ſubjectum, & poſſe agere ſuo arbitratu independenter à Deo.

79 *Ad deſpectũ Dei volo facere meam voluntatem*. Eſt hæreticalis, quia adverſatur divinæ voluntati, & omnipotentiæ, quaſi de impotentia arguatur, dixi plura caſu 17.

80 *Mane in tuo Angulo, quia ego in meo permanebo*. Eſt hæreticalis juxtà dicta ſub *num.* 77 ſe enim ſubtrahit à dominio, & ſubjectione Dei, quaſi non ſit ejus Creator, & dominus.

81 *Tu vis hoc ferrum manere in terra, & ego in ſuo pede*. Ceciderat caſu. Eſt hæreticalis, quia ſe opponit expreſſæ voluntati Dei, quam ſibi notam ſupponit, ex modo loquendi, contendendo ſe vincere, & ſuperare Dei voluntatem invitam. *Job.* 36. 26. *Vincens ſcientiam noſtram*. *Eccl.* 48. 13. *Potentia nemo vicit illum*, quæ licèt dicantur de Elia, intelliguntur tamen & à fortiori de Deo, qui in eo, & cum eo operabatur.

82 *Noli mihi frangere poſteriora*. Eſt hæreticalis, arguit enim Deum eſſe moleſtum, & injurioſum contrà ſic obloquentem; homo enim hæc iratus contrà alium ſolet dicere à quo moleſtatur, & perturbatur. Deus autem nemini eſt moleſtus, nec injurioſus. *Michæas* 6. 3. *Populo meus, quid feci tibi,*

*ei tibi, aut quid moleſtus fui tibi.*

83 *Ego ſum Dominus, & Deus eſt in cœlo*, eſt hæreticalis; arguit enim diviſionem imperii, & dominii; dum enim dicit: *Deus eſt in cœlo*, inſinuat nullum dominium habere in terra, ſicut ipſe illis verbis: *Ego ſum Dominus*. Contrà Pſal 23. 1. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo*. Non ſolùm eſt in Cœlo, ſed ubique, cum ſit immenſus in eſſentia, præſentia, & potentia, 3. Reg. 8.41. *Manus tua fortis, & brachium tuum extenſum ubique*. Sapientiæ 7. 24. *Attingit autem ubique propter ſuam munditiam*. De immenſitate Dei alias auctoritates refert Becan. cap. 6. q. 1. Videtur David hunc excludere à blaſph. dum in Pſal. 113. 16. dicit: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*. Homines ergò ſunt Patroni terræ; & ideò iſte dixit *ego ſum Dominus*, & Deus Dominus eſt Cœli, & idcircò ſubjunxit: *Deus eſt in cœlo* Reſpondetur tamen cum D. Gregorio lib. 4. moral. capit 17. *Quid eſt ergò cœlum cœli Domino, niſi æterna gloria juſto datur, terra autem filiis hominum*, ideſt, *Infernus peccatoribus deputatur*. Facit ergò iſte blaſphemus ſe Patronum Inferni ad pœnas ſuſtinendas.

84 *Ad deſpectum Dei volo, ut accendatur iſte ignis*, eſt hæreticalis, quia arguit impotentiam in Deo, qui tamen omnia poteſt juxtà dicta caſu 17. Deus enim impedire poteſt ne ignis comburat lignum, ut ſuſpendit ejus concurſum, ne pueri comburerentur in fornace Nabuchodonoſor Regis.

85 *Ad deſpectum mali Dei.* Duos poteſt habere ſenſus, unum hæreticum, referendo ad verum Deum, in quo caſu duplex eſt blaſphemia, una contrà omnipotentiam ejus ſignificatam per illud verbum, *ad deſpectum*, altera contrà ejus bonitatem expreſſam per illud verbum *mali*. Alter ſenſus eſt, quod per illud ultimum verbum adjectum excludatur ab hac blaſphemia verus Deus, ac proindè ſermo intelligitur directus ad falſum Deum, & tunc non eſt blaſphemia, quia nihil contrà Deum. Et ità eſt interpretanda intentio obloquentis, ut nolit offendere Deum, juxtà illud commune axioma, quòd verba dubia interpretanda ſunt in meliorem partem, & in favorem loquentis, juxtà quod dixi caſu 16. num. 4.

86 *Es ne tù major Principe, aut Deo?* Reſpondet cum eo altercans, *ſum major*. Teſtes in deponendo variant; nam unus deponit ſupradictam depoſitionem verborum. Alter deponit hæc *ſum major Deo*. Tertius dixit ſe audiſſe reſponſum unico verbo *Si* quod eſt affirmativum. Duo hìc quæruntur, an ea verba ex parte reſpondentis affirmativè ſint blaſphemia hæreticalis? & an ſit probata per dictos Teſtes?

87 Reſpondetur ad primum, eſſe blaſphemiam hæreticalem, quæ detrahit de omnipotentia Dei, dum aſſerit, ſe plus poſſe, quàm poſſit Deus; hoc enim ſignificant illa verba, quia ambo altercabantur circà neſcio quid faciendum.

88 Ad ſecundum paritèr dico, blaſphemiam per illas varias depo-

depoſitiones eſſe plenè probatam, quia ea verba referunt ſenſum reſponſionis, quæ fuit affirmativa totiùs ſignificati verborum interrogationis; reſpondere enim per ſignum affirmativum *Sic* idem eſt, ac reſpondere repetendo formalia verba interrogantis; reſponſio enim adæquatur interrogationi, non ſolùm quandò eſt conſenſiva, ſed etiam contradicens. Nec obſtat illa variatio, quæ eſt potiùs defectus verborum, quæ non ſunt neceſſaria ad probationem, quæ ſufficientèr habetur etiam per illud unicum verbum *Sic* affirmativum, quod ſubſtantialitèr, neceſſariò continet totum tenorem interrogationis, cui adæquatur reſponſio, quæ non eſt extranea ab interrogatione, dum ei cohæret.

# CASUS XXVI.

## De Blaſphemiis in Mariam Virginem.

1 CErtum eſt apud omnes, blaſphemias in glorioſam Virginem Mariam prolatas eſſe longè graviores, quàm in Sanctos projectas; injuria enim, & offenſa, qualis eſt blaſphemia, menſuratur in gravitate ſua à conditione perſonæ, cui injuria infertur, nam eò gravior eſt injuria, quò perſona injuriam patiens eſt præſtantior, & excellentior, *ex In-*
2 *ſtit. de Injuriis, & ex legib. & doctoribus allegatis per Riccium par. 4. deciſ. 275. nu. 8. Gloſ. V. in Epiſcopum cap. 32. de ſent. excom.* Manifeſtum autem, & de fide eſt credendum, Mariam cæteris hominibus, tùm in via, tùm in termino, & Sanctis etiam Apoſtolis eſſe præſtantiorem, digniorem, & excellentiorem ſuprà omnes electos, tùm Angelos, tum ſanctos homines, dicente S. Gregorio Papa *in lib. Reg.* Nam mons in vertice montium Maria non fieret, ſi ſuprà Angelorum altitudinem hanc divina fœcunditas non levaret. S. Anſelmus unico ſtringit verbo, quod diximus: O benedicta ſuper mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & Sanctos ſuperas pietate.

3 De Maria Virgine ſequentia habentur expreſſa in veteri Teſtamento. *Iſaia cap.* 11. Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. Nomine Virgæ venit Virgo Maria ſic nuncupata, quia in ea nullus fuit nodus peccati originalis, nec actualis; fuit de radice Jeſſe, quia hic genuit David Regem *Matth.* 1. 3. ex cujus ſemine eſt Maria. *Act.* 13. 23. Flos autem, qui de Maria radice aſcendit, ideſt; natus eſt, Chriſtus Dominus eſt, de quo dicitur in Canticis 21. Ego flos Campi. Audi S. Hieronymum ſuper dicta verba Iſaiæ. *Nos au-*
4 *tem virgam de radice Jeſſe S. Mariã Virginẽ intelligamus, quæ nullum habuit ſibi fruticem cohærentem* ideſt, nullum hominem ſibi cohærentem in generatione filii Dei, quem de Spiritu Sancto concepit; ſed cur hìc Maria vocatur Virga, & Jeſus flos, cum reverà non ſint Virga, nec flos? Ita per quandam ſimilitudinem vocantur, ad inſinuandum utriuſque generationem contigiſſe ſine ullo peccato originali, Mariæ quidem ex ſingulari privilegio, Chriſto autem ex natura. 7

5 Alter locus ſatis clarus de eadem habetur ab eodem Propheta Iſaia *Cap.* 7. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quæ eſt hæc Virgo? Maria, quæ virgo remanſit poſt partum, ſicut erat ante, ut mox patebit. Hæ duæ auctoritates ſufficiant pro noſtro inſtituto. 8

6 De eadem expreſſiùs teſtantur Evangeliſtæ, quorum primus eſt Matthæus, qui cap. 1. 18. Cum eſſet

eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph, antequàm convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. Hic habes tria. *Primò*, quòd contractum fuit Matrimonium inter Mariam, & Joſeph, quod ſemper manſit natura, non tamen aliquandò fuit conſummatum, ut inſinuant ea verba, *Antequàm* convenirent. *Secundò*, quòd concepit de Spiritu Sancto, ac proindè ſinè viri conjunctione, ſola Spiritus Sancti obumbratione. *Tertiò*, quòd Maria dicitur Mater ejus enim Chriſti, qui anteà nominatus fuerat ab Evangeliſta, ut dicitur etiam paulò infrà: *Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum, ipſe enim ſalvam faciet populum ſuum à peccatis eorum*. Vocatur autem Maria Mater Chriſti, ſeù Jeſu, hic, & infrà *cap.* 2. 11. *cap.* 13. 15. *Marci* 6. 3. *Nonnè hic eſt faber filius Mariæ. Lucæ* 1. 44. *Mater Domini, & cap.* 2. 34. *Dixit ad Mariam Matrem ejus. Act* 1. 14. *Maria Matre ejus.* Item *Joan.* 2. *à num.* 2. *ad* 5. terdicitur Mater.

7 De Maria autem intelligitur ea Prophetia Iſaiæ ſuperiùs regiſtrata, ut expreſsè dicit Matthæus *cap.* 1. *num.* 21. *Hoc autem totum factum eſt*; enim Conceptio Jeſus, & partus ejus per Mariam adhuc, & ſemper Virginem permanſuram, *ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Ecce virgo concipiet in utero, & pariet Filium. Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.*

8 Itaquè de fide habemus quatuor præ cæteris. *Primum*, quòd Maria à Joſeph non fuit cognita, ſed concepit de Spiritu Sancto, ac proindè ſemper virgo fuit antè partum, in partu, & poſt partum, ità quod nec à Joſepho, neque ab alio unquam cognita fuit. *Secundum* eſt, quòd dicitur Mater Jeſu, Mater Chriſti, Mater Dei, ut patet ex allatis auctoritatibus Evangeliſtarum. *Tertium* eſt, quòd verum fuit Matrimonium ratum, non conſumatum inter Mariam, & Joſeph. *Quartum* denique quòd nunquàm cognovit eam.

9 Primum de perpetua virginitate Mariæ, ut conſtat ex Evangelio confirmatum fuit ſub Martino I. in Concilio Lateranen. to. 3 conſ. Nicolini typis Venetis fol. 171. Can. 3. *Si quis ſecundùm Sanctos Patres non confitetur propriè, & ſecundùm veritatem, Dei genitricem Sanctam, ſemperque Virginem, & Immaculatam Mariam, utpotè ipſum Deum, Verbum ſpecialiter, & veracitèr, qui à Deo Patre antè omnia ſæcula natus eſt, in ultimis ſæculorum abſque ſemine concepiſſe ex Spiritu Sancto, & incorruptibilitèr eam genuiſſe, indiſſolubile permanente, & poſt partum ejuſdem Virginitate, condemnatus ſit.* Iſte fidei articulus continet definitionem Incarnationis Filii Dei ex Maria abſq; ſemine, & perpetuæ ejus virginitatis, ut patet legenti hunc Canonem.

10 Secundùm paritèr de Maternitate expreſſum in Evangelio confirmatũ fuit in Calcedonẽſi Concil. act. 5. ubi *S. Maria Theotocos eſt, qui non ſit ſapit hæreticus eſt*; Theotocos 1. Mater Dei to. 2. concil. fol. 273. Iterũ in Synodo Conſtantinopolitana act. 1. fol. 606. In to. 3. fol. 308. in 6. Synodo Conſtantinop. ibi: *Et Theotocon eam propriè, & veracitèr demonſtravit*. Gregorius Magnus Nazianzi Epiſcop. inquit: *Si quis Mariam Deiparem eſſe inficiatur, à Deo alienus ſit.* Relatus *tom.* 1. *concil. fol.* 1004.

11 Tertium clarè exprimitur ab Evangeliſta Matthæo illis verbis: *Cum eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph. Lucæ* 1. 27. *Ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph.* Iterùm *Matth.* 1. 20. *Joſeph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Et num. 24. dicitur. *Et ac-*
12 *cepit conjugem ſuam.* Poſtquam ſcilicet edoctus fuit, & certificatus, quòd conceperat de Spiritu Sancto. Quamvis verbum *Deſponſo* dicat promiſſionem futuri Matrimonii, ex allegatis à Paſſeratio, tamen ſecundùm Nicolaum Papam ad conſultum Bulgarorum relatum cap. Noſtrates 3. 30 q. 5. deſpondo ſignificat matrimonium, non ſponſalia illis verbis: *Poſt ſponſalia, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſſa, fœdera quoque conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur, & poſtquam Aris ſponſam ſibi Sponſus per digitum fidei annulo inſignitum deſponderit, dotemq; &c.* Illud ergò verbum *deſponderit*, non ſponſalia, ſed matrimonium indicat, ut clarum eſt ex tenore verborum; & deducitur etiam ex Sacra Scriptura, ubi illud verbum notat matrimonium.

13 Quartum denique de incognitione patet Matthæi 1. 18. *Antequàm convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto.* Sanctus Hieronymus ſuper hæc verba inquit: *Antequàm convenirent: non ſequitur poſteà, ut convenerint, ſed ſcriptura, quod factum non ſit, oſtendit.* Lucæ 3. 34. *Quoniam virum non cognoſco;* ideſt, meum maritum Joſeph non cognoſco, in præſenti, quod ſupponit pro præterito, & futuro tempore, ac proindè pro omni tempore, *non cognoſco;* ideſt, non cognovi, nec cognoſcam, quia habeo votum Virginitatis ſervandæ cum viro
14 meo. Idem Matthæus 1. nu. 25. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* D. Chriſoſtomus tom 2. homil. 5. explicat illud *Donec* his verbis: *Donec hic poſuit, non ut ſuſpiceris, vel quia poſteà aliquandò cognoverit, ſed ut diſcas, quod etiam antè partum intacta permanſerit. Cujus igitùr, inquies, rei gratia, donec, hìc poſitum eſt? Sæpè Scriptura Divina hac uti elocutione conſuevit, ut diſcendo*, donec, *non deffinitum tempus aliquod includat. Nam & cũ à Noe corvus ex Arca eſſet emiſſus, non eſt, inquit, reverſus, donec, exſiccaretur aqua, & certè non poſteà invenitur rediſſe. Ità etiam hoc loco,* donec, *poſuit, ut à ſuſpicione, illud, quod antè partum tempus fuit, abſolveret. Poſteà verò quod ſequitur, tibi jam æſtimandum reliquit.* Confirmatur, quia dictio *donec* ex allatis à Barboſa num. 7. ſumitur infinitè, ac proindè pro omni differentia temporis, conſequentèr Joſeph nec antè partum, nec poſt partum cognovit uxorem ſuam. 16
Dicit Evangeliſta, quòd Maria peperit filium ſuum primogenitum, nunquid poſtmodum alios peperit filios, quia ille dicitur primogenitus, ad quem alii ſe-
15 quuntur? Reſpondet incertus Auctor putatus idem Chriſoſtomus tom. ejus 2. Homil. 1. fol. 495. *De primogenito autem quod dico, uſus eſt Scripturis, non ſolùm illum primogenitum dicere, qui primus naſcitur, ſed etiam illum, qui ſolus natus eſt. Quandò dicebat Dominus ad Pharaonem:* Primogenitus meus Iſrael, *nunquid jam alium*

*Populum*

*Populum habebat*? S. Hieronymus ibidem, relatus cap. Joſeph 5. de verborum ſignificat. Primogenitum vocat eum, qui primò natus eſt. Et ità eſt, nam dicimus, quòd Deus eſt primum efficiens, primum principium, non relativè ad alia principia, ſed antecedentèr, quia antè Deum nullum eſt principium, ſicut Chriſtus dicitur primogenitus, quia antè eum nullus natus eſt ex Virgine, neque poſt. Veriùs ergò primogenitus vocatur ille, antè quem nullus eſt, ſivè deindè ſequatur alius, ſivè non. Confirmatur id *ex l. Qui duos* 10. *ff. de reb. dub.* 6. *ex duobus* 34. *ff. de vulgarib. & pupillar. ſubſtit.* in quibus locis is dicitur primus, ſeù proximus, quod idem eſt, quem nemò præcedit, etiamſi nullus ſequatur. Et ex his patet, quàm impiè oblocutus fuerit Elvidius hæreticus contrà Virginitatem Mariæ, cui plures adſcribebat filios ex Joſeph genitos, ex illo Matth. 12. 46. *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te*. Quæ repetuntur Marci 8. 23. Lucæ 8. 20.

16 Reſpondetur *primò*, nomine fratrum venire non ſolùm germanos, ſed etiam conſanguinitate conjunctos cap. Quædam lex 20. 35. qu. 3. Undè Geneſ. cap. 13. 8. *Fratres enim ſumus*: dixit Abraham ad Loth, & tamen Loth erat filius Aram, *Gen.* 11. 28. & Abraham filius Thare, *Gen.* 11. 27. Aram autem, & Abraham erant ambo fratres germani filii Thare, ut ibidem dicitur; Loth ergò erat nepos Abrahæ, quia filius ſui fratris. *Secundò* reſpondetur, ea verba dicta fuiſſe à quodam incerti nominis. *Tertiò*, demùm ſe explicare, dum reſpondet, omnes illos, qui faciunt ejus voluntatem, & legem ſervant, eſſe ejus fratres, ſcilicèt ſpirituales, non carnales, quorum nullos habebat germanos.

17 Difficultas remanet, an inter Joſeph, & Mariam fuerit verum matrimonium, ea ratione, quia non poſſe conſiſtere videtur ſinè intentione prolis, quæ ejus eſt principalis finis, ut docent omnes Theologi in 4. diſt. 27. undè matrimonium conſiſtit in mutuo conſenſu ſponſi, & ſponſæ, cum obligatione mutui uſus corporum pro generatione. Maria autem non potuit per conſenſum ſuum ſe obligare ad generationem, quia habebat votum conſervandæ
18 Virginitatis *ex D. Aug. cap. Beata* 3. 27. *q.* 2. ergò nullum fuit matrimonium, vel ſi fuit, Maria fuit rea peccati mortalis, quia ut ait D. Hieronymus relatus *cap. Voventibus* 2. 17. *q.* 2. *Voventibus Virginitatem non ſolùm nubere, ſed etiam velle, damnabile eſt*. Certum autem eſt apud omnes Catholicos, quòd Maria nunquàm peccavit nec venialitèr, ut tenet Eccleſia, teſte Tridentino ſeſſ. 6. can. 23. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit, ampliùs peccare non poſſe, neque gratiam amittere, aut poſſe in tota vita ſua peccata omnia etiam venialia evitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodùm de B. Virgine, tenet Eccleſia, anathema ſit*. Et eſſe de fide, non tamen in hoc Canone directè definitum, tradit *Suarez tom.* 2. *de Incarnat. diſp.* 4. *ſect.* 4. Ratio eſt, quia fuit concepta ſinè peccato originali cum infuſione plenitudinis gratiæ inamiſſibilis, quæ illam ab omnibus peccatis etiam

actua-

actualibus præſervavit ex ſpeciali Dei privilegio.

19 Reſpondet D. Auguſtinus relatus præcitato cap. Beata 3. 27. q. 2. his verbis : *Beata Maria propoſuit ſe ſervaturam votum Virginitatis in corde, ſed ipſum votum Virginitatis non expreſſit ore. Subjecit ſe divinæ diſpoſitioni, dum propoſuit ſe perſeveraturam Virginem, niſi Deus aliter ei revelaret. Committens ergò Virginitatem ſuam divinæ diſpoſitioni, conſenſit in carnalem copulam, non illam appetendo, ſed divinæ inſpirationi in utroque obediendo. Poſteà verò filium genuit, & quod corde conceperat, cum viro labiis expreſſit, & uterque in Virginitate permanſit.* Ambo igitùr conſenſerunt in matrimonium cum mutua poteſtate corporum in ordine ad prolem, juxtà divinam diſpoſitionem, quæ fuit, ne unquam copularentur ad invicem, ſed votum Virginitatis ambo ſervarent, ut re ipſa fecerunt.

20 Patet ex his matrimonium ratum eſſe, & perfectum ſinè copula, & coitu, cum ſinè his verum fuerit, & legitimum matrimonium inter Joſephum, & Mariam, ità de fide tenendum, nam & hoc firmatur jure tùm civili, tùm Canonico, dicitur ſiquidem Reg. 31. ff. de Regul. jur. *Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit.* cap. 1. & 4. 27. q. 2. Joannes Chriſoſtomus ibi relatus, ait; *Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas*; His tanquàm certis, & de fide tenendis, referendæ ſunt blaſphemiæ hæreticales, quas impii homines vibrant contrà Sacratiſſimam Virginem omni laude digniſſimam.

21 Contrà primum articulum de ejus perpetua Virginitate blaſphemiæ hæreticales ſunt omnia verba in Beatam Virginem injurioſa, quæ ex ſua ſignificatione arguunt copulam, & adverſantur ejus Puritati, & Virginitati. Et hujus generis verba, quæ ex ſua ſignificatione arguunt copulam, adverſantur ejus Puritati, & Virginitati. De verbo *Meretrix Directorium par. 2. q. 41. num. 2. Flo. ron. caſu 3. num. 17. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 19. num. 6.*

22 De verbo Meretrix, *Carena part. 2. tit. 7. num. 43. Bonac. p. 2. num. 6. Mazuchel. diſp. 2. cap. 18. num. 32. Floron. caſu 3. num. 3. & §. 2. num. 6. Salelles Reg. 139. numer. 107.*

23 Nominans Virginis pudenda, non dicitur hæreticè blaſphemare, quia nulli ex prædictis propoſitionibus eorum oblocutio adverſatur, ſed tantùm ſimplicitèr, quia eas partes, ut altera homo habet, ſed nullatenùs nominanda, quæ non niſi cum rubore, & irriſione dici poſſunt, ideò ea dicens peccat mortalitèr. De Verbo Vulva, *Graff par. 1. lib. 2. cap. 19 num. 5. Floron. caſu 3. §. 1. num. 7. Mazuchel. diſp. 2. cap. 16. num. 23. Decianus lib. 6. cap. 2. num. 11. & Albertinus qu. 6. num. 21.* vocant hæreticales, cum aliis Legiſtis, ſed reverà non ſunt, cum nulli propoſitioni de fide adverſentur, niſi ſimilia verba talitèr proferantur, quòd arguant immunditiam, & abuſum hujus membri contrà virginitatem.

24 *Ad deſpectum* reſpectu Virginis non eſt hæreticalis, quia nulli de fide de Beata Maria Virgine propoſitioni adverſatur; neque enim illa eſt omnipotens, ſicut filius ejus. De hoc verbo *Lazar. q. 3. de blaſph.*

*de blaſphem. num.* 38. & 41. *Bonac. num.* 6. *p.* 2. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 33. *Dixi caſu* 17. 31. *Decianus lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 5. facit hanc blaſphemiam hæreticalem, quia cenſetur ac ſi eſſet prolata in Deum. Sed non eſt ità, quia blaſphemia directè irrogat Sanctis Dei proprium honorem, nam opponitur hyperduliæ debitæ Virgini. Præterquamquòd attendenda eſt formalitas verborum, quæ immediatè poſſunt tendere in dedecus unius, & non alterius.

25 *Abnego Virginem*, puto eſſe hæreticam, quia dum negatur exiſtentia Virginis, tolluntur è medio ſupradictæ quatuor propoſitiones de fide, quæ fundantur in exiſtentia Mariæ; ſublato enim fundamento ruit totum ædificium, cap. Cum Paulus 26. 1. qu. 1. *Dixi etiam ſub caſu* 22. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 11. & 36. Exemplificat in renegante puritatem Virginis, de ejus exiſtentia nihil dicit, ut faciunt *Direct. p.* 2. *q.* 41. *Royas par.* 2. *Aſſert.* 12. *nu.* 170. *Suar. tom.* 1. *de Relig. cap.* 5. *de blaſphemia, cum illis Salleles Reg.* 139. *n.* 73. exemplificantes in negante puritatem Virginis, nihil denegante exiſtentiam, qui tamen à nobis non diſcrepant; dum enim faciunt verbum hæreticum, modum eſſendi Virginis negantes, à fortiori hæreticè blaſphemant, qui abnegant ejus eſſe ſimplicitèr.

26 Dicentes *Mariazzam* ſunt blaſphemi ſimplicitèr; ſimile enim verbum indicat contemptum contrà Virginem, de quo dixi *ſub caſu* 24. *numer.* 9. *lege ibi.*

27 Obloquentes *Corpus, aut Sanguis &c.* dicuntur blaſphemi aliquo modo, quia inhonorant Virginem, quæ ſumma laude digna eſt, vel jurantes ſinè judicio, & ex ira, non tamen ſunt ſuſpecti de hæreſi, quia verba hæc non ſapiunt hæreſim, cum nulli propoſitioni de fide contrarientur. *Ità Lazar. qu.* 7. *num.* 65. *Decian. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 2.

28 *Si vellet Virgo, tu mihi redderes id, quod mihi furatus fuiſti.* Si agatur de juſta reſtitutione, non eſt mala locutio, ſed bona, cum Virginis coadjuvatio reſpiciat actum juſtitiæ. Si verò agatur de actu injuſto, eſt propoſitio blaſphema contrà articulum de ejus inamiſſibili gratia, & ſanctitate, & alium, quod ex ſpeciali Dei privilegio nunquàm peccavit, nec venialitèr, quod de fide credendum diximus ſuprà num. 18. Hoc exemplum *ex Corneo vol.* 1. *conſil.* 181. *refert Decianus lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 6.

29 Difficultas eſt, an Beata Maria veniat ſub vocabulis iſtis. *Virgo, Domina, Domna, Noſtra Fœmina, di Ma &c.*

℟. Venire ex uſu vocabulorum ſignificantium Mariam, non ſolùm apud vulgares perſonas, ſed etiam apud Doctores, nam dicitur *Virgo* tàm qualificativè, quàm ſubſtantivè; undè in Lytaniis dicitur *Virgo virginum*; ipſa enim eſt origo, & fons Virginitatis deſcendens in alias Virgines, quæ ab ea accipiunt candorem puritatis. Subſtantivè etiam ſumitur in illis verbis: *Sancta, & Immaculata virginitas*, ideſt Maria, *quibus te laudibus efferam neſcio*, meritò igitùr cum audis hoc vocabulum, ſonat in auribus tuis nomen Mariæ, & non alterius Virginis, cum propter ejus excellentiam antonomaſticè nuncupetur Virgo.

Nuncu-

Nuncupatur *Madonna*, ideſt, Mater omnium, ſicut Eva fuit mater omnium viventium, ità Maria fuit *Madonna*, & Mater ſecundùm regenerationem omnium creaturarum redemptarum. *Madonna*, ideſt, major inter omnes fœminas. Ex quo etiam nuncupatur *noſtra Donna*; quia nobis donavit filium ſuum, cujus paſſione, & morte redempti ſumus. Denique appellatur *Signora*, ideſt, Domina; ipſa enim eſt Domina omnium gentium, quarum redemptioni cooperata eſt cum filio ſuo, ac proindè omnium Domina nuncupatur, nam ut ait Iſidorus Archiepiſcopus Theſſalon. orat. 2. num. 7. Maria, *Domina conſtituta eſt ſuper omnia, quæ poſſidet Deus*. Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus orat. 1. ſub num. 9. *Sede Domina; decet enim te Reginam, & ſuper omnia mundi regna glorioſam in tali ſedere gradu*. Loquitur de gradu altaris, in cujus templo præſentata fuerat. Hæc ergò nomina ſimplicitèr prolata, intelligenda ſunt de Maria Matre Dei, ſivè ſint prolata in ejus laudem, ſivè in blaſphemiam, quia inter Virgines, inter Matres, inter Dominas ipſa eſt principale analogatum, cui primò, & formalitèr competunt ea prædicata, aliis verò ſecundariò, & dependentèr ab ea. Confirmatur, quia verba ſimplicitèr prolata in potiori, & potentiori ſignificatione intelliguntur, Inſtit. de Juſt. §. ſed juſ. Qui ergò blaſphemant dicentes, *Meretrix Mariæ*, *Domina*, *Domna*, *Virginis*, *aut Matris*, *&c.* cenſendi ſunt blaſphemare Mariam Matrem Dei, quia hæ voces primò, & principalitèr referuntur ex vi ſuæ ſignificationis, & ex uſu hominum ad Mariam Deiparam. *Ità Plotus de Blaſphem. num.* 13. *de verbo*, noſtra Donna, *ex eo Lazar. q.* 7. *num.* 51. *Decian. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 2. *de verbo* Virginis. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 32. *Iterùm Lazar. q.* 3. *num.* 38. *de verbis* Vergine, Noſtra Donna, Madonna, Signora. *Floronus caſu* 3. *num.* 6. §. 2. *Carena par.* 2. *tit.* 7. *n.* 43. *Verſ. Sextò*, *Belloch. de caſib. reſerv. part.* 2. *q.* 12. *num.* 6. *& ſeq. Vide quæ dixi ſub caſu* 23. *num.* 6. *Bonac. par.* 2. *num.* 6.

30 Qui diceret *Meretrix ma*, ſe reddit ſuſpectum de hæreſi, quia illud verbum refertur ad Mariam ſemiplenè prolatum, ad occultandam blaſphemiam, ut dixi caſu 18. ſunt enim hujuſmodi verba captioſa. Non verò blaſphemus eſt dicens, *Meretrix mei*, quia non habet verbum hoc, *mei*, ſimilitudinem, & analogiam cum Maria, ſicut illud *ma*.

31 Obloquentes de Conceptione Virginis Mariæ ex Joachim, & Anna, hoc aſſerentes erroneam, vel hæreticam opinionem de maculata Conceptione, vel ſententiam de ejuſdem Immaculata Conceptione, tamquàm blaſphemi, & excommunicati excommunicatione reſervata puniuntur ab Inquiſitoribus. Pro qua re vide *Extravag.* 2. *de Relig. & Vener. Sanct. quæ eſt Sixti V. Bullam Pii V.* 114. *Pauli Quinti* 97. *Gregorii Decimi* 29. *in B. N. Quas etiam extendit Diana part.* 4. *à fol.* 278.

32 Dicens *Vulpis petit Lauretum*, an injuria afficiat Mariam Virginem, vel ejus Sanctam Domum. Nam ejus verbum *Lauretum*

*tum* refertur ad dictam domum, quæ in eo loco honoratur, & veneratur. Ea autem verba videntur inſinuare, eum locum non eſſe Sanctum, nec veneratione dignum, dum ad eum dicuntur vulpes accedere, aut illuc non pergere niſi viros callidos, & malitioſos, aut deceptores, imò ſolùm hæreticos, qui à Sanctis Patribus vocantur vulpes; ergò ea verba inſinuant, illum locum non eſſe Sanctum, nec dignum veneratione.

Sed reverà interprætari poteſt in alium ſenſum non præjudicantem loco Sancto, nimirùm, talem hominem, de quo ea verba fuerunt prolata, ire ad Lauretum potiùs ambitionis cauſa, aut alio fine malo, quàm ex devotione, ac proindè decipere homines, ſicut faciunt vulpes, cujus proprium eſt decipere.

# CASUS XXVII.

## De Blaſphemiis contrà Sanctos.

1 QUatuor modis ſpectari poteſt blaſphemia prolata contrà Sanctos. *Primò*, cum intentione formali injuriandi non ſolùm Sanctos, ſed etiam Deum. In quo ſenſu, ſi verba de ſe inferant blaſphemiam hæreticalem in Deum, ac ſi ipſe fuiſſet expreſsè nominatus, eundem hæreticum ſenſum conſtituunt pronuntiata in Sanctos, eò quòd non mutant proprium ſenſum hæreticum, cum ſpecificentur ab ipſa intentione blaſphe-
2 mandi Deum hæreticè. *Secundò*, cum intentione, & cogitatione relationis, & habitudinis ad Deũ, cum quo Sancti habent amicitiam, & à quo excellentiam ſanctitatis, & gloriæ recognoſcunt inamiſſibilitèr, in eis permanſuræ ſinè timore illius perdendæ. Quo in modo non videtur blaſphemia differre à priori modo in re, cum intentio blaſphemantis ſemper ad Deum referatur, ſed tantùm ex quadam formalitate relationis conceptæ in hoc poſteriori modo, non verò in primo, in quo intentio refertur abſolutè in Deum expreſſum in Sancto blaſphemato. Ac proindè ſequitur, blaſphemiam eſſe hæreticalem prolatam in Sanctum, ac ſi Deus exprimeretur non ſolùm intentionalitèr, ſed etiam verbalitèr, quia in re facit eundem ſenſum, ac ſi in ea Deus verbalitèr exprimeretur.

Itaque blaſphemia utroque modo intentione ſivè abſoluta, ſivè re-
3 lativa prolata, ſapit hæreſim. Confirmatur id ex illo communi axiomate: Correlativa non judicantur ad imparia, & eorum idem eſt judicium, ità quòd diſpoſitum in uno, locum habet in altero; ex Juribus, & Doctoribus citatis à Simone Vaz *de locis commun. lit. C num.* 76. ergò ſi blaſphemia eſt hæretica prolata expreſsè contrà Deum, talis quoque cenſenda eſt pronuntiata contrà Sanctos ex ea intentione, ac ſi Deus verbalitèr nominaretur, & facit aliud axioma: Eadem eſt virtus taciti, & expreſſi, nam Deus prædictis duobus dicitur tacitè comprehendi in ea blaſphemia materialitèr accepta, imò & expreſsè habita ratione ad intentionem, quæ ſemper, & formalitèr refertur in Deum.

4 Tertiò, blaſphemantur cum intentione implicita, & interpræ-tativa blaſphemandi Deum, dum Sancti maledicuntur, prout in eis relucet ſpeciali modo Deus; ſicut enim Deus laudatur in Sãctis ſuis, *ex Pſal.* 150. 1. Ità intelligitur maledici in eiſdem, dum blaſphemantur. *Vide Suarez tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 5. *de blaſph.* ubi rem hanc fusè tractat.

5 Quartò, Sancti cenſentur, præſcindendo à dictis intentionibus, blaſphemari in ſe ipſis ſinè ullo ordine ad Deum, quia propriam habent excellentiam, per quam

ſicut

ſicut digni ſunt cultu, qui vocatur Dulia, ità blaſphemia inhonorantur, quod eſt vitium oppoſitum Duliæ. Quòd autem Sancti ratione ſuæ ſanctitatis ſint digni honore, & laude, probavi ſub
6 caſu 1. num. 6. Confirmatur id, quia homo viator dignus eſt laude humana, & honore ſæculi, juxtà illud Pauli ad Rom. 12. 10. *Honore invicem prævenientes*. A fortiori, qui jam eſt in termino, & à Deo ſpecialitèr honoratus titulo Beatitudinis, & Sanctitatis.

7 Supradicti quatuor modi differunt in eo, quòd primo, & ſecundo modis rarò, & ferè nunquàm contingit blaſphemia, nam homo, qui ex indignatione, & ira ſolet blaſphemare, non provocatur ad illam animo, & cogitatione formali, & expreſſa injuriandi præcisè Deum, aut Sanctos, ſed movetur, ut ſuam expleat iracundiam prolatione blaſphemiarum. *Ità Suar. cap. 5. de Blaſphem. num. 6. Sanch. lib. 2. cap. 32. num. 2.*

Tertius blaſphemandi modus ex ea intentione interprætativa nihil addit ſpeciale, ideò non conſideratur ut quid ſpeciale, ut præcitati duo modi, qui explicandi ſunt in confeſſione facta coram utroque Judice; ſuperaddit enim ſpecialem malitiam contrà Divinum honorem, licèt tunc Deus non nominetur in ſe ipſo, ſed tantùm in Sanctis, in quibus ex illa formali cogitatione, & intentione dicitur Deus blaſphemari in Sanctis, quia non verbum, per quod tantùm cognoſcitur blaſphemia, facit blaſphemiam, ſed rea voluntas ſpecificat verbum maledictionis.

8 Reſtat igitùr quartus blaſphemandi modus, per quem obloquens, ut expleat paſſionem iracundiæ, & ſuæ indignationis, blaſphemat, nihil aliud cogitando niſi prolationem verborum, quæ ex indignatione pronuntiat. Et hac ratione homo ſolet prorumpere in verba blaſphemiæ, nihil cogitando de injuria, quæ fit Sanctis, & Deo in illis. Et ſi interrogaretur, an blaſphemaſſet Sanctum tantùm, an etiam Deum? Reſponderet, blaſphemavi tantùm illum, quem nominavi. Igitùr videtur eſſe certum, quòd homo blaſphemans Sanctum, non injuriat niſi Sanctum, niſi formalitèr, & expreſsè intendat etiam Deum contemnere, & inhonorare, juxtà ſuperiùs dicta. Non poteſt autem ſe legitimè excuſare, dicendo per verba, quæ ſonant in blaſphemiam, non habuiſſe intentionem blaſphemandi, quia ſic aſſerenti in neutro foro
9 eſt credendum, *tùm quia* injuria committitur verbo, facto, ſcriptura, & aliis modis, Inſtit. de
10 injur. §. Injuria, *tùm quia* verba ex ſui natura injurioſa, non ſolùm præſumuntur prolata animo injuriandi, imò talia ſunt ex ſe, niſi probetur contrarium, *l. ſi non 5. C. de injur.* Probatio autem hìc non videtur habere locum, præſertim in foro externo, cum præſumptio ſit contrà illum, qui blaſphemat verbis claris, quæ alitèr interprætari non poſſunt, niſi ſecundùm eorum proprium ſenſum. Et quamvis indeliberatio, & mentis alienatio excuſent, ut ſuo loco dicam, tamen non adeò
11 facilè ea duo probantur, *tùm quia* intentio eſt actus immanens voluntatis omninò ab animo pen-

pendens, ut de ſe ſit improbabilis, & inter cordis ſecreta numeretur, quarum ſolus Deus eſt ſcrutator,
12 *Maſcard. concl.* 93. *num.* 1. & licèt animus alicujus juramento probari poſſit, ex allegatis ab eodem num. 5. tamen in caſu præſenti juramentum non poteſt habere locum, quia illud intelligitur, quandò non extat præſumptio juris contrà ipſum; tunc enim admittitur probatio per juramentum, non autem quandò extat præſumptio juris contrà ipſum
13 ex eodem *Maſcardo nu.* 28. Conſtat autem proferentem blaſphemias habere contrà ſe præſumptionem juris, quod reverà, & formalitèr blaſphemaverit, nam animus ex qualitate facti præſumitur, & probatur, idem *Maſcard. concl.* 95. *nu.* 1. Undè ad rem noſtram inquit. Job. 12. 11. *Nonnè auris verba diudicat.* & cap. 34. 3. dicitur: *Auris verba probat.* Verba autem ſunt blaſphema, & injurioſa; ergò non niſi talia cenſenda ſunt, quia nomina inventa ſunt, ut demonſtrent voluntatem
14 dicentis, *l. labeo ff. de ſuppellect. leg. l. Paulus ff. Rem ratam habere, Giurba conſil.* 51. *num.* 24. Facienda eſt ergò vis in verbis, ut dixit *Gloſ. v. Non dixit, cap. ità ergò* 5. 22. *q.* 1. Et ſtandum illorum proprio ſenſui, & nihil curandum de animo in contrarium aſſerto, cum nulli ſit credendum in ſui favorem, dum ipſamet ſe facit teſtem ſui dicti.

15 Cum autem inſtitutum noſtrum eo tendat, ut blaſphemias hæreticales à non hæreticalibus diſcernere ſciamus, præſupponendum eſt pro Sanctis, de fide tenendum eſſe, illorum Canonizationem, ac proindè blaſphemias, quæ Sanctos inhonorant in ordine ad eorum Sanctitatem, cenſendas eſſe hæreticales, quia opponuntur propoſitioni de fide,
16 quæ ità explicatur. Pontifex Romanus in Canonizatione Sanctorum errare non poteſt; Ex qua ſequuntur aliæ propoſitiones Catholicæ, & de fide, nimirùm *Primò*, quod Sancti perſtiterunt in hac vita; ergò negari non poteſt eorum exiſtentia, tàm in via, quàm in termino. *Secundò* quòd ſunt verè, & ſine ullo dubio Sancti; & amici Dei. *Tertiò*, quòd cum ipſo Deo ſunt glorioſi gloria, & beatitudine perpetua, & inamiſſibili. *Quartò*, quòd non poſſunt amplius peccare. *Quintò*, quòd nullam patiuntur corporis, aut Animæ afflictionem, ſed ſemper exultant in gloria. *Sextò*, quòd ſemper vident Deum, & gloriam ejus. Et alia hujus generis. Qui ergò negat unum ex prædictis, Sanctis maledicit, & adverſatur 19
propoſitioni de fide, ac proindè cenſetur blaſphemus hæreticalis.

Singula autem ex prædictis eſſe de fide probanda ſunt, quærunt argumenta, quibus probabimus, quænam blaſphemiæ ſint judicandæ hæreticales, & quæ non Papa errare non *poteſt in Canonizatione Sanctorum. Hæc eſt de fi-*
17 *de.* Primum probatur ex illo *Lucæ* 22. 32. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua Chriſtus Patrem rogavit, ut non deficeret fides Petri, & ejus ſucceſ-
18 ſorum; nam omnes Pontifices Romani veniunt ſub nomine Petri, cui ſuccedunt, ut dixit ex Cathedra Innocentius Papa relatus cap. 0
Quoties 12. 24. *q.* 1. *Quoties fidei*

*ratio*

*ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & bonoris auctorem referre debere, veluti namque retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit Eccleſiis omnibus in commune prodeſſe.* Nulli dubium eſt, Chriſtum Dominum 21
fuiſſe exauditum, ac proindè, nullum Pontificem Romanum deficere in fide, maximè in Canonizatione Sanctorum; hæc enim eſt cauſa maximi momenti quæ reſpicit communem utilitatem Eccleſiæ per totum mundum; nam declarati ſancti, per univerſum orbem venerandi, & colendi ſunt; fides ergò cujuslibet Pontificis Romani, eſt ipſamet fides Petri indefectibilis, ergò errare non poteſt, fide ſtabili impediente errorem, dum per illam illuminatur, agente Spiritu Sancto immediatè movet intellectum, & linguam Pontificis, etiam ipſo ignorante hunc motum id te-
19 ſtante Joan. 3 8. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, ſed neſcis, undè veniat, aut quo vadat.* ad declarandum aliquem Dei ſervum Sanctum. *Vocem ejus audis*, ideſt, immittit tibi inſpirationem ad agendum ſinè aliquo dubio. *Sed neſcis*, ideſt, ignoras motionem, quia ſibi ſenſibiliter non declaratur voce articulata. *Confirmatur*, quia omnes Catholici aſſerunt unanimiter Papam errare non poſſe in jis, quæ ſpectant ad mores univerſæ Eccleſiæ. Contelorus, qui *cap.* 10 *à num.* 6. *& ſeq. num.* 10. infinitos numerat auctores in terminis noſtris. Cer-
20 tum autem eſt materiam Canonizationis recenſeri inter mores univerſæ Eccleſiæ, dum Sancti per univerſum orbem venerandi ſunt. Et præterea cauſa hujuſmodi eſt cauſa fidei, quia Sancti proponuntur adorandi à nobis, ut ſunt exemplar fidei Catholicæ, quam in hoc mundo ſuis bonis operibus profeſſi ſunt, & proteſtati plures ſancti martyres.

Secundum, quòd de fide ſit, Papam non poſſe errare in Canonizatione Sanctorum probatur auctoritate *Joannis de Neapoli quol.* 12. *Valent.* 2. 2. *diſp.* 1 *par.* 7. *q* 6. §. 40. *Verſ. Itaque. Caſtropal. tract.* 4. *diſp.* 1. *par.* 5. §. 4. *ex illis Vericell. tract.* 8. *q.* 24. *num.* 3. *Anfoſius de Sacris reliq.* §. 24. *num.* 5. ubi id multis perſuadet *Bellarm. lib* 1. *de Sanct. Beatit. cap.* 9. dicit ſuper hac re duas eſſe ſententias, unam hæreticorum aſſerentium Papam errare poſſe in Canonizatione Sanctorum, alteram Catholicorum negativam. Ergò cum Catholicis tenendum eſt, ac proindè id eſſe de fide, ne cultus Sanctorum tamquam dubius habeatur, qui debet eſſe certus. *Vide caſum* 22. *num.* 5.

22 Quòd ex Canonizatione ſequantur illæ ſex propoſitiones de fide, probatur ex deffinitione gloriæ Cęleſtis, quæ illis ineſſe probatur, ex quo declarati ſunt Sancti juxta illud Pſalmi 149. 9. *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus.* Paulus ad *Rom.* 2. 10. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.* Sapient. 18. 1. *Sanctis tuis maxima erit lux.* Conſtat ergò de fide, Sanctis in eſſe gloriam Dei, de quorum beatitudine Chriſtus Matth. 5. 8. teſtatur *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

23 Gloria autem Sanctorum, ſeù beatitudo eorum eſt clara Dei viſio, continua, & perennis, perpetua, atque æterna, incorruptibi-

lis, &

lis, & inamiſſibilis ab eis, qui facti ſunt impeccabiles, nullam patientes animæ, aut corporis paſſionem, aut afflictionem. Singula hic expreſſa de fide probantur eſſe, quia in terminis regiſtrantur in Sacra Scriptura.

24 Primum de clara Dei viſione exprimitur in multis locis Iſaiæ 29. 11. *Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati*. Paulus 1. ad Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in Enigmate, tunc autem facie ad faciem*. Joan. 1. cap. 3. 2. *Scimus quoniam cum apparverit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Sancti ergò in Cœlis Deum vident intuitivè per oculum mentis eorum.

25 Secundum, quòd eorum viſio ſit continua, non interrupta, nec interpollata, habetur ex Pſal. 24. 15. *Oculi mei ſemper ad Dominum*. 1. ad Theſſal. 4. 16. *Sic ſemper cum Domino erimus*. Videntes ſcilicèt eum; inquit enim Joan. 17. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem mitit Jeſum Chriſtum*. Vita igitùr æterna Sanctorum eſt perpetuò cognoſcere, & videre Deum, & Jeſum Chriſtum ejus
26 filium nobis miſſum. Et patet id clariùs de Angelis, cum quibus Sancti parem habent viſionis perrennitatem Matth. 18. 10. *Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt*. Juſti enim comparantur Angelis. *Marci* 12. 25. *Clarius Lucæ* 20. 36. Equales omninò Angelis ſunt. *S. Aug. lib. 9. de Geneſi ad literam cap. 9.*

27 Tertium, quòd eorum viſio, gloria, & beatitudo ſit æterna, conſtat ex Matth. 19. 29. *Et vitam æternam poſſidebit*. Item cap. 25. 46. *Ibunt juſti in vitam æternam*. Sapient. 5. 16. *Juſti autem in perpetuum vivent*. De hac perpetuitate plenæ ſunt Sacræ Scripturæ.

28 Quartum, quòd gloria Sanctorum ſit incorruptibilis, & imperdibilis, habetur ex Epiſt. 1. Petri 1. 4. *In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem conſervatam in Cœlis, in vobis*. 1. Corinth. 15. 53. *Oportet incorruptibile induere incoruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Loquitur Apoſtolus de reſurrectione corporum in die univerſalis judicii, quæ cum animabus Sanctorum conjungentur ad fruendum æternam beatitudinem in illis in Cœlo. Ezechiel. 36. 15. *Et gentem tuam non amittes ampliùs*. Joan. 6. 39. *Omne quod dedit mihi non perdam ex eo*. Joan. 10. 25. *Ego vitam æternam dò eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quiſquam de manu mea*.

Non poteſt ergò à Beato pendi gloria, quia in eo continua eſt, & æterna excludens omne malum, & ſpem perdendi eam, *D. Thom. 1. 2. q. 5. art. 4.*

29 Quintum, quòd Sanctus in gloria ſit factus impeccabilis, patet ex Epiſt. 1. Joan. 3. 6. *Omnis, qui in eo manet, non peccat*. Certum autem eſt, Sanctos in eo manere, ut dicitur ibidē antecedentèr ad hæc verba. In Apocal. 21. 27. *Non introibit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium*. Paulus 1. Corinth. 6. 9. *An neſcitis, quoniam iniqui regnum Dei non poſſidebunt*. Nullus ergò intrat in Regnum Cœlorum, qui non ſit Sanctus, ideſt, mundus, & purus ab omni ſcelere,

in qua

in qua ſanctitate, & puritate de neceſſitate conſervatur, quia ex quo neceſſariò Deum continuò videt uti ſumum bonum dicitur ſervus Dei factus impotens ad peccandum, ſuper qua re vide D. Thomam *par.* 1. *q.* 62. *art.* 8. & *q.* 82. *art.* 2. & 1. 2. *q.* 4. *art.* 4.

30 Sextum, quòd ibi nullum patiantur malum corporis, aut Animæ, habes ex Iſaia 58. 11. *Et requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cujus non deficiente aquæ.* Clariùs in Apocal. 21. 4. *Et abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abjerunt.* Beatitudo ergò, quæ conſiſtit in viſione Dei excludit à Beato omne malum tàm culpæ, quàm pœnæ, à quibus Sanctus quilibet omninò eſt immunis, etiam ratione id conſtat, quia ſecundùm Boetium, & veritatem, beatitudo eſt Congregatio omnium bonorum, ſeù perfectus ſtatus omnium bonorum; ergò excludit omne malum, cum ſint ad invicem contraria.

31 Eſt hæreſis nonnullorum aſſerentium, nullam animam antè diem judicii eſſe beatam, ſed ſolùm poſt illum diem extremum incipere videre Deum. Contrà quam eſt illud Chriſti, qui dum pendebat in Cruce Latroni promiſit beatitudinem conſequendam eodem die, illis verbis: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, & tamen non erat dies judicii. Cur deſcendit ad inferos, niſi ut animas juſtorum ſecum duceret in Paradiſum? Hoc Joannes in Apocal. cap. 7. 9. teſtatur his verbis: *Poſthæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemò poterat ex omnibus gentibus, ſtantes antè thronum, & in conſpectu agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Turba magna ſunt Sancti Dei, coram quo ſtant amicti ſtolis albis, ideſt, gloria cœleſti exultantes cum Deo in regno Cœlorum. Eccleſia in oratione S. Gregorii Papæ, idem profertur his verbis: *Deus, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contuliſti.* Et ità de fide credendum definivit Eugenius IV. in ſua 17. incip. *Lætentur Cœli*, in Bullar. novo. Et antè ipſum Benedictus XII. in ſua Bulla 4. ibidem, incip. *Benedictus Deus*, idem latiùs definierat cum omnibus à nobis ſupradictis de gloria Sanctorum, quæ in eis eſt continua, perpetua, & inamiſſibilis. *Vide Bellarm. lib.* 1. *de Sanctis cap.* 2. *ad* 8. rem hanc latè probat, ſufficit nobis definitio dictorum Pontificum, abſque alia probatione.

32 Notavi ſub caſu 11. num. 5. Sanctum ſpectari ſub duplici ſtatu, nimirùm viæ, & termini. In ſtatu viæ dicitur eſſe ille Dei ſervus, dum in hoc mundo vivit, à quo per mortem in Chriſto Jeſu tranſit ad ſtatum termini, in quo non poteſt ampliùs mœreri, vel demœreri, ſivè fit in Purgatorio, ſivè in Paradiſum immediatè traſvolet; mors ergò dividit unum ſtatum ab alio. Qui maledicit ſervo Dei pro eo tempore, quo vixit in hoc mundo, narrando ejus defectus naturales, vel vitioſos, non peccat peccato blaſphemiæ hæreticalis, quia nihil dicit contrà

trà fidem, ut ibidem notavi. Qui verò blaſphemat Sanctum, qui eum Chriſto regnat in æternum, blaſphemat hæreticalitèr, juxtà mox dicenda.

33 Quandocunque autem aliquis Sanctus blaſphemat, ſivè per modum indicativum, ſivè imprecatorium, cenſetur blaſphemari pro ſtatu termini, & vitæ æternæ, & non pro ſtatu viæ, & antè mortem. Probatur id. Tùm quia blaſphemia infert injuriam, & dedecus pro eo tempore, quo profertur, ut notum eſt, quia injuria nunc illata nunc ſortitur ſuum effectum contrà injuriatum. Sed Sanctus tunc injuriatur cum blaſphematur, ſed injuriatur pro ſtatu termini; ergò pro eo tempore blaſphematur, conſequentèr blaſphemia non poteſt referri in tempus præteritum, dum injuria fit de præſenti, & eo tempore, quo perſona non ampliùs eſt in via, ſed in termino. Tùm quia blaſphemia refertur in perſonam qualificatam ſanctitate; aliud enim eſt blaſphemare Petrum, aliud Sanctum Petrum; ſi ergò blaſphematur Sanctus Petrus, blaſphematur in ratione qualitatis de ipſo expreſsæ. Tùm quia termini ſunt formalitèr accipiendi ſecundùm Cajetanum *v. Ecom. cap.* 1. *extremis verbis Navar. conſil.* 23. *de ſent. excom. numer.* 9. Ergò Sanctus non materialitèr acceptus pro ea perſona, ſed formalitèr, prout habet adjunctam ſanctitatem. Tùm quia qualitas adjuncta enti illud qualificat, & in aliam ſpeciem reponit, ut non dicatur ampliùs tale. *Bart. in l. Si quis Poſthumum, ff. de liber. & Poſthum. ubi Jaſon numer.* 51. *Marſil. ſing.* 520. *cum aliis Sperellus deciſ.* 2. *numer.* 6. Qualitas ergò Sanctitatis debet qualificare ens, & perſonam, cui adjungitur, ut non dicatur ampliùs tale, quod erat antè: igitùr Petrus per adventum hujus qualitatis Sanctitatis reponitur in aliam ſpeciem, & ſtatum, in quo non erat, conſequentèr ſpectatur pro ſtatu termini, non viæ; quod patet ex eo, quòd mutatur ſpecies injuriæ; nam oblocutio in Petrum antè Sanctitatem, non eſt blaſphemia, ſed tantùm cum injuriatur, quandò eſt Sanctus, blaſphemia commiſerit. Qui verò dicit Sanctum Petrum Piſcatorem, Portitorem, Negatorem Chriſti, Magdalenam meretricem, Sanctum Auguſtinum Concubinarium, excuſari vix poteſt, dum ſe declarat obloqui de illis, dum erant in hoc mundo, juxtà dicta ibidem numer. 8. Sed deveniamus ad exempla blaſphemiarum contrà Sanctos.

34 *Renego Sanctum Petrum, Sanctum Franciſcum &c.* eſt hæreticalis, quia negat ſanctitatem illorum, quæ de fide credenda eſt, ut probavi ſuprà num. 21. Confirmatur, *tùm quia* illud verbum *renego* componitur ex *Re*, & *nego*; ideſt, bis nego, hoc eſt, nego duo; ideſt, exiſtentiam, & ejus Sanctitatem; negata enim exiſtentia, tollitur conſequentèr ſanctitas, quæ inhæret Sancto exiſtenti, *tùm quia* hoc verbum *Renego* non reperitur apud Antiquos, cujus loco eſt verbum *Abnego*; ideſt, repudio,

repudio, recuſo, rejicio, ait Paſſeratius in Calepino, cujus verbum ad propoſitum noſtrum non facit, dicit enim Calepinus, quòd *Abnego* ſignificat *maximè nego quod maximè profiteri debeo, quod vulgò renegare dicimus*. Certum autem eſt, quemlibet Catholicum debere profiteri catholicam fidem, quæ cernitur in Canonizatione Sanctorum, quia honor, & laus eis deferenda, eſt quædam proteſtatio, & profeſſio fidei, per quam Sanctorum gloriam, & beatitudinem credimus, ſecundùm *D. Thomam quol.* 9. *art. fin.* ſunt enim exemplar fidei, & Sanctæ vitæ, quos in noſtris neceſſitatibus invocamus. *ex Joanne de Neapoli Contelorus de Canonizat. Sanct. cap.* 10. *num.* 6. Ergò Sanctum renegans adverſatur ejus Sanctitati, quam de fide credere debemus. *Tùm quia* hoc verbum *renego* non minorem vim habet in negatione alicujus Sancti, quàm in negatione Dei, nam utrobique videtur tollere exiſtentiam Sancti renegati, quàm Dei abnegati, ſed verbum renegans Deum eſt hæreticale, ut probatum fuit caſu 22. ergò & idem renegans Sanctum, conſequentia patet, quia fides docet, non ſolùm credendam eſſe exiſtentiam Dei, verùm etiam credendam eſſe exiſtentiam, & Sanctitatem alicujus Beati, imò omnium ab Eccleſia Canonizatorum. Ita ſentit *Caſtropal. par.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 2. *par.* 2. §. 3. *numer.* 5. ubi putat eſſe hæreticales, quandò maximè negatio eſſet de Sancto Petro, & aliis Apoſtolis, atque Sanctis, de quibus fit mentio in ſcriptura, quòd ſunt Sancti, quia iſtis denegans eſſe, denegat ſanctitatem, quod eſt negare quantam fidei veritatem, cum de fide ſit exiſtere Sanctum Petrum, & illum eſſe beatum. *Lupus lib.* 23. *diſt.* 2. *diffic.* 7. §. *Dico ſecundò.*

Contrarium, eam blaſphemiam non eſſe hæreticalem, docent *Sanchez lib* 2. *cap.* 32. *num.* 36. *Albergh. cap.* 18. *num.* 9. *Salelles Reg.* 139. *num.* 84. *Moronus reſp.* 95. *num.* 29. *qui in fine num.* 30. *ait* puto Inquiſitores nunc cognoſcere ſequentes ſententiam, quòd ſit de fide Sanctos Canonizatos eſſe in gloria *Arca Vitalis de blaſph. num.* 54. *Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 12.

36 Si quis blaſphemaret S. Petrum dicendo *Infedelem*, *Traditorem*, *Portitorem*, *&c.* non eſt denuntiandus, quia blaſphemiæ ſunt ſimplices, & referuntur ad tempus, quo in hoc mundo vivebat. *De iſtis Zanardus cap.* 10. *de blaſphem.* §. *Secundo deduco.*

37 *Ad Deſpectum S. Petri, &c.* Non eſt hæreticalis, quia ejus Sanctitas non tribuit ei Omnipotentiam, unde nihil contra fidem, obloquitur blaſphemus. *Decian. capit.* 2. *numer.* 5. *& ex illo Lazar. quæſt.* 7. *de Blaſphem. numer.* 40. dicunt eſſe blaſphemiam atrocem, nihil tamen dicunt, an ſit hæreticalis, ſaltem expreſsè, quamvis dicere ad deſpectum alicujus Sancti, velint eſſe idem, ac dicere ad deſpectum Dei, quia voluntas Sanctorum neceſſariò eſt voluntas Dei. Sed diſplicet hoc, quia in foro utroque di-

verſæ ſunt blaſphemiæ ex diverſitate objectorum, & falſum eſt, quòd voluntas Sanctorum ſit voluntas Dei non ſolùm in entitate, ut notum eſt, ſed etiam in conformitate ex ratione formalitatis, quia conformitas unius voluntatis cum alia voluntate, ſupponit diſtinctionem voluntatum. 38

Pudenda Sanctorum nominare eſt blaſphemia tantùm ſimplex, quia illa habent, nec talia ſunt, ut irriſione, & dedecore vituperentur; *Decian. lib. 6. capit. 2. numer. 11.* Vide dicta ſub caſu 14. & 15.

CASUS

# CASUS XXVIII.

## De Blaſphemiis contrà res ſacras.

DIctum fuit initio operis, blaſphemiã eſſe contrà Deum, Sanctos, & res ſacras; priora duo explicavimus in præcedentibus, tertium fuit tactum initio, latiùs hìc exponendum, quod ità definitur.

1 Res ſacra eſt omne id, quod divino cultui dedicatur per aliquam ſpiritualem actionem exercitam ab Epiſcopo, ſeù Sacerdote.

2 Dixi primò *omne id*, non quod omne ens ſit res ſacra, cum illa tantùm dicatur ſacra, quæ dedicatur ad cultum divinum, ſed ità locutus ſum, ut ſub illis verbis comprehenderem quicquid Deo ſpecialitèr dedicari poteſt, nimirùm, hominem, locum, & rem, ideò non dixi eſſe rem, ne excluderem perſonas, & loca Deo dedicabilia, & ne definitum exprimerem in definitione contrà naturam definitionis.

3 Dixi ſecundò, *quod divino cultui dedicatur*, quia alia ratione res non ſacratur, niſi ut digna fiat ad Dei cultum, & per id differt à re profana, quæ ad Dei cultum non refertur, juxtà illud proloquium: *Nolite miſcere ſacra profanis*. Res igitùr dedicata vocatur materia, dedicatio verò, quæ fit benedictione, vel conſecratione, ſeù alio modo, vocatur forma denominans rem ſacram, ſanctam, benedictam, ſeù conſecratam.

4 Dixi tertiò, *per aliquam actionem ſpiritualem*, nomine hujus actionis, venit inſtitutio, ſeù benedictio aut conſecratio rei, quæ deputatur ad cultum divinum, inſtitutio refertur ad Chriſtum Dominum, qui Sacramenta, quæ ſunt res ſacræ, inſtituit, & dum per miniſtrum conficiuntur, intervenit benedictio, quandocunque conſecratio, ut in Sacramento Ordinis. Calix priùs benedicitur, poſteà conſecratur; non poteſt ergò res aliqua de profana fieri ſacra, niſi interveniat benedictio, per quam fit ſacra, ut latiùs patebit infrà, exemplificando in diverſis rebus ſacris.

5 Dixi quartò, *ab Epiſcopo, ſeù Sacerdote*, quia ad hoc tantùm ſpectat res de profanis facere ſacras, & non ad alium, ideò benedictio Patris erga filium, & Superioris erga ſubditum, hos non facit ſacros, ſed tantùm eis bonum exoptant, & ſuperior per benedictionem dicitur Religioſum licentiare extrà Monaſterium, à quo exire nequit ſinè licentia.

6 Benedictio autem, & conſecratio in eo differunt, quòd benedictio præcedit conſecrationem, expellendo profanitatem à re ſacranda, ut fiat digna ſacra unctione, & per hanc apta, & dedicata fiat ad uſum divini cultus. Vide Barboſam *lib* 3. *de jure*
7 *Eccleſ. cap.* 3. *num.* 53. *ad* 55. *qui nu.* 9. dixerat quòd ſacrum differt

à Sancto, & Religioſo, quia omne ſacrum eſt ſanctum ; res enim ſacræ aliquam recipiunt ſanctitatem, ut dicit *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 27. *qu.* 1. & paritèr Religioſum, ſed hi termini quandoque confunduntur.

8 Nota autem, quòd benedictio ad ſui productionem in eſſe tria petit, materiam, ſignum Crucis, & Orationem ; materia autem eſt ipſa res, quæ benedicitur, Crucis autem ſignum eſt inſtrumentum, à quo virtus benedictionis fluit in rem ; oratio autem exprimit benedictionem à Sacerdote factam. Conſecratio ſequens ad benedictionem ſacra unctione, perficitur. *Vide reſol.* 17. *num.* 18. mearum reſolutionum.

9 Omnes autem res ſacræ reduci poſſunt ad ſeptem capita, quæ ſunt Sacramenta, Sacramentalia, Perſonæ Eccleſiaſticæ, Reliquiæ Sanctorum, Imagines eorundem, Locus ſacer, & ſupellectiles Eccleſiæ. De ſingulis autem eſt dicendum.

10 Sub capite primo continentur omnia Eccleſiæ Sacramenta, quæ de fide numerantur ſeptem ; Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pænitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium ; Hæc ſeptem in primis vocantur ex ſua inſtitutione res ſacræ, quia Chriſto ſanctificata fuerunt in ſe ipſis, & prætereà fidelibus gratiam ſanctitatis conferunt ex opere operato, ex quo vocantur ſignum rei ſacræ, quæ eſt gratia ſanctificans hominem. Sacramenta ergo vocantur res ſacræ ex ſua inſtitutione, & denominatione, quia ſanctitatem, quam continent, conferunt fidelibus ea dignè recipientibus.

11 Sub ſecundo capite numerantur Sacramentalia hoc verſu : *Orans tingit adens, confeſſio, dans, benedicens*. Primus terminus indicat Orationem Dominicam, & quamlibet aliam, quæ fit in Eccleſia, ſeu ut eſt ab Eccleſia inſtituta &c. *Secundus* notat aquam benedictam. *Tertius* ſignificat, panem benedictum, & alia comeſtibilia benedicta. *Quartus* nomine confeſſionis venit non ſolùm pars ſacramentalis, ſed etiam Confiteor in Miſſa, & divino officio. *Quintus* refert quodvis opus miſericordiæ tàm corporalis, quàm ſpiritualis. *Sextus* demùm inſinuat benedictionem ſolemnem, quæ datur ab Epiſcopo, vel Abbate conſecrato. Hæc refert *Bonac. de Pænit. q.* 6. *ſect.* 2. *p.* 2. ubi quærit, an peccata venialia remittantur per hujuſmodi ſacramentalia. Et reſpondet affirmativè ex communi ſententia omnium, ſed difficultas eſt in modo remittendi, ſcilicet an ex opere operato, ut remittunt Sa-

12 cramenta, an ex opere operantis, nimirùm in quantum per hæc fidelis excitatur ad dolendum de ſuis peccatis. Hoc poſterius eſt communius, nam ſi ex opere operato remitterent peccata, jam non eſſent ſacramentalia, ſed ſacramenta.

13 Hæc omnia dicuntur res ſacræ, vel ex inſtitutione, ut oratio quæcumque, quæ ex ſe ordinatur ad cultum divinum, pariter confeſſio, opera miſericordiæ, & benedictiones ſolemnes, aliam non videntur habere ſacritudinem niſi ex inſtitutione, & quia cauſaliter ſunt res ſacræ, dum in fidelibus cauſant ſanctitatem remiſſione peccatorum. Tingens, &

Edens

Edens benedictione dicuntur res ſacræ, in eis enim præcedit benedictio.

14 Ad primum verbum *Orans* reducitur quicquid exprimitur in ſacra Biblia, in Breviario, & Miſſali; iſti enim omnes libri ſunt res ſacræ non ſolùm ex inſtitutione, ſed etiam quia ſunt inſtrumenta divini cultus non minus, quàm Paramenta Sacerdotis, & cætera ſupellectilia Eccleſiæ, quæ vocantur res Sacræ ex benedictione, ſeu uſu in cæteris rebus ſacris. De his ſacris libris vide Tridentinum *ſeſſ.* 4. & 25. *in fine alios cum Riccio par.* 3. *reſol.* 110. *num.* 7.

15 Sub tertio capite continentur illæ perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ dicuntur ſacræ res, vel profeſſione religioſa, vel ſuſceptione ordinis ſacri; his enim duobus modis perſona fit ſacra per ſolemnizationem voti caſtitatis, de qua *cap. un. de Voto.*

Dices, qui propria auctoritate vovet caſtitatem ſpeciali modo, 19 ſe Deo dedicat, ergo ſic vovens fit res ſacra.

16 R. Tranſgrediens votum à ſe factum committere quidem ſacrilegium, quia violat, & tranſgreditur promiſſionem Deo factam de voto caſtitatis contra virtutem religionis; peccatum enim contra quodlibet votum, etiam ſi non ſit caſtitatis, vocatur ſacrilegium, quia violatur religio in voto; non ideo tamen perſona, quæ vovit, fit res ſacra quia prætereà requiritur aliqua publica actio, ſeu benedictio proveniens à miniſtro Eccleſiæ in voto autem privato nulla apparet miniſtri publici actio, aut voti acceptatio; ſeu Eccleſiæ inſtitutio in voto privato, quod procedit à ſola voluntate hominis voventis ſine alterius auctoritate, aut licentia. Vide *Suarez. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *de Relig.* Itaque Clericus, ſeu Monachus profeſſione, aut ordinatione ſacra fit res ſacra, & non aliter, nec alio modo.

17 Sub quarto capite continentur reliquiæ Sanctorum; hæ enim ex communi omnium ſunt res ſacræ cum participent ſanctitatem ejus, cujus ſunt partes; unde ex eis furtum dicitur Sacrilegium ex *Bonac. de Adorat. p.* 1. *p.* 4. *n.* 9 *ex Silveſtro Tabiena V. eod* Nec propter eandem rationem, quia res ſacræ ſunt, vendi poſſunt, *Gloſ. V. Venales cap.* 2. *de Reliquiis Riccius par.* 3 *reſol.* 410. *num.* 3.

18 Nomine autem reliquiarum veniunt corpora Sanctorum, eorum oſſa, cineres, ac prætereà veſtes, & alia, quibus ipſi, dum vivebant uſi fuerant. Ita omnes ibidem num. 1.

Sub quinto capite exprimuntur Imagines Sanctorum, ſive pictæ, ſive ſculptæ. Eſt autem imago ſimulacrum Sacrum repræſentans Sanctum, qui in ea veneratur, denominatur autem Sacrum ex inſtitutione, & uſu; alia enim ratione non conſervantur Imagines Sanctorũ in Eccleſiis, & domibus, niſi propter memoriam, & venerationem Sanctorum, juxtà illud Pſalmi: *In memoria æterna erit juſtus, ab auditione mala non timebit.* Sunt ergò ſacræ, quia participant de ſanctitate juſtorum, quorum bonitatem, & virtutes reducunt ad memoriam hominum, dum illas venerantur.

Imagines igitùr Sanctorum ab omnibus

omnibus Catholicis vocantur ſacræ, ut patet ex ſacris Conciliis, & in ſpecie in Tridentino poſt initium ſeſſ. 25. Procedit id, ſivè ſint benedictæ à Sacerdote, ſivè non, in quolibet quoque loco ſint, retinent ſuam ſacritudinem, & venerationem, quamdiù tales ſunt repræſentantes illum Sanctum, quem præſeferunt in ſua formatione, & figura. *Vide Bonac. q.* 1. *de Adorat. p.* 3. *Pegueram deciſ.* 24 *num.* 11. *Albericum in ſuo diction. V. Sacrilegium l.* 8. *ex illis Riccium par.* 3. *reſol.* 410. *num.* 9. Ubi Imagines vocantur res ſacræ.

20 Hoſtia quoque cum Imaginem Crucifixi exprimat, inter res ſacras enumeratur ex hoc capite, & prætereà à fortiori, quandò ea Sacerdos utitur ad altare offerendo, & conſecrando. Undè in triplici ſtatu ſpectari poteſt, primò extrà miniſterium altaris, prout repræſentat Imagines paſſionis Chriſti; Secundò, prout offertur à Sacerdote, & benedicitur ante conſecrationem; Tertiò poſt conſecrationem, ut continet Corpus Chriſti. Sub his tribus modis dicitur res ſacra, quia ſecundùm primum conceptum, & in ratione Imaginis ſancta eſt, participatione ſanctitatis paſſionis Chriſti; ſecundùm poſteriorem res ſancta eſt, quia benedicta ad altare, ſecundùm denique tertium modum, & perfectiſſimè res ſacra, & Sacramentum Sacramentorum, dum Chriſtum ſacramentaliter in ſe continet. Vide *Dianam part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 10. *§. Quæro. Vide ſuprà caſum* 23. *nu.* 12. *&* 13.

21 Agnus Dei veniunt ſub hoc capite, cum in eis Dei Agnus ſculptus ſit, ac proindè res ſacra dicitur ex Imagine, & quia benedicuntur, & conſecrantur à Pontifice Romano. Ità omnes cum *Bonac. diſp.* 3. *in Decalog q.* 1. *p.* 4 *num.* 11.

22 Sub ſextò capite recenſentur loca ſacra; is autem dicitur locus ſacer, qui auctoritate Epiſcopi fundatur, & conſecratus eſt, ſeù benedictus, *Hoſt. in Rubr. de crim. ſacril. Riccius par.* 3. *reſol.* 404. *nu.* 4. *Barboſa lib.* 2. *de jure Eccleſ. cap.* 1. *num.* 11. ubi Ædes ſacra dicitur Eccleſia inſtit. de rerum diviſ. *§. Sacræ res ſunt, quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt, veluti Ædes ſacræ.* Et infrà. *Locus autem, in quo Ædes ſacræ ſunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, ſacer adhuc remanet.* Ubi Gloſa ait, deſinere eſſe ſacrum ex duobus, primò ſi ab hoſtibus capiatur; ſecundò, quandò ea removentur, quæ talem eum reddebant.

23 Jure autem Eccleſiaſtico locus execratur, ſi in totum deſolatur, & demolitur, ſecundùm *Canon. in cap. de Fabrica, de conſecr. diſt.* 1. *Barb. Alleg.* 27. *num.* 13.

24 Loca autem ſacra enumerantur hæc, Eccleſia, Oratorium publicum, Cæmeterium, & Hoſpitale.

25 Eccleſia cum ſuis altaribus, ut ſit locus ſacer, neceſſe eſt, quòd fundetur auctoritate Epiſcopi, & ab eo conſecretur, vel benedicatur. Latè *Barb. lib.* 2. *de jure Eccleſ. cap.* 2. Si verò non eſt conſecrata, neque benedicta, ſit res ſacra, & benedicta per publicam celebrationem Miſſæ de licentia ſaltem tacita Epiſcopi, *Peregrin. de Immun. cap.* 4. *num.* 10. Eccleſia intùs, & foris combuſtione decruſtata in parietibus

cenſe-

cenſetur exſecrata, à fortiori demolita *Barboſa lib. 2. de jure Eccleſ. cap. 2. num. 46. & 49.* Eccleſia
26 polluta non ideò dicitur exſecrata, ſed tantùm impeditur, ne in ea celebretur, nam conſecrata reconciliatur ab Epiſcopo, per aquam cum vino, & cinere per Epiſcopum benedictis, *ex cap.*
27 *Aqua 19. de conſecr. Eccleſ.* Solùm verò benedicta reconciliari poteſt per quemcumque Sacerdotem ſola luſtrali aqua etiam ab Epiſcopo non benedicta *cap. fin.*
28 *eodem ibi Barboſa, Miranda tom. 2. q. 39. art. 8.* Ex quibus infertur pollutionem non tollere conſecrationem, cum ad eam reſpectum habeat reconciliatio.

29 Oratorium ex nominis etymologia eſt locus ad orandum; duplex eſt, publicum, & privatum, hoc eſt illud, quod unuſquiſque in domo ſua ad orandum habere poteſt, & ad celebrandum de licentia tantùm Papæ, non eſt locus ſacer, quia non benedicitur; ad celebrandum enim in eo ſufficit lapis ſacratus, & conſtituitur ſinè licentia Epiſcopi intrà propriam domum pro commodo ſolius domus, ex quo vocatur Oratorium privatum. *Vide Barboſ. lib. 2. de jure Eccleſ. cap. 8.*

30 Oratorium verò publicum ferè idem eſt ac Eccleſia conſtructum pro communi utilitate fidelium, de quo idem *Barboſa lib. 2. de jure Eccleſ. cap. 8. num. 11.* Hoc nomine vocantur Capellæ, ſeù Eccleſiolæ quædam fabricatæ in loco Pareciæ, & Eccleſiæ Confraternitatum ad diſtinctionem Cathedralium, & Parochialium.

31 Cæmeterium, quod dicitur dormitorium Defunctorum, eſt locus ſacer, conſecratus, vel benedictus ab Epiſcopo; eſt enim Eccleſiæ acceſſorium, in quo defuncti tumulantur, ut notatur *in cap. Un. de conſecr. Eccleſ. in 6. Barboſa cit. lib. 2. de jure Eccleſ. cap. 9. & Allegat. 27. num. 29. Lavor. tit. 2. de Pryco, & recenſi fun. cap. 6. num. 2. Sotus, Graffius, Rodriq. & Vega putant, non eſſe locum ſacrum, contrà cap. cum Eccleſia de Immun. cap. ſi civitas, de ſent. ex. com. in 6. Gloſ. V. Cæmeterium cap. Conſuliſti 7. de conſecr. Eccleſ.* Ratio eſt, quia terra deputata pro ſepultura fidelium, auctoritate Epiſcopi, ſemper ad minus benedicitur; ergò talis locus fit ipſo jure res ſacra.

32 Monaſterium eſt Domus religioſa, & habitaculum perſonarum religioſarum, ut notum eſt, & ipſum eſt res ſacra, ſeù locus ſacer, pius, & religioſus, ut colligitur *ex tit. de Relig. domib. cum aliis Riccius par. 3. reſol. 404 fine Peregr. de Immun. cap. 4. num. 49.* Deſertum à Religioſis profanum fit, ſicut & ſæcularizatum, quia non ampliùs habitatur à Religioſis, reſpectu quorum nuncupabatur religioſum, & ſacrum.

33 Hoſpitalia demùm numerantur inter loca ſacra, ſivè deſerviant peregrinis, ſivè infirmis, *ex cap. ad hæc, de Relig. domib. Barb. lib. 2. de jure Eccleſ. cap. 11. num. 13.*

34 Sub ſeptimò capite continetur ſupellex Eccleſiaſtica, quæ & ipſa vocatur res ſacra, ut videri poteſt in Bulla Innocentiana, de deſtructione parvorum Conventuum, quod fuit damnum irreparabile omnibus. Reſervata eis facultate ſecum aſportandi profanam tantùm, non autem ſacram ſupellectilem. *Vide del Rio lib. 5. ſect. 16.*

Crux

35 Crux quælibet ſivè cùm Crucifixo, ſivè non, res ſacra dicitur in quocumque repoſita ſit loco, & ratione Imaginis, & quia repræſentat Chriſti paſſionem, ex ſua inſtitutione Sancta, & benedicta eſt, & ipſa inſtrumentum eſt benedicendi alias res. Ità omnes *cum Riccio par. 3. reſ. 410. n. 1.*

Tabernaculum, in quo cuſto-
36 ditur Sacramentum Euchariſtiæ; res ſacra eſt, ex continentia, & cuſtodia Sancti Sanctorum. Ità *Ant. Gomez de delictis cap. 5. Rubr. de furtis num. 11. Bajard. ad Clarum V. Sacrilegium num. 6. ex illis*
37 *Riccius part. 3. Reſol. 409. num. 1.*

Pixis vas immediatè continens Chriſti corpus conſecratum, res ſacra dicitur, ſanctificatum ex benedictione præcedente, & ſi non ſit verbaliter benedictum, hoc ipſo quod uſu primo continet, & cuſtodit corpus Chriſti, ſicut Tabernaculum evadit ſacrum, quia tactu Domini conſecratur. *Vide præcitatos cum Barb. Alleg 27. n 41.*

38 Calix vas, in quo Chriſti Domini ſanguis conſecratur, & patena, ſuper quam reponitur Corpus Chriſti, res ſacra eſt, quod ſacrari contingit duobus modis, primò per Epiſcopum, vel Abbatem, ſecundò conſecratione ſanguinis Chriſti, quandò Sacerdos eo primò utitur, antequàm Oleo Sancto conſecretur; majorē enim vim habet conſecrandi contactus ſanguinis Chriſti, quàm ipſamet verba Epiſcopi. Ità ex noſtris *Cœleſtinus in compend. ſuæ Theolog. Acut. 8. cap. 5. qu. 9. cum aliis Diana par. 2. tract. 14. reſol. 69 & par. 5. tract. 13. reſol. 60. oppoſitum cum aliis ſentit Quartus par. 2. tit. 1. de præparat. Miſſæ ſect. 2. dub. 3. Idem dicendum de Patena.*

39 Calix amittit conſecrationem primò, quandò notabilitèr frangitur fractus ad conſecrandum ineptus; deſtructo enim ſubjecto perit forma ei inhærens. Secundò, ſublata inauratione non deſtruitur conſecratio Calicis, quia Calix totus dicitur conſecrari, & non ejus Aurum, *Layman lib. 5. tract. 5. cap 6. Sylveſter, Tabiena, Angelus, Quartus cit. dub. 5.* Tertiò per novam deaurationem non tollitur conſecratio, quia ut dixi, totus Calix dicitur conſecratus; ergò ipſo remanente manet conſecratio, adeòquòd nova deauratio cenſetur conſecrata, prout additur ipſi Calici conſecrato. Ità nonnulli *cum Diana part. 1. tract. 15 reſol. 3.* Quartò, per ictus inflictos Calix non perdit ſuam conſecrationem, cum talis percuſſio eam virtutem non habeat, *Bonac. diſp. 4. de Euchar. q ultima p. 9. nu. 19. Quartus cit. in fine dub. 5.* Demùm Calix exſecratur, ſi frangatur per ſeparationem Cuppæ à reliqua parte; non verò ſi ſit tornatilis, & una pars ab alia ſeparabilis ſinè fractione, quia in primo caſu, non in ſecundo, factus eſt inæptus ad Sacrificium. *Ità omnes cum Armilla, & Bonac. cit. Averſa q. 11. de Eucha. ſent. 13. Quartus loco citato. Vide Barboſ. allegat. 27. num. 37.*

40 Corporale, ſuper quod ponitur corpus Chriſti, debet eſſe lineum, vel etiam canapeum ſubtile, & benedictum; ideò res ſacra eſt, quod ſi non eſt benedictum, per contactum corporis Chriſti fit benedictum; ea autem benedictio præſcribitur in Rituali Romano, *& ex cap. Conſulti diſt. 1. de conſecrat.* Cujus benedictio per ejus lotionem non perditur,

ditur, ſed ſolùm quandò ità lacerum eſt, ut non valeat continere Hoſtiam, & Calicem. *Quartus par. 2. tit. 1. ſect. 3. dub. 1.* Licèt petat formalem benedictionem.

41 Palla ex eodem lino confecta eſſe debet, tegumentum Calicis, & debet benedici ſecundùm communiorem, & ideò res ſacra dicitur, ſi non benedicatur formaliter, fit benedicta ex uſu ejus in ſacrificio Miſſæ; & quod dictum eſt de Corporali, idem de ea dicendum eſt. Vide Quartum præcitatum dub. 2.

42 Purificatoria ſunt benedicenda, quia tangunt proximè ſanguinem Chriſti, ſi quid remanſit in Calice; ideò res ſacræ dicuntur, ſivè ex benedictione formali, ſivè virtuali ex uſu eorum. Vide eundem Quartum dub. 5.

43 Burſa autem, & Velum non ſolent benedici, ex eorum tamen uſu proximo in Altari, dicuntur res ſacræ aliquo modo, quia dedicata cultui divino.

44 Veſtes Sacerdotales, quæ ſunt Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Planeta, adde Dalmaticam, benedicuntur ex Rituali Romano; ideò res ſacræ ſunt, non ſolùm ex benedictione, ſed etiam ex uſu, ſi non fuerint benedictæ. *Vide del Rio lib. 5. ſect. 16. Alberghin. cap. 18. ſect. 2. §. 1. num. 7 Barboſ. Allegat. 27. num. 43. qui num. 44.* ait Regulares ſuperiores benedicere poſſe ſuarum Eccleſiarum Paramenta. *Quartum ſect. 4. dub. 2. & 3. Riccium par. 3. reſol. 410. num. 7. & 8.*

45 Benedictio autem in illis conſervatur, quandiù tales remanent ſecundùm ſuam figuram aptæ ad celebrandum. Si verò fiant ineptæ, ſtatim ammittunt benedictionem, ut colligitur *ex cap. Quod in dubiis de conſecr. Eccleſ.* ut ſi manica diſſuatur ab Alba, refecta benedici debet, non verò, ſi globulis ſit inſerta, quia tunc non frangitur, neque ſi unico filo juncta eſſet, quia reficitur ſine benedictione, ſicut & ſi refi iciatur ex Auſtulis non benedictis, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, Cingulum ſemifractum, ſed non ruptum, poteſt refici, ſicut & pars minor jungi majori, quæ poterat per ſe cingere Sacerdotem ſinè alia benedictione; quod ſi neutra pars eſt apta ad cingendum, & jungantur ad invicem, neceſſaria eſt nova benedictio. *Vide Quartum par. 2. tit. 1. ſect. 4. dub. 4.* Si ex Stola fiat Manipulus, ſeù uterque ex Planeta benedicta, non eget benedictione, quia Stola, nec Planeta, dicitur rumpi, & frangi, ſed in aliam veſtem ſacram converti.

46 Tobaleæ altaris, Pallia, Lampades, Candelabra cum Candelis, Cæreus Paſchalis cum tribus candelis, Thuribulum, Navicula, Incenſum, Urceoli eorum aqua, & vinum, hæc, & ſimilia ſacra ſunt, quia inſerviunt in ordine ad ſacrificium Miſſæ, ſivè proximè, ſivè remotè; Ità aliis citatis. *Riccius par. 3. reſol. 408.* debent autem fuiſſe in uſu in miniſterio Miſſæ.

47 Feretrum, Arcula eleemoſinarum, Claves Eccleſiæ, Tapezzariæ connumerari poſſunt cum rebus ſacris, nam Feretrum cruce ſignatur, & cætera ornamenta Eccleſiæ dicuntur cultui divino dicata, ex eodem Riccio, contrarium ſentit in multis *Decian. lib. 6. cap. 30. 19.*

48 Campanæ ſunt res ſacræ, quia benedicuntur, & conſecrantur, *Barb. alleg.* 27. *num.* 46. Fractæ etiam ſolùm ex parte, qua ſunt affixæ ligno ſuſtentanti, itaut non poſſint ampliùs pulſari, perdunt benedictionem. Campanæ pro uſu laicorum non ſunt res ſacræ, niſi ſint benedictæ.

49 Ferrum Hoſtiarum res ſacra eſt, quia in eo eſt impreſſa imago Chriſti in Cruce, & ad alium uſum non ſervit, niſi ad conficiendas Hoſtias, ideò inter res ſacras meritò connumeratur.

50 Beneficium quoque connumeratur inter res ſacras *ex Suar tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap* 1 *num.* 3. & alii communitèr, quia in æſtimationem, ſicut aliæ res ſacræ non venit, nec pretio æſtimabile eſt ſinè vitio ſimoniæ.

51 Notandum autem eſt, quòd ſuprà recenſitæ res ſacræ ſunt dignæ veneratione, & adoratione propter earum ſacritudinem, benedictionem, & conſecrationem, atque propter earum dedicationem ad cultum Divinum. Non quidem veneratione abſoluta, quę ſolis rebus intellectualibus debetur, nimirùm Deo latria, Sanctis ejus Angelis, & hominibus Dulia, Mariæ Virgini, & Humanitati Chriſti hyperdulia, propter earum excellentiam, quæ cæteros ſuperant Sanctos, ſed tantùm relativa, quæ convenit rebus ratione carentibus, quæ non propter ſe præcisè, ſed magis propter Deum, & Sanctos ejus venerantur, & honorantur; honor enim, qui ad ipſas res ſacras defertur, non ſiſtit in illis, ſed ulteriùs procedit in Deum, & Sanctos, quibus illæ res ſunt dedicatæ. Vide Doctores agentes de Adoratione.

52 Concludamus ergò ex hactenùs dictis, blaſphemiam contingere etiam contrà res ſacras, quas recenſuimus ſuprà; tùm quia illæ dignæ ſunt honore, & veneratione, ut dictum eſt; ergò in eis cadere poteſt blaſphemia, dum verbis opprobrioſis, & contumelioſis contemnuntur; tùm quia blaſphemia non ſolùm committitur contrà Deum, & Sanctos, ſed etiam contrà res ſacras; dicitur enim Iſaiæ 5. 24. *Abjecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium Sancti Iſrael blaſphemaverunt*: ideſt Sacram Scripturam 1. ad Timoth. 6. 1. *Ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur*. Res ergò ſacræ dignæ ſunt honore, ideò non ſunt blaſphemandæ, *Corduba lib.* 1. *q.* 13. *art.* 1. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 22 *ex illis Addition. Toleti* §. *Vituperia*.

53 Referenda ſunt exempla blaſphemiarum rerum ſacrarum, quæ ſunt eadem verba convitioſa, quæ dicuntur contrà Deum, & Sanctos, ut ſi quis dicat. *Ad deſpectum Baptiſmi, Meretrix hoſtia Dei, maledictus ſit Calix &c.* blaſphemat, qui rebus ſacris utitur ad immunditias abſtergendas, qui Calice utitur ad vomitandum, qui corporali, ſeù purificatorio utitur ad purgandum nares, maximè eò, quòd Sacerdos adhibuit in Miſſa. Abutitur eo ad menſam, & ad medicinam ſumendam, ſed ità grave delictum non eſt; Lacerans paritèr, aut deturpans res ſacras, dicitur de facto blaſphemare, & inhonorare illas, ſicut dictum fuit de Imaginibus cap. 4.

55

56 Difficultas autem præcipua, quæ facit ad præſens inſtitutum, eſt, an hujus generis blaſphemiæ

ſint

ſint ſimplices, an hæreticales ſpectantes ad Officium Sanctæ Inquiſitionis?

54 R. Eadem verba, quæ inferunt blaſphemiam contrà Deum, ſeù Sanctos, arguunt eandem contrà res ſacras; Probatur, tùm quia verba retinent eundem ſenſum prolata contrà res ſacras, quem habent prolatæ contrà Deum, & Sanctos, cum reſpectu utriuſque objecti ſignificent idem convitiũ, & dedecus, nam hæc blaſphemia *Meretrix Dei, Virginis, S. Joannis Baptiſmi, Calicis &c.* reſpectu ſingulorum arguit impuritatem, & luxuriam in eiſdem, quod dicit hæreſim, ut patet in illis tribus, qui puri, & Virgines ſunt, ſecundùm Catholicam fidem, quę docet Baptiſmum, Calicem &c. eſſe pura, & ſancta, alitèr non eſſent res ſacræ; tùm quia ille præſumitur hæreticus, qui blaſphemat hæreticalitèr, ſed qui aſſerit aliquam imperfectionem ineſſe rebus ſacris, dicitur blaſphemare hæreticalitèr; ergò præſumitur hæreticus, ac proindè ſubditur huic tribunali. Quod autem
55 blaſphemet hæreticalitèr, qui rebus ſacris tribuit aliquam imperfectionem, conſtat ex eo, quia de fide credendum eſt rebus ſacris ineſſe ſacritudinem, ſanctitatem, ex quo benedicuntur, & conſecrantur, atque eiſdem inhæret benedictio, ſanctitas, atque conſecratio, quæ cum imperfectione vitioſa ſtare non poteſt. Confirmatur, quia de fide eſt, ritus, quos Eccleſia adhibet in adminiſtratione Sacramentorum, non eſſe contemnẽdos, ut definitur
56 Can. 13. his verbis: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione conſuetos, aut contemni, aut ſinè peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* Nomine autem rituum continentur omnes res ſacræ, ut colligitur per Doctores exponentes hunc Canonem, quos citat hìc *Barboſa num.* 15. *Quod clariùs in alio Can.* 7. *ſeſſ.* 22. dicitur his
57 verbis: *Si quis dixerit, cæremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quàm officia pietatis, anathema ſit*: Sub his verbis comprehenduntur omnes res ſacræ, quæ concurrunt ad celebrationem Miſſæ, ut ſunt Candelabra, Candelæ, Tobaleæ, Thuribulum, Incenſum, Calix &c. Qui autem his tribuit aliquam imperfectionem, & illas inhonorat convitio linguæ, ſinè dubio eas vocat non officia pietatis, ſed irritabula, provocamenta, & ſigna impietatis, & immunditiæ. Igitùr qui talia dicit de rebus ſacris, ſe reddit ſuſpectum de hæreſi contrà præcitatos Canones. Tùm quia ſortilegia ex abuſu rerum ſacrarum pertinent ad hoc ſacrum Tribunal, in ſententia omnium, quia ſortilegum reddunt ſuſpectum de hæreſi, ut videri poteſt apud *Carenam p.* 2. *tit.* 12. *à num.* 33. *& ſeq.*
58 ergò idem dicendum eſt de oblocutione rerum ſacrarum: nam ipſa ſacritudo, quæ utrobiq; ſpectatur, eſt illa, quæ movet mentem Judicis ad pręſumendum contrà non tantùm abutentem, quàm dicentem contrà rem ſacram, quòd ſit ſuſpectus de hæreſi; ergò non magis eſt ſuſpectus de hæreſi abutens re ſacra, quàm oblo-

quens contrà rem ſacram ; ubi enim reperitur eadem cauſa formalis, ibi eſt idem effectus formalis.

59 Obſervandum quoque eſt, blaſphemantem res ſacras reddi magis, & minùs ſuſpectum ex qualitate uſus ipſius rei ; nam magis eſt ſuſpectus de hæreſi blaſphemans conſecratam hoſtiam, quàm nondùm conſecratam, magis obloquens de Corporali, Calice, & Patena, quæ tangunt corpus Chriſti, quàm de Candelabris, Candelis, Thuribulo, Burſa &c. Quæ enim viciniores ſunt Sacramentis, ſicut ſunt majori veneratione dignæ, ità majorem inducunt ſuſpicionem hæreſis.

60 Quidam perverſus dixit *Maledictus ſit Altaris S. Petri Romæ.* Iſte eſt blaſphemus, cujus execrandum dictum ſapit hæreſim, quia ibi myſteria catholicæ fidei primum Romæ peracta fuerunt, undè Tiberius Alfaranus in M.S. de Baſilic. Vatic. Referente Franciſco Maria Turigiano Romano in ſuo opuſculo vulgari inſcr. 1. *Trofei Sacri Romani del Tricnfante Prencipe degli Apoſtoli S. Pietro &c.* fol. 15. inquit: *Quod quidem altare nullum unquam Summorum Pontificum auſus eſt aperire, vel proprio loco removere, ſcientes antiquiſſimam, venerandamque Petri ſedem inſimul, & ſepulchrum extitiſſe.* Et infrà. *In hoc loco antè Conſtantinum B. Petri Confeſſio, Eccleſia, ſeù Oratorium Petrique prima in Urbe Sedes, & ſucceſſorum ejus erat, in quam Chriſtiani omnes ad divina audienda, & ſacroſancta percipienda conveniebant.* Quis ergò audebit tàm execrandam blaſphemiam evomere in primum Altare, & quaſi primam Eccleſiam totius orbis, in qua nec ruga, nec aliqua macula reperitur, ſecundùm Apoſtolum ad Epheſ 5. 27. quem Sancti Apoſtoli non ſolùm celebratione Miſſarum, verum etiam aliis Sacramentis, & exercitiis ſpiritualibus ità ſanctificarunt, & conſecrarunt, quòd tamquàm de fide credendum eſt, ut ſumma impietas ſit illud blaſphemare maledicendo, quaſi non ſit tale, quale de fide credendum eſt eſſe. Maledictio igitùr jacta in hoc prętioſiſſimum, & ſacroſanctiſſimum Altare movet judicem fidei, ad pręſumendum contrà blaſphemantem, illum eſſe de fide ſuſpectum.

CASUS

# CASUS XXIX.

## De Blaſphemiis Imprecativis mixtis cum Indicativis.

QUænam ſint blaſphemiæ imprecativæ, & indicativæ ex modo loquendi denominatæ, patet ex dictis caſu 6. Ea eſt humanæ mentis malitia, & linguæ peſtiferæ lubricum, ut quotidiè novi inveniantur modi blaſphemandi. Nonnulla referam exempla non imitanda, ſed deteſtanda, & cenſuranda, & ſunt ſequentia.

1 *Maledictus ſit ille hircus ſuppoſitus, ſtirpis objurgata, qui creavit me, necnon Cœlum, & terram.*

2 *Maledictus ſit ille, qui creavit primum Pontificem, ac etiam ille*
3 *primus Sacerdos, qui celebravit primam miſſam die Paſchatis.*

4 *Maledictus ſit Baptiſmus, cum illo Sacerdote, qui baptizavit.*

Recenſitæ blaſphemiæ incohantur omnes per modum imprecationis, de qua re non eſt dubitandum, ac proindè videntur ab eadem imprecatione ſpecificari, & contineri intrà ſpeciem blaſphemiarum ſimplicium, in ſententia eorum, qui nolunt hujuſmodi imprecationes involvere ſuſpicionem hæreſis, contrà quos egi caſu 7. probando, eas eſſe hæreticales, blaſphemantem reddentes ſuſpectum de hæreſi, ac proindè ſubjici judicio Inquiſitorum. Non dubito allatas blaſphemias ſapere hæreſim, non ſolùm ex parte Imprecationis, ſed etiam ex adjunctis, quòd nec Adverſari negare poſſunt.

Probatur, quia verba adjuncta verbo maledictionis, ſunt hæreticalia in ſe ipſis, ut patet ex illis verbis adjunctis. Significant enim hæreſim in divinis, in quibus de fide eſt, nullam ex dictis imperfectionibus, & criminibus reperiri. Illa enim verba arguunt crimina adulterii, & vitii ſodomiæ, quæ ſic blaſphemans impingit in Deum, qui ſumma puritas eſt, ſecundùm veritatem fidei. Deindè blaſphemia mixta ex male dictione, & imputatione criminis, eſt ex omni parte execranda, quia imprecatio videtur quædam proteſtatio imperfectionum, quæ blaſphemus aſſerit in Deo; ergò utrunque ſimul arguit hæreſim
5 contrà obloquentem. Tùm quia inſolita arguunt dolum, & fraudem, *Gloſ. in l. ſi quis ſub conditione ff. de condit. inſtit. Navar. conſil. 1. de renunt. & conſil. 4. de offic. ordin. num* 8. Sic loquentem ſuſpectum reddunt. Moditius *lib.* 2. §. *Principum placita dub.* 110. *num.* 5. Sed blaſphemans prædictis modis exquiſitis, verba non ſolita proferri à blaſphemis obloquitur, ut notum eſt; ergò dolus, fraus, & ſuſpicio argui poteſt ſolius hæreſis in hoc genere locutionis, cum aliud ſimilia verba non valeant inferre, niſi palliationem hæreſis, ne judex moveatur ad ſuſpicionem ex verbis imprecatoriis, ſub

quibus

quibus tegit verba hæreticalia.

Confirmatur, quia verbum imprecationis uti indicans, in ſententia adverſariorum, blaſphemiam ſimplicem, ſpectandum tamen eſt, ut hæreticale, cum ſit conjunctum cum verbo indicativo, denotante blaſphemiam hæreticalem, à qua imprecatio denominatur & ipſa hæreticalis ex illo axiomate, quòd mixtum ſequitur naturam ſimplicis, dignioris, & potioris, *Decius in cap.*
6 *Quanto de judic. num. 6.* Conſtat autem potiorem eſſe, & digniorem, ut ità loquar, eſſe blaſphemiam hæreticalem, ex indicativo, quàm ſimplicem; ergò hæc ſequitur illam, undè ſimplicitèr vocanda eſt hæreticalis. Singula exempla examinemus.

Prima blaſphemia, *Maledictus ſit ille, qui confert mihi ſanitatem, etiam ſi foret Deus.* Eſt hæreticalis ex jam probatis, & magis id confirmatur, nam blaſphemus dicit hoc prædicatum. *Stirps bircina*, impuritatis, & luxuriæ ineſſe Deo, contrà articulum de ejus puritate, & innocentia. *Vide quæ dixi caſu 25. num. 67.* Nota benè illam dictionem *Stirps bircina*,
7 quæ duas imperfectiones reſpectu Dei, contrà quem ſunt prolatæ, nimirùm deſcendentiam generationis ex linea infecta, nam cum dicitur ab aliquo, *Iſte eſt bircinus*. Significatur ipſum deſcendere per generationem ex linea infecta. Hoc igitùr verbum arguit duas hæreſes, primam Deum deſcendere ab alio, ac proindè non eſſe primum ens à ſe ipſo; à quo cætera omnia procedunt; ſecundam prioris confirmativam; hæreſes enim habent cauſas ad invicem colligatas, nimirùm impuritatem in divinis, quaſi Deus deſcenderet ab alio per crimen adulterii.

8 Nota ulteriùs alia verba. *Qui mihi confert ſanitatem, etiam ſi foret Deus.* Nam præſeferunt dubitationem, an Deus det ſanitatem hominibus, aut quòd ſanitas ab alio detur, quàm à Deo, quod dicere hæreticum eſt, contrà illud Eccleſiaſtici, 34. 20. *Dans ſanitatem, & vitam, & Benedictionem.*

9 Secunda blaſphemia, *Maledictus ſit ille bircus ſuppoſitus, ſtirps objurgata, qui creavit me, necnon Cœlum, & terram.* Paritèr hæreticalis eſt; continet enim prædicata hæc *bircus ſuppoſitus, ſtirps objurgata* per modum indicativi ſuppoſita per blaſphemantem in agente Creatore, nimirùm Deo, qui ſolus dicitur creare hominem, Cœlum, & terram, Geneſ. cap. 1. 1. *Creavit Deus Cœlum, & terram*, infrà num. 27. *Creavit*
10 *Deus hominem.* Homo autem non dicitur creare alium hominem, ſed tantùm generare, quia ſolus Deus ex nihilo aliquid facit, homo autem ex aliquo facere, & generare dicitur, non creare, cum non habeat potentiam infinitam ad operandum, quæ ſoli Deo competit. Intelligitur ergò ea blaſphemia eſſe prolata contrà Deum, qui ſolus eſt Creator Cœli, terræ, & hominis, cui attribuuntur impiè ea prædicata *ſtirps bircina, ſtirps objurgata*, quæ maculant puritatem, & generationem in divinis, & prætereà ponunt in Deo deſcendentiam ab alio per lineam infectam, juxtà explicationem datam in præcedenti propoſitione.

Tertia blaſphemia: *Maledictus ſit ille, qui creavit primum Pontifi-*

*cem,*

*rem, & omnes alios.* Hæreticalis eſt, non ſolùm ex communi fundamento noſtro, quòd imprecationes arguunt in divinis capacitatem ad imperfectiones, quæ ſicut actu in Deo eſſe nequeunt, quia illarum omninò incapax eſt, ità neque ei impingi poteſt capacitas per imprecationem ſinè ſuſpicione hæreſis. Verùm etiam quia ex ſequentibus verbis ſequitur præſumptio hæreſis contrà Papatum ; ſic enim obloquens malè præſumitur ſentire de exiſtentia Pontificatus , dum ejus initium, & continuationem cum ſucceſſione maledicit ; quaſi non ſit inventum divinum , ſed humanum diabolica arte exquiſitum. Hic autem Deum maledici nulli dubium eſſe debet, quia ſolus Deus primum creavit Pontificem, qui eſt Chriſtus Dominus , de quo dicitur ad Hebræos 4. 15. *Habentes ergò Pontificem magnum , qui penetravit Cœlum, Jeſum filium Dei* ; & cap 5. 5. *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.* Chriſtus ergò non clarificavit ſe ; ideſt, non ſe fecit Pontificem , ſed à Patre, qui eum genuerat creatus fuit Pontifex, & quidem primus; ſicut enim Pater invicem ſibi genuit filium, ſic illum ſolum conſtituit Pontificem , qui fuit primus relatione aliorum , qui illi ſucceſſerunt. Blaſphemia ergò refertur ad Deum , & contrà Deum , qui primum Pontificem nimirùm filium ſuum creavit. Maledictionem lingua peſtifera extendit ad eundem Dominum, & Chriſtum ejus filium, qui ſibi ſucceſſores Pontifices continuò creat, & immediatè dat poteſtatem utranque negendi Eccleſiam, gladio utraque parte acuto.

13 Quarta blaſphemia : *Maledictus ſit ille Sacerdos, qui primò celebravit die Paſchatis.* Eſt hæreticalis contrà Chriſtum Dominum , qui fuit primus ſacerdos, & primam celebravit miſſam primo die Paſchatis in Ara Crucis. Hæc probantur ſingillatim. Chriſtum eſſe primum Sacerdotem aperte colligitur ex cap. 7. per totum ad Hæbr. Hic autem ſub num. 24. *Eo quo manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.* Primam quoque Miſſam celebraſſe in Ara Crucis per cruentum Sacrificium, teſtatur idem Apoſtolus num. 27. his verbis : *Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.* Tridentinum latè ſeſſ. 22. cap. 1. de utroque agit Chriſtus ergò primus eſt Sacerdos, & primo omnium ſui ipſius ſacrificium Deo obtulit , & quidem in Paſchate, quo mortuus eſt in Ara Crucis, pro redemptione humani generis. Ecce quot execrationes continet hæc maledictio, quæ detrahit ſacerdotio , oblationi , & ſolemnitati Paſchali ipſius Chriſti Domini. Quis audebit negare talem blaſphemiam eſſe alienam à ſuſpicione hæreſis?

Si quis dicat eā intelligendam eſſe de primo Sacerdote, qui celebravit , & conſecravit hoſtiam incruentam ſacrificium memorativum ejus, quòd cruentum Chriſtus de ſe ipſo obtulit, quia illud ſacrificium non fuit factum in primo die Paſchatis , ſed præcedenti die. Reſpondetur , eam blaſphemiam non poſſe interprætari, niſi contrà Chriſtum Dominum, quia ipſe reverà fuit primus Sacerdos,

cerdos, & primam celebravit Miſſam, dum ſe obtulit in Ara Crucis.

14 Quinta blaſphemia: *Maledicta ſit ſubſtitutio S. Pauli primi Hæremitæ*. Eſt hæreticalis ratione adjuncti; licèt enim hæc (maledicta ſit Sodomia) propoſitio ſit vera, & catholica, quia tamen qualificatur expreſſione reliquorum verborum, quæ vitium ponunt in Sancto pro hoc tempore, quo obloquens blaſphemat, ſequitur Sanctum Paulum, hìc & nunc in Paradiſo exiſtentem, affici hac ignominiæ nota, contrà articulum fidei, quòd nihil coinquinatum eſt in regno Dei, juxtà dicta *caſu 27. num. 29. & quæ diximus ibi num. 33.* confirmant noſtrum dictum.

15 Sexta blaſphemia: *Maledictus ſit Baptiſmus, & qui baptizavit te*. Eſt hæreticalis quoad priorem partem, quia hæc verba movent judicem ad credendum prudentèr blaſphemum malè ſentire de baptiſmo, qui de fide nullam habet maledictionem in ſe, ſed eſſe Sanctum, & remittere peccatum originale, & actuale baptizatis. Poſterior pars eſt blaſphemia ſimplex, cum ſit contrà perſonam non materialitèr, & ſimplicitèr ſpectatam, ſed cum circunſtantia Miniſtri baptizantis.

CASUS

# CASUS XXX.

## De Blaſphemiis Atrocibus.

1 ATrox blaſphemia dicitur illa, quæ auditu terribilis, & horrenda eſt, præſeferens crudelitatem quandam, magnum damnum, & dedecus contrà Deum, & Sanctos ejus, atque magnum parit ſcandalum. Ex ſequentibus exemplis apparet veritas hujus definitionis.

2 *Maledictus ſit Deus*. Hanc Decianus *lib. 6. crimin. cap. 2. num. 9.* vocat horrendam, quod idem eſt ac dicere atrocem, quem pro ſe citat *Lazar. q 7 num. 19.* ubi refert *Graſſium in praxi lib. 1. cap 10. nu. 27. Covar. in cap. Quamvis §. 7. ſeſſ 7.* cum aliis, qui ne verbum quidem de atroci blaſphemia.

3 *Si Deus hoc diceret, dicerem ipſum mentiri*. dicitur atrox *à Lazar. q 7. num. 27.* eſt enim auditu horrenda, inferens magnum dedecus contrà Deum; ſicut enim verbum *mentiris* judicio hominum prudentum, & etiam imprudentum, reputatur magna injuria, ſecundùm communem ex Jaſone *in l. ſi quis extraneus ff. de acquir. hæred. apud Riccium par. 1. deciſ. 145. num. 4.* à fortiori pronuntiatum contrà Deum; qui eſt ipſa nobilitas, & ſumma veritas, qui mentiri non poteſt.

4 Verenda Chriſti Domini, & Mariæ Virginis blaſphemare, enormis eſt, & atrox blaſphemia; aures enim humanæ erubeſcunt, & horrent ſimilia verba, ex ſe verecundiam, & pudorem magnum inferentia, *Bald in l. accuſationem, col. 3. C. qui accuſare poſſ. ex eo Lazar. q. 7. num. 31.*

5 *Ad deſpectum Dei*, eſt hæreticalis, & atrox; quia aures piorum horrent ſimilia verba, quæ magnum dedecus notant contrà Dei Omnipotentiam, aliis citatis *Lazar. q. 7. num. 36.*

Exempla blaſphemiarum atrocium retuli præcedenti caſu, cum ſint auditu horribiles, & quandam crudelitatem præſeferant. *Meretrix* contrà Deum, Chriſtum, & Virginem, puto eſſe atroces, & enormes, quia auditum piorum valdè perturbant, qui horrent talia infamiæ verba.

6 Advertendum eſt, quòd injuria poteſt dici atrox tribus modis, ex perſona, ex loco, & ex facto, & id *Lazar. cit. q. 7. num. 14* applicat blaſphemiæ, quæ ratione perſonæ commiſſa contrà Deum, Chriſtum, & Sanctos, vocatur atrox, ſicut injuria facta Magiſtratui dicitur atrox *§. Atrox, Inſtit. de injur.* à fortiori contrà cœleſtem Magiſtratum. Ratione loci, ſi blaſphemia proferatur in foro, theatro, vel coram Prætore. Ratione facti, ſi quis vulneretur, vel fuſtibus cædatur, ut dicitur loco citato. Delictum in

7 Curia factum dicitur atrox, ex allegatis *à Riccio part. 1. deciſ. 245. num. 3. & in præcedenti deciſ. 228. num. 5.* dixerat, non fuiſſe atro-

cem injuriam factam in choro præſentibus tantùm quatuor perſonis.

8 Placet triplex iſte modus cognoſcendi atrocem injuriam, ſed diſplicet modus applicationis in divinis, in quibus injuria blaſphemiæ quoad atrocitatem non ſpecificatur à conditione perſonæ, aut ex loco, ſed ex verbo ipſo, quod de ſe inducit atrocitatem blaſphemiæ, quod inſinuat crudelitatem, ut patet in maledictionibus prænarratis, aut ſimilibus, ut cadat Deus ex alto, præcipitet è Paradiſo, & offendunt aures fidelium audientium hæc execrabiles blaſphemias. Non eſt ergò ſpectanda conditio ejus, qui blaſphematur, ſed an illud verbum inducat horrorem, terrorem auribus audientium, præſcindendo à loco, & perſona; reſpectu enim loci blaſphemia potiùs publica, quàm atrox nuncupatur, & ſcandaloſa prolata coram multis, & in

9 loco publico, ratione verò perſonæ in divinis, & Sanctis recipit primariam in genere blaſphemiæ denominationem, non circunſtantiam atrocitatis, alitèr ſequeretur hoc inconveniens, quòd omnis blaſphemia diceretur atrox, quod rationabile non eſt, cum adſint blaſphemiæ, quæ ex verborum tenore nullam notant atrocitatem, ut Deus injuſtus, prodigus, amens &c.

10 Hic Parmæ ſimilis caſus hactenùs reſervatus fuit: *Blaſphemia atrox, vel in Deum hæreticalis, aut Beatam Virginem, vel Sanctos ex conſuetudine prolata.* Declaratur autem blaſphemia atrox his verbis: *Blaſphemia atrox eſt, quæ ſolet gravius auditorum aures offendere, quamvis hæreticalis non ſit, ut, ſi quis malum Deo, vel Sacratiſſimæ Virgini, vel Sanctis imprecetur, vel impiè verenda ipſorum nominat.*

11 Sed nunquid datur mutua conſequentia inter blaſphemiam atrocem, & hæreticalem, itaut omnis atrox ſit hæreticalis, & vice verſa? In mea ſententia omnis atrox eſt etiam hæreticalis, ut patet in exemplis allatis, exceptis pudendis juxtà dicta caſu 15. & 16. Non verò omnis hæreticalis eſt atrox, cum ſint aliquæ licèt hæreticales, non tamen atroces, ut Deus avarus, prodigus, piger &c. quæ humanas aures non multùm videntur offendere, ut faciunt atroces.

An autem laceratio Imaginum ſacrarum, ſeù earum deturpatio, quæ dicuntur blaſphemiæ in re, & de facto, dicantur blaſphemiæ atroces? de illis dictum fuit caſu 4.

12 Reſpondetur affirmativè, quia iſti actus præſeferunt crudelitatem contrà ſacras Imagines, & factum eſt impium, & horrendum aſpectu, ideò atrox dicitur. Confirmatur id ex inſtituta tit. de injur. §. *Atrox injuria dicitur, vel ex facto, veluti ſi quis ab alio vulneratus ſit, vel fuſtibus cæſus.* A fortiori, ſi cędatur ſacra imago, quæ Deum, ſeù cœleſtes Senatores repræſentant dignos omni veneratione, pluſquam quilibet homo in terris conſtitutus ſuperior.

CASUS

# CASUS XXXI.

## Quomodò Blaſphemia dicatur Publica?

1 NOtandum eſt, publicum, manifeſtum, & notorium pro eodem ferè ſumi. Dicitur autem dupliciter, notorium juris, & notorium facti.

2 Publicum, ſeù notorium juris id dicitur, quod jure denominatur tale, & contingere poteſt tribus modis, aut probatione legitima facta in judicio, aut confeſſione facta coram Judice, aut per ſententiam ipſius Judicis. Delictum ergò probatione, vel confeſſione, vel ſententia evadit notorium, manifeſtum, & publicum, quia acta judicii faciunt delictum notorium, *Neviz conſil* 30. *num.* 3. *Aymon part.* 2. *conſ.* 303. *Cephal. lib.* 2. *conſ.* 57. *num.* 33. Iſti modi delictum faciendi publicum colliguntur ex *cap. Cum olim* 24 *cap. Super* 26. *de verb. ſignif. & ibi Doctores.*

3 Probatione judiciali delictum publicatur, ſi ſit facta per duos teſtes conteſtes, & integros, ut colligitur ex eiſdem teſtibus 24. & 26. ubi ea dicitur legitima probatio delictum manifeſtum faciens, quæ convincit delinquentem reum criminis; quilibet autem convinci poteſt per duos teſtes, conteſtes, & integros reſpectu cujuslibet criminis, ex ore Chriſti Domini, dum Matth. 18. 16. dixit: *In ore duorum, aut trium teſtium ſtat omne verbum*, cujuslibet ſcilicèt cauſæ tùm criminalis, tùm civilis; & idem ex hoc textu evangelico dicitur cap. Nullam 3. 1. qu. 4. extremis verbis, quæ ſunt Gratiani: *Duorum, vel trium teſtium quilibet jure convinci, & damnari poterit.* Et hoc idem ſtatuitur non ſolùm jure evangelico, ut viſum fuit, ſed etiam veteri lege num. 25.

5 30. *Homicida ſub teſtibus punietur, ad unius teſtimonium nullus condemnabitur.* Deuter. 17. 6. *In ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur, nemo occidatur uno contrà ſe dicente teſtimonium.* Ibidem cap. 19 15. *Non ſtabit teſtis unus contrà aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit, ſed in ore duorum, vel trium*

6 *teſtium ſtabit omne verbum.* Nemò igitùr quicumque ille eſt, condemnari poteſt pœna mortis, nec alia ordinaria, pro quocumque delicto, niſi ſit convictus per duos teſtes ad minùs integros. Ità omnes cum *Miranda de ordine judic. qu.* 17. *art.* 2. *Spatharius tract.* 7. *de modo corrigendi Regul. cap.* 12. *num.* 1. *alios citat Peyrin. in ſuo Formular. V. Teſtes cap.* 3. *num.* 10.

7 Confeſſione facta per reum coram Judice, delictum evadit publicum, etiam parte abſente, ut decernitur in dictis *cap.* 24. & 26. *de verb. ſign. ex profeſſo Maſcardus concl.* 34. 8. citans jura, &

Doctores cum ſuis ampliationibus, & reſtrictionibus; Ratio eſt, quia facit rem notoriam *Corn. vol. 4. conſ. 44. ſol. 1. & conſ.* 224. Nulla enim verior, & efficacior datur confeſſio, quàm ſui ipſius contrà ſe ipſum, ut latè probat *Maſcardus concl.* 344.

8 Sententia lata per legitimum Judicem facit delictum eſſe publicum, & notorium, *ex præcitatis capitibus* 24. *& 26. de verbis ſignific.* Facit ergò rem, & delictum notorium, ex allegatis à Maſcardo, quandò tranſit in rem judicatam *concluſ.* 1303. *numer.* 15.

9 Blaſphemia igitùr, ad propoſitum noſtrum, dicitur publica publicitate juris, quandò probata fuit per duos teſtes integros, vel ipſe blaſphemus eam fuit confeſſus in judicio, vel ſuper ea condemnatus à legitimo Judice. Lazar. in hac materia blaſphemiæ q. 9. num. 4. agit de notorio juris, ut ſuprà dictum fuit, & facti, ſubdens, blaſphemiam ex notorietate facti, ſpectare ad forum conſcientiæ, ideò ſubvidendum eſt, quid ſit notorium facti, ut indè colligatur, quid ſit blaſphemia publica ratione facti.

10 Notorium notorietate facti eſt illud, quod ità eſt evidens, ut nulla ratione tergiverſari, nec abſcondi poſſit, *ex cap. Cum olim* 24. *de verb. ſignificat.* Notorium autem facti firmatur, & probatur ex numero perſonarum, quæ viderunt factum viſibile, vel audierunt audibile,

11 ut blaſphemiam; numerus autem iſte limitatur, & ſtabilitur attenta circunſtantia loci, nam plures requiruntur, quandò delictum eſt factum in vicinia, quàm quandò eſt perpetratum in Collegio, ſeù in Conventu, plures, ſi commiſſum fuit in foro, & in mercato, quàm in prædictis locis; accidere enim poteſt, quòd in Collegio, ſeù Conventu ſint tantùm octo perſonæ, vel ſex, tunc quatuor reſpectu ſex, & quinque reſpectu octo, ac proindè major earum pars facit notorium; In illis verò locis, ubi magna hominum multitudo eſt, quamplures Doctores requirunt decem homines, quos citat *Maſcard. concl.* 1105. *num.* 17. *Rodriq. tom.* 2. *qu.* 6. *art.* 4. *cum aliis Salelles tom.* 1. *reg.* 179. *num.* 72. Alii verò petunt ſeptem, ut ibidem notatur, *Mar. Anton. lib.* 3. *reſol.* 11. *numer.* 17. *Lazar. q.* 9. *de blaſphem. num.* 10. *& 11. Sayr. lib.* 6. *in clavi cap.* 13. *num.* 11. *Peyrin. in Formul. lit. P. cap.* 17. *num.* 2. *Ant. Gomez tom.* 3. *Var. tit. de delictis cap.* 1. *num.* 42. *cum Menoch. lib.* 2. *de arbitr. lib.* 2. *caſu* 166. *numer.* 7. *cum Farinac. in practic. crim. q.* 21. *num.* 48. docet,

12 dici etiam notorium delictum commiſſum in loco publico, ſcilicèt platea, etiam ſi non

13 probetur factum coram pluribus, ſed ſolùm factum in platea plena hominibus. Undè de nocte non ſufficit probare factum in platea, ſed requiritur probatio, quòd tunc ibi fue-

14 rint homines. Notorium quoque dicitur delictum factum coram Judice exiſtente in actu officii ſui, modò illi conſtet, *ex eodem Farinac. numer.* 159. *& Maſcardo concluſ.* 1108. *numer.* 16. *apud dictum Salelles*

*Reg.*

*Reg.* 179. *numero* 75.

De Blaſphemia publica agunt *Lazar. citat. quæſt.* 9. *Sayr. in clavi lib.* 6. *capit.* 13. *numer.* 11. *Angelus V. eodem numero* 4. *&* 5. *Sylveſter numero* 7. *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæſt.* 12. *& alii.* Colligitur ex dictis blaſphemiam dici publicam ſex modis, tribus notorietate juris, & tribus aliis modis notorietate facti, nimirùm probatione, confeſſione, & ſententia; paritèr ex pluralitate teſtium, ex loco publico, in quem multitudo perſonarum confluir, demùm coram Judice prolata, dum ſuum exercet officium.



CASUS

# CASUS XXXII.

## An Blaſphemia publica ſit de jure reſervata?

1 OCcaſione *cap. Statuimus* 2. de maledicis nonnulli dixerunt, blaſphemiã publicam eſſe de jure Epiſcopis reſervatam, eò quòd in dicto capite præſcribantur nonnullæ pœnæ, per Epiſcopum infligendæ blaſphemis publicis. Sed reverà ibi nulla fit mentio de reſervatione, ſed tantùm numerantur pœnæ, quibus debet Epiſcopus punire blaſphemos ad ſe delatos.

2 Quòd autem blaſphemia de jure communi non ſit reſervata, docent communitèr omnes cum Angelo *V. eodem nu.* 4. *& 5. Silu. num.* 7. *Sayr lib* 6. *cap* 13. *num.* 11. *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *q.* 12.

3 Pœnæ autem præcitati capitis contrà blaſphemos publicos ſunt tres. *Prima*, ut ſeptem diebus Dominicis maneat præ foribus Eccleſiæ, dum ſolemnia celebrantur, ſeptima Dominica nudis pedibus, ſinè pallio, cum corrigia ad collum. *Secunda*, ut ſeptem diebus Veneris jejunet in pane, & aqua, non intrando Eccleſiam. *Tertia*, ut alat tres pauperes ſingulis illis diebus, ſi non poteſt, ſaltem unum, ſeù commutetur in aliam pœnitentiam, & ſi eſt dives, ſolvat quadraginta ſolidos, ſi hoc non poteſt, triginta, ſi non poteſt viginti, & ſi non poteſt
4 ad minùs quinque. Nomine autem ſolidi venit unius aureus *ex Inſtit. de pœna temer. litigat. §. fin. L. Libertus ff. de injuſ. vor. Panor. in cap. conquerente* 16. *de offic. ordin. Vide hìc Barb.* innumeros citans auctores hoc caput explicantes.

5 Quamvis blaſphemia de jure non ſit reſervata, tamen Epiſcopi eam ſibi reſervare ſolent, & quandò eam ſibi reſervant publicam, reſervatio intelligenda eſt de eadem publica publicitate tàm juris, quàm facti, juxtà explicationem datam de notorietate juris, & facti in præcedenti caſu; Nonnulli intelligunt ſub blaſphemia publica comprehendi blaſphemiam publicam notorietate tantùm facti, ad tollendum ſcan-
6 dalum. Sed reverà ſcandalum non minùs oritur ex uno notorio, quàm alio, ideò reſervatio comprehendit utrunque. Sed hæc ſpectant ad Caſiſtas.

CASUS

# CASUS XXXIII.

## Quis dicatur Blaſphemus Conſuetudinarius?

1 CUm inter blaſphemias aliæ ſint hæreticales, & hæreſim ſapiant, aliæ verò non, juxtà doctrinam in præcedentibus caſibus traditam, ad cognoſcendum an blaſphemus ſit de hæreſi ſuſpectus levitèr, aut vehemenrèr, neceſſarium eſt ſcire, quis dicatur blaſphemus conſuetudinarius; ex conſuetudine enim blaſphemandi hæreticalitèr colligitur qualitas ſuſpicionis. Hæc autem doctrina utilis erit Confeſſariis, in ordine ad reſervationem blaſphemiæ conſuetudinariæ.

2 R. Ille dicitur blaſphemus conſuetudinarius in hoc tribunali, qui convincitur de quinque blaſphemiis, ſivè ſint eædem, ſivè diverſæ, modo ſint hæreticales, non unico lapſu linguæ, ſed interpollatis vicibus prolatæ, ad quòd duo teſtes integri ſunt neceſſarii.

Scio plures Doctores reſpondere, id eſſe relinquendum arbitrio judicum, cum *Menoch. caſu* 375. *num.* 31. *allegato à Lazario q.* 8. *de blaſphem num.* 4. *Belloch. par.* 2. *de caſibus reſervat. q.* 1. *num.* 292. cum illo Mazuchellus *diſp.* 2. *cap.* 16. *num.* 85. Moronus *reſp.* 95. *nu.* 66. Vide Dianam *reſol.* 7. *de conſuetud.* ubi auctores refert contrà ea, quæ dicturi ſumus hic. Sed quoniam Judices hujus Tribunalis habent Conſultores, à quibus conſilium petere debent, ideò profero nunc meam ſententiam, numerum quinarium inducere conſuetudinem.

Prima igitùr pars, quòd quinarius numerus blaſphemiarum hæreticalium probet conſuetudinem, perſvadetur, quia forus conſcientiæ, & externus idem ſervant, ubi non eſt falſa præſumptio, *Sotus lib.* 4. *de juſt. q.* 5. *art.* 3. § *Quartò arguitur*. *Covar. in cap. Cum eſſes, de teſtam. num.* 7. *Sanchez lib.* 8. *diſp.* 5. *num.* 20. § *Tandem*, *Barboſa in loco à for.* 50. *Vericellus de opin. q.* 12. *num.* 5. Sed Judices fori conſcientiæ, ut ſunt Epiſcopi, & alii ordinarii habentes jus reſervandi ſibi caſus, illum blaſphemum vocant conſuetudinarium, qui ultrà quatuor vices interpollatas blaſphemavit.

3 Ità Alexander Ludoviſius Archiepiſcopus Bononienſis ſuper ſuos caſus reſervatos Anno 1615. poſteà Gregorius XV. Joannes Linatus Nobilis Parmenſis Epiſcopus Placentinus, anno 1624. dixit conſuetudinarium, qui laborat diebus feſtis, ultrà quatuor vices. Archiepiſcopus Neapolitanus eundem numerum ſtatuit referente Graffio *in praxi caſuum reſerv. lib.* 1. *cap.* 10. *initio*. *Lazar. q.* 8. *de blaſphem. num.* 5. *Homob. de caſib. reſerv. part.* 2. *caſu* 1. *Belloch. in praxi morali par.* 2. *q.* 1. *num* 242. & *q.* 11. *num.* 6. quos pro ſe citat

*Lupus*

*Lupus de caſibus Bergami part.* 2. *caſu* 11. *num.* 4. *&* 5. ubi refert, ità declaraſſe Epiſcopum Bergomenſem in Synodo celebrata Anno 1628. Arca Vitalis Inquiſit. *Un. de blaſph. num.* 40. Defendens Quadrius de caſibus comenſ. *diſp.* 2. *q.* 1. *num.* 118. *Sayr. lib.* 6. *Clavis cap.* 13. *num.* 11. *in Addit. Mazuchellus cit. num* 85. & aliis apud eoldem. Ergò idem judicium facere debent reſpectu S. Inquiſitionis. Confirmatur, quia aliquid indulgendum eſt lubrico linguæ, & ità facilè non eſt trahendum ad pœnam, *l Famoſum ff. ad leg. ſul. majeſt* Tùm quia fit habitus ex frequentatis actibus, ac proindè non ſufficiunt tres, nec quatuor. Tùm quia licèt *Gloſ. in cap. Moſ.* 4. *diſt.* 1. dicat binum actum inducedere conſuetudinem, & repetitur ab alia *Gloſa V Uſum, cap ità nos* 25. 25. *q.* 2. Iterùm *V. Frequentare, cap. Monaſteria* 8. *de vita, & honeſt. cler.* arguendo à textu Canonum, nihilominùs prę-terquamquòd eſt nimis rigidus talis numerus binarius, non magis deducitur iſte numerus minor, quam alter major à dictis canonibus. Prætereà neſcio, quo jure, qua ratione conſtituatur in ſuo eſſe conſuetudo, per unum, vel alterum actum, dum ea fit tamquàm habitus ex frequentatis actibus, neque unicus actus ſufficit ad introducendam conſuetudinem, quæ per ſecundùm recipiat ſuum eſſe, cum non poſſit illa radicari per unum, neque per alterum actum, ſed per plures alios in ſententia eorum omnium, qui dicunt habitum acquiri ex frequentatis actibus; frequentia enim importat pluſquàm duos actus, imò tres, & quatuor. Ità videtur ſentire Locatus V. Blaſphemia §. Si autem per hæc verba: *Si inveniantur pluries, & frequentèr &c.* Iſta enim geminatio arguit ultrà numerum quaternarium. Eadem verba referuntur *in direct. Inquiſit. par.* 2. *q* 41. *Albertinus de Agnoſcend. q.* 6. *num.* 20. requirens pluſquàm tres reiterationes, quem citat Joſua *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 19. Hos ſequitur *Quar. V. Blaſphemia in Addit. & Lupus in edictum S. Inquiſit. lib.* 23. *diſt.* 5. *diffic.* 5. *Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 26. videtur nobiſcum ſentire, quamvis ibidem dicat cum Menochio relinquendum eſſe arbitrio judicis determinare de numero actuum ponentium conſuetudinem. Vide *Farin q.* 20. *num.* 43.

Secunda pars, quòd parum refert, an quinque blaſphemiæ ſint verba eadem, vel diverſa, modo omnes ſint hæreticales, ut probo
4 ſub num. 13. probatur. *Tùm quia* hujuſmodi blaſphemiæ licèt Eterogeneæ ſint quoad materiale, ſunt tamen homogeneæ quoad formale, quia omnes ſunt ejuſdem ſpeciei, cum ſivè ſint contrà Deum, aut ejus Sanctos adverſentur unicæ virtuti religionis præſcribentis cultum veri Dei, & ejus Sanctorum, in quibus ille laudatur, juxtà illud Pſal. 150. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Servus Dei benedicendo de Sanctis, Deum laudat, ſicut ſervus Diaboli maledicendo Sanctis, Deum vituperat; eſt ergò eadem deformitas oppoſita uni Religionis virtuti, ex communi Doctorum *apud Sanchez lib.* 2. *cap.* 32. *nu.* 38. Cum ergò ſint unius ſpeciei formalitèr, quòd attenditur à judice, cujus finis eſt, caſtigare blaſphemantes cum derogatione ho-

ne honoris, & cultus divini, non poteſt obſtare diverſitas materialis verborum ad inducendam conſuetudinem blaſphemandi.

5 *Tùm quia* peccata etiam diverſæ ſpeciei, magnam connexionem habent ad invicem, quia includunt avverſionem à Deo, & converſionem ad creaturas, at unum trahit ad aliud ſuo gravi pondere, ſecundùm D Gregorium, juxtà illud Pſal. 41. 8. *Abyſſus, abyſſum invocat*. Et in cap. *Excommunicamus* 13. *de hæret.* dicitur, quòd hæretici caudas habent colligatas ad invicem, quia de vanitate conveniunt in idipſum, hoc eſt, impugnant divinam fidem ſuis vanis, & pravis obloquiis, & erroribus; habentes ergò hæretici blaſphematores caudas, hoc eſt, hæreſes, & blaſphemias colligatas contrà Divinum cultum, & virtutem fidei, facilè ex earum multiplicatione, & variatione materiali inducitur conſuetudo.

*Tùm quia* Judex intendit punire blaſphemum, ratione formalitatis blaſphemiæ, quatenùs ea eſt deformitas oppoſita virtuti religionis, & fidei; ergò ea diverſitas materialis non obſtat, quia dicatur conſuetudinarius, dum punitur præſertim blaſphemus vehementèr ſuſpectus de hæreſi, qui ſupponitur conſuetudinarius in blaſphemiis hæreticalibus.

Dices, conſuetudo inducitur per actus uniformes. *Barb. in l. 2. ff. ſolut matrim. Decius conſ.* 214. *num.* 3. *Nonius conſ.* 48. *num.* 14. *ex M. Antonino lib.* 1. *reſol.* 46. *num.* 4. Ergò debent eſſe blaſphemiæ uniformes quo ad vocabula, & dictiones.

6 R. Illos Doctores loqui de conſuetudine, quæ tranſit in legem, vel legi derogat, quam amplecti malum non eſt, ſed bonum; quandò enim eſt legitimè præſcripta, ut lex, ſervatur. Nos verò loquimur de prava conſuetudine, quæ eſt quidam habitus pravus ad malè agendum, quæ nunquàm poteſt tranſire in legem, neque legi derogare, nomen potiùs mœretur pravi habitus, quàm conſuetudinis, undè dicimus, ille homo eſt habituatus, & ſolitus blaſphemare, ludere, inebriari, &c.

7 Tertia pars, quòd illi quinque actus blaſphemiæ, ut inducant conſuetudinem, debent eſſe interpollati, & non unico impetu prolati. Probatur, quia pluralitas numerica, ſicut & unitas menſuratur ab objectis mediantibus actibus, qui ſi tendunt ſucceſſivè in idem ſinè interruptione, reputantur unicum peccatum, ſi verò interrumpuntur, & unus actus ab alio non dependeat, arguitur pluralitas peccatorum, tot nempè eſſe numero, quot ſunt actus interpoſiti. Ità Theologi, dum agunt de diſtinctione numerica peccatorum. Undè ſi quis unico impetu iræ plures immediatè ſucceſſivè profert blaſphemias, unica reputatur, quia ad unicum referuntur pravum finem, nimirùm ad explendam iram. Confirmatur, quia ea maledicentia continuata eſt unicus ſermo completus ex verbis extremis; ergò unicam arguit blaſphemiam; unitorum enim eſt, ut ad unam reducantur ſubſtantiam, & determinationem, *l. excuſantur* 2. *ff. de excuſat. tutor. l. in rem* 24. §. *Item quæcumque ff. de rei vendic. ex M. Anton. lib.* 2. *reſol.* 31. Deindè qui pluries eodem contextu

8

verborum appellavit, dicitur ſemel appellaſſe, *ex Gloſ. V. appellavit, cap. Lota ius* 4. 31. *q.* 2. Et qui legavit pluries eandem rem in eodem teſtamento, ſemel legaſſe cenſetur, *l. cum quæſtio* 23. *§. Sed & aliam C. de legat. ex Navar. cap.* 6. *num.* 17. Ità docent omnes præcitati *ſub num.* 2. *Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 28. *Compend. Bullarii ad Bullam* 23. *Julii III. in* 2. *Scbol. Naldus* 11. *blaſphemia num.* 3.

Dubitatur autem, an hæc interpollatio importet intervallum ſaltem unius diei, adeò quòd iſte numerus quinarius blaſphemiarum uno prolatarum die, ſufficiat ad inducendam conſuetudinem, vel neceſſarium ſit, quòd probatæ ſint in diverſis diebus accidiſſe?

9 R. Non ſufficit, quòd eodem die ſint omnes quinque blaſphemiæ, etiam diverſis horis prolatæ, ſed debent probari pluribus diverſis diebus accidiſſe. Nam duo poſtulat habituatio, ſeù con-
10 ſuetudo, frequentiam actuum, & diuturnitatem temporis, ità quamplures apud Sperellum *par.* 1 *deciſ.* 67. *num* 20. *Riccius p.* 2. *reſol* 51. *num* 3. Qui licèt loquantur de conſuetudine deſtructiva juris, tamen convenit cum habituatione in modo acquirendi, & inducendi conſuetudinem, quo ad ejus initium. Confirmatur ex declaratione facta ab Epiſcopo Cornazzano Parmenſi bonæ memoriæ, qui Anno 1623. declaravit, eam eſſe blaſphemiam conſuetudinariam, quæ ab ultima confeſſione ſepties non eodem
11 die prolata eſt. Frequentia igitùr actuum reſpicit numerum quinarium, diuturnitas verò temporis pluralitatem dierum; qui enim centies eodem die blaſphemavit, non dicitur eſſe diuturnus in blaſphemia. *Vid. Decian. lib* 6. *c.* 3. *num.* 26. *Cepollam conſ.* 78. *de interpollatis temporibus.*

12 Quarta pars, de duobus integris teſtibus ad probandam conſuetudinem, affirmatur ab omnibus, teſte *Maſcardo concl.* 424. *num* 13. Rem latiùs examino infrà caſu trigeſimo ſexto.

Dubitatur, an conſuetudinarius probetur blaſphemus ille, qui in ebrietate ſemel, aut iterùm blaſphemavit? Reſpondetur in ſequenti caſu num 9.

Difficultas eſt, an probatus conſuetudinarius in blaſphemiis non hæreticalibus, cenſeatur talis reſpectu hæreticalium, an verò debeatur probari conſuetus præcisè in hæreticalibus. Videtur affirmandum, quia omnes blaſphemiæ ſunt unius ſpeciei, ut fuit probatum ſupra hìc num. 4. Ergò parùm refert probare qualitatem blaſphemiæ hæreticalis, vel ſimplicis, quandò probatum fuit inquiſitum eſſe ſolitum blaſphemare.

13 R. Eſſe probandam conſvetudinem, ſecundùm qualitatem hæreſis in hoc officio, quia in eo punitur blaſphemus qualificatus, & habitus pro ſuſpecto de hæreſi, & cum conſuetudinarius habeatur pro ſuſpecto vehementèr de hæreſi, ideò conſuetudo blaſphemandi probanda eſt in terminis blaſphemiæ hæreticalis, quia quandò qualitas aliqua ſpectatur in delicto
14 in ordine ad judicium, & punitionem, ea in terminis ſuis

pro-

probanda eſt, *l. non ignorat qu. C. de jis, qui actus.* Nam qualitas requiſita ad aliquam diſpoſitionem ea probanda eſt, *l. Fulcinius §. 1. ff. ex quibus cauſ. in poſs. M. Socinus de teſtib. numer.* 4. *apud Ziletum, & Ciarlin. cap.* 2. *numer.* 33. *& cap.* 10. *numer.* 77. Confirmatur, quia conſuetudo non extenditur de caſu ad caſum, *Natta conſil.* 46. *numer.* 2. *Surd. deciſ.* 87. *num.* 12. *M. Ant lib.* 2. *reſol.* 30. *num.* 6. ac proindè non extenditur à blaſphemiis ſimplicibus ad hæreticales; poteſt enim quis eſſe ſolitus blaſphemare ſimpliciter, & non hæreticaliter, & è contrà, quia una blaſphemia non eſt diſpoſitio ad aliam.

# CASUS XXXIV.

## An Ira, Ebrietas, Ludus, & Jocus excuſent à pœna, & ab inductione conſuetudinis.

1 PRæmitto triplicem iræ, & ebrietatis diſtinctionem poſitam *à Carena par. 2. tit. 7. num. 32.* leviſſimam, quæ mentem non turbat, ſed hominem facit hilarem; & hæc in nullo excuſat, nec pœnam minuit, ex *Baldo in l. 1. c. Undè vi, num. 40.* neque enim æquum eſt, ut ex ſua iniquitate reportet commodum, quandò pœnam mœretur, cum plenum habeat uſum rationis.

2 Levis verò eſt ea, per quam calor vini mentem turbat, ſed non omninò facit perdere uſum rationis; hæc pœnam minuit, non tamen à tota liberat. Ità *Laderchius conſ. 207 Joannes Anania in cap. 2. de Maled. Gregorius Lopez tit. 28. partita 7. Gloſ. 1. §. Quid autem in ebrio.*

3 Magna demùm ira, ſeù ebrietas eſt illa, quæ mentem domit, & uſum rationis tollit, ità ut ebrius, ſeù iratus, ignoret quid dicat. *Laderchius citatus, Azor. p. 1. lib 9. c. 28. q. 17.* in his blaſphemans in magna ira, ſeù ebrietate excuſatur à peccato, ſecundùm omnes Caſiſtas, quia nullum peccatum niſi voluntarium, caret autem voluntario agens ſinè advertentia, & uſu rationis, quia ſecun-

4 dùm Ariſtotelem, & veritatem, voluntarium eſt id, quod eſt in agente cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio; ſi ergò tunc excuſatur à peccato, immunis quoque erit à pœna, quia pœna non punitur carens culpa, *l. Sancimus 22. C. de pœnis*; ſunt enim correlativa ad invicem, ac proindè poſito uno, ponitur & alterum, ad quod facit *Reg. 23. in 6.* ſinè culpa, niſi ſubſit cauſa, aliquis non eſt puniendus.

5 Privatus igitùr uſu rationis per iram, aut ebrietatem, ſeù per infirmitatem, blaſphemans non eſt puniendus, quia non deliquit, ac ſi eſſet infans, vel ſtultus, aut furioſus; iſti enim quoad culpam, & pœnam comparantur ad invicem, *cap. Venter. 5. diſt. 35 l. omne delictum 6 §. Per vinum de re milit. Ità Direct par. 3. com 14. §. De eo verò. Lupus lib 23. diſt. 1. difficul. 3. Carena par. 2. tit. 7. num. 32. §. Magna.*

Sed difficultas eſt, an id habeat locum, quandò iratus, vel ebrius eſt habituatus in blaſphemando, nam conſuetudo nota ipſi ebrio, cauſa eſt blaſphemiæ; ergò peccatum blaſphemiæ tale eſt in cauſa, ſi non in ſe, hoc eſt, blaſphemia eſt voluntariè prolata in cauſa conſuetudinis. Multi affirmant, blaſphemantes ex conſuetudine in ira, ſeù ebrietate magna, peccare.

Nihilo-

6 Nihilominùs dicendum eſt, blaſphemiam non imputari ob rationem dictam, quia blaſphemia caret voluntario, ſuppoſito tamen, quòd antè iram, vel ebrietatem præviderit futuram blaſphemiam; in caſu enim præviſionis blaſphemia eſt verè peccaminoſa, quia voluntaria in cauſa præviſa. Ità *Navar. cap.* 12. *num.* 84. *Sayrus lib.* 6. *Clavis cap.* 13. *num.* 6. Hæc opinio nunc communis eſt, quam in juramento, & aliis tenet *Sanchez lib.* 3. *cap.* 5. quamplures citat *Mazuchellus de caſib. reſerv. diſp.* 2. *cap.* 16. *diffic.* 4.

7 Notandum autem eſt, quòd ira aliquandò oritur ex cauſa licita, ut quandò duo litigant, ſeù altercantur ſuper aliquo negotio, vel Pater iraſcitur filio; Patronus famulo; ſecundò ex cauſa illicita, ut ex ludo, vel ex alio actu illicito. In primo caſu minùs puniuntur, undè quidam ruſticus altercando cum Domino ſuo abſolutus fuit à Curia Neapolitana, eò quòd inconſideratè dixerat: Deus non poteſt facere, quod tenear ad tantas operas. Ità refert *Carena par.* 2 *tit.* 7. *num.* 30. *Vide Farinacium q* 20. *à num.* 48. de delictis, & pœnis, referentem cauſas licitas, & illicitas iraſcendi. In ſecundo verò caſu punitur, ac ſi non eſſet iratus, niſi ſe correxerit in incontinenti. Ità *Riccius par.* 2. *reſol.* 9. *fine, & part.* 3. *reſol.* 44. *num.* 5. *& citat Tiraquel. de pœnis temper. cauſ.* 42. *plura dicens.*

Quæ hactenùs diximus, potiùs locum habent in foro conſcientiæ, quàm in hoc Tribunali, in quo non creditur reo, ſicut in illo, niſi concludentèr probet per teſtes, ſe tempore blaſphemiæ carviſſe uſu rationis, quod videtur multum difficile probatione, cum ea, quæ latent in mente, videantur improbabilia. Quare in cap. *Si quis iratus* 5. 2. q. 3. dicitur, quòd quicquid calore iracun-
8 diæ fit, vel dicitur, non eſt imputandum, niſi adſit reiteratio blaſphemiæ facta in furore, tunc videtur habere adjunctum uſum rationis, hoc ipſo, quòd blaſphemia imputatur ad peccatum, quod cum uſu rationis admittitur. Quomodò autem iratus probetur carere uſu rationis, dicam in ſequenti caſu.

An autem actus blaſphemiæ in magno furore iræ, ſeù ebrietatis probet conſuetudinem? v. g. probavi Petrum diverſis temporibus blaſphemaſſe quinquies, & inter has vices blaſphemavit ſemel in magna ira, ſeù ebrietate. Nunquid manet probata conſuetudo defectu unius blaſphemiæ peccaminoſæ?

9 R. Affirmativè, tùm quia ex frequentatis actibus acquiritur habitus, & conſuetudo, atque facilitas ad agendum etiam in brutis ratione carentibus, *Scotus in* 3. *diſt.* 33. *ex Maſtrio, Meldul. diſp.* 3. *de Anima q.* 2. *num.* 7. ergò carentia uſus rationis in ebriis, & iratis, non impedit inductionem conſuetudinis, quæ habituat, & facilitat hominem ad blaſphemandum.

Confirmatur, quia conſuetudo, & habituatio ad facilè blaſphemandum, non eſt peccatum, ſed effectus ipſius peccati, relictus ex actibus peccatorum præcedentium, undè ea contingere poteſt, & acquiri etiam à carentibus ratione, cum non ſit peccatum, licèt ex peccato repetito generetur.

Luſores

10 Luſores in ludo blaſphemantes, quod regularitèr illis accidere ſolet in ira, gravitèr ſunt puniendi, quia dant operam rei illicitæ, cum ludus taxillorum, & alearum ſit prohibitus, undè provenit ira ex cauſa illicita. Interdicitur autem clericis, *capit. Clerici* 15. *de vita, & honeſt.* & ſi non deſiſtunt, ſunt deponendi, vel excommunicandi, *cap.* 1. *diſt.* 35. Ludus ergò auget in his crimen blaſphemiæ, ira verò in ludendo quandoque minuit crimen, & pœnam, juxtà ſuperiùs dicta.

11 Qui joco, & facetè, & per lubricum linguæ proferunt blaſphemias hæreticales, ſunt gravitèr puniendi, quia non ſunt miſcenda ſacra profanis, nam jocus movet audientes ad riſum, *cap. nullus* 7. *diſt.* 44. *cap.* 1. *ne Cler. vel Mon.* Deus autem cum Sanctis ſuis non eſt irridendus, nec ſubſannandus, cum id ſit contrà illos maximum convitium, & inducat ſuſpicionem hæreſis, ſed laudandus, & benedicendus; undè licèt jura habeant, ea, quæ joco fiunt,

12 non mereri pœnam *l.* 1. §. *Divus ff. ad leg. Cornel. de Siccariis, cap.* 1. *de ſent. excom.* Tamen cum in caſu noſtro jocus redundet in contemptum Dei, & in majeſtatis ſuæ contumeliam, qui blaſphemat jocosè, ſeverè eſt puniendus, etiam ſi alleget, verba jocosè protuliſſe, quia ex ſua iniquitate non debet reportare commodum. Ità Directorium *part.* 3. *com.* 14. §. *Et quamvis, Farinacius de hæreſ. q.* 179. *num.* 48. cum illis *Carena par.* 2. *tit.* 7. *num.* 34. *Souſa lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 12.

CASUS

# CASUS XXXV.

## Quomodò probatur magna ira, & ebrietas ad excuſandum blaſphemum à pœnis?



1 DIximus in præcedenti caſu, quòd iratus, & ebrius vehementèr, ac proindè proferẽs blaſphemias mente alienatus, ſicut excuſatur à peccato, ità immunis quoque à pœna eſſe debet, quia pœna ſupponit culpam, quæ non reperitur in agente ſinè uſu rationis. Non eſt difficile probare iram, & ebrietatem ex actibus ipſius furioſi, ſed arduum eſt, & perdifficile probare earum qualitatem, quòd ſcilicèt blaſphemaverit in ira, & ebrietate magna, ſcilicèt cum carentia uſus rationis, quæ ſolet in mente, & animo latere. Paritèr quales teſtes ſufficiant, an ſingulares, an conteſtes?

2 Ad probandam ſimplicitèr ebrietatem ſufficiunt indicia, & præſumptiones, inquit *Maſcard. concl.* 578. *initio tomi ſecundi*, non ſufficit autem deponere ſe vidiſſe talem perſonam eſſe ebriam, ſed reddere debet rationem, quæ petitur à cauſa inebriativa, vel ab effectu inebriationis, à cauſa quidem, ſi aſſerat ſe illum vidiſſe bibere pluries, & maximè in conviviis, in quibus ſolent contingere ebrietates præ nimio, & generoſo vino, *arg. cap. & ſi Cbriſtus de jure jur.* indicium quoque eſt, quandò habet faciem immutatam, pallidam, vel rubicundam, nimis ſolito, nam pallor oſtendit nimium vinum affligere corpus, rubor verò fervere nimio calore contracto ex inordinata potatione. Sed hæc ſigna meo judicio probant ſimplicitèr ebrietatem, non verò eandem qualificatam, carentia uſus rationis, non pluralitas potationum dum blaſphemat.

3 Sequentia autem indicia ego aſſigno, *Primum* eſt ebrii locutio extrà propoſitum, cum ſcilicèt in diſcurſu diverſa loquitur, quæ ad invicem convenientiam non habent, ſicut etiam quandò interrogatus ſuper una re, reſpondet ſuper alia diverſa. Iſtæ ergò locutiones inordinatæ arguunt loquentem eſſe extrà ſe, & carere uſu rationis. *Secundum*, quandò ebrius ſtare non poteſt per ſe in pedibus ſuis, ſed modò cadit huc, modò illuc, undè illi neceſsè eſt jacere, ut belva, in terra. *Tertium*, quandò donat aliquid non levis pretii, nam ut habet Vulgus: *Donare ſtultorum eſt*. Et benè loquitur Vulgus, quia donare eſt perdere, & ſuum projicere. *Quartum*, quandò facit inſolita, & indecentia ſtatui ſuo, alioquin vir bonæ famæ; tunc enim dicitur ſui oblitus defectu mentis.

mentis. De ebriis tractat præcitatus *Muſcard concl.* 578. *Paulus Rubeus ad deciſ.* 28. *à num.* 48. ubi an liceat inebriari, *uſque ad num.* 229. Multa dicit de ebriis, illuc remitto lectorem, quia multa ſcitu digna refert. *lege à nu.* 158. *ad* 164. *partis* 3. *recent.*

4 Teſtes autem debent eſſe ſaltem duo, non ſingulares, ſed conteſtes reſpectu actus numerici ebrietatis; parùm verò refert, ſi diſcordant in rationibus reddendis, ut ſi unus dicat, quòd ebrius huc, illocque cadebat, alter verò, quòd extrà propoſitum loquebatur, nam dictum unius coadjuvat dictum alterius reſpectu carentiæ rationis, quod intenditur tamquàm principale negotium, ſufficientèr probatum illis depoſitionibus licèt diverſis, idem tamen probantibus.

5 Quæ dicta ſunt de ebrio, locum ſibi vindicant in iracundo, nam ferè eiſdem ſignis probatur carentia mentis in iracundo, quæ concurrunt ad probandam eandem in ebrio; præſertim primum, & quartum indicia; & quandò ſe quaſi tradit deſperationi in magnum furorem verſus.

CASUS

# CASUS XXXVI.

## Quomodò probetur quis habituatus in blaſphemia?



Ictum fuit in 33. caſu, ut quis dicatur Conſuetudinarius in blaſphemia, requiri per noſtram ſententiam, quòd diverſis vicibus blaſphemaverit quinquies, ut minimum. Modò quærendum eſt, quomodò hæc conſuetudo quinaria probanda ſit, per quot, & quales teſtes, nam conſuetudo non præſumitur, ſed probatur, cum ea ſit quid facti, *Gratianus cap.* 740. *num.* 22. multis allegatis, & ea probanda eſt in terminis, *Jaſon cum aliis in l. de quibus ff. de legib. not.* 2. *Surdus lib* 3. *conſ.* 382. *num.* 70. Deponendum eſt de diuturnitate temporis, & de frequentia actuum, *Craveta conſ.* 134. *num.* 6. *Rota vol* 2. *deciſ.* 19. *num* 4 *Ciarlin. tom.* 1 *cap.* 106. *nu.* 6. *Sperellus part.* 1. *deciſ.* 67. *num.* 20. & probari debet in ſpecie, & in caſu, de quo agitur. *Curtius junior conſ.* 26. *num.* 10. *Aymon conſ.* 96. *num.* 4. cum multis aliis idem *Sperellus num.* 21. Qui præfatus *Aymon conſ.* 325. apud *Riccium par.* 2. *reſol.* 51. *nu.* 3. ait, magnam eſſe neceſſariam diligentiam in formandis capitulis, cum plenè probanda ſit. Sequentia autem ſunt obſervanda per judicem, & teſtes deponentes de prava conſuetudine blaſphemi denuntiati.

2 Primò debet interrogare teſtem, quot vicibus, & interpollatis diebus audivit blaſphemantem, ut conſtet de numero, & de vicibus, atque diverſis diebus; hæc enim duo, nempè numerus blaſphemiarum, & diverſitas dierum articulanda ſunt, ut conſtet, an ſit conſuetudinarius, nec ne. Id enim multùm importat tàm Fiſco, quàm ipſi reo, ut conſtituatur ſuſpectus vehementèr, vel levitèr de hæreſi.

3 Secundò ſufficiunt duo teſtes omni exceptione majores, ad convincendum reum de conſuetudine blaſphemiæ; in ore enim duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum. Quòd ſi alter eorum patitur exceptionem, debet per Fiſcum coadjuvari aliorum adminiculis, aliter non dicitur plenè, & concludenter probata conſuetudo. *Caſtropal. p.* 1. *tract* 3. *diſp.* 3. *p.* 6 *num* 8. *aliis citatis Maſcard. concl.* 424 *num.* 4 *&* 13.

4 Tertiò iſti duo teſtes non neceſſariò debent eſſe conteſtes in tempore, & loco, ſed ſufficit, quòd conveniant in eo, quòd audiverunt denuntiatum proferentem blaſphemias hæreticales, ſivè eodem tempore, & loco, ſivè diverſis. Ratio eſt, quia ità exigit natura conſuetudinis, ut inducatur ex replicatione actuum, & blaſphemiarum ſucceſſivè prolatarum diverſis diebus; non ergò neceſſaria eſt convenientia tem-

poris, neque loci identitas, à qua non dependet prolatio plurium blaſphemiarum, quæ accidere poſſunt in diverſis locis; rarò enim probaretur conſuetudo, ſi pluralitas blaſphemiarum deberet accidere in eodem loco. Quòd
5 ſufficiant teſtes ſingulares, quo ad locum, & tempus, docent allegati *à Maſcardo concl.* 424. *num.* 12. *&* 15. *&* 70 ubi ait, frequentiam probatam ex diverſis actibus per ſingulares teſtes inferre conſuetudinem. *Farinac. q.* 64. *de oppoſit. contrà dicta teſt. num* 190. & magis ad rem noſtram num. 192. quandò agitur de frequentia actuum, & diuturnitate eorum, & de eiſdem in genere, ut in caſu noſtro, in quo ſufficit probare diuturnitatem, & pluralitatem actuum in genere blaſphemiæ formalis, non materialis; undè ſufficit, quòd unus deponat e.g quòd protulerit talia verba blaſphemiæ, & alter diverſa, imò ambo diverſa, dummodò probent numerum quinarium. Ità in terminis noſtris Souſa in fine. *Aphoriſm. q Un. de teſtib. ſingul. in cauſis fidei ſect.* 2. *num.* 11. *&* 21. Plures alios in hanc ſententiam citat Diana contrà ſe *reſol.* 31. *tract.* 7. *part.* 4. Carena verò, & cum eo Diana citatus, *par.* 2. *tit.* 7. *num.* 27. cum multis aliis aſſerit, conſuetudinem blaſphemandi non probari per teſtes ſingulares, cum quibus eſt *Alexander conſ.* 72. *lib.* 1. *apud Farinac. q.* 64. *num.* 288. *& Maſcard. concl.* 194. *num.* 1. *&* 2. *Gratian. cap.* 93. *num.* 16. Sed cum primis ſtandum eſt, quia licèt ſint ſingulares quoad blaſphemias materialitèr prolatas, tamen conveniunt in ſubſtantia, & formalitate hæreſis, quod ſufficit ad probandam conſuetudinem, quæ habet tractum ſucceſſivum ex diverſitate actuum materialium.

6 Quartò, deponens, denuntiatum habere malum uſum blaſphemandi, eſſe ſolitum blaſphemare, in ore ſemper habere blaſphemias, in ſententia noſtra concludentèr non probat conſuetudinem, eò quòd debet exprimere numerum quinarium, licèt ex communiori ſententia, rigida tamen in hac materia, duo, vel tres actus interpollati ſufficiant ad conſuetudinem inducendam, ut refert Diana ſupracitatus *part* 6. *tract.* 5. *reſol.* 7. per ea ergò verba non probatur quinarius numerus in terminis noſtris.

7 Sextò, non ſufficit, quòd unus teſtis deponat de duabus vicibus, & alter de tribus, quia ſunt ſingulares in probando numero quinario, & partiales, in quo numero eſſentialitèr conſiſtit exiſtentia conſuetudinis, ideò unuſquiſque teſtis per ſe deponere debet de numero quinario.

8 Nec dicas id obſtare ſupradictis, ex eo quòd ſufficit, unum teſtem deponere de duabus blaſphemiis, & alterum de reliquis tribus, ex quibus conflatur numerus quinarius. Nam reſpondetur aliud eſſe probare delictum blaſphemię, quod in genere probatur, cum omnes blaſphemiæ in ſuo genere ſint unius ſpeciei, licèt vocabula ſint diverſa; aliud probare ejus conſuetudinem conſiſtentem in quinario numero, qui ab utroque in terminis probandus eſt, & unus non eſt coadjuvandus ab alio; eſſentia ergò, & ſubſtantia blaſphemiæ conſiſtit in derogatione honoris Dei, & diſcre-

diſcredentia articulorum fidei, in qua teſtes conveniunt, dum deponunt de diverſis verbis, quæ repræſentant prædictam derogationem, & diſcredentiam. Subſtantia verò conſuetudinis, quæ probatur ineſſe blaſphemo, conſiſtit in illo quinario numero, ideò is adequatè probandus eſt ab utroque integralitèr.

Septimò non ſufficit probare, quem eſſe conſuetum blaſphemare ſimplicitèr, hoc eſt, proferre blaſphemias non hæreticales, quia per has non probatur blaſphemus hæreticalis, ſed tantùm ſimplex, contrà quem non agit Inquiſitor, niſi quandò cum blaſphemiis ſimplicibus probatur reus ſimul blaſphemiarum hæreticalium; conſuetudo enim in terminis blaſphemiarum hæreticalium probanda eſt, ut dictum fuit ſub caſu 33.

# CASUS XXXVII.

## An correctio fraterna præmittenda sit antè denuntiationem?

1 PRinceps Evangelistarum, Matthæus Apostolus capit. 18. 15. præceptum Christi de correctione fraterna facienda proximo peccatori, refert per hæc verba: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ; Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Idem præceptum refert Lucas 17. 3. his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi, etsi septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens. Pœnitet me. Dimitte illi.* Explicanda sunt singula verba, quæ magnum continent mysterium.

2 *Si peccaverit*, sermo hic est de omni genere peccati, præsertim mortalis, sivè sit contrà bonum publicum, sivè non, quia omne peccatum uti malum animæ eget emendatione *S. Aug. serm. 16. de verbis Domini*; *S. Bonav. in præcitatum cap. 17. Lucæ, cum illis Layman lib. 2. tract. 3. cap. 7. §. de correctione.*

3 *In te*, ideſt, contrà te, seù coram te ex eisdem Sanctis, seù contrà te læsum; *Glos. in cap. si peccaverit* 19. 2. *q.* 1.

4 Frater tuus. Nunquid filius corrigit Patrem, & subditus superiorem? utique, quia quilibet Christianus, est frater, juxtà illud Matthæi 23. 8. *Omnes autem vos fratres estis.* D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 4.

5 *Vade.* Quomodò vade, si peccavit coram te? *Vade*, ideſt, cogita, an tunc sit locus correctioni, & quibus verbis debes illum corrigere, considerando illud Concilii Aquisgranensis cap. 9. post

6 medium inquientis: *Qui alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus.*

7 *Et corripe eum.* Correctio placidis verbis facienda est, tempore, & loco, quibus emendatio speratur. Corripe, ideſt, cor ejus rape, & trahe cum fructu ad emendationem.

8 *Inter te, & ipsum solum.* Cum peccatum est occultum, correctio facienda est peccatori, aliis non audientibus, alitèr correctio non est, sed proditio criminis proximi, inquit D. Augustinus loco citato.

9 *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Finis correctionis est fructus, & emendatio fratris, undè si probabilitèr non speras emendationem ejus, non teneris illum corrigere, secundùm omnes cum S. Aug. hom 20. illis verbis: *Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Diana p. 3. tract.*

3. *tract.* 4. *reſol.* 80. *qui par.* 7. *fusè tract.* 3. agit de correctione fraterna-

10 *Si te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos teſtes.* Peccator non ſe corrigens ſuavi exhortatione ſibi à fratre facta, ut reſcipiſcat, & ad cor redeat, & ut erubeſcat de ſuo peccato, adhibendus eſt unus, vel duo teſtes, ut, cum occaſio ſe obtulerit, poſſint teſtificari de ejus incorrectione coram Judice. Vide *Miranda de ordine judic. q.* 11. *art.* 6.

11 *Quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ*, ideſt, Paſtoribus, & Prælatis Eccleſiæ, ſub quibus verbis venit etiam Inquiſitor. Et ex hoc capite jus corrigendi, & puniendi hæreticos, & de hæreſi ſuſpectos Inquiſitores habent.

Dubitatur ergò, an, omiſſa correctione fraterna, poſſit fieri denuntiatio Inquiſitoribus, vel Epiſcopis hæreticorum, vel ſuſpectorum de hæreſi, cujuſmodi ſunt blaſphemi hæreticales?

12 R. Non eſt neceſſarium præmittere correctionem fraternam, ſed ſtatim, & immediatè denuntiandus eſt hæreticus, & quilibet alius de hæreſi ſuſpectus, ut blaſphemans hæreticalitèr. Probatur ratione, & auctoritate. Ratio eſt, quia ſi adhibenda eſſet correctio fraterna, hæreticus, ſeù de hæreſi ſuſpectus, ad evitandam pœnam judicis, oſtenderet, ſe emendatum, & fortè talis non eſſet animo, qualem ſe verbo oſtendit, & ſic ferè ſemper eluderetur Sanctum Tribunal, quia poſito fructu correctionis, ceſſat obligatio denuntiationis, quæ ordinatur ad emendationem. Auctoritas terè eſt communis ſententia Doctorum cum *S. Thoma* 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *in corpore*, ubi expreſsè dicit, hæreticum eſſe ſtatim denuntiandum. *Peyrin. de ſubdito q.* 1. *§.* 2. *verſ. Reſpondeo*, reſtringendo ad hæreticum formalem, *Carena par.* 2. *tit.* 9. *num.* 16. *Vide Dianam p.* 7. *tract.* 3. *reſol.* 63. referentem opiniones in cauſa hæreſis, *Salelles Reg.* 153. *num.* 65. *Alberghin. cap* 37. ubi latè quæſtionem tractat, reſpondendo rationibus contrariæ ſententiæ

Quoad blaſphemiam, & alios de hæreſi ſuſpectos, *Pegna par* 2. *direct. comment.* 18. *cum aliis Carena cit. nu.* 18. *§.* In qua re. Inter præcitatos aliqui volunt eſſe præmittendam correctionem, quandò probabilitèr ſperatur emendatio; ſed id præſcire valdè difficile eſt, ideò non video probabilitatem in hæretico pertinaci, neque in blaſphemo, maximè ſolito prorumpere in blaſphemias hæreticales, quem denuntiandum eſſe, omiſſa correctione fraterna, docet *Lupus lib.* 23. *diſt.* 3. *art.* 1. *diffic.* 2. *verſ. Tertiò.*

De correctione fraterna plura dicit Miranda de ordine judiciar. in tribus quæſtionibus 9. 10. & 11. Spatharius de modo corrigendi Regulares tract. 4. per totum.

CASUS

# CASUS XXXVIII.

## De obligatione denuntiandi Blaſphemos.

1 EManavit à Sacra Congregatione S. Generalis Inquiſitionis Romanæ, edictum de denuntiandis hæreticis, & ſuſpectis de hæreſi, publicandum à ſingulis Inquiſitoribus in Civitatibus, & aliis locis ſibi ſubjectis, inter quæ reperitur ſequens de blaſphemia his verbis conceptum.

2 *Che contro Dio, ò de ſuoi Santi, e particolarmente contro della Beatiſſima Vergine Maria, proferiſcono beſtemie hæreticali.* Edictum refert ad verbum Lupus initio ſui operis inſcripti. *Commentarium in Edictum. Salelles par. 1. in fine Reg. 51. ſub num. 53. Carena part. 2. tit. 9 §. 7.*

3 Certum eſt ex hoc edicto, quemlibet teneri denuntiare illum, quem ſcit blaſphemaſſe hæreticaliter, ſub pœna excommunicationis reſervatæ ipſi Inquiſitori, ſeù Epiſcopo publicanti, aut ſupremo Tribunali Romano.

4 Nota autem, quòd ſcientia debet eſſe propria ejus, qui eſt denuntiaturus, & non ex auditu aliorum; qui enim audivit ab alio, non dicitur propriè ſcire, *l. Teſtium C. de teſtib.* quia ſcientia practica acquiritur propriis ſenſibus. Quòd autem ſciens ex alieno auditu non teneatur denuntiare, tenent *Corduba lib. 1. q. 43. dub. 2. §. 6. Gutierez lib. 1. Canon. cap 11. num. 71. Sanctarellus de hæreſi cap. 9. num. 16. cum illis Carena par. 7. tit. 9. num. 31. Farinac. qu. 179. de hæreſi num. 31. Vide Riccium part. 3. dict. 278.*

5 Difficultates variæ proponuntur in materia denuntiationis in cauſis fidei, & in ordine ad blaſphemiam, in cujus deteſtationem hæc tractamus. *Prima*, an omnis blaſphemus etiam non hæreticalis, & non conſuetudinarius ſit denuntiandus? *Secunda*, an qui ſemel blaſphemavit, ſit denuntiandus? *Tertia*, an habens ſub ſigillo ſecreti, excuſetur à denuntiatione? *Quarta*, an non volens probare, teneatur denuntiare? *Quinta*, an filius Patrem, & uxor virum teneatur denuntiare? *Sexta*, an Confeſſarius teneatur? *Septima*, an emendatus ſit denuntiandus? *Octava*, an quis teneatur denuntiare cũ ſuo gravi damno? *Nona*, an denuntiatio debeat fieri Inquiſitori, ut non ſatisfaciat denuntians Epiſcopo. *Decima*, an non denuntians ſit de hæreſi ſuſpectus. *Undecima*, an denuntiare teneatur complex? *Duodecima*, an quilibet per ſe ipſum debeat denuntiare? *Decimatertia*, an quælibet perſona, quamvis gravis, ſit denuntianda? *Decimaquarta*, an quilibet teneatur denuntiare? *Decimaquinta*, an quis ſe ipſum denuntiare teneatur?

neatur? *Decimaſexta*, an ſit denuntiandus defunctus? *Decimaſeptima*, an abſens ſit denuntiandus.

6 Primæ reſpondetur, quilibet blaſphemus hæreticalis tantùm eſt denuntiandus, licèt non ſit conſuetudinarius, id colligitur ex formalibus verbis noſtri edicti, ibi: *Proferiſcono beſtemmie hereticali*; nemò ergò tenetur denuntiare blaſphemos non hæreticales. Et cum nulla fiat ibi mentio de conſuetudine, etiam non ſolitus blaſphemare denuntiandus eſt; quia verè dicitur proferre blaſphemias. In edicto Mediolanenſi publicati Anno 1625. primo Octobris per Joannem Michaelem Piò, virum doctiſſimum Ordinis Prædicatorum, reſtringitur obligatio ad conſuetudinarios deferendos ibi: *Siano ſoliti proferire beſtemmie hereticali*. Commune autem edictum ab Univerſali S Inquiſitione Romana ſupracitatum edictum fuit ſub Paulo V. anno 1607. ex eodem *Satelles Reg.* 51. *num* 48. Quilibet blaſphemus denuntiandus eſt ex hoc Edicto.

*Tutti, e ciaſcuno di quelli*. Omnes, & quilibet ſunt termini univerſaliſſimi nullam perſonam excludentes, quamvis privilegiatiſſimam, nec Imperatorem, nec Reges &c. *Carena part.* 2. *tit.* 9. *num.* 28. *& ſeq.*

Secundæ reſpondetur, etiam 7 qui ſemel blaſphemavit, denuntiandus eſt, quia quævis hæreticalis blaſphemia reddit eam proferentem ſuſpectum de hæreſi licèt levitèr, undè abeſt legitima cauſa denuntiandi. Deindè dum Edictum non diſtinguit inter blaſphemos conſuetudinarios, & non tales, omnes ſub denuntiatione comprehendit. Adde, quòd Textus non utitur verbo blaſphematoris, quod poſſet ingerere oppoſitum, ſed his verbis. *Proferiſcono beſtemmie hereticali*, qui autē ſemel blaſphemat, dicitur proferre blaſphemiam. Demùm ignoratur, an qui nunc ſemel blaſphemat, aliàs blaſphemaverit; undè rarò blaſphemi denuntiarentur. *Ità Carena par.* 2. *tit.* 9. *num.* 8. *contrà Genuenſem, Lazarium, Caſtrum, Sanctarellum, & Navarrum*, quos contrà ſe citat, ea ratione, quia non videtur ſuſpectus de hæreſi, & ſi eſſet, non videtur interrogandus de fide, cur honeſtus propter eam levitatem. Sed in contrarium eſt veritas, quia ſuſpectus etiam levitèr cogitur abjurare, *cap. Accuſatus, de hæret. in* 6. & edictum de denuntiandis non diſtinguit inter ſuſpectos de hæreſi vehementèr, aut levitèr, idem utrunque genus ſuſpicionis includit. *Vide Peyrinum ad conſt.* 9. *Pauli V. num.* 25.

8 Tertiæ reſpondetur, habens ſub ſecreto blaſphemiam ab ipſomet blaſphematore, tenetur illum denuntiare, ſicut denuntiat hæreticum, quia ſecretum eſt lex privata conſiſtens in mutuo pacto, quod legem publicam hujus edicti tollere non poteſt. Ità *Suarez diſp.* 20. *de fide ſect.* 4 *num.* 17. *Sanct. cap.* 9. *num.* 10. *Farin. q.* 197 *num* 50. loquentes de hæreſi. De ſuſpectis de hæreſi ratione ſolicitationis *Diana part.* 1. *reſol.* 24. de denunt. quòd ſi per modum conſilii loquatur, ut ediſcat, quandò non eſt hæreticus pertinax, non tenetur denuntiare eum, cui bonum dedit conſilium.

9 Quartæ reſpondetur, quamvis non

non poſſit probare prolatam blaſphemiam, tamen denuntiare tenetur, quòd probatur ex differentia inter accuſationem, & denuntiationem; nam accuſator liberè defert crimen proſequendo cauſam propriam, vel ſuorum, & ideò eam probare tenetur, denuntiatur verò non liberè, ſed ut præcepto ſatisfaciat, cogitur deferre crimen blaſphemiæ, præcisè ſinè alia obligatione; ex officio verò judex tenetur probare blaſphemiam ſibi delatam, inquirendo, ſi alii audierunt delatum blaſphemaſſe. Ità *Diana part. 1. tract. 4. reſol. 1. de denunt.* ubi refert 20. Doctores, qui enumerat pluſquam decem Doctores aſſerentes, non velle probare, non teneri denuntiare, *Carena part. 2. tit. 9. nu. 31.* ſequens Dianam. Noſtra opinio certiſſima eſt in hoc foro, in quo conſtat, denuntiatorem ad nihil aliud teneri, & in eo haberi pro teſte, ut dicam infrà. Cum enim blaſphemia reiterabilis ſit, & ſucceſſivè committatur, accidere poteſt, quòd à pluribus audiatur, ideò unus ſervit pro denuntiatore, alii pro teſtibus ſimpliciter habentur. Vide *Peyrinum ad comt. 9. Pauli V. num. 25.*

10 Quintæ reſpondetur, filius Patrem, & uxor maritum denuntiare tenentur non ſolùm in cauſa hæreſis, ſed etiam ſuſpectorum de hæreſi; in cauſa hæreſis probatur ex illo Deuter. 13. 6. *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſivè uxor. Eamus, & ſerviamus diis alienis, non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miſerearis, ut occultes eum, ſed ſtatim interficies, ſit primum manus tua ſuper eum, & poſteà omnis populus mittat manum.* Et licèt ſermo de deſcendentibus de Patre, Matre, & Marito, qui denuntiare debent filios ſuos, & maritus uxorem, à fortiori de filiis, & uxore dicendum eſt, quia amor deſcendit, & efficacior eſt amor Patris in Filium, quàm è contrà; ergò ſi parentes tenentur denuntiare filios, à fortiori filii debent denuntiare pa-
11 rentes. Confirmatur, quia præceptum de honorandis parentibus eſt inferiùs, & minoris obligationis, quàm præceptum tuendi honorem Dei, cum ſit ſub prima tabula, ille verò ſub ſecunda; ergò concurrentibus invicem, præferendum eſt principium primæ tabulæ, præceptis ſecundæ tabulæ; præceptum autem denuntiandi hæreticos, ſeù de hæreſi ſuſpectos fundatur in prima tabula, in qua percipitur cultus Dei, & ejuſdem conſervatio, contrà quem eſt hæreſis, & ejuſdem ſuſpicio; ergò præferendum eſt. Prætereà dum unus conſanguineus alium denuntiat in hujuſmodi cauſis non dicitur illum inhonorare, dum tuetur honorem Dei, ſed illum honorare, dum conatur illum liberare à tàm gravi crimine; denuntians enim intendit non odium, nec vindictam, ſed emendationem ſui proximi juxtà illud Eccleſia-
12 ſtici 17. 12. *Et mandavit illis unicuique de proximo ſuo.* Quòd etiam intelligitur de filio ergà Patrem, cui nullus eſt proximior, quàm ipſe. Demùm Petrus Act. 5. 19.
13 *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus*; ergò magis obedire debemus præcepto Dei, de denuntiandis parentibus, quàm ipſis parentibus, qui prohibere non poſſunt

poſſunt talem denuntiationem. Hoc reſponſum quoad hæreſim. *Carena part. 2. tit. 9. numer. 9.* vocat communiſſimam ſententiam. *Salelles Reg 154. num. 94.* quoad blaſphemiam idem Carena ſequitur *num. 13. Lazar. q. 12. num. 57. Diana reſol. 4. 5. & 6. de denunt. Albergbin. cap. 35. de denunt. num. 5. 6. & 7. Lupus lib. 23. diſt. 3. art. 3. diff. 3.* Contraria opinio apud præcitatos non eſt improbabilis.

14 Sextæ reſpondetur, Confeſſarius, audita in vera Confeſſione Sacramentali, non poteſt denuntiare blaſphemum, nec hæreticum, quia non audivit, nec ſcit ut homo, *cap ſi Sacerdos 2. de offic. ordin.* Edictum autem obligat omnes homines in ratione hominis, non verò, ut repræſentant Deum, ut in actu adminiſtrationis Sacramenti Pænitentiæ, in quo Confeſſarius non ut homo, ſed ut Deus, ſcit ea, quæ ſpectant ad confeſſionem. *Ita omnes cum Scoto in 4. diſt. 21. in reſponſ. ad 2. argum. Carena par. 2. tit. 9. num. 20. Genuenſ. cap 18. num. 16.* Dixi in vera confeſſione, quia ſi hæreticus accederet animo trahendi confeſſarium ad hæreſim, & cum eo dogmatizandi, denuntiandus eſt, quia non frangit ſigillum confeſſionis, quæ vera non fuit, ſed ficta, ut ajunt præcitati, ſed ſit prudens confeſſarius, & videat, quid agat, quia præſumendum eſt, acceſſiſſe ut pænitentem, niſi ex diſcurſu ejus evidenter pateat, nolle decipere confeſſarium. *Ita pecitati cum Salelles reg. 153. à num 51. ad 59* dicente, confeſſionem non eſſe Sacramentalem, quamvis non perficiatur, aut non abſoluatur.

15 Albericus apud præcitatos cum non nullis Canoniſtis, tenuit, confeſſarium non teneri ad Sigillum confeſſionis, ſed debere debere denuntiare pænitentem formaliter hæreticum, unde extat verſus, ſed ſubverſus, & claudicans in ſententia his verbis *Hæreſis eſt crimen, quod nec confeſſio celat.* Cui opponimus hoc verum carmen *Hæreſis extat crimen, quod confeſſio celat.* Vel ſic formes. *Hæreſis eſt crimen, quod nec confeſſio prodit.* Illa ergò propoſitio Alberici eſt erronea, & temeraria contra communem ſenſum Eccleſiæ, & utilitatem Sacramenti Pœnitentiæ, & eam ſic qualificant *Suarez & Royas citati à Salelles par. 1. reg. 53. n. 52.*

16 Septimæ reſpondetur, emendatum qui ſe dicit, adhuc denuntiandus eſt, quia hujuſmodi emendatio poteſt eſſe ficta ad ævitandas pænas, ideò in dubio prævalere debet obligatio denuntiandi, quæ certa eſt, emendatio autem rationabiliter poteſt credi ficta. *Ita Suarez. de fide diſp. 20. ſect. 4. num 17 Farin. q. 197. num. 52. Freitas ad Cugna de ſolicitat. q. 18. num 39. quos pro ſe citat Carena par. 2. tit. 9. num. 24* Et confirmatur, quia cum omitti poſſit correctio fraterna ex pobatis præcedenti caſu, non eſt habenda aliqua ratio de emendatione; hoc enim Sacrum Tribunal intendit punire delinquentes, & ſuo ſatisfacere officio. Contrarium tenent Sotus, & Genuenſ. *cap. 18. nu. 6.*

17 *dub. 4.* ſi pro certo conſtet hæreticum eſſe emendatum, ſed cum talis certitudo vix, & rariſſimè haberi poſſit, non eſt enim ita facilis mutatio vitæ Auth. de monac. maximè in pertinacibus hæreticis, & blaſphemare ſolitis.

18 Octavæ reſpondetur, tenetur denuntiare hæreticum formalem dogmatizantem, licèt ſibi timeat probabilitèr grave damnum in vita, honore, & rebus, quia pro Deo, & Religione Catholica, quiſque tenetur vitam propriam exponere morti. Suſpectus verò de hæreſi, uti blaſphemus, non tenetur denuntiare cum tàm gravi periculo. Ità Fagundez *tract. 2. Super Decalogum lib. 4. cap. 3. num. 31. Genuenſ. cap. 18. num. 8. Lazar. q. 12. num. 64. ex illis Carena par. 2. tit. 9. nu. 34. §. in autem Bonacina, & cum eo Diana reſol. 7 in fine.*

19 Nonæ reſpondetur, ſatisfieri, ſi denuntiatio fiat vel Epiſcopo, vel Inquiſitori, quia ambo ſunt judices in cauſis fidei, Epiſcopus quidem Ordinarius, Inquiſitor verò delegatus, & quamvis cauſa fidei committatur delegato, non ideò cenſetur ſublata ordinario; in terminis noſtris, *cap. Per*
20 *hoc 17. de hæret. in 6.* ergò uni eorum ſufficit deferre crimen blaſphemiæ. Et in hac re nulla eſt difficultas, quandò Pontificia Conſtitutio cognitionem cauſæ commendat utrique, ut in cauſis Aſtrologiæ, ſollicitationis, celebrationis, aut abſolutionis, per nondùm Præsbyterum, habitantium Italorum in locis infectis ſinè licentia, hæreticorum commorantiũ inter Catholicos, in cauſis Regularium, in controverſia Immaculatæ Conceptionis M. V. in retentione librorum prohibitorum, in ſacris imaginibus nondùm beatificatorum, de impreſſione librorum extrà ſtatum Eccleſiaſticum, ubi fuerunt editi extrà non imprimendorum, de Judæis blaſphemis, de maleficiis, & ſortilegiis; In re noſtra blaſphemantes denuntiandi ſunt Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum; nam judicium cujuſcumque blaſphemiæ ſpectat ad Ordinarium loci, ex *Bulla 7. Leonis X. §. 33. & Pii V. Bulla 5. §. 10.* Praxis tamen habet, quòd denuntiatio fiat ſolis Inquiſitoribus. Ità *Carena part. 2. tit. 9. num. 36. Lupus lib. 4. diſt. 1. art. 3. diff. 1. Salelles Reg. 155. num. 124.*

21 Decimæ reſpondetur, non denuntians blaſphemum non præſumitur ſuſpectus de hæreſi, quia præſumptio non oritur ex alia præſumptione, ne detur proceſſus in infinitum, nec præſumptio ex præſumpto, *ex l. 1. C. de dat. promiſſ. Rota Romana par. 1. diverſ. deciſ. 800. num. 17. Menoch. lib. 3. præſumpt. 132. Ità Carena par. 2. tit. 9. nu. 46.* Niſi ex officio teneatur denuntiare. Qui verò non denuntiat hæreticum, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi, niſi excuſetur ex rationabili cauſa, puta conſanguineorum, aut ex timore, & periculo alicujus damni; Vide *Carenam, Lupum lib 4. diſt. 7. art. 5. diffic. 2. Caſtropal. part. 1. tract. 4. diſp. 3. p. 4. nu. 21. §. ſecunda. Saleiles Reg. 59. num. 210.*

22 Undecimæ reſpondetur, complices in blaſphemia, quod ſolet accidere inter rixantes, & ludentes, denuntiare tenentur alterum, quia hìc non datur vera complicitas unius delicti, ſicut in aliis criminibus dari poteſt, ut in peccatis carnis, homicidii, furti &c. In quibus, & aliis ſimilibus complex non tenetur denuntiare, quia hoc eſſet detegere ſeipſum, quod nemò facere tenetur. *Vide Caſtrop p. 1 tr. 4. diſp. 3. p. 4. n. 11. Salell. Reg. 154. n. 106. Sayr. lib. 2. Clavis c. 19. n. 29.*

Duo-

23 Duodecimæ reſpondetur, quilibet tenetur per ſe ipſum denuntiare blaſphemum, ſi habet aliquod impedimentum, vel reſpectum, ſi eſt puella, vel alia fœmina nobilis, poteſt denuntiare per alium, imò etiam per ſcripturam juratam à ſe ſubſcriptam, expreſſione teſtium, & blaſphematorum, explicatis blaſphemiis. Id colligitur ex edicto illis verbis: *Avvertendo, che à queſti noſtri precetti non ſoddisfaranno, ne s' intendono ſoddisfare quelli, che con bollettini, ò lettere ſenza nome, e cognome delli autori, ò in altra maniera incerta pretendeſſero rivelare i delinquenti. Ità Salelles Reg.* 158. *num.* 138. *Lupus lib.* 4. *diſt.* 4. *art.* 1. *diffic.* 2. *in terminis noſtris Laz. q.* 12. *n.* 65.

24 Decimætertiæ reſpondetur, nullus excluditur à denuntiatione paſſiva, ſicut nec ab activa, quia Edictum præcipit omnibus indiſtinctè illis verbis: *Commandiamo à tutte, e ciaſcheduna perſona di noſtra giuriſdizione di qualunque condizione, ſtato, grado, ò dignità, così eccleſiaſtica, come mondana, ſia*
25 *quanto ſi voglia grande &c.* Omnibus, & ſingulis, eſt clauſula efficaciſſima, quæ neminem excludit, ut notant *Roman. conſil.* 44. *Verſu Attendenda. Natta conſil* 63. *num.* 12. *lib.* 1. imò comprehendit etiam, quæ aliàs non comprehenderentur ſecundùm *Bartol. in l. Generali §. uxori, ff. de uſufr. leg. Roland. conſ.* 87. *num* 8. *idem Natta conſ.* 29. *quos refert ſupradicta clauſula. Paſqual. q.* 356. *num.* 11. alia occaſione. Sub illis verbis: *Sia quanto ſi voglia grande*, comprehenduntur Imperator, Reges, Cardinales, &c. debent enim potiſſimùm iſti eſſe ſoliciti de tuendo honore Dei, ut dent ſubditis exemplum. *Carena p.* 2. *tit.* 9. *n.* 26.

26 Decimæquartæ reſpondetur ſicut in præcedenti; ſicut enim nullus excluditur ab activa denuntiatione, ità neque à paſſiva, in quàm abſolvitur, & terminatur effectus denuntiationis.

27 Decimæquintæ reſpondetur, nemò tenetur ſeipſum denuntiare, quia nemò ſeipſum prodere tenetur, ex doctrina D. Joannis Chriſoſtomi relati in cap. Quis 87. diſt. 7. de pœnit. §. his auctoritatibus. *Non tibi dico, ut te prodas in publicum, nec ut te apud alios accuſes.* Undè *l. nimis* 6. *C. de teſtib.* id dicitur eſſe nimis grave, ideò nullus cogendus eſt ad revelan-
28 dum ſeipſum. Quòd ſi velit comparere coram Inquiſitore, accuſando ſuum errorem, optimè facit, & gratiam conſequitur, ne puniatur, dummodò ſponte compareat, nondùm præventus, & veritatem in omnibus fateatur, juxtà ea, quæ tradit *Carena par.* 2. *tit.* 18. *per totum. Ità Lupus lib.* 4. *diſ.* 5. *art* 3. *diff.* 2. *Salelles Reg.* 154. *num.* 102. *Simanchas tit* 41. *n.* 12. *Cajet.* 2. 2. *q* 70. *art.* 1. *Soto relect. de ſecreto membro* 2. *qu.* 7. *cum aliis apud eundem Salellem.*

29 Decimæſextæ reſpondetur, non eſt denuntiandus blaſphemus hæreticalis, nec alius de hæreſi ſuſpectus, ſed tantùm hæreticus formalis publicus, propter atrocitatem delicti, *ex cap. Accuſatus, §. In eo, de hæret. in* 6. *latè Carena p.* 2. *tit.* 19. *per totum.* Crimen igitùr blaſphemiæ omninò extinguitur per mortem blaſphemi, qui ſolius Dei judicio ſubjicitur. Ità de omnibus ſuſpectis *Farin. q.* 197. *n.* 104. *Acugna in c.* 14. *diſt.* 23. *n.* 6. *cum eis Car. præcit §.* 3. *Pegna p.* 3. *com.* 92. *Lupus lib.* 4. *diſt.* 7. *art.* 6. *difficult.* 1.

30 Decimæſeptimæ reſpondetur, abſens, qui habet domicilium in eodem loco, denuntiandus eſt, quia per abſentiam illud non mutavit, nec dereliquit, & imò viator denuntiandus eſt, quia edictum generalitèr loquitur ibi: *Notificare giuridicamente tutti, e ciaſcuno di quelli, de quali ſappiano, ò habbiano bavuto, ò haveranno notitia.* Non limitando ad ſubditos jure domicilii delinquentes, & limitavit denuntiatores, ibi: *Commandiamo à tutti, & à ciaſcuna perſona di noſtra giuriſdizione.*

Dubitatur, an denuntiator in cauſis Sancti Officii ſit ſimul talis, ac etiam teſtis ſub eadem depoſitione?

31 R. Affirmativè, quia proſequitur cauſam Religionis, cujus favore fungitur etiam tunc officio teſtis, ac ſi non fuiſſet denuntiatus; Expreſsè cap. in omni negotio 4. de teſtibus, ubi cum alio teſte integro plenè probat delictum. In terminis noſtris Julius 3. *Bulla* 23. *incip. In multis p.* 10. *Lupus lib.* 4. *diſt.* 5. *art.* 4. *diffic.* 3. *Miranda q.* 17. *num.* 183. *Riccius part.* 4. *deciſ.* 361. *Rodriq. tom.* 2 *q.* 12. *art.* 6. *Villalobos par.* 2. *tit.* 4. *diff.* 14. *num.* 6. & 7. *Diana par.* 7. *Inſtruct.* 3. *de correct. reſ.* 47 *ex illis F. Franc. de S. Juliano Ordinis Diſcalceat. S. Trinit. Redempt. Captiv. cap.* 5. *Advert.* 6. §. 2. ubi nuncupatur teſtis integer, licèt denuntiator in eadem cauſa, quia denuntiatio non connumeratur inter exceptiones.

Quæritur, an ſit denuntiandus ille, qui de ſe confeſſus eſt, ſe blaſphemaſſe?

32 R. Affirmativè quia audiens blaſphemum ſe jactantem de blaſphemia, dicitur ſcire ex auditu proprio, & immediato aſſertionem alienæ blaſphemiæ, de qua non habet occaſionem dubitandi, cum audierit ejus confeſſionem ex ore proprio. Intellige, niſi ſe declaret revocando ſuam confeſſionem, proteſtando, ſe reverà non blaſphemaſſe, ſed joco ea verba protuliſſe.

Quæritur 2. An ſuſpectus tantùm levitèr de hæreſi, ſit denuntiandus? v. g. quis ſemel ex ira blaſphemavit.

33 R. Affirmativè, quia Edictum indiſtinctè loquitur de ſuſpectis de hæreſi, de qua eſt ſuſpectus etiam levitèr talis. Confirmatur. Tùm quia levitèr ſuſpectus debet abjurare *capit. Accuſatus, de hæretic. in* 6. Tùm quia, qui ſemel blaſphemavit, eſt denuntiandus ex dictis ſuprà numer. 7. *Ità Carena part.* 2. *tit.* 9. *numer.* 8. *contrà Genuenſem capit.* 18. *numer.* 10. *Lazar. qu.* 12. *de blaſphem. num.* 32. *Caſtrum lib.* 2. *de juſta hæretic. punit. capit.* 25. *fine. Sanct. de hæreſi cap* 9. *numer.* 16. *Lupum de Edicto lib.* 11. *diſt.* 2. *art.* 3.

Quæres 3. An omittens denuntiationem blaſphemi, quem poteſt ſinè ſuo gravi incommodo denuntiare, peccet mortalitèr, & incurrat aliquam cenſuram?

34 R. Peccat mortalitèr, & incurrit excommunicationem reſervatam Inquiſitoribus, & quandoque Epiſcopis, ſi quamprimùm non denuntiaverit juridicè. Exprimitur in Edictis. Quandò non ſolùm Inquiſitor, ſed

ſed etiam Epiſcopus indicit hujuſmodi pœnam ſibi reſervatam, negligens denuntiare incurrit utramque cenſuram, ex *Bonac. diſp. 1. de cenſ. qu. 1. part. 5. num. 14. Qui p. 9. numer. 2.* ait, non prærequiri monitionem ad eam incurrendam, quia Edictum per ſe ſatis monet omnes, ad quos ſpectat denuntiatio. Si ambo ſubſcribunt idem Edictum, unica eſt excommunicatio, quia unica ordinatio.

35 Illud dicitur fieri quamprimùm, quòd fit intrà tres menſes in rebus arduis, & infrà duos in rebus parvis, ut docet Barboſa hac dictione. Dic tu intrà menſem in caſu noſtro numerandum à die ſcientiæ blaſphemiæ. Hic Parmæ determinatur tempus duodecim dierum, ideò hoc ſervandum eſt, quòd ferè in omnibus Edictis aliorum Inquiſitorum ſervatur.

36 Hæc autem cenſura incurritur non ſolùm ab inobedientibus, ſed etiam à denuntiantibus poſt tempus præfixum, reſpectu cujus remanet reſervatio, etiam ſi ſuæ ſatisfecerit obligationi denuntiando, quia per eam moram, & contumaciam, jam antè denuntiationem excommunicationem contraxerat affectam reſervatione, quæ non poteſt tolli, niſi per relaxationem Inquiſitoris, priùs denuntiatione facta, ut dicitur in Edicto.

Sed nunquid contumax in denuntiando, ſeù poſtquàm in mora denuntiavit, abſolvi poſſit ab alio, quàm ab Inquiſitore?

37 ℟. Poteſt abſolvi etiam ab Epiſcopo, quia cum Inquiſitore parem habet poteſtatem in cauſis fidei, & dependentibus, undè prohibitio abſolutionis non afficit Epiſcopum, quia par non agit in parem. Dices *in cap. Paſtoralis 11. §. Prætereà de off. ordin.* prohibetur ordinario, qualis eſt Epiſcopus, abſolvere ab excommunicatione lata à Delegato Papæ contrà contumaces. Quo argumento utitur Locatus V. Excommunicati, contrà Ordinarium, quem ſequitur. *Farinac. q. 192. num. 66.* quos cum aliis citat *Lapus in Comment. ſuper Edictum Inquiſitorum lib. 7. dict. 2.* 38 *art. 1. difficul. 2. §. Verum*, aſſerentes nec Epiſcopum abſolvere poſſe, quia Inquiſitor in cauſis fidei, vel eſt major Epiſcopo, ut volunt Hiſpani, vel ſaltem par; cum autem par non agat in parem, non poterit Epiſcopus contrà mentem Inquiſitoris abſolvere ab hujuſmodi excommunicatione reſervata eidem Inquiſitori.

39 ℟. Hæc non obſtare *primò*, quia textus cap. Paſtoralis loquitur de excommunicatione lata contrà ſingularem perſonam contumacem probatam in judicio; Edictum autem Inquiſitoris eſt de excommunicatione generalitèr lata. *Secundò*, Inquiſitor in Italia non eſt major Epiſcopo, ſed illi par in officio, quia ambo ſunt collegæ in cauſis fidei, quas alter ſinè altero terminare non poteſt, imò ratione dignitatis, & officii eſt major Epiſcopus Inquiſitore, ut patet ex præſtantiori ſeſſione ad dexteram Inquiſitoris, & ex loco, quia

Inqui-

Inquiſitor vâdit ad Palatium Epiſcopi; is verò nunquàm ad domum Inquiſitoris, ſed mittit ſuum Vicarium, quandò ipſe non vult præſidere Congregationi in ſuo Palatio. Major ergò eſt Epiſcopus ratione ſeſſionis, ob culmen dignitatis, par verò in juriſdictione Sancti Officii. Non poteſt ergò Inquiſitor agere contrà Epiſcopum per reſervationem hujus excommunicationis. Et ſic argumentum Lupi eſt contrà ipſum, non in ejus favorem; ſi enim par non agit in parem; ergò Inquiſitor non poteſt reſervare ſibi eam excommunicationem contrà Epiſcopum. *Tertiò*, in Hiſpania, & Luſitania, alia eſt ratio; ibi enim non eſt commune Tribunal S. Officii, ſicut in Italia, ſed diviſum ab Epiſcopis.

40 Regulares in eam excommunicationem incidentes, non effugiunt reſervationem, ſed non poſſunt abſolvi à ſuis Superioribus, quia in cauſis fidei, & annexis, Religioſi cum ſuis Superioribus ſubduntur Inquiſitoribus.

CASUS

# CASUS XXXIX.

## De Teſtibus quoad eorum Perſonas probantibus crimen blaſphemiæ.



1 INter probationes ea eſt potiſſima, quæ fit per teſtes, in qua quilibet admittitur, niſi aliquo jure expreſsè prohibeatur, & repellatur à teſtimonio ferendo, *l. 1. ff. de teſtib.* Hinc oritur duplex genus teſtium; alii enim vocantur habiles, & idonei, qui dicuntur etiam integri, & omni exceptione majores, quibus nihil opponi poteſt, undè eorum fides integra, ſana, certa, & non vacillans dicitur, de quibus latè *Miranda de ordine judic. q. 17. art. 7. Maſcard. concl. 1367.* Quilibet autem præſumitur teſtis idoneus, niſi probetur contrà ipſum excipiendo, *& Gloſ. V. Idonei cap. de teſtib. per cap. fin. de præſumpt.*

2 Teſtis verò inhabilis eſt ille, qui prohibetur teſtificari, quia fidem habet vacillantem, & diminutam. Ità præcitati *Miranda præced. art. 6. Maſcardus à concl. 1363. & ſequent.*

3 Notandum autem eſt, quòd fides teſtium vacillare poteſt ex duplici eorum reſpectu, vel ratione perſonæ, quæ prohibetur teſtificari, vel ratione ſuæ depoſitionis, & teſtimonii prolati, quandò non eſt legitimum, clarum, & certum, in quo caſu etiam teſtis aliàs idoneus vacillare poteſt, & fidem ſuam diminuere in modo reſpondendi. De hoc ſecundo dicam ſequenti caſu. De inhabilitate in primo ſenſu hìc dicam

4 Quoniam autem in cauſis fidei, *ex cap. In fidei favorem 5 de hæret. in 6.* ac proindè in cauſa blaſphemiæ hæreticalis, quæ fidei Divinæ opponitur, admittuntur in ejuſdem favorem teſtes etiam inhabiles, excepto capitali inimico, ſed cum ſua inhabilitate, & exceptione; præſumuntur enim dicere veritatem pro fide Catholica, ut docent omnes *cum Locato v. exceptio §. Verum, quia per Repertorium Inquiſ. v. exceptio nu 4. verſ. Verum quia, & v. Teſtis verſ. Nata, ex illis Caſtropal. tom. 1. tract. 4. diſp. 8. p. 15. §. 1. direct. com. 113. par. 3. Farin. q. 188 de hæreſi num. 67. & q. 62. num. 369. Carena par. 3. tit. 5. num. 2. Salelles Reg. 171. nu. 50.* ideò de jiſdem agendum eſt, & videndum, qualem fidem faciant contrà blaſphemum.

5 Præmittendum autem eſt, quòd nullus teſtis etiam integer nihil probat, niſi ſit juratus, etiam ſi ſit Religioſus, vel alia perſona dignitate refulgens. Ità omnes *ex cap. Tuis 39. de teſtibus, Barboſa ubi innumeros refert Doctores; Carena par. 3. tit. 7. §. 1. ubi de modo jurandi in cauſis fidei.*

Quæ-

Quæres autem primò, quænam perſonæ inhabiles admittantur ad teſtificandum contrà blaſphemum favore fidei?

6 R. Plures admittuntur, qui proximè numerantur.

Excommunicatus majori excommunicatione admittitur ex citato cap. in fidei favorem, *Maſcard concl.* 706. *num.* 14. *Farinac. q* 188. *num.* 68. *Carena p.* 3. *tit.* 5. *num.* 24.

7 Socius criminis ex eodem capite. Sed non videtur habere locum in cauſa blaſphemiæ, cum non ſit peccatum idem commiſſibile à pluribus per complicitatem.

8 Perjurus in eadem cauſa fidei admittitur, quoad ſecundum dictum favore fidei contrà ſeipſum, & blaſphemum, ſi ex circunſtantiis colligitur, eum veritatem dixiſſe in ſecundo examine, *ex cap. Accuſatus* 8. *§. licèt de hæret. in* 6. Si verò eſt perjurus ex aliis cauſis, repellitur, cum non exprimatur in jure favore fidei. *Ità Decian. lib.* 5 *Crimin. cap.* 35. *num.* 14. *Farin. q.* 188. *num.* 27. *& 92. cum Caſtropal. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 15 *§.* 1. *num.* 3.

9 Inimicus capitalis ad accuſandum hæreticum admittitur, *Farinac. q.* 185. *num.* 25. *cum aliis Carena part.* 3. *tit.* 5. *num.* 6. Nequaquam ad teſtificandum, quia præſumitur mentiri contrà ſuum inimicum, *Diana part.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 40. *Carena cit. num.* 3. *Salelles Reg.* 171. *num.* 60. *Farinac. q.* 188. *num.* 101. Non capitalis verò vocatur, & probat, ſed cum exceptione inimicitiæ. Ità præcitati *Farin. num.* 110. *Carena num* 7. *direct. in par.* 3. *com.* 110. *Souſa lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. *Caſtropal. §.* 2. *num.* 9. Reconciliatus de recenti non admittitur, ſed tantùm ex antiqua, ſed cum ſua diminutione fidei. Ità præcitati *Carena nu.* 8. *Farin. num.* 115. *Souſa num.* 6. *Caſtropal. numer.* 11. *Salelles num.* 62.

10 Judæus, & hæreticus contrà fidelem in cauſis fidei admittuntur cum ſua exceptione. Ità *Carena part.* 3. *tit.* 5. *num.* 26. *Farin. q.* 188. *nu.* 227. *Caſtropal. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 15 *§. num.* 5.

11 Mulier admittitur cum ſua exceptione. Ità *Farin. de teſtib. q.* 59. *num.* 11. *Souſa lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 16. *Caſtropal. §.* 1. *num.* 7. Qui aſſerunt cum Carena *numer.* 14. duas, nec tres mulieres convincere *Farin. num.* 36. *Faber lib.* 4. *tit.* 15. *defenſ.* 58.

12 Meretrix admittitur cum ſua exceptione. Ità *Carena num.* 30. *Farin. q.* 56. *num.* 366. *Souſa lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 16. *Iterùm Farin. qu.* 188. *num.* 83. Meretrix autem patitur duplicem exceptionem, ſexus nempè, & Meretricii.

13 Conſanguinei, affines, & domeſtici admittuntur contrà alios conſanguineos, affines, & domeſticos, ut docent omnes *cum Farinac. q.* 188. *num.* 149. *Souſa lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 2. *& ſeq. Caſtropal. tom.* 1. *tract.* 4 *diſp.* 8. *p.* 15. *§.* 5. *num.* 6. Et dicendi ſunt integri teſtes. Quandò verò admittuntur ad defenſionem rei conſanguinei, patiuntur exceptionem, imò nec videntur admittendi, niſi quandò innocens alitèr ſalvari non poteſt, *Carena num.* 22. *Salelles Reg.* 171. *num.* 54.

An conſanguinei &c. contrà blaſphemum extrinſecum ſint teſtes integri?

14 R. Negativè ex cap. Accuſatores

ſatores 12. 3. *qu.* 4. ubi dicitur: *Conſanguinei adverſus extraneos teſtimonium non dicant, quia propinquitatis affectio veritatem impedire ſolet.* Quare Pater, & filius, duo fratres, maritus, & uxor non ſunt integri teſtes contrà blaſphemum, maximè quandò concordant in jis verbis; videtur enim unus inſtruxiſſe pro ſuo placito.

15 Minores, ad teſtimonium non admittuntur infrà annos quatuordecim ſuæ ætatis expreſsè *cap.* 1. 4. *q.* 2. imò nec puberes admittuntur, niſi poſt vigeſimum annum. Ità *Farinac. q.* 58. *num.* 10. *ex l. in teſtimonium* 20. *ff. de teſtib.* Vide in re noſtra *Farin. q.* 188. *cum Carena part.* 3. *tit.* 5. *num.* 56. ubi ait, etiam impuberes recipi in teſtes. Noto autem in cauſis fidei, de jure canonico præcitato, minores, expleto decimo quarto anno, eſſe teſtes integros, dum ſimplicitèr dicitur, quòd poſſunt ferre teſtimonium; nam ſunt apti ad jurandum, & habent plenum uſum rationis.

16 Blaſphematores conſuetudinarii, vel publici etiam ante condemnationem patiuntur exceptionem. *Farin. q.* 29. *num.* 414. *Carena part.* 3. *tit.* 5. *nu.* 40. *Borgn. par.* 5. *deciſ.* 27. *num.* 16.

17 Surdus, & Mutus ſunt omninò inhabiles ad probandam blaſphemiam, quia ad ejus depoſitionem locutio eſt neceſſaria, proferendo verba blaſphemiæ, quæ per proprium auditum audivit, hæc autem nec Mutus, nec Surdus præſtare poſſunt. De illis *Carena p.* 3. *tit.* 5. *num.* 70. *Souſa lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 26.

18 Infames infamia, tàm juris, quàm facti admittuntur cum ſua exceptione habentes diminutã fidem. Ità Clarus in V. Uſura, ubi uſurarii dicuntur infames, *Farin. q.* 56. *num.* 352. ex illis *Carena par.* 3. *tit.* 5. *num.* 39.

19 Fuſtigati, cum ſint infames, admittuntur prout cæteri infames cum diminutione ſuæ fidei.

De his præcitati *Carena num.* 44. *Farin. num.* 456.

20 Proditores, falliti, prodigi, & alii infames admittuntur, prout dictum fuit de præcedentibus apud prædictos, & Barboſam in *cap.* 2. *de teſtib.* ubi enumerat omnes infames, qui repelluntur à teſtificando.

21 Pauper aliàs probatæ vitæ eſt teſtis integer, quia paupertas nihil ei diminuit de fide. *Ità Clarus q.* 24 *§. Quæro etiam, Farinac. q.* 57. *num.* 15. *& q.* 57. *Carena p.* 3. *tit.* 5. *num.* 68.

22 Eccleſiaſtica perſona contrà Laicum blaſphemum eſt teſtis integer, & dignior, quàm perſona laica. *Ità Farin. q.* 61. *nu.* 80. nullam patitur exceptionem in fide, nec indiget licentia ſui Superioris in caſu, quia Inquiſitor eſt ejus Superior in cauſis fidei. Corã vero Laico Judice teſtificaturus indiget licentia ſui Superioris, *cap.* 1. 11. *q.* 1. ubi Barboſa ſignat tenorem licentiæ, & *n*4. ait valere teſtimonium datum ſinè licentia in cauſa Civili, citatis Doctoribus.

23 In jure alii enumerantur teſtes inhabiles, qui repelluntur à teſtificando, de quibus latè Maſcardus *concl.* 1362. & ſequentibus.

Quæres, an hi teſtes inhabiles admittantur cum ſua exceptione diminuente eorum fidem, an verò dicantur integri favore fidei?

24 R. Admittuntur cum diminutione fidei ſuæ; per hanc enim admiſſionem non fiunt integri,

ſed tantùm removetur edictum prohibitorium, & remanet defectus, & diminutio fidei illorum, cum adhuc perſona remaneat cum ſuo defectu. Ità *Farin. q.* 188. *nu.*
25 83. *Carena p.* 3. *tit.* 5. *nu.* 73. Hinc eſt, quòd depoſitio ſollicitationis facta per unicam milierem, quamvis honeſtam, non facit indicium ad capturam, & multò minùs ad torturam, ad quæ duo requiritur ad minus teſtis unus omni exceptione major, ut dicam ſuo loco, & in crimine hæreſis docent *Farin. q.* 185. *num.* 129. *Caſtropal. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 9. *num.* 5. *Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 6. quid idem dicendum eſt ad capiendum, & torturandum blaſphemum.

Quæres 3. An teſtes inhabiles admittantur non ſolùm ad probationem, ſed etiam ad probandum adminicula illius.

26 Pro reſponſione notandum eſt, quòd adminicula ſunt in duplici differentia, alia proxima, & intrinſeca delicto, in quod influunt, ut oſcula, tactus, ſecreta collocutio &c. maſculi cum fœmina, quæ diſponunt ad adulterium; Item familiaritas cum hæreticis, conventicula, lectio librorum &c. ſunt adminicula proximè inferentia hæreſim. Alia ſunt remota, & extrinſeca, quæ non influunt, nec probant delictum, licèt ad ipſum ſupponantur, uti matrimonium, quod ſupponitur ad adulterium, illud tamen non probat. Item Baptiſmus ſupponitur ad hæreſim, quam tamen non probat, quia ſunt remota, & ut antecedentia non neceſſariò inferunt ſuum conſequens, quia licèt poſterius pendeat à ſuo priori, non tamen è contrà, ut docet *Scotus in* 1. *diſt.* 1. *q.* 4. §. *Negativa. verſ. Item quod dicit.*

27 R. Teſtes inhabiles admitti ad probandum adminicula intrinſeca, eſſentialia, & ſubſtantialia, ut ajunt, non autem extrinſeca, ea ratione, quia hæc non conducunt ad probationem delicti, ſicut illa, quæ delictum inferunt. Ità omnes *cum Farin. q.* 56. *à num.* 78. *Souſa lib.* 2. *cap.* 12. *nu.* 8. *Caſtropal. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 15. §. 2. *num.* 1. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 5. *num.* 75. §. *Vera ſolutio. Salelles Reg.* 168. *num.* 80. Adminicula in cauſa blaſphemiæ cenſerem eſſe mala fama, ſcurilitas in loquendo, captus aliàs in idem crimen, videntur poſſe probari per teſtes inhabiles, quia ex illis poteſt inferri blaſphemia.

Quæres 4. Quandonam inhabilitas ſpectetur in Teſte?

28 R. Spectatur ſolùm tempore juramenti, & depoſitionis ſui dicti, quia qualitas conſideratur tunc, cum operatur ſuum effectum, & teſtis ſpectatur formaliter, dum ſcilicèt ſuum exercet munus, non materialitèr pro ea perſona, quæ adduci poteſt in teſtem. *Ità Souſa lib.* 2. *cap.* 13. *nu.* 11. *Farin. q.* 62. *num.* 166. *cum Carena p.* 3. *tit.* 5. *num.* 76.

Quæres 5. An teſtes inhabiles admittantur, ſi procedatur per viam accuſationis?

29 R. Affirmativè, licèt nonnulli contrarium dicant ex illis verbis: *In negotio Inquiſitionis ex cap. in favorem* 5. *de hæret.* dum illud verbum, *Inquiſitionis* diſtinguunt à negotio accuſationis, ſed ille terminus non eſt accipiendus ità, ſed ſumitur pro negotio, & officio Inquiſitionis Sanctæ, in qua etiam per viam accuſationis, & non tantùm denunciationis procedi poteſt. Ità verior ſententia

*Gondi-*

*Gundiſalvi q.* 13. *de hæret. num.* 16. *&* 17. *Royas Sing.* 188. *nu.* 6. *Maſcard. concl.* 857. *num.* 31. *Farin. qu.* 62. *num.* 86. *Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 15. §. 2. *num.* 4. ubi numero præcedenti refert plures in contrariũ. *Salell. nobiſcũ Reg.* 168. *n.* 47.

Quæres 6. An admittantur teſtes inhabiles, quandò haberi poſſunt teſtes idonei?

30 R. Affirmativè, quia alitèr eorum teſtimonium non eſſet privilegiatum favore fidei, cum etiam in aliis criminibus admittantur, quandò deſunt idonei. *Ità ex Caſtropal. num.* 7. *Carena nu.* 81. *Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 11. §. *noto quintò.*

Quæres 7. An teſtes inhabiles ſint torturandi?

31 R. Negativè, quia ratio ſuadet, eum non eſſe torquendum, cui teſtimonium nihil prodeſt, maximè cum cogatur teſtificari in favorem fidei. Confirmatur, quia metu torturæ multi retraherentur à teſtimonio in grave præjudicium fidei catholicæ. *Ità Farin. q.* 188. *num.* 68. *Diana part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 11. §. *Verum. Simanch. de cattol. inſtit. tit.* 64. *Rubr. de teſtib. à nu.* 37. *Pegna p.* 3. *q.* 64. *com.* 113. *verſ. Illa eſt etiam. Ex illis Caſtropal. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *part.* 15. §. 2. *num.* 6. Qui præcedenti numero refert in contrarium quamplures Doctores, ſed intelligendi ſunt, quandò proceditur via accuſationis, & cum aliquid intereſt ipſius teſtis.

Quæres 8. An admittantur ad defenſionem Rei?

32 R. Affirmativè, ſed cum ſuis exceptionibus, undè non plenè probant; Ratio, quia ſicuti admittuntur contrà Reum, ità & pro Reo, cum non videatur major ratio unius, quàm alterius, maximè cum in obſcuris Reo magis ſit favendum, quàm actori, *Reg.* 11. *in* 6. *Ità Souſa lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 9. *Caſtropal. cit. nu.* 8. *Carena part.* 3. *tit.* 5. *num.* 82. Contrarium tenent alii apud præcitatos cum Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 57. §. *Dico tertiò.*

Quæres 9. An ex uno teſte integro, & perfectiſſimo cum alio patiente aliquam exceptionem blaſphemus convinci poſſit?

33 R. Negativè, quia perfectio unius teſtis, qualiſcunq; ea ſit, non poteſt ſupplere defectum alterius teſtis inhabilis, cum ſibi ſoli ſufficiat non integralitèr, ſed tantùm partialitèr, Domino præcipiente, quòd in ore duorum ad minùs teſtium perfectorum ſtat omne verbum, undè Gratianus ad ca. nullam 3. q. 4. extremis verbis ait, Duorum, vel trium teſtium quilibet jure convinci, & damnari poterit. De hoc numero binario plura dixi ſuprà *caſu* 31. *à n.* 4. *& ſeq.* ſuper quibus duobus teſtibus omninò integris plura *Miranda de Ordin. Judic. q.* 17. *art.* 2. *per totum. Ita allegati à Souſa lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 12. *Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 15. §. 4. *n.* 1. *Farin. q.* 62. *de teſtib. n.* 324. *Caren. p* 3. *tit.* 5. *n* 78. *F. Franc. de S. Juliano Diſcalceat. S. Trin. Redemption. Captiv. in ſuo Tribun. Regul. c.* 5. *Advert.* 2. § 4. *n.* 7. *Diana p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 129. *ex Pontello V. Teſtis nu.* 10. *& Pegna p.* 3. *com.* 113. qui omnes dicunt, depoſitionem teſtis inhabilis non ſuppleri ex præſtantiſſima fide alterius conteſtis ad convincendum, & condemnandum Reum pœna ordinaria, utiq; verò ad torquendũ Reum. Sed id parũ refert, quia etiam ex dicto unius integri teſtis torqueri poteſt.

Quæres 10. An, & quot Teſtes inhabiles conjũgi poſſint ſimul ad convincendum reum, & puniendũ pœna ordinaria? V 2 R. Qua-

34 ℟. Quatuor teſtes inhabiles ſufficiunt ad convincendum, & condemnandum reum blaſphemum ad pœnam ordinariam, & non ad mortem; duos verò dare jus ad torturam. Primum de convictione, & condemnatione, probatur ex illo axiomate pen-
35 tametro: *Et quæ non poſſunt ſingula, multa juvant. Gloſ. V.* Collecta, *cap. Tres ſunt* 81. *diſt.* 1. *de Pœnit. ex cap. cum cauſam* 13. *de probat. cap. Prætereà* 27. *de Teſtib.* conjunguntur enim ſimul plures probationes imperfectè ad eundem finem, & plenam faciunt probationem etiam in criminalibus, ut docent quamplures, quos Farin. contrà ſe *allegat. q.* 86. *num.* 4. quibus adde *Pitigianum in ſua Practica crimin. de ſecundo ſubſt. judicii cap.* 8. §. *Si verò. Souſa in fine Aphoriſm. q. Un. ſect.* 3. *num.* 15. ubi ait, hanc regulam de non conjungendis probationibus imperfectis, quæ ſcilicèt non poſſunt ſingula, nec multa juvant, *ex Gloſ. in l. ſi tres Tutelas C. qui numero tutelar. ſe excuſ. V. non proficiunt*, ad unam probationem, non eſſe veram, quandò plures probationes imperfectę ſunt unius rationis, qualitatis, & ſubſtantiæ, cum hæc neceſſariò uniantur in unam probationem plenam, & perfectam. *Confirmatur*, tùm quia hujuſmodi conjunctio cum ſit circà eandem rem, & ad eundem finem tendat, auget fidem teſtium, & ab eis removet exceptionem, ex quo nihil obſtat per-
36 fectæ probationi. Tùm quia ſicut materia, & forma in ratione partium deſtinatæ ad faciendum unũ per ſe compoſitum, & perfectum, ſint imperfectæ; unitæ tamen conſtituunt unum ens per ſe com-
37 pletum, & perfectum. Paritèr oculi ſenis, vel alterius debiles, per ſe legere non poſſunt ſinè unione, & conjunctione perſpicilliorum, ut experientia docet; neque enim oculi ſinè perſpicillis, nec conſpicillia ſinè oculis producere poſſunt actum viſionis, ſed tantùm ſimul unita perfectam edunt viſionem. Ità plures teſtes in ſe ipſis imperfecti ſinè unione, & conjunctione inter ſe ad unum finem, non faciunt unam probationem perfectam, ſi verò uniantur, & ſimul conjungantur in ſuis depoſitionibus, perficiunt probationem, & convincunt reum ad condemnationem.

38 Ità de numero quaternario *Caſtropal. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 15. §. 4. *numer.* 1. *ex eo Diana part.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 123. Plures teſtes ad convincendum petunt *Royas ſing.* 108. *Albertinus in cap.* 1. *de hæret. in* 6. *q.* 16. *cum aliis Farin. q.* 188. *num.* 84. *Pegna p.* 3. *com.* 113. *verſ. nec refert*, *Carena p.* 3. *tit.* 5. *num.* 77. *alii apud Mirandam q.* 17. *art.* 6. *num.* 212. *Farin. q.* 62. *num.* 325. Mellius Vericellus *tract.* 8. *qu.* 44. *nu.* 55. de quatuor mulieribus plenè probantibus etiam ad mortem, & infrà latiùs *num.* 59. Nos numerum explicavimus quaternarium, quia agimus cum Conſultoribus, qui conſilium dare debent determinatum, & non remittere ſe arbitrio Dominorum Judicum, dum ab eis exquirunt, quid ſentiant ex propria ſententia. Ratio hujus quaternarii numeri videtur ea eſſe, quia ex conjunctione duorum Imperfectorũ reſultat unum perfectum, tàm in moralibus, quàm in naturalibus, ut notum eſt in eorum compoſi-

tis,

tis, dum ex partibus dicuntur reſultare, quæ de ſe ſunt imperfectæ in ratione compartis, in quantum ſingulæ per ſe unum perficere nequeunt, quod ſimul junctæ perficiunt; duo ergò teſtes inhabiles æquiparantur uni integro, & quatuor duobus, conſequentèr convincunt reum ad pœnam ordinariam.

Secundùm, quòd pluralitas teſtium imperfectorum non ſufficiat ad mortem, probatur, quia cum mors ſit maxima pœna, & ultimum terribile ſupplicium ſuperans quamlibet aliam pœnam, pro ea debent præcedere conteſtes nullam patientes exceptionem, ſed omninò integri, & ut ità dicam immaculati, & limpidiſſimi nulla imperfectione obſcurati.

Tertiò, quòd duo teſtes inhabiles, & imperfecti conteſtes ſufficiant ad torturam, probatur, quia duo inhabiles ex dictis æquivalent uni integro, qui dat jus ad torturam, ut dicam ſuo loco. Confirmatur, quia ſi quatuor ſufficiunt ad condemnationem, quod eſt majus, ergo duo ſufficiunt ad ad torturam, quod eſt minus. Ita præcitati cum *Caſtropal. p.* 15. §. 4. *num.* 1. *Farin. q.* 188. *num.* 82.

Quæres 11. An prædicta reſponſio habeat locum, quando teſtes patiuntur plures defectus?

41 R. Negativè, quia tunc nimis diminuitur de eorum fide, ideo in ea conjungi non poſſunt ad plenam probationem, ſed omnino teſtes repelluntur. *Ita Burſatus lib.* 3. *conſ.* 320. *num.* 118. *& conſ.* 321. *num.* 31. *Silvan. conſil.* 91. *n.* 23. *ex illis Farin. quæſt.* 62. *num.* 324. 381. *Sperellus deciſ.* 79. *num.* 50. *Ciarlin. cap.* 2. *num.* 113. *& cap.* 116. *num.* 37. *Maſcard. concl.* 1320. *num.* 13. Exemplifico in muliere ſimul meretrice, in excommunicato ſimul blaſphemo &c. *Vide deciſ. militarem* 40. *à num.* 88. *egregii Doctoris Gargiarei.*

Quæres 12. An teſtes inhabiles probent ad pœnam extraordinariam, quando non ſufficiunt ad pœnam ordinariam?

42 R. Quandò teſtes inhabiles patiuntur plures exceptiones, vel unus eſt habilis cum duobus aliis, aut ſaltem tres inhabiles, ſufficiunt ad pœnam extraordinariam, quia aliquid probant contrà reum; ergò ne fruſtatoria ſit eorum probatio, dat jus ad aliquam pœnam. Ità *Farin. qu.* 188. *num.* 83. *Souſa lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 13.

CASUS

# CASUS XXXX.

## De Teſtibus Veridicis, Falſis, Vacillantibus, Obſcuris, Corruptis, Variis, & Credulis?

1 TEſtis eſt perſona, quæ interrogata reſpondet juxtà mentem Judicis legitimè interrogantis, in quo non licet æquivocare, & eludere mentem Judicis, in ſententia omnium. Verba verò, quæ teſtis profert, vocantur dictum, depoſitio, ſeù, ut jura loquuntur, teſtimonium, quia teſtis mentem Judicis informat ſuper delicto, quod intendit uti Judex ſcire. Duo autem hìc præmittenda ſunt, ut teſtimonium valeat, & probet delictum, ſuper quo deponitur.

2 Primò, quòd teſtimonia debent eſſe clariora luce meridiana expreſsè l. fin. C. de probat. *Sciant cuncti accuſatores eam ſe rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita ſit idoneis teſtibus, vel inſtructa apertiſſimis documentis, vel indiciis ad probationem in dubitatis, & luce clarioribus expeditis.* Teſtimonium ergò à teſte prolatum debet eſſe certum, & clarum, non dubium, nec obſcurum, ut ſuper hunc textum dicunt omnes, *cum Farin. q.* 86. *Guazzino detent.* 33. *cap.* 4. *Carena par.* 3. *tit.* 3. *Initio.*

3 Secundò, quòd teſtimonium non valet, niſi de eo reddatur ratio per teſtem, ex l. ſolam teſtationem prolatam, nec aliis legitimis adminiculis cauſam approbatam, nullius eſſe momenti, certum eſt 3. *C. de Teſtibus.* Dictum igitùr teſtis ſinè redditione cauſæ non probat, niſi aliis adminiculis appareat eſſe probatum. Dictum autem in tantùm valet, & probat, in quantùm ratio illud fovet, & dat fidem, adducta ex propriis ipſius teſtis; v.g. Petrus occiſus fuit à Paulo, quia vidi occidentem illum. Blaſphemavit hæc, & hæc, quia audivi propriis auribus, ratio igitùr teſtimonii potiſſimùm accipitur à ſenſibus propriis viſus, & ipſius teſtis. Quandoq; ratio includitur in ipſo dicto, ut ſi dicas. Audivi Petrum blaſphemantem Deum injuſtum. Vide *Farinac. qu* 70. *Canteram in quæſtion. crimin. cap.* 2. *de probat. per teſtes, dub.* 8. *Carenam p.* 3. *tit.* 6. *à num.* 79. Quæ procedunt, licèt non interrogetur teſtis à Judice, qui tamen ex officio debet interrogare, ne judicium fiat inane ex ſua negligentia, *ex cap. Judicantem* 11. 30. *q.* 5. *cap. Cauſam* 9. *de judic. cap.* 1. *de libelli oblat. cap. Un. de litis conteſt.*

Dixi, quòd ratio debet reddi ex propriis, quia ex alienis inficit dictum, & non probatur, ut ſi quis deponat blaſphemiam contrà Petrum, quia audivit ab alio. Item id ſuo, quia dixit vicinus &c. *Vide Farin. q.* 70. *n* 185. *cum Carena p.* 3. *tit.* 6. *num.* 82.

Colli-

4 Colligitur ex dictis, duo neceſſaria eſſe, ut delictum probetur per teſtes ex parte ipſius teſtimonii, *primò*, quòd deponens dicat clarè, & certò ſuum Teſtimonium, cum illud debeat eſſe luce clarius; non poteſt autem eſſe tale, niſi ſit clarum, conſtans, & firmum. *Secundò*, quòd de eo rationem reddat ex propriis ſenſibus viſus, aut auditus juxtà proportionem, & correſpondentiam objecti erga proprium ſenſum, undè res furto ablata dicitur videri. Blaſphemia verò, injuria, hæreſis &c. dicuntur audiri, & per hunc ſenſum probari. Dictum carens altero ex his requiſitis nihil probat &c.

5 Teſtis autem ex diverſis modis reſpondendi variis nominibus appellatur, in primis vocatur teſtis verus, firmus, & conſtans, qui deponit veritatem cum prædictis circunſtantiis claritatis, & proprii ſenſus rationis. Alii dicuntur falſi, correpti, vacillantes, obſcuri, varii, creduli.

6 Falſus teſtis non ſolùm dicitur ille, qui falſum deponit, ſed etiam, qui veritatem tacet, ut docent omnes cum *Farin. qu.* 188. *de hæreſi num.* 42. Qui falſum deponit in uno articulo, nihil probat in alio articulo, quandò falſitas eſt in ſubſtantialibus, & connexis; in omnibus enim reputatur falſus, & fide carens, quia depoſitio teſtis ratione juramenti eſt individua. Ità omnes cum Maſcardo *concl.* 743. *Farin. q.* 67. §. 4. *ex illis Souſa lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 11. *Carena p.* 3. *tit.* 6. *num* 72. *Salelles Reg.* 174. ubi, quòd nec facit ad inquirendum, multò minùs ad torquendum de pœna contrà falſum teſtem præfati locis citatis.

7 Falſus teſtis, qui & perjurus dicitur, admittitur in cauſis fidei contrà ſe, & contrà alios, deponendo verum, quod celaverat, etiamſi ex intervallo ſe correxerit, & reddat cauſam probabilem ſuæ correctionis; ſtatur enim tunc ſecundo ejus dicto favore fidei, *cap. Accuſatus* 8. *de hæret. in* 6. §. *licèt*, Intellige, valere ejus ſecundum dictum contrà tertium, quandò alias non patitur exceptiones, ut indè colligitur, & docet *Salelles Reg.* 175. *num.* 215. Firmatur quoque ejus dictum aliquali tortura. *Pegna com.* 114. *Farin. quæſt.* 188. *num.* 99. *ex eis Salelles Reg.* 212. Procedit in caſu noſtro de blaſphemia, quæ cum arguat hæreſim in blaſphemante, cauſa hæreſis dicenda eſt, ut omnibus viis deſtruatur favore fidei, quicquid dicant aliqui apud Barboſam *num.* 15. reſtringentes præfatum cap. *Accuſatus* ad ſolam cauſam hæreſis.

8 Corruptus teſtis pretio, precibus, aut alio intereſſe nihil probat, cum præſumatur falſarius. *Ità Maſcardus concl.* 454. *num.* 10. *Farin. q.* 67. *num.* 280. *ex illis Salelles Reg.* 174. *num* 191. *ad* 193.

9 Vacillans teſtis, qui cum dubio, & timore deponit, undè ſe ſuſpectum reddit de falſitate, nihilque penitùs probat defectu claritatis teſtimonii. Ità omnes *in l. in teſtibus* 3. *ff. de teſtibus*, ibi: *Qui adverſus fidem teſtationis ſuæ vacillant audiendi non ſunt*. Vide Soulam *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 53. *cum Farinac. quæſt.* 66. *num.* 10. *ad* 16. ajentem non omninò repelli, ſed ejus repulſa ſatis nota eſt ex textu citato, & ſic docent decem *à Farin. citati n.* 14. *Salell. Reg.* 170. *n.* 137. *&* 138.

Obſcu-

10 Obſcurus teſtis in ſuo dicto ille dicitur, qui deponit rem incertam dicendo, poſſibile eſt, ſi benè recordor, non ſcio certò, ità eſt, ni fallor; ſalva veritate, in circa, plus, vel minus, meo judicio, hæc & ſimilia verba teſtimonium faciunt incertum, & obſcurum, & nihil probatur per talem depoſitionem, cum teſtimonium non ſit luce clarius. *Ità Farin. q. 68. Initio, Maſcard. concl. 1570. nu. 6. Souſa lib. 2. cap. 7. num. 1. Carena part. 3. tit. 6. num. 1. ad 7. Salelles Reg. 170. num. 156.*

11 Varius teſtis in acccidentalibus admittitur cum diminutione ſuæ fidei, in ſubſtantialibus verò varius nihil probat, *ex l. in teſtibus 2. l. Qui falſò 16. ff. de teſtib. Miranda q. 17. de ordine judic. art. 8. concl. 9. Rodriq. tom. 2. qu. 10. quos cum aliis citavi reſol. 101. num. 89. Farin. q. 66. num. 13. Salelles Reg. 170 à num. 137.*

12 Credulus teſtis eſt ille, qui per verbum *Credo* reſpondet, vel aliud ſimile *Videor*, meo Judicio &c. Sic autem deponens nihil probat, quia tale teſtimonium eſt dubium, & incertum, undè cum nullam habeat claritatem, nihil operatur. *Ità Souſa lib. 2. cap. 7. num. 9. Miranda q. 17. art. 8. num. 300. Farin. q. 68. num. 62. Carena p. 3. num. 7. tit. 6. Riccius p. 2. reſol. 231. Anſaldius conſ. 128. num. 14.*

13 Accidit caſus talis tenoris. Plures teſtes cum denuntiatore depoſuerunt N. eſſe blaſphemum hæreticalem, ſed in repetitione omnes uno ore, excepto denuntiatore, qui permanſit in primo dicto, depoſuerunt in favorem Rei, quorum duo in primis genuflexi coram Vicario, petierunt veniam de falſitate, reliqui vero depoſuerunt aſſerentes, ſe non ità dixiſſe, ſicut ſcripſerat Notarius circà blaſphemias hæreticales. Quæruntur hìc duo, primum eſt, an illis etiam tortis credendum ſit contrà Notarium? Secundum, an in eorum dictis præſumenda ſit ſubornatio?

14 Ad primum reſpondetur, non illis eſſe credendum, ſed pro falſariis ſunt habendi, quia præſumptio eſt pro Notario contrà ipſos, nam quilibet officialis præſumitur benè, & fidelitèr exercuiſſe ſuum officium, & ideò illi eſſe credendum, ut de Notario S. Officii loquitur *Locatus v. Notarius num. 7. Farin. q. 30. num. 180.* Nec obſtat numerus teſtium, qui ſunt ſex, præter alios duos, qui de plano confeſſi fuerunt falſitatem contrà denuntiatum. Tùm quia major pars teſtium erant fœminæ, quæ ex conditione ſexus, ut inſtabiles facilè variant, *cap. Forus 10. de verb. ſignif.* Tùm quia prima vice depoſuerunt coram quatuor perſonis, nimirùm Vicario, duobus viris honeſtis, & Notario ſcribente, quorum ſinguli duobus æquivalent, ac proindè repræſentant fidem octo teſtium, cum ſint perſonæ publicæ etiam illi duo viri honeſti, cum à jure *cap. Ut officium S. Verum de hæret. in 6. petantur*. Tùm quia magis creditur uni Notario bonæ famæ, quàm pluribus teſtibus minus idoneis, ut ſunt iſtæ mulieres, quæ unanimitèr negant ſe depoſuiſſe id, quod reperitur in Scriptura, hoc de communi docet *Guazinus Defenſ. 28. cap. 15. num. 9.* Tùm quia ſi unus, vel alter teſtis ſunt falſi, tales ſunt & cæteri cenſendi, ex allegatis

gatis ab eodem Guazino *ibidem cap.* 13. *nu.* 17. Demùm duo veniam petierunt, confitentes ſe primò falſum depoſuiſſe; ergò indubitantèr tenendum eſt, reliquos eſſe falſarios, & ſic pro falſa habenda eſt earum excuſatio, quòd aliter ſit ſcriptum, quàm dictum.

17 Ad ſecundùm reſpondetur, in eorum dictis præſumendam eſſe ſubornationem, ac proindè eſſe torturandos ſuper ſubornatione, quia ad torturandum ſufficit etiam unicum indicium proximum, & vehemens, de communi *Carena p. 3. tit.* 10. *num.* 16. maximè in hoc Tribunali, in quo uſus torturæ non eſt tàm rigidus. Certum autem eſt, & indubitatum, hos teſtes non contingentèr, nec caſu, ſed conſilio, & concorditèr, ſecunda vice depoſuiſſe in favorem denuntiati, contrà quem depoſuerant in primo examine ſinguli unanimi paritèr conſenſu; ergò cum tergiverſari non poſſit hæc ſubornatio, & concordia conſiliata, torquendi ſunt ſuper illâ ad eruendam veritatem, quis fuerit ſubornationis auctor; inexcogitabile enim eſt, quòd omnes caſu conveniant in contrariam depoſitionem à prima, cum teſtes in repetitione ſoleant confirmare id, quod in prima dixerunt, & non ſibi contradicere, ut fecerunt iſti.

Cum inter hos teſtes fuerint duo, qui de plano ſuam falſitatem ſpontè depoſuerunt, dubitatur, an debeant gaudere beneficio ſpontè comparentium?

18 R. Affirmativè, & probatur ex verbis Concilii Bitterenſis apud *Carenam p. 2. tit.* 18. *num.* 7. quæ ſunt hæc: Infrà quem terminum, venientes pœnitentes, & dicentes plenam de ſe, & de aliis veritatem, habeant impunitatem. Nam hæc verba de illis verificantur, ſiquidem ambo venerunt pœnitentes, quia antequàm illis quidquam diceretur ſuper repetitionem, ſpontè genuflexi veniam petierunt, aſſerentes, ſe falſum dixiſſe contrà denuntiatum, per hoc dicentes plenam veritatem de ſe, & denuntiato.

19 Duo autem in his teſtibus ſpectari debent. Primum eſt, quòd reſpectu prioris depoſitionis habent tantùm rationem teſtis. Secundum verò eſt, quòd in repetitione per ſuam confeſſionem incipiunt etiam eſſe Rei, dum falſarios ſe confitentur; ergò tamquàm cæteri Rei tractandi ſunt, quibus ſpontè comparentibus parcitur. Nulli autem dubium eſſe debet, iſtos duos ſpontè comparuiſſe, quia nullo modo præſentati fuerunt, nec indiciati reſpectu hujus falſitatis, de qua nulla extabat cognitio, quam ſpontè ſunt confeſſi. Quòd ſi probatur ſubornatio, de qua illi non fuerint confeſſi, non debent gaudere hoc privilegio, quia plenam veritatem non dixerunt.

# CASUS XXXI.

## De Teſtibus Singularibus.

1 DIfferunt inter ſe teſtis ſingularis, & teſtis unicus; nam teſtis unicus dicitur ille, qui deponit ſolus ſinè ullo ordine, & relatione ad alios, vel quia ipſe ſolus aliquid probare poteſt, vel quia nullus adeſt producendus in cauſa, eſt ergò unicus, & talis ſingularitate perſonæ. Teſtis verò ſingularis ratione ſcilicèt ſui dicti, eſt ille, qui in depoſitione ſua ſingularis eſt, & diverſus à dictis aliorum, qui in eadem cauſa teſtificantur v. g. Unus deponit de blaſphemia hac. *Meretrix Dei*, audita in platea, alter de eadem audita in Eccleſia, vel diverſis temporibus, item unus deponit de tali hæreſi, alter de tali ſortilegio; Singularitas ergò teſtium conſiſtit in eo, quod inter illorum dicta reperitur aliqua varietas, ſeù diverſitas, vel in tempore, vel in loco, vel in ſubſtantia delictorum, vel in modo loquendi.

2 Singularitas autem quamvis ſit exceptio, quæ in judiciis valdè obſervatur, juxtà inferiùs dicenda, non tamen dicit inhabilitatem in teſtibus, cum non oriatur ex aliquo eorum defectu intrinſeco perſonæ, ſed naſcatur ex varietate dictorum ſecundùm propriam uniuſcujuſque teſtis cognitionem, quæ nullum de ſe dicit defectum, cum unuſquiſque teſtis ſuum confirmet dictum, & à judice pro vero habeatur; niſi oppoſitum appareat. Itaque tantùm valet dictum unius teſtis ſingularis ſingularitate relativa, quantùm valet dictum unius teſtis unici ſingularitate abſoluta, ſeù perſonæ, quia illa relatio varietatis nulli diminuit de fide.

3 Singularitas autem ab omnibus aſſignatur triplex, Obſtativa, Diverſificativa, & Cumulativa, ſivè Adminiculativa, de quibus latè *Farin. q. 64. Pegna p. 3. Direct. comm. 121. Carena p. 2. tit. 6. num. 50. Miranda q. 17. de ord. Judic. num. 242. Rodriq. tom. 2. q. 9. art. 1. cum ſuo Compend. reſol. 42. Spathar. de teſtib. tract. 7. cap. 15. Petrus de Angelis Carmelita Diſcalceatus in ſuo ord. Judic. cap. 14. à num. 13. Caſtropal. tom. 1. tract. 4. diſp. 8. p. 15. §. 4. num. 3. Philippus de Bictis Capuccinus in Epitome cauſ. judic. Regul. q. 44. Thomas Hurtadus ex Cler. Minor. in Reſol. moral. p. 1. tract. 4. poſt cap. 8.* & alii apud ipſos, qui unanimitèr ſentiunt, quicquid dicturus ſum in earum explicatione facienda, antequàm proponantur quæſtiones.

4 Singularitas obſtativa eſt illa, qua teſtes deponunt contraria circà idem factum, numero ſpectatum, ut habemus exemplum in unico adulterio ab illis Senibus imputato Suſannæ, quòd concubuiſſet cum juvene; unus enim illorum depoſuit adulterium factum ſub Schino, alter verò ſub

Pruno

Pruno, Daniel *cap.* 13. *à numer.* 54. *ad* 60. Quoniam lis erat de unico adulterio, teſtimonia illorum duorum Senum, quibus noluit ſancta mulier complacere pugnabant, ad invicem, & unum deſtruebat alterum, quia impoſſibile eſt, quòd unica adulteratio fieret in duobus locis inter ſe diſtinctis, ut id patet naturalitèr. Singularitas igitùr obſtativa dicit repugnantiam, & contrarietatem inter teſtes, quorum unus deſtruit fidem alterius; accidere autem poteſt hæc contrarietas formalitèr per negationem, & affirmationem, ut ſi unus illorum Senum affirmaſſet adulterium, & alter negaſſet, vel virtualitèr, & in eodem exemplo, in quo illi Senes affirmarunt adulterium factum, ſed in diverſis locis, ex quibus inſurgit contrarietas.

5 Singularitas diverſificativa eſt illa, quæ excludit obſtativam, ex cujus variis depoſitionibus inferuntur plures actus, ſeù delicta numero diſtincta ſub eadem ſpecie, vel diverſis ſpeciebus v. g. unus deponit blaſphemiam dictam die Lunæ in ludo, alter die Sabbati in loco mercati. Unus de blaſphemia *Meretrix*, alter *ad deſpectum &c.* Item unus de ſortilegio, alter de blaſphemia. In iſtis exemplis apparet pluralitas delictorum, reſultans ex diverſitate locorum, & temporum, vel ex ipſis actibus, præſcindendo à tempore, & loco, qui arguunt delicta eſſe plura: Singularitas igitùr diverſificativa oritur ex duplici capite, *primò* extrinſecè à diverſitate loci, & temporis reſpectu plurium numero actuum ſub eadem, vel diverſis ſpeciebus. *Secundò* intrinſecè ex natura ipſorum actuum, qui ſpecie diferunt inter ſe, ut adulterium, & furtum, ſortilegium, & blaſphemia.

6 Cum ex ſingularitate diverſificativa inferatur pluralitas actuum, quod non contingit in obſtativa, in qua unicus articulatur actus, ſeù delictum in ordine ad teſtes, hinc ſequitur in diverſificativa non ſpectari repugnantiam, nec contrarietatem, ſed ſolùm pluralitatem actuum, conſequentèr illos omnes eſſe poſſe veros, nam poteſt eſſe, quòd quærelatus ſæpiùs blaſphemaverit, hæreſicaverit &c. ex diverſitate locorum, & temporum, & quòd paritèr ſit fur, ſit blaſphemus, ſit ſortilegus, ſit hæreticus etiam reſpectu ejuſdem loci, & temporis, quia in his locus, nec tempus diverſificat, ſed criminum ſpecies inducunt in actis diſtinctionem numericam inductam etiam per varietatem locorum, & temporum. Diverſitas ergò hæc teſtium non infringit, nec debilitat, ſed relinquit in ſuo ſtatu, ac ſi eſſent teſtes ſingularitate perſonæ, & dicto abſoluto.

7 Singularitas Cumulativa eſt illa, qua dictum unius favet teſtimonio alterius, dum plures teſtes per diverſa media tendunt ad eundem finem v. g. Unus ſuper eodem delicto deponit de viſu, alter de auditu, alter de Confeſſione, alter de fama &c. In his non reperitur contrarietas, nec repugnantia dum unus adjuvat, & fortifi-

cat alterum, augendo ejus fidem in probatione criminis. Et hæc verſatur circà idem numero delictum, ut facit obſtativa, diverſificativa verò eſt ſuper plura.

8 Notandum autem eſt, quòd ſingularitas teſtium opponitur conteſtitati, ſeù convenientiæ teſtium; nam teſtes ſingulares ſunt illi, qui in omnibus non conveniunt, ſed differunt loco, vel tempore, aut delicto, aut circunſtantia alia. Teſtes verò conteſtes ſunt, qui conveniunt loco, tempore, & circunſtantiis circà eandem rem.

9 Graviſſima autem eſt difficultas, quomodò, & qualitèr teſtes ſingulares probent, an ſcilicèt probent tantùm, quantùm teſtes conteſtes, & videtur, quòd ſic, quia tantùm probat unus ſingularis, quantùm teſtis unicus, cum illi non diminuatur de fide, dum non eſt inhabilis. Difficultas autem clariùs reſolvetur in ſequentibus concluſionibus quæſitorum.

Quæres igitùr primò quid, & quotuplex ſit probatio?

10 R. Probatio eſt oſtenſio delicti per legitimos modos facta coram Judice competente. Eſt autem duplex Plena, & Semiplena. Probatio plena eſt illa, quæ tantam fidem facit, quanta eſt neceſſaria ad expediendam cauſam. Duo autem teſtes jurati omni exceptione majores, conjunguntur ad faciendam probationem plenam, quandò ſunt conteſtes in depoſitione delicti. Semiplena verò probatio eſt illa, quæ inducitur ad minus per unicum teſtem omni exceptione majorem; ſi enim duo requiruntur, & ſufficiunt ad plenam; ergò unus ejuſdem conditionis ſufficit ad ſemiplenam, ut nomen ipſum indicat, nam ſemiplena eſt dimidia probatio, quæ cum alia dimidia componit plenam ex duobus teſtibus, legitimi autem modi probandi aliquid habentur non ſolùm per teſtes, ſed aliis modis probatur delictum, nempè per ſcripturas, per indicia, per confeſſionem, per evidentiam facti, per juramentum &c. de quibus *Maſcard. q. 1. num. 17. & ſeq. quæſt.* Nos hìc de probatione per teſtes tantùm agemus.

Quæres 2. Per quos, & quot 12
teſtes convincatur Reus, ut poſſit condemnari ad pœnam ordinariam in quacumq; cauſa criminali?

11 R. Reus tunc convincitur, cum delictum eſt plenè probatum per duos teſtes conteſtes omni exceptione majores, quibus ſcilicèt nihil jure opponi poteſt, quod eorum fidem debilitet, qui ſint jurati deponentes ſuper idem delictum ex ſcientia propria viſus, vel auditus, juxtà exigentiam delicti, ut blaſphemia, & hæreſis probantur per auditum, ſortilegium per viſum.

Primum de duobus teſtibus habetur, Deuter. 17. 6. *In ore duorum, vel trium teſtium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur uno contrà ſe dicente teſtimonium.* Item cap. 19. num. 15. *Non ſtabit unus teſtis contrà aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit, ſed in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* Sermo igitùr hìc 13
eſt de probatione plena in ordine ad condemnandum aliquem cujuſuis conditionis, reſpectu cujuslibet criminis ad pœnam ordinariam, ut fatentur omnes. Quòd ergò duo teſtes petantur ad condemnandum aliquem in pœnam ordinariam, eſt de jure divino, &

licèt

licèt lex vetus ſit abrogata per novam Evangelii, ut docent omnes Theologi cum *D. Thoma* 1. 2. *q.* 104. *art.* 3. non tamen fuit abrogatum hoc de duobus, vel tribus teſtibus, ſed confirmatum *Matth.* 18. 16. neque enim eſt merè judiciale, ſed mixtum morali de juſtitia ſervanda proximo. Eſt ergò de jure naturali, & divino, quòd nullus condemnari poteſt ad pœnam ordinariam negativus exiſtens, qui non ſit convictus duobus teſtibus legitimis. Quicquid dicant plerique cum Leſſio *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 25. *Trulench. lib.* 10. *in Decal. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 1. *cum multis aliis citatis à Thoma Hurtado tom.* 1. *tract.* 4. *de Sacerd. ſolicit. nu.* 10. 13. & 14. aſſerente id non eſſe de jure naturali, licèt ſit illi conforme, undè poſſe Summum Pontificem, & alium Principem Supremum unico teſte cum adminiculis condemnare aliquem. Ad hoc autem ſufficientem non affert rationem, nec reſpondet allatæ auctoritati Sacræ Scripturæ, & nonnulli ab eo allegati loquuntur de unico teſte ad probandum aliquid ſinè præjudicio tertii; quandò autem agitur de præjudicio tertii, tunc illud commune axioma. *Unus teſtis, nullus teſtis*, verùm eſt, de quo Caramuel. in ſua Theolog. fundam. *num.* 1105. *fol.* 837.

13 Secundum de conteſtitate duorum teſtium in convincendo Reum, deducitur ex Sacra Scriptura Marci 14. 56. *Multi enim teſtimonium falſum dicebant adverſus eum, & convenientia teſtimonia non erant*, ideſt, eorum dicta non erant circà idem delictum, ſed diverſa, undè non erant conteſtes, ſed diſconvenientes, accuſabatur enim de diſſolutione templi, & de blaſphemia. Nam invenio in aliquo jure hæc verba: *Conteſtes*, benè dicitur in cap. Nihilominùs 16. 3. q. 9. *Nihilominus quoque puniendi ſunt teſtes, qui ad calumniam aliquid teſtificantur, nec eorum voces tamquàm plurium admittuntur; quos temporum diverſitas ſimul interfuiſſe probibuit*. Debent ergò deponentes de eodem delicto, ſimul illi interfuiſſe; quia impoſſibile eſt, idem numero crimen eſſe perpetratum diverſis temporibus. *In l. fin. ſciant cuncti C. de probat.* dicitur, quòd teſtes debent eſſe idonei, nullam ſcilicèt patientes exceptionem, quibus ſcilicèt, & eorum dictis nihil opponi poſſit; debent enim eſſe probatæ fidei. Debent ergò eſſe conteſtes; ſi enim unus deponat de furto facto die 4. Aprilis, & alter die 10. ejuſdem menſis, hìc præſumuntur duo delicta ejuſdem ſpeciei, probata tantùm ſingulariter, ideſt, unum ab uno, & alterum ab altero, conſequenter ambo non poſſuut eſſe conteſtes de eodem numero delicto; ſi verò unicum probatur delictum numero, nihil concluditur, quia unum deſtruit dictum alterius, ut mox dicam. Conteſtitus varios habet gradus, ideò infrà magis id patebit.

14 Tertium de depoſitione ex proprio viſu, & auditu probatur, quia nemo dicitur propriè ſcire ex illis duobus ſenſibus, niſi per proprium viſum, & auditum; judex enim credit teſtibus mediante eorum fide, quam putat veram ex adjuncto juramento; teſtibus ergò creditur ex propria ſcientia, non ab aliena, quin depoſitio eſt actus perſonalis perſonam non excedens.

Quartum

15 Quartum de juramento expreſſè habetur Cap. Tuis 39. & Cap. nuper 51. de teſtib. ubi neque religioſo creditur teſtanti ſine juramento, Miranda q. 18. à num. 13.

16 Quæres 3. An reus alio modo convinci poſſit, quàm per teſtes idoneos, & condemnari ad pœnam ordinariam?

℟. Utique, nam tribus modis convincitur Reus, teſtibus, ut hactenus dictum fuit, ſcripturis, & indiciis. Colliguntur hi tres modi ex l. fin. de probat. ubi dicitur: Sciant cuncti accuſatores ſe rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita ſit idoneis teſtibus, vel inſtructa apertiſſimis documentis, vel indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita. Teſtibus ergo ſcripturis, & indiciis poteſt Reus convinci.

17 De Scripturis, quæ continent hæreſes, ſeu ſortilegia, hìc breviter agendum eſt; hæc enim duo delicta benè probantur per ſcripturas, & quandoque convincunt Reum, ut mox dicam.

18 Ut hæreticus convincatur in hoc delicto, neceſsè eſt, ut Scriptura continens hæreſes, vel hæreſim, recognoſcatur compoſita ab eodem; poteſt autem recognoſci, & verificari tribus modis. *Primò* per teſtes, qui viderint eum ſcribere folium, vel librum delatum in judicio, ad minus duos, licèt deponant ſucceſſivè, quia ſcriptura habet continvationem in ſua compoſitione; Faciunt, quæ dico infrà ſub. q. 18. *Secundò* comparatione litterarum ejuſdem cum libro hæreſico. *Tertio* recognitione facta per eos, qui manum cognoſcunt ſcriptoris. *Carena p. 3. tit. 4.*

19 Si Reus eſt hæreſis ſcriptor, & fateatur ſe librum compoſuiſſe, ſine dubio eſt convictus de hæreſibus, quas ſcripſit, quia per hanc recognitionem à ſe factam fatetur hæreſes; ſi verò ab aliis ſcriptoris manus recognoſcatur comparatione, vel aſſertione ſine viſu, facit ſolum indicium ad torturam ex eodem Carena *nu. 6. cum aliis Farin. conſ. 70. num. 14. Vide Farin. q. 84. num. 16.* requirunt tamen adminicula, niſi ſcriptor eſſet malæ famæ.

20 De indiciis indubitatis poteſt quis condemnari, ut docent Hyppolitus in *Rubr. huius tit. nu. 248. Boer. deciſ. 164. Grammat. deciſ. 42. cum aliis Barboſ. ſuper dictam leg. final. de probat.* Illa autem ſunt indicia indubitata, quæ animum judicis aliter movere non poſſunt, niſi ad credendum, quòd ipſa indicant. Intellige in pœnam arbitrariam.

CASUS

# CASUS XXXII.

## De Teſtibus ex Auditu.

1 TEſtis ex auditu dupliciter deponere poteſt. *Primò*, de auditu proprio, & intrinſeco, quo immediatè audivit proferentem blaſphemiam, quod contingere poteſt duobus modis. Primò audiendo blaſphemantem, & ſimul immediatè videntem; Secundò audiendo illum, ſed non videndo, quia vel cœcus, vel quia interponitur cortina, vel paries, ſeù quid aliud inter blaſphemantem, & audientem. Secundò de auditu auditus, ideſt, alieno; quia amicus narravit mihi Petrũ blaſphemaſſe.

2 Certum eſt apud omnes, teſtem de auditu proprio, & videntem perſonã, dum blaſphemat, probare, quia blaſphemia eſt propriè objectum auditus ex ſono verborum blaſphemię perveniente ad aures audientis blaſphemare. *Ità omnes cum Farin. q. 69. n. 148. Caren. p. 3. tit. 6. n. 8. Petrus ab Angel. c. 14. n. 24. & 25. de S. Juliano c. 5. Advert. 7. alii omnes nullo diſcrepante.*

3 Teſtis verò de auditu proprio perſonam non videns, licèt certam habere ſe notitiam vocis judicet, non eſt omni exceptione major, undè nec ſemiplenè probat, ac proindè nõ facit indicium ad torturã. *Ità Giurb. conſ. 37. crim. n. 42. & 43. Farin q. 62. n. 46. & q. 69. n. 190. Caren p. 3. tit. 6. n. 16. ad 19. à S. Julian. c. 5. Advert. 5. §. 2. Petrus de Angelis c. 14. n. 25. & 26.* Ratio eſt, quia licèt teſtis ſibi perſuadeat notitiam habere vocis proferentis blaſphemiam, tamen de ea certitudinem ocularem non habet, undè æquiparari poteſt teſti vacillanti, & dubitanti; Id autem confirmari poteſt

4 ex Hiſtoria. *Iſaac in Geneſ. 27. 22.* qui non cognovit exiſtens cœcus filium ſuum Eſau, putans eſſe Jacob ex voce, quem benedixit ſub nomine Iſaac, putans quòd eſſet Eſau, eò quòd Jacob coopertas habebat manus in ſimilitudinem fratris ſui Eſau, qui naturaliter manus piloſas habebat, antepoſuit ergò tactũ auditui vocis, & ſic in utroq; deceptus fuit; ex voce ergò Pater Iſaac filiũ ſuum Jacob certò non cognovit, ſed vacillavit, ex tactu magis, quàm ex voce, ſe determinando ad credendum certò, quòd eſſet Eſau, qui reverà non erat; ſi ergò Pater ad vocem non cognovit filiũ, quomodò amicus familiarem non videntẽ blaſphemare, poterit deponere certò contrà illum? Adduco etiam exemplum Judæ, qui carnaliter cognovit Thamar nurum ſuã, & eam non cognovit, quia velatam ſemper tenuit faciem ſuam, lege *cap. 38 Geneſ. à num. 15.*

5 Diſplicet ex his, quod nonnulli judices faciunt, dum non valentes cogere Reum ad confitendum, illũ putant teſtibus convincere, dum blanditiis procurant, ut delictum fateatur, poſitis poſt parietem teſtibus, & notario audientibus, ſed non videntibus illum fateri delictum. Ratio eſt, quia delictum illud homicidii, furti &c. probandũ eſt per viſum, non per auditum, cũ poſſit eſſe alia perſona fingens, & ſimulans vocem alterius. *A S. Julian. præcit. c. Advert. 7. §. 1. refert, Trulench. & Fagund. l. 8. in Decal. c. 40. n. 14.* Judicem Reum, ex ea confeſſione teſtibus firmata, condemnaſſe.

Teſtis

6 Teſtis de auditu alieno nihil probat, quia nullam certitudinem propriam habet, ratione cujus poſſit deponere de veritate facti, neque ideò reddere poteſt rationem, & cauſam propriæ ſcientiæ; probatio enim provenit ex propria fide teſtis deponentis, non aliena, quod ſcire non dicitur. *Ità omnes cum Farin. q. 69. à num. 9. à S. Juliano cap. 5. Advert. 7. §. 4. de Angelis cap. 14. num. 27.*

7 Obſervandum autem eſt, quòd teſtis ex auditu alieno facit aliqualem probationem ad defenſam Rei. *Ità Carena p. 3. tit. 6. nu. 12. ex Farin. q. 69. num. 13.* In delictis occultis, & difficilis probationis ex teſtibus de auditu deveniri poteſt ad torturam, ut in crimine Aſſaſſinii. *Ità Giurba conſ. 41. num. 3. cum prædictis Carena cit. nu. 13. & 14.*

8 Teſtis autem de auditu alieno tunc potiſſimùm repellitur, cum ejus auctor rejicitur ex ejus inhabilitate; fides enim teſtis hujuſmodi omninò pendet à fide ejus, à quo audivit, qui cum ea careat fide, eam communicare non poteſt alteri. *Ità Camillus Borella apud Carenam num. 14.*

9 Sed quid dicendum, quandò teſtis ex auditu alieno audivit aliquem jactantem ſe de blaſphemia, furto, homicidio &c. nunquid hujus depoſitio aliquid probat.

10 R. Confeſſio extrajudicialis probata per duos teſtes conteſtes, qui ſimul audierunt jactantem ſe, vel narrantem ſe blaſphemaſſe, dat jus ad torturam Judici contrà confeſſum extràjudicialitèr. Ità
11 aliis citatis *Farin. q. 82. n. 44.* reddit rationem ex Beroo, quia quodlibet indicium remotum probandum eſt per duos teſtes: *De Angelis cap. 12. nu. 16.* ubi dicit procedere, modo incontinenti non ſe retractet coram eiſdem audientibus. *Salelles Reg. 178. n. 56.* ait, confeſſionem extrajudicialem etiam juratam, & geminatam plenè non probare ad pœnam ordinariam, ſed tantùm extraordinariam, idem docet *Miranda q. 26. art. 7. à num. 107.* plura dicam infrà caſu 52. Idem dicunt de confeſſione facta coram judice incompetente.

12 Dixi, quòd duo teſtes confeſſionem probantes, debent eſſe conteſtes non reſpectu temporis, aut loci, ſed tantùm reſpectu delicti, ut ſcilicèt audierint ambo blaſphematorem ſe jactantem de tali blaſphemia eodem, vel diverſis temporibus; adæquatè enim ex his depoſitionibus uniformibus circà eandem blaſphemiam manet probatum crimen jactatum.

CASUS

# CASUS XXXXIII.

## De Teſte nocturno.



Eſtis nocturnus vocatur ille, qui deponit de rebus de nocte geſtis. Ut autem ejus dictum valeat, neceſſarium eſt, quòd eo tempore blaſphemiæ, injuriæ, ſeù homicidii lumen adeſſet, vel ex igne, vel ex candela, vel ex ſclopi exploſione, vel ex Luna lucente, ut per unum ex his luminaribus potuerit cognoſcere delinquentem, qui aliàs eſſet ſibi notus. *Ità docent omnes cum Ripa in ſuo tractatu de nocturno. Borella tom. 2. tit. 13. ex eo Riccius coll.* 3097. *Farin. qu.* 62. *à num.* 33. *Giurba conſ.* 37. *numer.* 41. *Carena part.* 3. *tit.* 6. *numer.* 19. *ad* 28. ubi ait, allegantem in cauſam ſui dicti Lunam lucentem, quæ tamen non lucebat ea nocte, vel in tali hora, qua delictum fuit factum, uti falſum teſtem puniri, ex eodem *Ripa num.* 47. Delinquens autem debet eſſe notus, & familiaris teſti, aliter non probat, cum tunc teſtis nocturnus æquiparetur teſti audienti, ſed non videnti perſonam blaſphemantem, licèt notam ejus vocem habeat; à fortiori, quandò notam non habet ejus vocem.

# CASUS XXXXIV.

## De Teſtibus contrariis ad Concordiam reducendis.

1 NOtandum eſt, quòd teſtis poteſt eſſe contrarius non ſolùm ſibi, ſed etiam aliis teſtibus. Definiri autem poteſt; teſtis contrarius eſt ille, in cujus dictis ſibi repugnat, vel aliis. Repugnantia autem conſiſtit *Primo* in ſubſtantialibus, cum ſcilicèt unus deponit de furto; alternegat. *Secundò*, in circunſtantiis, ut ſi unus deponat homicidium factum tali die, & loco, alter verò alio die, & loco; tempus enim, & locus ſunt circunſtantiæ intrinſecæ, quandò agitur de unico delicto ſivè reiterabili, ſivè irreiterabili; impoſſibile enim eſt, quod ſit factum diverſis locis, & temporibus; in hoc caſu igitùr tempus, & locus ſunt circunſtantiæ intrinſecæ. *Tertiò*, in aliis circunſtantiis extrinſecis, quæ factum principale non infringunt, ut unus aſſervit homicidium factum fuiſſe cum clava, alter deponit eſſe gladio perpetratum. *Vide Farin. q.* 65. *Souſam lib.* 2. *cap.* 6. *à num.* 52. *Carena p.* 3. *tit.* 6. *à num.* 45. *Miranda qu.* 17. *art.* 8. *num.* 263. *Salelles Reg.*
2 170. *à num.* 142.

Teſtes ergò ad invicem contrarii primo, & ſecundo modo, nihil probant, quia unus alterius dictum deſtruit diminuendo ejus fidem. Ità docent præcitati. Tertio verò modo, & quandò concordant in depoſitione ejuſdem delicti plenè probant, quandò inquiſitio delicti non arctatur ad unicum numero delictum, & in reiterabilibus locum habet.

3 Obſervandum autem eſt, quod dicta teſtium cavillanda non ſunt, ſed adjuvanda, atque liberanda à falſitate, & contrarietate, quantum fieri poteſt, & eorum verba patiuntur, ex cap. Cum tu 16. de teſtib. ibi: *Nos dicta teſtium benignè interpretari &c.* Qnod fit reducendo eorum dicta ad concordiam; ità omnes quos longa ſerie citat *Barboſa ad præcitatum cap. num.* 2. Adeoquod judex interprætari debet teſtes depoſuiſſe pluralitatem factorum, & perſonarum ad evitandam falſitatem *ex citatis à Farin. qu.* 65. *num.* 38. *ab eodem Barboſa nu.* 2. etiam verba impropriando, *ex Menoch. lib.* 5. *præſumpt.* 23. *nu.* 11. *citato à Barboſa n.* 3. Et depoſitio teſtis generalitèr loquentis declaratum per alium in ſpecie deponentem, *Cæſar de Graſſis deciſ.* 8. *de cauſa poſſeſſ. Socin. Jun. lib.* 1. *conſ.* 69. Depoſitio enim unius teſtis regularitèr declaratur per depoſitionem alterius, *Grammat. conſ. civili* 79. *n.* 6. *cum aliis Barboſa præcitatus num.* 3. *fine.*

4 Quandò verò certa eſt, & manifeſta contrarietas teſtium, non eſt locus concordiæ, ut conſtat in eo, qui deponit de homicidio facto menſe Januarii, alio deponente de eodem numero, perpetrato

menſe

menſe Martio. De unico adulterio commiſſo die prima Aprilis, alio aſſerente decima ejuſdem menſis, vel in domo, & in prato. Ratio eſt, quia ſingularitas obſtativa, locum non habet in concordia, cum tertium non detur, in quo conjungi poſſint. *Anſald. conſ.* 128. *n.* 2. *juribus ab eo allegatis.*

Quæres autem quam probationem faciant teſtes concordati?

5 R. Teſtes concordati ex legitima interprætatione, quandò ſcilicèt contrarietas inter eos non eſt manifeſta, & patens, probant ex diſpoſitione juris eccleſiaſtici ſupracitati, non ſolùm ad torturam, ſed etiam ad pœnam ordinariam. *Ità Farin. q.* 65. *nu.* 79. *Souſa lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 19. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 6. *num.* 54. §. *Vel quæritur. Salelles Reg.* 170. *num.* 142. dicunt enim, quòd probant teſtes concordati, convenientes in facto, & negato principali.

6 Notandum autem eſt, quòd, quandò agitur de probanda formalitate verborum, ut in blaſphemia, dicunt *Farin. q.* 65. *num.* 28. *Souſa lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 15. *ex Carena part.* 3. *tit.* 6. *nu.* 47. Si teſtes in verbis diſcordant, nihil probare. Intellige, quandò ex neceſſitate cauſæ probanda eſt verborum materialitas, ut ſi agatur de unica blaſphemia, ſeù injuria; nam ſi ſimplicitèr quæratur, an quis blaſphemaverit, ſufficit, quòd teſtes concordent in formali ratione blaſphemiæ contrà Deum, vel Sanctos; quæcumque deindè verba deponantur à teſtibus, modò per ea indicetur blaſphemia.

Teſtis ſibi ipſi contrarius, quia in prima depoſitione unum dixit, & poſtea illud negavit, nihil omninò probat, quia convincitur mendax, & falſus. Ità omnes *cum Farin. q.* 66. *num.* 13. In Sancto Officio ſtatur ſecundo ejus dicto contrà ſe, vel alium depoſito, favore fidei, ut dixi *caſu* 39. *num.* 8. *caſu* 40. *n.* 7. *& infrà caſu* 45. *de correctione teſtium.*

7

# CASUS XXXXV.

## De Teſte ſe corrigente, & declarante ſuum dictum obſcurum.

1 TEſtis ſi contraria dixit, poteſt incontinenti, ideſt, antequàm recedat à conſpectu Judicis illum licentiantis, ſe corrigere, reddendo cauſam ſuæ correctionis. Poſt verò correctio non admittitur, niſi bonam reddat rationem ſuæ correctionis.

2 Primum de correctione incontinenti probatur, quia cenſetur emendare debilitatem ſuæ memoriæ; eſt enim labilis *l. Peregrè* 44. *ff. de acquir. poſſeſſ.* & cum incontinenti id fiat, non eſt præſumendum contrà ipſum, quòd ſententiam mutarit ob aliquod intereſſe. *Ità omnes Canoniſtæ ſuprà capit. Prætereà 7. de teſtib. cog. Rodriq. tom. 2. qu. 10. art. 2. cum ſuo compend. reſol. 42. num. 10. Farin. quæſt. 66. à num. 228. A S. Juliano cap. 5. Advert. 16. §. 3. Covar. lib. 2. cap. 12. num. 8. §. Cæterùm, Carena part. 3. tit. 6. numer. 59. Souſa lib. 2. cap. 6. numer. 66. Barboſa ſuprà dictum caput.*

3 Secundum, quòd ad ejus valorem requiratur expreſſio cauſæ talis correctionis, probatur; Tùm quia ſi tenetur reddere rationem teſtis ſuper quolibet ſuo dicto, ex probatis caſu 40. num. 3. à fortiori in caſu correctionis. Tùm quia teſtis debet aliquid allegare, per quod mens Judicis removeri poſſit à primo dicto; Ità præcitati, inter quos aliqui non petunt cauſæ allegationem, *ex Cantera apud Carenam num. 59. apud de Angelis capit. 16. num. 21. Farinac. quæſt. 66. numer. 240. & 241. A S. Juliano cap. 5. Advert. 16. §. 14.*

4 Poſita ergò correctione legitima, ſtatur ſecundæ depoſitioni, quia cenſenda eſt veritatem continere. *Ità omnes cum Farin. quæſt. 66. numer. 142.* Et id clarum eſt in cauſis fidei, *ex cap. Accuſatus de hæreſi in 6.* ubi teſtis, qui primò negavit hæreſim, vel quem ſuſpectum de hæreſi, & poſteà incontinenti deponit de hæreſi, tàm contrà ſe, quàm contrà alios, bonam reddendo rationem maximè reſpectu extraneorum, admittitur quoad ſecundum dictum favore fidei, ut dixi *ſub caſu 59. num. 8. & caſu 40. nu. 7.* etiamſi ex intervallo ſe correxerit, ut ibi dicit Textus.

5 Tertium de correctione ex intervallo, quod non admittitur, niſi quandò cauſam correctionis, & erroris allegat, & eam probat docendo de errore, docetur à pluribus citatis *à Farin. q. 66. num. 245.*

Dices

Dices, quomodò teſti ſe corrigenti credendum eſt, cum ſit perjurus, ac proindè mendax, & falſus, ac proindè fide carens.

6 R. Stante legitima correctione, non haberi pro perjuro, & mendaci, ſed veridico, quia correctio tollit præſumptionem perjurii, ſicut concordia depoſitionum contrariarum, ut dictum fuit præcedenti caſu 44. *num.* 3.

7 Teſtis, qui obſcurus fuit in ſua depoſitione, ſe declarare poteſt, & debet pro veritate, ſi ſcit ſe declarare. *Ità Pegna p.* 3. *com.* 111. §. *Sed cum in dictis*. Aliàs Judex eam interpretationem facere debet, quæ delictum excludat, *ex eodem*, & *Albertin. q.* 29. *num.* 19. *iterùm qu.* 34. *num.* 48. *Royas p.* 1. *num.* 199. *Carena p.* 3. *tit.* 7. *num.* 32.

CASUS

# CASUS XXXVI.

## De Teste vocante alium in conteſtem.

1 SOlent teſtes dicere: *Vi era preſente il tale. Hà ſentito ancora biaſtemare &c.* Si concordant poſterior teſtis, & prior in depoſitione legitima, eſt probatio, quia conteſtes, & nullus contradicit.

2 Quandò teſtis citatur à primo, interrogatus à Judice, negans ſe fuiſſe præſentem, & audiſſe blaſphemiam, in hoc caſu neutrius depoſitio valet, & nulli eorum creditur, quia alter alterius fidem deſtruit. *Ità Giurba conſ. 37. nu. 26. Rota vol. 2. apud Farin. deciſ. 337. num. 5. ex eis Carena p. 3. tit. 6. num. 42.*

3 Nonnulli dicunt poſſe concordari cum primo teſte, dicendo non fuiſſe præſentem præſentia formali, ſed tantùm materiali; accidere enim poteſt, quòd non adverterit ad injuriam, ſeù blaſphemiam, *Farin. q. 65. num. 272. & 273.* ubi in hanc ſententiam citat pluſquam decem Doctores; ipſe verò aſſerit, non poſſe concordari, ſed primum teſtem eſſe ſuſpectum de falſo, quia dum ſermo eſt de præſentia, id intelligendum eſt de præſentia corporali, & ea ſublevata, tollitur probatio facti, pendens ab ea præſentia.

4 Si præſentiam affirmet, & dicat ſe neſcire, vel non audiviſſe, concordari poteſt cum primo teſte, quia poteſt eſſe verum, quòd non attenderit ad verba, vel ad factum, agendo maximè de delictis linguæ *ex allegatis ab eodem Farin. q. 65. num. 276.* quia non ità facilè ſenſus, & mens applicantur delictis linguæ, ſicut aliis delictis materialibus homicidii, per-
5 cuſſionis, &c.

Si teſtis minus dignus nominetur à digniori, credendum eſt digniori, quia ejus fides videtur major, ut ait *Giurba apud Carenam*
6 *p. 3. tit. 6. num. 43.*

Obſervandum hìc eſt, in materia blaſphemiæ magis eſſe credendum affirmanti, quàm neganti, quandò poſterior teſtis nominatus affirmat præſentiam, & negat blaſphemiam, dicendo non audivi eum blaſphemare, quia non tollit fidem prioris teſtis directè, cum ejus verba interpretari poſſint, quòd diſtractus non attenderit ad verba, quæ dixerat blaſphemus. Si verò abſolutè neget, eum blaſphemaſſe pro illa hora, qua præſens erat, enervatur fides primi teſtis, quia ea reſponſio refertur ad præſentiam utranque corporalem nimirùm, & intellectualem.

CASUS

# CASUS XXXXVII.

## De Teſte negativo in cauſis blaſphemiæ.

1 TEſtis negativus in cauſis blaſphemiæ, & aliorum criminum, non eſt contrà ipſum Reum, ſed in ejus defenſionem, quia depoſitio negativa eſt contraria præcepto negativo, in quantùm Reus defenditur, quòd non fuerit tranſgreſſus præceptum negativum, ſed ipſum fuerit obſervatum à prætenſo tranſgreſſore.

2 Depoſitio autem negativa duplex eſt, una dicitur vaga indefinita ſcilicèt tempore, loco, & circunſtantiis, ut cum quis deponit Petrum non blaſphemaſſe, & teſtis per hujuſmodi negativam vagam, nihil omninò probat, quia negativa vaga non cadunt ſub ſenſum; & ideò de ſui natura eſt improbabilis, imò talis teſtis non caret ſuſpicione falſitatis, ut dixit *Franciſcus Marcus deciſ. 266. Parlam. Delphinalis. Ità aliis citatis Farin. q. 65. à num. 221. Maſcard. concl. 1091. num. 8.* Et in hoc omnes conveniunt *in cap. Quoniam 11. de probat. cap. Super hoc 5. de renunt. ibidem Barboſa auctores citat.*

3 Negativa verò coarctata loco, tempore, & circunſtantiis, probat, quandò removetur ſenſus ab actu, & actus a ſenſu. Tunc autem ſenſum teſtis removet ab actu, quandò deponit, Petrum non blaſphemaſſe tali die, tali hora, in tali loco. Tunc verò removet actum à ſenſu, quandò dicit, quòd non poteſt eſſe, quòd blaſphemaverit, quia audiſſet illum blaſphemantem. *Ità omnes citati à Farinac. quæſt. 65. à numer. 228. Maſcard. concluſ. 1091. numer. 9. Rota part. 2. tom. 1. Noviſs. deciſ. 544. num. 2. Barboſa ad cap. 3. loco 5. de probat. num. 4. Rota part. 1. Recent. apud Farinac. deciſ. 573. num. 2. Carena part. 3. tit. 6. à num. 64. Ciarlin. capit. 181. num. 31.*

4 Alio modò negativa probari poteſt favore blaſphemi, probando nimirùm blaſphemum, contrà quem teſtis depoſuit, blaſphemaſſe tali hora, in tali loco, tunc temporis non fuiſſe ibi, ſed alibi, & id clarum eſt, quia idem numero homo ſimul, & ſemel non poteſt eſſe in duobus locis, naturalitèr loquendo. *Ita Farinac. qu. 65. num. 215. cum Carena pa. 3. tit. 6. nnm. 66. Clarus quæſt. 52. num. 4. Maſcard. concl. 1091. num. 10. Petrus ab Angelis cap. 21. num. 44.* ubi obſervat quòd locus non debet eſſe ità propinquus, ut celeritèr tranſierit illuc, poſt delictum perpetratum, undè probanda eſt diſtantia remota utriuſque loci, ut defendere poſſit prætenſum Reum;

Reum ; Sed id non eſt neceſſarium, quia Reus benè defenditur , ſi negat teſtis crimen perpetratum fuiſſe in cubiculo domus , in quo alter deponit delictum fuiſſe factum ; negativa enim in terminis, & adæquatè debet deſtruere id tantùm, quod depoſuit teſtis affirmativus.

5 Sed obſervandum eſt, quòd videtur impoſſibile per negativam coarctatam tempore , loco , & circunſtantis defendere Reum à blaſphemia ; *Primò* , quia rarò hæc articulantur à teſtibus propter oblivionem præſertim temporis , nam licèt teſtis deponat , Petrum blaſphemaſſe tali die , videtur impoſſibile probare negativam , ex eo quòd teſtis negativus debet probare ſe toto illo die fuiſſe cum illo, adeoquòd ab eo non diſceſſit , quia in quolibet momento illius diei potuit blaſphemare . *Secundò*, quandò teſtis depoſuit Petrum blaſphemaſſe occaſione ludi, rixæ, comeſtionis , aut alterius negotii ; teſtis ad defeſam debet aſſerere ſe toto illo tempore , quo duravit ludus , rixa , &c. fuiſſe cum illo , & nullam audiſſe ab eo prolatam blaſphemiam,quod non videtur veriſimile, quia ex ſimilibus ſolent homines blaſphemare , & præſentia continua toto die cum blaſphemante prætenſo , credibilis non videtur . *Tertiò*, blaſphemia contingit in inſtanti , quæ potuit accidere , quandò teſtis per momentum , ſeù breviſſimum tempus adfuit , adeoquòd præſentia continua probanda eſt , ſaltem per ipſius teſtis juratam aſſertionem.

6 *Carena part.* 3. *tit.* 6. *numer.* 67. proponit caſum de eo, qui à duobus teſtibus gravatur , quòd tali loco , die , & hora blaſphemaverit,& ab aliis duobus conteſtibus illud negatur , addentibus non poſſe eſſe , quòd blaſphemaverit , quia illum audiviſſent . Supponit ergò caſus , quòd aderant quatuor perſonæ in eodem loco, die , & hora, duæ contrà blaſphemum , & duæ pro blaſphemo.

7 Reſpondent citandi credendum eſſe negativis contrà affirmativos , qui ſunt *Bovadilla tom.* 2. *ſuæ Politicæ lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 114. *Borella tom.* 2. *tit.* 14. *num.* 68. *Farinac. quæſt.* 65. *numer.* 224. *apud dictum Carenam* , *ſequitur Petrus ab Angelis cap.* 21. *num.* 46. ea ratione, qua in caſu dubio eſt melior conditio poſſidentis ſuam innocentiam , & in dubiis reo magis favendum eſt , quàm actori.

8 Sed meo judicio caſus videtur magis ſpeculativus , quàm practicus ; ſupponit enim illos quatuor teſtes eſſe in æquilibrio fidei , quod rariſſimè accidit , cum judex in tali caſu non ſolùm circunſtantias perſonarum , quæ diverſæ ſolent eſſe, verùm etiam illarum ætatem , affectionem , & alia, quæ conſiderari poſſunt , ſpeculari debeat . Poteſt ergò, ſtante æqualitate omnimoda teſtium, licentiari cum onere ſe præſentandi , cum vocatus fuerit, undè abſolvendus non eſt, nec declarandus innocens , quia accidere poteſt , quòd alii teſtes

compa-

comparebunt contrà blaſphemum. Et facit illud, quòd par non agit in parem, undè nec affirmantes Reum faciunt ad condemnationem, nec negativi ad abſolutionem. Quòd ſi probetur aliàs blaſphemus? Certè magis credendum tunc eſt affirmantibus, quàm negantibus; ſicut & quandò affirmativi in fide, & probitate excedunt negativos, quia affirmativi cenſentur potiores, & fortiores.

9 Dixi ſub *numer.* 4. probari innocentiam gravati in blaſphemia, atteſtando illum tali hora fuiſſe abſentem ab eo loco, in quo deponitur blaſphemaſſe. Adverte hìc, quòd hujuſmodi probatio non habet locum pro perſona malefica, & ſolita converſari cum dœmone, ex allatis à *Carena part.* 3. *tit.* 6. *numer.* 66.

# CASUS XXXVIII.

## De Repetitione Testium.

1  Epetitio testiũ non est necessaria, quandò Reus illi renuntiat habẽdo testes pro rectè, & ritè examinatis, quàm renunciationem revocare potest, antequàm attestationes publicentur. Repetitio autem testium petit easdem solemnitates, quas postulat examen ipsorum testium. Quandò Reus renuntiat repetitioni testium, habendo eos pro repetitis, solet apponi clausula hæc: *Salvo jure apponendi contrà personas, & dicta testium*. Licèt autem testes examinati in judicio summario non probent, quandò Reus non renuntiat repetitioni testium, tamen testium mortui non repetiti probant contrà Reum.

2 Primum, quod non sit necessaria repetitio testium, cui renuntiatur, probatur, quia licèt testes non repetiti non probent, nisi examinato in plenario judicio, *secundùm Albertinum q.* 34. *num.* 16. *Simancb. tit.* 64. *num.* 16. *Royas p.* 2. *num.* 107. *Pegna cum aliis apud Carenam p.* 3. *tit.* 7. *nu.* 33. *cum Farin. q.* 72. *num.* 87. *Salelles Reg.* 176. *num.* 234. *Miranda q.* 18. *art.* 6. tamen quia Reus huic juri cedere potest, habendo illos pro veridicis, ideò probant plenè, ac si reverà fuissent examinati in plenario judicio. *Ità Farin. de hæresi q.* 188. *num.* 27. ubi ait, testes habitos pro repetitis, nihilominus esse rexaminandos in causa hæretici negativi.

3 Secundùm, quod possit revocare renuntiationem testium repetendorum, probatur, quia licèt renuntians redire non possit ad id quod renuntiavit, *ex cap. Quam periculosum* 8. 7. *q.* 1. id tamen intelligitur, quandò renuntiatio acceptata fuit à parte *ex allegatis à Sanchez lib.* 8. *disp.* 32. Non intelligitur autem acceptata, nisi post depositorum publicationem; ergò redire potest ad repetitionem renuntiatam. *Ità Simanch. tit.* 64. *num.* 25. *Gabr. vol.* 1. *cons.* 178. *Carena p.* 3. *tit.* 7. *num.* 35.

4 Tertium, quod requirantur in repetitione testium eædem solemnitates, probatur, quia agitur de eadem re; ergò eodem modo tractanda est. *Ità Clarus q.* 45. *vers. Cæterum si Reus.*

5 Quartum, quòd testes mortui non repetiti probent, constat ex eo, quod præsumuntur favore fidei depositi fuisse veritatem. *Ità Farin. q.* 72. *num.* 120. *Carena p.* 3. *tit.* 7. *n.* 47.

Dubitatur autem primò, an testis repetendus possit se remittere primę depositioni, & Judex debeat illi legere examen?

6 R. Judex debet illi legere primam depositionem, & stare ejus primo dicto relativo, *primò*, quandò multum tempus intercessit inter primam, & secundam depositionem, quia labilis est memo-

memoria, maximè in caſibus arduis; *Secundò*, quandò teſtis non eſt ſuſpectus; in his duobus caſibus ſtatur depoſitioni relativæ relectæ, quam teſtis dicitur ratificare. *Ità Simanch. tit. 64. num. 25. Caſtropal. p. 1. tract. 4. diſp. 8. p. 15. §. 3. num. 5. Carena p. 3. tit. 7. n. 40.* Ratio eſt, quia depoſitio relativa de jure probat *ſecundùm Scacciam de judic. cap. 86. num. 48. & 55. Farin. q. 66. nu. 39.*

Dubitatur 2. An valeat teſtium examen, & eorum petitio, parte non citata, & lite nondùm conteſtata.

℟. Affirmativè *ex cap. fin. de hæret. in 6.* quia teſtes nunquàm publicantur. *Ità Simanch. tit. 64. num. 15. Maſcard. in præfat. qu. 5. num. 41. Farin. q. 188. num. 15. & q. 72. nu. 115. cum eis Salelles Reg. 176. num. 229.* etiam repetiti inſtante fiſcali non citata parte *ex eodem cap fin. Franc. ibidem §. Jubemus num. 1. Calderin. de hæret. in rubr. de materia proceſs. nu. 2. Royas Song. 196. num. 6. Cantera in quæſt. crimin. cap. 2. de probat. per teſtes q. 1. n. 46. Diana p. 4. tract. 8. reſol. 115. ex Salelles Reg. 176. num. 235. & p. 2. Reg. 327. num. 57.*

Dubitatur 3. An poſt publicationem atteſtationum poſſint examinari teſtes alii, comparentes contrà Reum circà eoſdem articulos?

8 ℟. Affirmativè, quia ſumma eſt ratio, quæ ſtat pro Religione, & nulla eſt ſuſpicio ſubornationis, ut in aliis cauſis, in quibus teſtes noti ſunt Reo, cui nominantur, qui in hoc Tribunali nunquam publicantur. *Ità Farin. q. 188. num. 6. Simanch. de Cathol. inſtit. tit. 64. num. 50. Pegna p. 3. com. 3. verſ. Jam quod de examin. Decianus lib. 5. crimin. cap. 20. nu. 25. ex illis Salelles Reg. 176. n. 240.*

Dubitatur 4. Cui dicto ſtandum ſit, quandò in repetitione adverſatur ſibi, teſtis dicendo oppoſitum ei, quod primò depoſuerat?

9 ℟. Standum eſſe ſecundo dicto, ſi ſit favore Religionis, prout dictum fuit ſub *caſib. 39. num. 8. caſu 44. num. 2. caſu 45. Vide allegatos à Carena p. 3. tit. 7. n. 46.*

# CASUS XXXXIX.

## De Publicatione Atteſtationum.

1 DIco *Atteſtationum*, quia in hoc foro nunquam manifeſtantur teſtes, ut expreſsè prohibetur *in cap. fin. de hæret. in* 6. §. *Jubemus*, ne periculum aliquod teſtibus immineat; atque ut teſtes faciliùs in cauſis fidei deponant. *Ità omnes cum Farin. qu.* 188. *num.* 7. *Pegna p.* 3. *tom.* 124. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 7. *num.* 63. *Salelles Reg.* 176. *num.* 241. Neque ipſius denuntiantis, quia ſervit etiam pro teſte in hoc officio, ut dixi caſu 38. 31. *Ità Salelles cit. num.* 43.

2 Atteſtationes autem ità Reo legendæ ſunt, ut nulla ratione poſſit devenire in cognitionem teſtium, ſeù denuntiatoris, ſubdicendo quaſdam circunſtantias, ex quarum manifeſtatione Reus notitiam capere poſſet de teſtibus, ut colligitur ex præcitato capite, & prælibati advertunt.

3 Quoniam autem ex occultatione teſtium, defenſiones Rei diminuuntur, tenetur Inquiſitor ex officio inquirere de qualitatibus teſtium, & eas Conſultoribus manifeſtare in Summario, & indè colligere an, & quomodò delictum ſit probatum, licèt nihil Reus opponeret. *Ità Albertin. in cap.* 1. *de hæret. in* 6. *qu.* 16. *num.* 28. *Diana part.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 124. *ex illis Carena part.* 3. *tit.* 7. *num.* 69.

An autem, publicatis atteſtationibus, novi teſtes recipi poſſint in hoc officio?

4 R. Affirmativè. *Ità Simanch. cum aliis citatis dub.* 3. *præcedentis caſus, cum Carena part.* 3. *tit.* 7. *num.* 64. *ubi cum Farin. q.* 75. *num.* 409. ait, hoc non procedere ad defenſionem Rei, *ex eodem etiam q.* 188. *num.* 5.

5 Colligitur hinc, confrontationem teſtium cum Reo, locum non habere in hoc tribunali, ex quo eorum nomina nunquàm publicantur. *Ità omnes apud Dianam part.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 63. *Santar. cap.* 39. *de hæreſi dub.* 4. *num.* 22. *Carena præcitatus num.* 50.

6 Si occurrat caſus, quòd teſtis debeat recognoſcere Reum, ut certò ſciat, an ſit ille numero, contrà quem deponit, Reus illi oſtenditur ſecretò per rimulas portæ clauſæ, aſſociatus cum aliis, ut ſciat illum diſcernere ab aliis. *Carena citatus num* 51.

Quærendum hìc eſt, an Teſtis ab Inquiſitore interrogatus ſuper vita, & moribus ſuis, teneatur dicere veritatem, & propriam turpitudinem revelare?

7 R. Nemò tenetur revelare propriam turpitudinem, quia dum eſt occultus, habet jus conſervandi ſuum honorem, & famam. Itaque revelare propriam turpitudinem occultam eſt contrà jus naturæ de conſervanda fama, & honore, juxtà illud: *Honorem meum nemini dabo*. Sicut nec pro-

propriam vitam nemò perdere tenetur, cui honor, & fama comparatur. *Navar. cap.* 15. *num.* 3. *Craveta conſ.* 2. *num.* 18. *M. Ant. lib.* 3. *reſol.* 11. *num.* 2. Et honorem ſuum prodigens, & negligens crudelis dicitur, *cap. Nolo* 10. 12. *quæſt.* 1. *Giurba conſ.* 38. *nu.*26. Quare nemò non tenetur ſuam turpitudinem revelare, *nimis grave* 6. *C. de teſtib. cap. Quis aliquandò* 87. *diſt.* 1. *de Pœnit. ibi*: *Non dico, ut te prodas.* Confirmatur, quia perſona ſollicitata in confeſſione, non tenetur dicere præſtitiſſe conſenſum in actum carnalem, ſi interrogatur, ne ſuam revelet turpitudinem, & ne debilitet ſuam depoſitionem ex complicitate criminis. *Ità Bonac. part.* 3. *de ſollicitat. num.* 10. *Diana part.* 1. *reſol.* 8. *de denunt. Boſſius de ſollicit. num.* 73. *Carena part.* 3. *tit.* 7. *num.*73. *Vide Farinac. quæſt.* 73. *num.*53. *rem latè tractat*. Interrogatus ergò etiam cum juramento, ne ſit mendax, & perjurus, reſpondeat æquivocando, ideſt, non ſum criminoſus, ut tenear (ſubdendo in corde ſuo) dicere tibi.

CASUS

# CASUS L.

## De Tortura Teſtium.

1  Ixi caſu 39. nu. 31. quòd teſtes ex eo, quòd ſint inhabiles, non ſunt torquendi, quia ex charitate, & in favorẽ fidei deponunt abſque ullo intereſſe, undè admittuntur ſecundùm ſuam exceptionem, *Diana p. 4. tr. 6. reſ. 11.*

2 Quòd ſi in aliquo caſu teſtis eſt torturandus, Inquiſitor ſinè Epiſcopo id facere poteſt, *ut dicit Farin. q. 188. num. 74.* & tunc ad eam non eſt deveniendum niſi in ſubſidium, hoc eſt, Reo priùs examinato, qui ſi fateatur, jam non erit opus tortura ad eruendam veritatem, quam confeſſus fuit Reus. Ità *Bajardus ad Clarum qu. 25. num. 1.* niſi teſtis non deponendo eſſet ſuſpectus de fautoria, *ut docet Souſa lib. 2. cap. 17. n. 7. ex illis Carena p. 3. tit. 7. n. 58.* & tunc torquetur ſuper ſuſpicione fautoriæ.

3 Notat Boſſius de tortura teſtium, quòd teſtis non poteſt torqueri contrà Reum, niſi contrà ipſum adſint indicia, quod dicit etiam *Scaccia de Judic. lib. 1. cap. 86. num. 14.*

4 Quandò aliqua bona ratio naturalis excuſat teſtem, non eſt torturandus, ut ſi dicat ſe neſcire, quia de nocte erat. *Idem Boſſius n. 2. & 42. ex eodem Carena n. 56.*

5 Teſtis obſtinatus in reſpondendo veritatem, quam veriſimilitèr ſcire poteſt, cogi poteſt minis, carcere, & tandem tortura, *ex eodem Scaccia cap. 86. n. 14. apud dictum Carenam num. 59.*

6 Nolens comparere ad teſtificandum cogi poteſt, ſicut dictum fuit de eo, qui veritatem deponere non vult.

7 Teſtimonium in tortura expreſſum à teſte, poſteà ratificandum eſt; *ut docent Farin. q. 79. num. 63. Bajard. ad qu. 25. Clar. num. 4. Carena p. 3. tit. 7. num. 60.* hujuſmodi ratificationem non practicari in S. Officio. Ratio eſſe poteſt, quia non torquetur ſuper veritate, ſed propter obſtinationem, & inobedientiam.

8 Socius criminis non torquetur ſecundùm *Simancb. de cathol. tit. 53. n. 38. Royas p. 2. n. 155. Avend. Reſp. 31. nu. 8. Pegna p. 3. com. 113. Freitas q. 4. de ſollicit. n. 42. Anton. de Ballis lib. 1. Variar. q. 26. num. 6. cum aliis Diana p. 4. tract. 6. reſol. 10. §. ſed bis.*

9 Contrarium, ſocium criminis eſſe torquendum tenent *Genuenſ. c. 68. n. 11. Delrius lib. 5. ſect. 3. Zanardus p. 3. c. 94. cum aliis ab eodem Diana contrà ſe relatis.*

10 Quandò teſtis inhabilis torquetur, ut ſocius criminis, tunc ille ſolus defectus tollitur, non autem alii, ſi patiatur plures, quia tortura unicum tollit defectum. *Ità Farin. q. 43. nu. 178. ex illo Carena p. 1. cap. 10. nu. 122.*

CA-

# CASUS LI.

## De Citatione, Examine, Convictione, & Confessione blasphemi denuntiati.

1 CItatio est vocatio legitima facta de mandato Inquisitoris per ejus nuncium, verbo, vel scripto personæ jam denuntiatæ, ut coram eodem se præsentet ad respondendum super jis, de quibus interrogabitur. *Ità omnes apud Carenam p. 3. tit. 2. §. 1. Sousam lib. 2. cap. 27. Salelles par. 1. Regula* 183. Citatio autem
2 est de jure naturæ, cum sit species defensionis, adeoquòd computatur inter essentialia judicii, undè omitti non potest. Ità omnes nullo contradicente; Ejus omissione sententia lata contrà non citatum, est ipso jure nulla, & immedicabilis, cum ei deficiat unum ex substantialibus. Ità omnes cum *Sousa lib. 2. cap. 1. num. 5. Farin. q. 185. num. 16. Albertin. de Agnosc. q. 34. num. 31. Carena, & Salelles præcitati.*

Quoniam autem Reus citatus comparens coram Inquisitore carceratur, & examinatur super delictis denuntiatis, ideò videndum est, quid requiratur, ut legitimè vocari, & carcerari possit?

3 R. Non potest Inquisitor, nec Episcopus citare, capere, & carcerare Reum denuntiatum, nisi prius delictum sit semiplenè probatum ad minus per unum testem, præter denuntiatorem fide dignũ; is enim facit semiplenam probationem, & talis debet esse, ut sufficiat ad torturam, in casu, quo negaret delictum, super quo fuit denuntiatus. Necessaria est ergò semiplena probatio, quia aliter frustatoria esset carceratio; imò injurioſa carceratio, nam carceratio ordinatur ad examen Rei carcerati, qui non potest examinari nisi ad minus semiplenè constet de delicto denuntiato, ut probatur infrà sub num. De hac semiplena probatione per unicum testem integrum *Carena p. 3. tit. 2. num. 24. Genuens. cap. 68 alii apud ipsum, & Dianam p. 4. tract. 8. resol. 11. Salelles Reg. 185. n. 43.*

4 Quod solus denuntiator non sufficiat, probatur, quia non potest Judex devenire ad capturam, nisi ex prævis informationibus, quæ non dicuntur dari à denuntiatore, sed ab aliis testibus, denuntiator enim dat principium processui informativo, qui per testes perficitur, ut deveniri possit ad citationem Rei. Ità plures apud *Spathbarium de modo corrigendi Regul. tract. 9. cap. 5. num. 1. faciunt dicta sub casu 54. q. 9. & 12.*

5 Quandò timetur fuga Rei non est opus citatione verbali, sed necessaria est realis, quæ consistit in captura denuntiati, etiamsi adhuc non fuerint examinati testes, sed solus denuntiator deposuerit cum juramento suum dictum, ea ratione, quod sicut Reus denuntiatus non debet citari, antequàm habeatur semiplena probatio de-

licti

licti, quandò non timebatur fuga, ità citari debet, habita ſolùm denuntiatione, quandò de fuga dubitatur, quia in hoc caſu denuntiator habetur loco teſtis, ne judicium eludatur; ubi enim periculum timetur, ibi cautiùs agendum eſt, & periculum eſt in mora, ſi expectentur depoſitiones teſtium; undè dicitur l. Nullus 2. C. de exhibendis Reis. *Nullus in carcere, priuſquam convincatur, omninò vinciatur*, intelligendum eſt de illo, cujus nulla timetur fuga; nec obſtat ſupradictis de carcerando denuntiato, cujus delictum eſt ſemiplenè probatum, quia hìc textus non negat carcerationem, ſed convinctionem, & ligationem Rei in carcere, *Gloſ. v. omninò vinciatur*.

Dubitatur autem, quomodò fugitivus, & latitans ſit citandus?

6 R. Latitans citandus eſt domi ſuæ, ubi ſolet habitare, *cap. cauſam 3. de dolo, & contum.* ubi ſi non invenitur, dicitur latitare, *Menoch. Remed. 8. Recuper. num. 115. Tiraquel. de retractu lign. §. 9. Gloſ. 4. n. 7. & Gloſ. 1. nu. 7. idem Menoch. lib. 2. præſumpt. 27. n. 1. Carena p. 3. tit. 1. nu. 15.* Vel ad valvas Eccleſiæ Majoris citatur, *ex Scaccia lib. 1. de judic. cap. 98. num. 32. Simanch. Farin. cum aliis idem Carena n. 15.*

Contumax nolens comparere, an poſſit mittere procuratorem?

7 R. Negativè, quandò eſt de hæreſi, vel etiam ejus ſuſpicione convictus, quia in hoc caſu procurator nihil illi prodeſſe poteſt, dum eſt convictus, maximè ſtante contumacia, nam contumax non auditur niſi per ſeipſum. Ità *Simanch. de cathol. inſtit. tit. 52. nu. 1. Pegna p. 3. com. 36. nu. 139. Farin. q. 185. n. 98. & 99. ex illis Salelles Reg. 184. nu. 37.*

An autem ad condemnandum fugitivum contumacem, requiratur trina citatio, an unica ſufficiat?

8 R. Requiri trinam monitionem diſtinctam, & in prima citatione exprimitur in genere, quòd compareat ad informandum Inquiſitorem, quòd ſi non comparebit, habebitur pro contumace; In ſecunda verò, & tertia exprimantur delicta, ſuper quibus fuit convictus, cum expreſſione, quòd vult venire ad ſententiam condemnatoriam. Terminus autem harum citationum extendi poteſt, & quandoque debet ad tres, vel plures menſes, quandò contumax multùm longè abeſt. *Ità Royas ſing. 29. Diana p. 4. tract. 8. reſol. 42. Salelles Reg. 184. n. 25. & 30. Farin. q. 185. num. 117. Carena par. 3. tit. 1. n. 13.*

9 Tanta eſt poteſtas Inquiſitoris, ut ſuum Reum capere poſſit in alieno territorio, etiam alterius Inquiſitoris, quia eſt delegatus Principis, cujus territorium eſt univerſus orbis. *Ità Simanch. de cathol. inſtit. tit. 2. num. 14. Scaccia lib. 1. Judic. cap. 23. num. 4. Diana p. 4. tract. 8. reſol. 7. ex illis Carena p. 3. tit. 1. num. 28.*

10 Appellatio non datur à captura, cum id ſit ſubterfugere judicium vix cœptum. *Ità Guidopapa deciſ. 235. Carena p. 3. tit. 1. n. 31.*

11 Birruarius debet oſtendere mandatum capturæ Reo, alitèr ei credere non debet. *Ità l. probibitum C. de jure fiſc. Farin. de teſtib. q. 56. n. 374. Clarus q. 28. verſ. dictum eſt.* Sed hoc non ſervatur, fugeret enim ſuſpectus Curiæ, ſi prævideret capturæ mandatum.

12 Examen à Judice favendum eſt Rei, quandocunque voluerit, ſivè

ſivè ante carcerationem, ſive poſt, & pluribus vicibus poterit illum conſtituere, prout negotium poſtulaverit; ſi reus petat dilationem ad reſpondendum, eidem danda eſt; non poteſt autem judex promittere ei impunitatem, ſi fateatur, ſed tantùm, quòd cum eo mitius aget; In examine autem non debet uti ſuggeſtivis interrogatoriis, neque interrogare de aliis delictis, ſuper quibus non eſt denuntiatus, nec poteſt Inquiſitor per ſe ipſum ſcribere examen, aliter eſſet nullum *Carena part. 3. tit. 1. §. 9.*

13 Convincitur autem blaſphemus hæreticalis per duos teſtes omni exceptione majores, ex auctorirate Chriſti Domini. *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*, ut dixi ſupra *caſu* 31. *num.* 4. de qua ut Vide *Caſtropalaum tom* 1. *p.* 4 *diſp.* 8. *p.* 15. §. 5. *Caren. p.* 2. *tit.* 1. *num.* 96. ubi quando agitur de pœna mortis, & alia graviſſima, requirunt alios teſtes, pro pœna extraordinaria, & non graviſſima ſufficiunt duo tantùm. Sed ſufficiunt ad mortem duo teſtes ex omni parte integri de jure divino allegato caſu 31. *numero* 5.

14 Examen autem factum coram judice, non eſt ſcribendum ab eo, nec ab Inquiſitore, ſed à Notario, aliter nullum eſt, *ut docet Peroz. lib.* 5. *Gloſ.* 1. *pag.* 643. *ſol.* 2. *verſ. ex quo deducitur tit.* 8. *lib.* 3. *ordinat. apud Barboſam ad cap. quoniam contra nu. de probat. quos citat Carena p.* 2. *tit.* 2. *num.* 54. Hæc autem nullitas colligitur ex verbis extremis illius capitis ibi: *Nec pro ipſius præſumatur proceſſio*, ſcilicèt cum non fuit fabricatus juxtà ordinem ibi expreſſum, ſcilicèt per manum Notarii.

An carceratus in Sancto Officio fiat infamis?

15 R. Sola carceratio irrogat infamiam; Ita Rota Romana apud *Cæſarem de Graſſis deciſ.* 184. *numer.* 4. *Caſta de facti ſcientia, & ignor. in ſpect.* 19. *num.* 9. *apud Carenam p.* 2. *tit.* 6. *num.* 62. Intelligè, quando punitus fuit, exceptis pœnitentiis ſalutaribus. Lege Decretum Sacræ Congregationis extenſum apud Dianam ad finem *p.* 4. Vide infra *caſum* 54. *q.* 61. ubi probo, nec carcerem, nec torturam datam ſuper veritate non infamare, niſi ſequatur condemnatio.

# CASUS LII.

## De Confessione Blasphemorum.

1  Confessio duplex est, una vocatur extrajudicialis facta privatim coram hominibus non judicibus. Altera nuncupatur judicialis facta in judicio. De utraque agendum juxtà nostrum institutum.

2 Confessio extrajudicialis probat ad torturam, si non facta fuit joco, nec revocata incontinenti, nec metu extorta, probata per duos testes idoneos, & sufficit ad condemnationem pœnæ extraordinariæ, si præter illos duos testes adsit etiam denuntiator.

3 Primum, quod probet ad torturam, est communis opinio apud *Guazinum defens. 32. cap. 34. num. 1. Carenam p. 3. tit. 10. n. 58. Giurbam cons. 87. num. 20. Farin. quæst. 82. num. 13. alios citavi casu 42. num. 10. Pegna p. 3. com. 110. vers. verùm hæc. Sousa lib. 2. cap. 21. num. 1. Riccius par. 2. resol. 325.*

4 Prima exceptio, quòd joco facta non probet, probatur, quia joco facta, aut dicta pœnam, nec gravamen merentur *ex cap. 1. de sent. excom.* nec inducunt confessionem, *l. 3. ff. de servo corrupto, l. obligationum §. nec enim, ff. de act. & obligat.* Talis ergo confessio non nocet confitenti. Ita omnes apud *Carenam p. 3. tit. 10. num. 62. Guazinum defens. 32. cap. 24. num. 10.*

5 Secunda exceptio, quòd non sit revocata incontinenti coram audientibus, quia ex revocatione subitanea præsumitur facta confessio ex jactantia, *Mascard. concl. 350. à num. 6. ad 12. Farin. quæst. 82. num. 27. qui num. 28.* vult, confessionem adhuc revocatam sufficere ad torturam. Sed dic tu, id procedere ex revocatione facta ex intervallo, non verò incontinenti, si enim revocabile est testimonium incontinenti, ut probatum fuit casu 45. quarè non etiam confessio ipsius Rei?

6 Tertia exceptio, quòd per vim, & metum extorta nil probet, patet ex eo, quòd non videtur habere aliquam verisimilitudinem, dum sponte non emanavit, quod autem non est verisimile habet speciem falsitatis, *ex cap. quia verisimile 10. de præsumpt. ibi Barbosa num. 3. allegans Doctores.* In qualibet enim materia verisimilitudo attenditur, *l. ob crimen §. ultimò, ff. de testib. cap. in nostra, eod. ex Paris. quæst. 26. de confid. num. 10.* Nam confessio judicialis, ut infra patebit, metu extorta nulla est, à fortiori extrajudicialis, quæ est debilior. Ita *Farin. quæst. 82. num. 38. Petrus de Angelis cap. 12. num. 16. Sousa lib. 2. cap. 21. num. 7.*

Se-

7 Secundum de duobus teſtibus idoneis, docent omnes cum *Farin. quæſt.* 82. *num.* 44. Controverſia eſt, an debeant eſſe conteſtes in loco, & tempore; communior aſſerit cum eodem *ſub num.* 45. 46. 47. *& Guazin. defenſ.* 32. *cap.* 34. *num.* 13. *&* 14. *Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 63. petens teſtes concordes loco, & tempore, qui ſint legales, imò togati, qui ſcilicet caſu non audierint confeſſionem rei.

8 Sed noſtra reſponſio eſt verior, favens religioni, quòd ſcilicet ſufficiant duo teſtes in ſubſtantia blaſphemiæ concordantes, licèt ſint ſingulares in tempore, & loco, juxtà dicta caſu 41. de teſtib. ſingular. Ita *Albertinus de agnoſcend. quæſt.* 25. *num.* 20 *Souſa lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 10. loquendo in materia hæreſis, quod idem dicendum eſt in cæteris cauſis fidei, quæ adnexam habent ſuſpicionem fidei.

9 Tertium de pœna extraordinaria, ſi præter duos teſtes adſit denuntiator, & alia indicia, & conjecturæ, probatur, quia ſola extrajudicialis confeſſio eſt indicium remotum inſufficiens ad puniendum. Ita *Clarus quæſt.* 55. *num.* 2. *Maſcard. concl.* 350. *num.* 24. *Souſa lib.* 2. *cap.* 21 *nu.* 2., ubi alios citat.

Quid dicendum, ſi confeſſionem geminavit, imò & eam juramento firmavit?

10 R. Plenè non probare, ſed tantùm ad torturam, & pœnam extraordinariam, *ex allegatis à Souſa lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 2. cum quibus eſt *Buccaronus de differ. inter judicia civil. & crimin. diff.* 35. *num.* 8. *& diff.* 36. *apud Barboſam ad cap. fin. de confeſſis num.* 10. *in fine*. Ego crederem in hoc caſu, ſolam atteſtationem illorum duorum cum denuntiatore ſine aliis indiciis, convincere blaſphemum ad pœnam arbitrariam, quia geminatio, & juramentum valdè augent fidem atteſtantium, adeò quòd arguunt Reum reverà locutum fuiſſe veritatem contra ſe ipſum. 41

An confeſſio extrajudicialis facta à Clerico, idem operetur, juxtà ſuperiùs dicta, ac ſi facta fuiſſet à Laico?

11 Communis eſt opinio, talem confeſſionem Clerico non nocere, niſi antecedenter ſit diffamatus. Ita *Maſcard. concl.* 350. *num.* 12. *Farin. qu.* 82. *num.* 39. *Guazin. defenſ.* 32. *cap.* 34. *num.* 11. *de Angelis cap.* 12. *num.* 16. *&* 17.

12 Ego autem in hoc Tribunali puto, nullam eſſe differentiam inter Clericũ, & Laicum, ac proindè confeſſionem extrajudicialem eodem modo nocere Clerico, quo præjudicat Laico. Probatur, Tùm quia per propriam confeſſionem amiſit jus ſuæ famæ, ac proindè ſe diffamavit. Tùm quia S. Officium non petit hanc diffamationem, ſed obligat omnes ſcientes eſſe blaſphemos ad denuntiandum. Tùm quia hujuſmodi confeſſio ſuccedit loco infamiæ. Quare confeſſione probata, Inquiſitor poterit blaſphemum citare, & inquirere, atque illum examinare, & ſi negaverit, torquere illum.

13 Non invenio ſpeciales Doctores in caſu noſtro, tamen ſupradictæ rationes videntur efficaciter noſtrum reſponſum perſuadere, quia in hoc Tribunali agitur de

Religione, ac proindè major diligentia, & remedia requiruntur, ut catholica fides conſervetur intacta, & inviolabilis.

14 In aliis Tribunalibus non eſſe inquirendum contrà Reum extrajudicialitèr confeſſum, tenent communitèr omnes, quandò nulla præceſſit infamia contrà perſonas Eccleſiaſticas. *Ità Sanchez lib. 6. conſil. cap. 3. dub. 19. num. 5.* quem multis cum aliis ſequitur *à S. Juliano cap. 3. Advert. 10 §. 18. num. 34. Petrus ab Angelis cap. 12. num. 17.* qui ad inducendam infamiam, ait, non ſufficere tres, aut quatuor audientes Reum extrajudicialitèr fateri ſuum delictum. Et *Rodriq. tom. 2. q. 5. art. 4.* dicit coram multis, & non ſufficere unum, aut duo; pro qua re vide Doctores allegatos *à Barb. ad cap. Inquiſitionis 21. de accuſat. num. 6.* requirentes, ut criminis fama, & rumor pervenerit ad aures majoris partis Congregationis.

Dictum fuit ſub *caſu 51. num. 3.* quòd Inquiſitor non poteſt citare, & examinare Reum, niſi præter denuntiatorem, adſit ad minùs unus teſtis idoneus, qui probet ſemiplenè delictum. Cur hìc petuntur duo teſtes?

15 R. Hanc eſſe differentiam, quia ibi ſermo eſt de unico teſte probante immediatè delictum, qui dicitur ſemiplenè probare, dum eſt integer, & legalis. Hìc autem loquimur de probatione per indicium remotum, qualis eſt confeſſio extrajudicialis, quæ petit ad ſui probationes duos teſtes, ut docet *Farin. q. 82. nu. 44.* ex Doctoribus ibidem ab eo citatis.

16 Confeſſio judicialis eſt illa, quæ fit coram Judice, vel alio de ejus commiſſione, examinante Reum, ut coram Notario, & hæc plenè probat, & condemnat Reũ ad pœnam ordinariam, ſi nullam patiatur exceptionem; Ratio, quia confeſſio proprii oris eſt efficaciſſima, & ſuperat omne genus probationis. *Surd. deciſ. 326. num. 28. Honded. conſ. 15. num. 22. Ludoviſ. deciſ. 143. nu. 3. Leoncil. dec. 84. nu. 8.* Habet vim ſententiæ, & Rei judicatæ, *l. 1. C. de confeſſis, l. Un. eod.* & contrà confeſſum poteſt fieri executio, ut dicitur ibidem. Undè indignum eſt, confeſſum audiri contrà ſuam confeſſionem *l. poſt mortem ff. de adopt. Menoch. conſ. 476. num. 5. cum aliis Giurba conſ. 16. num. 1.* Quod expreſsè habetur *ex cap. Per tuas. 10. de probat.* ibi: *Cum nimis indignum ſit, juxtà legitimas ſanctiones, ut quòd ſua quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt, in eundem caſum proprio valet teſtimonio infirmare.* Quæ verba accepta ſunt *ex l. Generaliter 13. C. de non numer. pecun.* Poſita ergò hac certa veritate, ſequitur condemnatio ad pœnam ordinariam; Ità omnes *cum Pegna p. 3. com. 28. Maſcard. concl. 859. in cauſis hæreſis, Farin. q. 81. initio, & q. 187. de hæreſi, Souſa lib. 2. cap. 20. n. 8. ex illis Salelles cap. 2. Reg. 178. lib. 2. num. 33. Miranda q. 19. n. 135. ad 140. à S. Juliano cap. 6. Advert. 3. §. 21. & 22.* ubi non

17 obſtante rei confeſſione, adhuc citandus eſt, & admonendus, an habeat aliquid opponendum pro ſua defenſione. Quod procedit etiam in cauſis S. Officii. *Caſtropal. p. 1. tract. 4. diſp. 8. p. 6. n. 3.*

Prædicta ſunt certa, & illis nemo contradicit, quandò confeſſio proprii oris nullam patitur exceptionem. Plures autem ſunt exceptiones, quas refero, limitantes noſtrum reſponſum. Pri-

18 Prima exceptio eſt, quòd confeſſio proprii oris facta à minore, nulla eſt, ſinè præſentia Curatoris etiam in hoc Tribunali, ſed tantùm in Hiſpania, nam in Gallia, & Italia valet confeſſio facta à minore 25. annorum, & majore quatuordecim annis. *Ità Farin. q.* 81. *num.* 378. *Carena p.* 3. *tit.* 8. *num.* 44. *&* 45.

19 Secunda exceptio eſt, ut confeſſio ſpontè fiat, & non coactè, aliter non valet, nec nocet confeſſo. *Ità Farin. q.* 81. *nu.* 83. *Maſcard. concl.* 357. *Anton. Gomez tom.* 3. *Var. cap.* 13. *num.* 25. *ex eis Salelles Reg.* 179. *n.* 38. undè confeſſio facta in tortura, poſtmodum ratificanda eſt, ne videatur coacta.

20 Tertia exceptio eſt, ut emanata ex tortura valeat debere præcedere eam legitima indicia, aliter confeſſo non nocet *Ita Farin. q.* 83. *initio cum aliis Carena p.* 3. *tit.* 8. *num.* 18. Quod procedit, licèt confeſſionem poſt tormenta ratificavit.

21 Quarta exceptio eſt error, ſi enim ex errore contingat confitenti non nocet, revocata confeſſione, & probato errore, ſeu deceptione, quia confeſſio jam facta præſumitur vera; *Ita Maſcard. concl.* 350. *num.* 6. *&* 7. *Farin. q.* 81. *n.* 326. *cum aliis Salelles Reg.* 179. *num.* 41. non obſtante, quòd primò fuerit ratificata, ex citatis.

22 Quinta exceptio eſt incompetentia judicis coram quo facta non valet confeſſio ad condemnationem. Expreſsè *cap. At ſi clerici* 4. *de judic. Farin. q.* 81. *num.* 188. *alios plures refert hìc Barboſa num.* 5. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 8. *num.* 22. Utique vera ad torquendum, quia habetur loco extrajudicialis, licèt fuerit revocata. Ita de communi teſtatur ex præcitatis *Carena num.* 23. *Farin. num.* 206. *Miranda q.* 19. *art.* 4. *num.* 31. *&* 32. facta verò in alio judicio probat ſolùm uti extrajudicialis; facta autem coram Epiſcopo, aut Inquiſitore probat plenè pro utroque tribunali, *vide Carenam numer.* 32.

23 Sexta exceptio eſt, quando confeſſus paratus eſt probare oppoſitum, quod dixit, tunc infirmatur confeſſio, ſi reverà probet contrarium, aliter permanet in ſuo robore. *Ita Salelles Reg.* 178. *num.* 37. *Ex Souſa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 11. *Farin. q.* 81. *num.* 21. *Carena p.* 3. *tit.* 8. *à num.* 51. *Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 22. *Vide dicta de correctione hìc ſub num.* 5. *& caſu* 45.

24 Septima exceptio eſt confeſſionis dubiæ, ſeu æquivocæ; hæc enim nihil probat ad condemnationem, ſed tantùm ad torturandum, quia vera confeſſio debet eſſe clara, & ſpecifica, non generalis, nec obſcura. *Ita Farin. q.* 81. *num.* 31. *Boſſius de confeſſ. num.* 43. *Souſa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 12. *Menoch. de præſump. lib.* 1. *q.* 89. *num.* 24. Quare muti, & ſurdi confeſſio facta per ſigna, & nutus, non ſufficit ad condemnandum. *Ita Farin. q.* 98. *num.* 162. *Ant. Gomez. tom.* 3. *var. cap.* 1. *num.* 69. *Carena p.* 3. *tit.* 8. *num* 48. qui ſequenti numero ait, eſſe obſcuram confeſſionem ejus, qui fatetur ſe hæreticum nullam ſpecificando hæreſim; ſi verò dicat, ſe eſſe Luteranum, ſeu Calviniſtam, ejus confeſſio clara eſt, & ſpecifica. *Ita ab eo citati Doctores Simancb. de cathol. tit.* 13. *de confeſſis num.* 2. *Maſſin. p.* 10. *aſſert.* 123. *Cantera*

*cap.* 1.

*cap.* 1. *de vera confeſſ. num.* 17. *Souſa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 10. ut cum quis fatetur ſe blaſphemaſſe, non ſpecificando verba blaſphemiæ argu. eorum, quæ habet *Maſcard. concl.* 345. *num.* 1. eſt enim æquivoca confeſſio ſufficiens ad torturam, ex eodem *Maſcard. num.* 26.

25 Octava exceptio eſt ex inveriſimilitudine delicti, cum de ejus corpore non conſtat, vel non eſt cauſa ſufficiens credendi delictum aſſertum. *Ita Farinac. quæſt.* 81. *num.* 28. *ex l. ſi is cujus, in fine ff. de interrogat. act. Carena p.* 3. *tit.* 6. *num.* 50. Ubi colligit, ex confeſſione maleficarum, judices non poſſe eas condemnare ad mortem, niſi conſtet de corpore delicti. Pariter condemnandus non eſt ex confeſſione ejus, qui deturpaſſe fatetur ſacras imagines, niſi prius conſtet de deturpatione. *Ita Souſa lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 6. *Maſſin. p.* 10. *Aſſert.* 140. *Carena num.* 57. In cauſis blaſphemiæ hæc exceptio locum non habet, cum non relinquat poſt ſe corpus delicti, niſi ut blaſphemia fatalis.

26 Nona exceptio eſt innocentia rei nota judici, nam tunc confeſſio non debet nocere confeſſo, cum habeatur pro falſa. Ita *ex l.* 1. §. *ſi quis ultrò ff. de quæſtion. notat. Carena p.* 3. *tit.* 8. *num.* 61.

27 Decima exceptio eſt ſuggeſtio, per quam emanata confeſſio non nocet reo. *Ita Farin. q.* 83. *num.* 84. *Scaccia de judic. lib.* 1. *cap.* 86. *num.* 7. 40. & 42. *cum Carena p.* 3. *tit.* 8. *num.* 39. Etiam ſi ſit ratificata, *ex eodem Farin. numer.* 94. *Poſſent. ſing.* 252. Suggeſtio non conſideratur, quando delictum eſt manifeſtum, ex eodem *nu.* 97. Eſt autem ſuggeſtio, cum reus immediatè interrogatur ſuper tali delicto, nam ad evitandam ſuggeſtionem Reus prius interrogandus eſt generaliter, & poſteà in ſpecie. Judex utitur ſuggeſtione, cum reum interrogat ſuper circumſtantiis, ſupponendo perpetrationem delicti, ut ſi interroget, quot vicibus blaſphemaſti Meretrix &c. in ludo, in rixa &c.

28 Undecima exceptio eſt incidentia criminis, expreſſa capit. de except. ubi dicitur, quòd confeſſio Rei emanata incidenter non nocet confitenti ad pænam ordinariam, quando crimen non tangit principale negotium. *Vide Farin. q.* 81. *à num.* 219. non habet locum in hoc tribunali, in quo proceditur ſummariè, de plano, ſine forma, & figura judicii *ex cap fin. de hæret. in* 6. *Vide Farin. q.* 185. *num.* 13. *cum Carena p.* 3. *tit.* 8. *num* 30.

Quæres hìc, an Confeſſio talis blaſphemiæ, ſuper qua reus non fuit denuntiatus, præjudicet confeſſo.

29 R. Talem confeſſionem dare jus Inquiſitori ad torquendũ Reum, ut eam convalidet, non verò poſſe per eam ſolam condemnare in pænam ordinariam. Probatur id per except. 3. ubi confeſſio Rei, nullis præcedentibus indiciis non ſufficit ad condemnationem, ſed tantùm ad torturam, ex *deciſ.* 176. Afflicti in ſimili cauſa. *Vide Riccium deciſ.* 52.

An Confeſſio facta coram Inquiſitore ſe gerente officiali, ſed formaliter non ſedente pro Tribunali, noceat confeſſo ad condemnationem.

30 R. Affirmativè, quia illud ſedere pro Tribunali pertinet ad apices juris, à quibus ille eximi-

tur,

tur, ex *cap. fin. de hæret. in 6. Caren. p. 2. tit. 8. num. 59. contra Farin. Souſam, & Maſſin. aſſerentes eſſe nullam, cum his Salelles Reg. 178. num. 43.* dicens ſufficere ad torturam, & pœnam extraordinariam.

Sed quid dicendum eſt de confeſſione qualificata v. g. occidi hominem ad meam defenſionem: Blaſphemavi hæreticè, ſed non habui pravam intentionem.

31 Omnes in eo conveniunt, quòd confeſſio acceptatur, rejecta qualitate probanda per ipſum confeſſum. *Farin. q. 81. à num. 110. Merenda controv. lib. 5. cap. 6. Souſa lib. 2. cap. 20. num. 28. alios citat Carena p. 3. tit. 8. num. 1.*

Difficultas eſt, an Reo non probanti debeatur pœna ordinaria, an ſolùm extraordinaria? ut voluit *Abbas in cap. Auditis, de præſcript. num. 33. apud dictum Farin. q. 81. nu. 197.* vel ſit torturandus, ut reſpondeat ſine qualitate, *ſecundũ Bald. in l. 1. de confeſſis, verſu, ſi tamen judex num. 45. Donatus de Marinis lib. 1. reſol. quotid. cap. 83.*

32 R. Tunc eſſe puniendum pœna ordinaria, quando præter præſumptionem contrà ſe, qualitas adjecta habetur pro non veriſimili, & confeſſio dicitur acceptari indiviſibiliter à qualitate rejecta, ac ſi confeſſio eſſet ſimplex; ut ſi quis reverſus ad Sectam Maurorum confiteatur id feciſſe ob famem, nam is pœna relapſi fuit punitus, *inquit Cantera de hæret. cap. 1. num. 58.* quia ea excuſatio eſt multùm aliena à veritate, habens ſpeciem falſitatis, apud *Carenam p. 3. tit. 8. num. 7.* ſimile eſt exemplum ejus Hæbrei baptizati, qui confeſſus fuit acceſſum ad Habraiſmum, non ut recederet à fide, ut hoc medio componeret ſe cum illis in quadam cauſa civili. Hæc enim qualitas caret veriſimilitudine, maximè cum potuiſſet negotium alia via tractare. Hoc reſponſum cum ſequenti tradit *Carena p. 3. tit. 8. n. 5.*

33 R. Secundò. Tunc eſſe puniendum pœna extraordinaria tantùm, quando qualitas veriſimilitudinem habet ex communiter accidentibus, licèt habeat contra ſe ea qualitas præſumptionem v. gr. quis fatetur ſe cognoviſſe meretricem non coactam, ſed volentem, hæc qualitas cum ſit veriſimilis, quia meretrix parata eſt conſolari omnes ad ſe accedentes, ea enim multorum libidini patet; *ex cap. Vidua 13. diſt. 34.* ejus enim turpitudo eſt venalis, *cap. Meretrices 11. 32. quæſt. 4.* extraordinaria pœna eſt plectendus, *Vulpell. conſ. 94 num. 20.* Et in hoc caſu qualitas dicitur inſeparabilis, & indiviſibilis à confeſſione, utrumque enim acceptatur.

34 Hoc ſecundum reſponſum practicatur in noſtro Tribunali S. Inquiſitionis, in quo licèt qualitas pravæ intentionis habeat contra ſe præſumptionem juris ex dicto v. gr. blaſphemo, vel facto ſortilegii, ſolicitationis, poligamiæ, tamen ex communiter accidentibus, non ex errore intellectus, ſed ex libidine, ira, avaritia, vel alio intereſſe moventur ad blaſphemandum, ſolicitandum, &c. ideò hæ qualitates cenſentur eſſe veriſimiles à communiter accidentibus. Ita *Carena p. 3. tit. 8. num. 11. ad 14.*

35 Quando denuntiatus in S. Officio de blaſphemia, ſortilegio, ſollicitatione &c. quæ arguunt ſuſpi-

ſpicionem hæreſis confitetur delictum, ſed qualitatem negat ſuſpicionis, aſſerendo ſe benè ſentire de fide, debet præſumptionem juris aliquo modo elidere, unde ſubiicitur torturæ non multum acri, ſed levi, & non obſtante negativa, in qua perſeverat, punitur, non pœna ordinaria, ſeù debita hæreticis, ſed extraordinaria conveniente delictis ipſis ea ſuſpicione ſpectatis, adeò quòd per torturam non omninò purgatur ſuſpicio, ideo utrumque punitur, ſcilicet blaſphemia cum ſuſpicione. *Vide Carenam p. 3. tit. 8. n. 14. & ſeq.*

Nunquid blaſphemus confeſſus ſuum delictum blaſphemiæ cum qualitate, quòd blaſphemavit ex iracundia, ex ludo, vel joco, aut ex ebrietate, mitiùs ſit puniendus, acceptando ſuam confeſſionem cum illis qualitatibus?

36 R. Illæ qualitates, cum ſint vitioſæ, ac proindè peccaminoſæ, potiùs augent pœnam, quàm diminuant illam, conſequenter acceptatur confeſſio qualificata, ſed præjudicialis confeſſio, juxtà dicta caſu 34.

Dices confeſſio qualificata minuit pœnam, dum de ordinaria transfert in extraordinariam, juxtà ſuperiùs dicta, ergo & in caſu mox dicto mitiùs puniendus eſt blaſpemus ex ira, quàm ſine illa.

37 R. Dicta de confeſſione qualificata habere locum, quando qualitas non eſt peccaminoſa, ut patet exemplis ſuperiùs allatis. In caſu autem noſtro qualitas eſt vitioſa, ac proindè aggravat delictum.

38 Alexander Sperellus vir doctiſſimus, & Eugubinus Epiſcopus, quendam Juvenē ingreſſum Monaſterium Monialium, excuſavit à pœna ordinaria, dum confeſſus fuit ingreſſum etiam in cubiculum Monialis amaſiæ, cubando etiam ſuper ejus lectum, ſed ſine aliquo turpi actu, ex doctrina Abbatis aſſerentis poſſe puniri ſolùm pœna extraordinaria. Ita dicit

39 *deciſ. 136. num. 26.* cujus aſſertum comprobari poteſt per duos textus allatos *à Donato Antonio lib. 1. reſolut. quotid. cap. 83.* qui tenet confeſſionem qualificatam nunquam inducere pœnam ordinariam, *per text. l. 1. §. Divus ff. de queſt.* cujus verba ſunt hæc: *D. Severus reſpondit, confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus habere non oportere, ſi nulla probatio religionem cognoſcentis inſtruat. Ubi gloſ. v. Exploratis explicat.* 1. probatis alter, *text. l. Qui ſententiam C. de pœnis,* ſic habet: Qui ſententiam laturus eſt, temperamentum hoc teneat, ut non priùs capitalem in quempiam promat, ſeveramque ſententiam, quam in adulterii, vel homicidii, vel maleficii crimine, aut ſua confeſſione, aut certè omnium, qui tormentis, vel irrogationibus fuerint dediti, in unum conſpirantes, concordanteſque rei finem convictus ſit, & ſic in objecto flagitio deprehenſus, ut vix etiam ipſe ea, quæ comiſerit, negare ſufficiat.

Colligit Donatus de Marinis, ſolam confeſſionem Rei non ſufficere ad condemnandum quem ad mortem, juxtà primum textum, cui licèt videatur opponi ſecundus textus ibi: *Aut ſua confeſſione,* non eſt tamen ita, quia Imperator ſubjungit, *Aut certè omnium,* admonendo judicem, ne capitalem ſententiam proferat, niſi ex alio ſit convictus, cum ſola rei confeſſio non ſufficiat. Et citat pro ſe *Anchar. qui conſ. 74. num. 2.* ait, ſolam con-

confeſſionem Rei non ſufficere ad condemnationem.

Non placet dictum Sperelli, quia nullus unquàm condemnaretur ad mortem, cum ſemper poſſit confiteri qualificativè, & in caſu Monialis omninò inveriſimile eſt, quòd abſtinuerit ab illicitis, cum de amore nimio conſtet ex actis, & vehemens, ac violenta ſuſpicio ſit contrà juvenem.

Textus, quos refert de Marinis, concordantur per gloſas ibi, quòd ſola confeſſione quis non condemnetur capite ex primo textu, quandò ſcilicèt revocat eam, uterque verò ſi perſeveret in ſua confeſſione tantùm, punitur capite. Et reverà poſterior textus eſt ſatis clarus, cum adſit dictio, *aut* alterna inſinuans unum ſufficere ad pœnam, aut ſolam confeſſionem Rei, aut ſolam convictionem. Unum enim ex his duobus, aut confeſſio, aut convictio ſufficit ad condemnandum, ut non ſemel dicitur *cap.* 1. 2. & 5. 2. *q.* 1. Quare non eſt admittendum, quod proponit Doctor de Marinis, quòd ſola confeſſio non inducat pœnam mortis, cum ſecundus textus, & præcitati manifeſtè loquantur, ſufficere ſolam confeſſionem.

# CASUS LIII.

## De Indiciis, & Præsumptionibus.

1 INdicium est signũ probativum criminis. Seù ut clariùs loquar. Est conjectura orta ex probabilibus, & non necessariis fundamentis, à quibus potest quidem abesse veritas, non tamen criminis commissi verisimilitudo. *Ità Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 7. n. 6. Farin. qu. 36. nu. 28. Sousa lib. 2. cap. 25. Carena p. 3. tit. 10. num. 4. Salelles lib. 2. cap. 5. num. 140.* Ejus autem definitionis fertur auctor. *Bald. in l. Non hoc, C. Undè cognati nu. 1.*

2 Dividitur indicium *primò* in Indubitatum, & Dubitatum, seù non plenum, & plenum, idem quod indubitatum. *Secundò* in proximum, & remotum. *Tertiò* in Leve, Grave, & Gravissimum.

3 Indubitatum est illud, quod ità mentem Judicis coarctat ad unum credendum, ut non possit inclinare in contrariam partem. Et repertus solus cum sola in lecto. Exiens è domo mortui cum gladio sanguine aspersо, in qua nullus erat, qui potuisset occidere. Similia indicia ità cogunt Judicem ad credendum per illos esse crimen perpetratum, ut aliter sentire non possit.

4 Dubitatum verò est illud, quod inclinat Judicem, sed non cogit, nec coarctat illum ad credendum perpetratum crimen. Vicinitas, est indicium homicidii, furti, &c. Fama, quod quis blasphemaverit &c.

5 Proximum indicium est illud, quod immediatè per sensum respicit veritatem Rei, & delicti. Remotum verò, quod non tangit immediatè delicti veritatem, sed ejus circunstantias. *Ità Farin. q. 36. num. 44. Sousa lib. 2. cap. 25. nu. 2. Carena p. 3. tit. 10. num. 7.* Proximum autem multum urget, & inducit delictum, non autem remotum, quod solùm dat occasionem suspicandi malum. *Ità Petrus ab Angelis Carmelita Discalceatus cap. 4. nu. 4.* Indicium autem proximum, & indubitatum videntur idem esse, ut ex allatis exemplis colligitur; nam Doctores respectu utrinq; eadem exempla gladii evaginati, & solius cum sola referunt. Paritèr dubitatum, seù non plenum, & remotum coincidunt. Ambo enim sunt exempla de vicinitate, de fama, de fuga, de confessione extrajudiciali &c.

6 Leve indicium est illud, quod non multum urget, quia frequentèr, & facilè abest. Grave, seù Urgens, quod è contrà facilè, & frequentèr contingit adesse. *Ità Farin. q. 36. num. 49. Clarus q. 20. Initio, Sousa lib. 2. cap. 25. num. 4.*

7 Præsumptio est conjectura rei dubiæ verisimilis, quæ ex natura rei, vel ex circunstantiis negotiorum, vel personarum oritur. *Ità Sousa ex Simanch. lib. 2. cap. 25. num. 5. Ego resolut. 139. num. 3.* Vel est conjectura unius facti per aliud factum. Seù est argumentum ad credendum

unum

unum factum per probationem alterius facti; *Alex. de Aleſ. p. 3. qu. 43. membr. 7. apud de Angelis cap. 4. nu. 2.* ex. gr. per probationem ſocietatis viri cum fœmina in loco ſecreto, probatur præſumptivè copula carnalis inter eos.

8 Dividitur autem præſumptio in eam, quæ hominis dicitur, & aliam, quæ juris vocatur, & hæc juris ſubdividitur in præſumptionem juris, & juris de jure.

9 Hominis præſumptio eſt illa, quę cauſatur ex aliqua conjectura, & in jure non eſt expreſſa. Ità *Farin. qu. 36. num. 93. cum aliis, Souſa lib. 2. cap. 25. num. 7.*

10 Juris præſumptio eſt probabilis conjectura ex certo ſigno proveniens, quæ alio non adducto habetur à jure pro veritate. Ita *Menoch. de præſumpt. lib. 1. qu. 4. nu. 3. Farin. qu. 36. num. 86. Souſa lib. 2. cap. 25. num. 8. Pegna p. 2. concl. 80. Sanchez lib. 1. cap. 10. num. 13.*

11 Juris de jure præſumptio eſt legis diſpoſitio ſuper aliqua re, quam pro certa habet ex præcedenti facto, v. g. lex præſumit eum, qui cognovit carnaliter ſponſam de futuro, contraxiſſe per eam copulam matrimonium, *ex cap. Is qui, de ſponſal.* Item delinquens in Eccleſia præſumitur id feciſſe, ut ibi gauderet immunitate, *cap. 1. de immun.* Ità Franciſcus Pitigianus *in ſua praxi in tit. de Tertio ſubſt. cap. 10. fol. 217. Pegna p. 2. com. 80. Farin. q. 36. n. 100. Souſa lib. 2. cap. 25. num. 9.*

12 Eſt autem differentia inter utramque, quòd præſumptio juris admittit probationem in contrarium, non autem præſumptio juris de jure, eò quòd illa præſumit tantùm, hæc verò etiam ſtatuit, & determinat; quid, & ideò non admittit probationem in contrarium. *Ità Farin. q. 56. num. 100. Alciatus p. 2. de Præſumpt. num. 4. Royas ſing. 166. Bald. 250. lib. 1. n. 16. Maſcard. concl. 1228. Barboſa ad cap. 30. de ſponſal. n. 12. qui num. 14.* refert Doctores admittentes probationem in contrarium, quandò pars non opponit, quod Maſcardus num. 18. limitat non admitti, quandò agitur de jure publico, vel favore animæ, ut in cauſis fidei. Quare probatus blaſphemus hæreticalis, præſumitur ſuſpectus de hæreſi, & non admittitur ad probandum contrarium, tùm quia negativa eſt improbabilis in hoc caſu, tùm quia agitur de jure publico, cujuſmodi ſunt cauſæ hujus tribunalis.

13 Præſumptio ulteriùs dividitur in levem, gravem, ſeù vehementem, & violentam, *de quibus Farin. q. 36. num. 110 & 118. Menoch. q. 5. nu. 11. lib. 1. de præſumpt. Maſcard. q. 10. n. 17. Souſa lib. 2. cap. 25. num. 11. Salelles lib. 2. cap. 4. num. 152.*

14 Levis provenit ex ſignis exterioribus operum, vel dictorum, ex quibus capitur conjectura, qua concludi poteſt non frequentèr, ſed rarò, quòd talia dicens, vel faciens, aliquod crimen commiſerit. *Ità Pegna p. 2. com. 80. Albertin. q. 34. n. 46. Souſa lib. 2. cap. 21. num. 12. Salelles lib. 2. cap. 5. num. 152.*

15 Gravis, nuncupata etiam vehemens, provenit ex ſignis exterioribus operum, vel verborum, ex quibus ut plurimùm, & frequentèr concluditur, talia dicentem, vel facientem eſſe criminoſum. Alii vocant vehementem præſum-

ptionem illam conjecturam, quæ multum mali habet, & parum, vel nihil boni. Ita præcitati.

16 Violenta provenit ex ſignis verborum, vel dictorum, ex quibus ferè ſemper colligitur, quòd talia dicens, vel faciens comiſerit aliquod delictum. Ita præcitati.

17 Quamvis indicium, & præſumptio ſi ſumantur materialiter pro eodem, accipiantur ſicut & vocabula, argumentum, Conjectura, Suſpicio, Adminicula, &c. tamen accepta formaliter differunt ſicut cauſa, & effectus, nam præſumptio oritur ex Indicio, ut colligitur ex definitionibus mox allatis; nam dictum fuit, quòd præſumptio oritur ex dictis, vel factis, hæc autem ſunt ipſum indicium, quod crimen indicat. Exemplum ſit in materia blaſphemiæ, occaſione cujus hæc tractamus. *Meretrix Dei*, hæc verba ſunt dictum, hoc eſt indicium, ex quo judex probabiliter præſumit, & concludit ea proferentem eſſe hæreticum, ecce quòd præſumptio hæreſis cauſatur à blaſphemia tanquam ejus indicio. Quòd verò aliquis blaſphemaverit, indicia, & præſumptiones eſſe poſſunt conſuetudo blaſphemandi, malum nomen, ludus, altercatio, ira &c. ut dicam infrà ſub *num.* 87. His præmiſſis, modò deveniendum eſt ad explicationem omnium indiciorum, de quibus Doctores agunt, ut inde accipi poſſit præſumptio contra delinquentes.

18 Indicia autem ſunt ejuſmodi. Qualitas Patriæ, Educatio filiorum, Converſatio hominis cum homine, vita malè anteacta, Loquacitas, confeſſio extrajudicialis, & judicialis, Fama publica, Fuga, variatio rei, Contumacia, Societas, Aſſertio vulnerati, Res inventa in domo aliena, collocutio ſecreta, Teſtis minor, ſollicitatio coram judice de procedendo contrà aliquem, Rivalitas in Amore.

19 Patriæ conditio eſt indicium aliquando bonum, aliquando malum, ut colligitur tùm ex ſacris litteris in Epiſt. Pauli ad Titum cap. 1. 12. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc verum eſt, inquit ibi Apoſtolus. Tùm ex *l. quod ſi nolit, §. Qui mancipia ff. de edilit edicto.* Undè Epiſcopi inquirunt, cujuſnam patriæ ſint, qui petunt ordinari, *cap. Quando 5. diſt. 24. ubi Gloſ. v. Patriam*, citat illum textum legis. De hoc inditio *Tiraquel. ad leges connub. l. 7. gloſ. 1. num. 17. Menoch. lib. 1. præſumpt. quæſt. 15. num. 28. & lib. 6. præſumpt. 58. cum illis Carena p. 3. tit. 3. num. 14. qui num. 15. ex Simanch. tit. 5. de inſtit. cathol. tit. 50. num. 9.* ait, quòd licèt hæc præſumptio ſit generalis, tamen negari non poteſt, quin noſtris temporibus præſumatur hæreticus magis Anglus, & Germanus, quàm Italus, & Hiſpanus, ac proindè Anglus edens carnes die Veneris, magis de hæreſi eſt ſuſpectus, quàm Italus, quia ibi vigent hæreſes impunitæ.

20 Ad noſtrum propoſitum *Decian. lib. 6. cap. 2. de blaſphemia ait num. 24.* quòd Burgundiores, & Galli, qui militiæ vacant, de quibus expreſsè *cap. ſi gens diſt. 56.* Auſculani etiam, & Peruſini ſunt blaſphemi maximi. Sed audio totum mundum eſſe Gallum, Auſculanum, & Peruſinum.

21 In Sicilia quoque inolevit prava conſuetudo blaſphemandi, *Sanctus Dæmon*, auferendo Deo, & ſanctis ejus, quod eis tantùm com-

competit, & tribuendo Diabolo, qui nunquam fuit, nec erit ſanctus. Lupus ſuper edictum *S. Inquiſit. lib.* 23. *diſt.* 2. *diffic.* 1. dicit propter communem uſum, eam blaſphemiam aliàs hæreticalem, ibi haberi pro ſimplici blaſphemia. *Ita Albertin. q.* 6. *num.* 2. *de Agnoſc. ex illo Alberghinus cap.* 16. *num.* 10. qui eſt teſtis ex auditu proprio, cum ſit Siculus, & qualificatur ibidem.

22 Parentes hæretici faciunt indicium contrà filios, quòd ſint hæretici. Id ſuadetur tùm ex Sacris litteris apud *Ezechiel.* 16. 44. *ſicut mater, ita & filia ejus;* tùm ex ſacris Canonibus, quia in filiis ſæpè timetur incontinentia Patris, ideò filii præsbiterorum prohibentur à ſacris officiis *cap.* 1. *diſt.* 56. Hoc tamen eſt leve indicium, ut probatur ibidem cap. ſeq. de multis filiis Præsbiterorum, qui fuerunt Prælati in ſuis officiis valdè commendati. Sixtus V. in Bulla 71. Incip. *cum de omnibus*, §. 1. facit non leve indicium, dum dicit: *ne igitur contingat illegitimè natus, qui ut plurimùm parentum vitia, & incontinentiam imitari ſolent.* Illud enim verbum, *ut plurimùm*, arguit non leve indicium, ſed valdè conſiderabile. Tùm lege Imperiali S. C. *ad legem Juliam Majeſt. relata cap. Si quis* 22. 6. *qu.* 1. loquendo de filiis, qui preſumuntur Rei eſſe futuri criminis læſæ Majeſtatis, unde *Gloſa v. Metuuntur*, refert hæc duo Pentametra: *ſæpè ſolet ſimilis eſſe filius Patri.* Et ſequitur, *leviter filia matris iter.* Lex quoque Canonica *cap. Quicumque* §. *Hæretici, de hæret. in* 6. pœnas hæreticorum extendit in eorum filios, in quibus timet ſimilem errorem.

23 Hoc igitur indicium arguit gravem ſuſpicionem, & præſumptionem contrà filios, qui oriuntur ex parentibus hæreticis. Ita *Simanch. de Catbol. inſtit. tit.* 50. *num.* 11. *Paramus lib.* 3. *qu.* 9. *nu.* 56. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 3. *num.* 18. *Cantera cap.* 2. *de probat. per teſtes qu.* 1. *num.* 27.

24 Qui habet Patrem blaſphemum aliàs inquiſitum, dicitur valdè ſuſpectus de blaſphemia, quia Filius imitatur Paternum vitium, & faciliùs ob lubricum linguæ aſſuefit blaſphemiis à juventute.

25 Educatio quoque filiorum à malis parentibus eſt argumentum, & indicium ad præſumendum contrà filios, qui paterna vitia ſequuntur.

26 Converſatio cum bonis arguit bonum, cum malis non notis malum, juxtà illud Pſal. 17. 26. *Cum Sancto Sanctus eris, & cum perverſo perverteris.* Proverb. 22. 24. Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum furioſo, ne fortè diſcas ſemitas ejus. In materia hæreſis converſatio eſt indicium inferens vehementem ſuſpicionem hæreſis, undè deveniri poteſt ex hac præſumptione ad torturam, vinctis aliis adminiculis, dixit *Bald. ex Carena p.* 3. *tit.* 3. *num.* 21. *& p.* 2. *tit.* 4. *à num.* 62. Hoc indicium educationis, & converſationis eſſe ſufficiens ad torturam cum aliis adminiculis, præſertim in ludo; lubricum enim linguæ apprehenditur facilè.

27 Vita mala arguit hominem vitioſum, ſicut bona indicat illum virtuoſum, juxtà illud Domini apud Matth. 7. 16. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, undè *cap. Miramur* 4. *diſt.* 61. *dicitur*, quòd vita prior eſt teſtimonium cujuſcumq;

nam

nam vita bona anteacta dat bonam præſumptionem in futurum, *Tiraquel. de pœnis temper. cauſ.* 51. *num.* 3. ſicut mala non niſi malam arguere poteſt. Hoc indicium firmatur illo axiomate Reg. 8. in 6. *ſemel malus ſemper præſuponitur malus in eodem genere mali*, donec conſtet, quòd pœnitentiam egerit, quæ cum ſit quid facti, non præſumitur, ſed probatur, ideò ex priori delicto præſumitur contra aliud ſimile, ex allegatis per Barboſam *Axioma* 142. *num.* 3. *Carenam p.* 3. *tit.* 3. *nu.* 22. & 23. procedit in eodem genere mali, quia ex diverſis non fit illatio, ſed ex iiſdem. De ea etiam agunt *Simanch. de cathol. tit.* 50. *num.* 15. *Paramus lib.* 3. *q.* 9. *num.* 60. & *lib.* 3. *q.* 8. *num.* 93. *Albert. q.* 25. *num.* 14. *apud præcitatum Carenam num.* 22. aſſerentes, quòd qui ſemel fuit hæreticus, de eo ſemper timendum eſt.

28 Axioma hoc patitur plures exceptiones. *Prima eſt*, quòd nõ valet præſumere ab uno delicto ad aliud diverſæ ſpeciei, ut dictum fuit. *Secunda*, quando conſtat ſemel malum factum fuiſſe bonum per pœnitentiam, non poteſt præſumi contra illum; habetur enim, ac ſi non peccaſſet, *Bartol. & Bald. in l. Imperialis C. de nuptiis*, *Menochius* ait, adhuc axioma valere, quia ex pœnitentia non tollitur præſumptio malitiæ; Et id verum puto, quia axioma nullibi locum haberet, cum quiſque in Paſchate confiteatur, & pœnitentiam agat. *Tertia*, quòd non habet locum in peccato luxuriæ, quod licèt fuerit vehemens in juventute, tamen præſumitur extinctum in ſenectute, ſecundùm *Bartol. in l. Is, cui* §. *iiſdem ff. de accuſat.* *num.* 8. Quod diſplicet aliquibus, qui fomitem luxuriæ facem ardentẽ ſemper habent in mente uſque ad mortem: beatus, qui ſuperat tentationes, quia melior eſt martire. *Quarta* præſumptio procedit reſpectu futurorum, nam reſpectu præſentium eſt ſola ſuſpicio, inquit *Alciatus Reg.* 2. *præſumpt.* 7. Quinta non habet locum in crimine occulto, ex eodem Alciato, quia ex occulto, & ignoto nihil deduci poteſt. Has exceptiones refert ſupradictus *Franciſc. Pitigian. in ſua prax.* 2. *ſubſt. cap.* 7. *ſol.* 14. 9.

Hujuſmodi autem præſumptio non eſt urgens, ſed levis, de ſe inſuficiens ad torturam, ut docet de ea levitate *Anchar. ſuper dictam Regulam; Alciatus citatus ea præſump.* 7. *num.* 3. *ex illis Barboſa ſuper eandem Reg. num.* 10.

29 Solitus delinquere habet majorem præſumptionem contra ſe, quàm ille, qui ſemel peccavit; conſuetudo autem delinquendi legitimè probata eſt indicium ſufficiens reſpectu ejuſdem criminis, ſuper quo fuit denuntiatus. *Ità Ananias in cap. de maledict. ſol.* 9. *cum aliis Riccius deciſ.* 47. *part.* 2. ubi ait, qui ex conſuetudine ſolet blaſphemare, acriùs puniri, quàm qui ſemel maledixit, Riccium ſequitur *Spatharius tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 5. *qui num.* 6. limitat, non habere locum torturam, ſi conſtat per triennium non deliquiſſe, quod dicit etiam *Royas ſingul.* 194. *num.* 9. *idem Riccius par.* 2. *dec.* 159. *num.* 14.

Nota autem, quòd ſolitus delinquere, habet præſumptionem contrà ſe etiam reſpectu aliorum delictorum, quia peccata habent connexionem ad invicem. Hoc

tamen

tamen eſt leve indicium inſufficiens ad torturam. *Idem Spathar. num.* 3.

Colligitur ex his, blaſphemum, qui aliàs ſemel probatur blaſphemaſſe, habere contrà ſe leve indicium, quòd nunc blaſphemiam protulerit, ſuper qua fuit denuntiatus; eſſe verò grave indicium conſuetudo blaſphemandi contrà ſimilitèr denuntiatum ſufficiens ad torturam, ſi neget blaſphemaſſe.

30 Locutio mala indicium eſt præſumendi contrà obloquentem, quia malè dicta præſumuntur malè præmeditata; ut enim inquit *S. Auguſt. relatus cap.* 15. *autem* 4. 22. *q.* 2. Verba ſunt inventa, ut quiſque in alterius notitiam cogitationes ſuas proferat; ſunt enim notæ, ſecundùm Ariſtotelem, earum paſſionum, quæ ſunt in Anima; undè Chriſtus Matth. 15. 18. dixit: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Meritò qui protulit blaſphemiam hæreticalem, præſumitur malè ſentire de fide, quia ex pravo corde cenſetur blaſphemia procedere; neque enim quiſque præſumitur aliquid dicere, quod prius non cogitaverit, cum verbum ſit effectus mentis; ut enim Mater priùs concipit, quod vult loqui, & deindè præconceptum lingua parturit. Quare proferens verba hæreticalia, cenſetur hæreticus, quia malo animo præſumuntur dicta. *Ita Royas p.* 1. *de hæreſi nu.* 602. *cum aliis Carena p.* 3. *tit.* 3. *nu.* 24. *ad* 27. Verba autem hæreticalia ſunt indicium grave, & urgens ad torturandum negantem pravam intentionem, ut patet de blaſphemia hæreticali, *ex allegatis à Carena part.* 2. *tit.* 7. §. 12. *Dicam infra ſuo loco.*

31 Confeſſio tàm extrajudicialis, quàm judicialis eſt indicium urgens ad torturam; imò & hæc ad condemnationem, juxtà dicta caſu 52. ad quem remitto lectorem, ne fruſtrà hic repetam ibidem dicta. *Vide Carenam p.* 3. *tit.* 10. *à num.* 58. *ad* 64.

32 Fama publica eſt indicium valdè remotum à delicto, undè vocatur fallax, qua pejor teſtis inveniri non poteſt, *ſecundùm Torreblancum de magia lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 4. *Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 3. *num.* 9. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 64. Quia autem de ea plures ſunt quæſtiones, ideò diſtinctè procedendum.

Quæres 1. An ſola fama probata ſufficiat ad torturam?

33 R. Non, niſi adjunctis adminiculis, eo quòd eſt indicium remotum, debile, & fallax, ut dixi *Ita omnes cum Claro q.* 21. *Verſ. fama ſola, Giurba conſ. crim.* 43. *n.* 18. & 19. *Ciarlin. cap.* 10. *num.* 130. *Salelles lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 106. *Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 13. *cum illis Carena part.* 3. *tit.* 10. *nu.* 64.

Quæres 2. Quot, & qualibus teſtibus ſit probanda?

34 R. Requiruntur duo teſtes omni exceptione majores, qui plenè eam probent, nominando eas perſonas, à quibus audierant talem blaſphemaſſe; non eſt autem neceſsè, quòd addant, ſe à pluribus aliis audiſſe, ſed ſufficit deponere publicè, ità dici audiviſſe.

Primum de duobus teſtibus integris docent *Farin. q.* 47. *num.* 110. *Cyriacus controv.* 150. *num.* 49. *Scaccia de judic. cap.* 84. *num.* 29. *lib.* 1. *cum illis Carena p.* 3. *tit.* 10.

*tit.* 10. *num.* 66. *Salelles lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 117.

Secundum de nominandis perſonis neceſſarium eſt, ut ſciatur, an fama oriatur à viris probis, an à malevolis, *ex cap. Qualiter* 24. *de accuſat. Ità Farin. apud Barboſam ſuper dictum cap. num.* 10. *& qu.* 47. *num.* 229. *ex eodem Carena num.* 68. *Roland. à Valle lib.* 1. *conſ.* 3. *num.* 51. *Bartol. in l. de minore ff. de quæſt. nu.* 21.

Tertium de illa additione non exprimenda, tradit *Salicetus in l. Ea quædam, de accuſat. num.* 117. *ex eodem Carena num.* 69. nam ea ſuppletur per ſequentem depoſitionem, quòd ſcilicèt teſtes audierint publicè ità dici. *Ità Bald. in cap. literas, de præſumpt. num.* 2. *Farin. q.* 47. *nu.* 257. *Ludoviſ. deciſ.* 273. *Maſtrill. deciſ.* 295. *n.* 12. *contrà Bartolum à Carena citatum ſub n.* 70. qui tamen ab omnibus relinquitur, quia pauci invenirentur teſtes, aſſerentes id dici à majori parte Communitatis.

Quæres 3. An ſufficiant teſtes ſingulares, nimirùm ſi ſinguli teſtes diverſos nominent, à quibus audierint?

35 R. Affirmativè. *Ità Alex. vol.* 1. *conſ.* 51. *ſol* 3. *Aufr. ad Capellam Tholoſ. deciſ.* 379. *Cephal. conſ.* 437. *n.* 54. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 10. *nu.* 69. *Barboſa ad cap. In omni negotio* 4. *de teſtibus nu.* 44. Ratio eſſe poteſt, quia fama paulatim oritur juxtà illud Proverbium; *Fama volat*. Virgil. 4. Æneid.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.

Quæres 4. Nunquid ad valorem depoſitionis, teſtis interrogatus quid ſit fama, reſpondere teneatur?

36 R. Teneri reſpondere non ſcientificè, & ſcholaſticè, ſed more Vulgi eam exponendo verbis juxtà capacitatem. *Ità Scaccia de judic. cap.* 84. *num.* 32. *cum aliis Carena par.* 3. *tit.* 10. *n.* 72.

Quæres 5. An fama orta poſt carcerationem aliquid probet?

37 R. Negativè, quia non præſumitur orta ex veritate delicti, ſed ex actu carcerationis. *Ità Grammat. voto* 34. *Marſil. ſing.* 97. *Giurba conſ.* 91. *num.* 44. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 73. Nullum ergò facit indicium orta etiam poſt Inquiſitionem, *Hercul. in tract. de probat. negat. num.* 313. *Burſat. conſ.* 20. *nu.* 27. *Farin. q.* 47. *n.* 176. *Caballus reſol. crim. caſu* 200. *num.* 133. *cum illis Ciarlin. cap.* 10. *num.* 133.

Quæres 6. An fama ſola plenè probata, ſit indicium ad torturam ſinè adminiculis?

38 R. In delictis difficilis probationis, ſola fama plenè probata ſufficit ad torturam, quia tunc urget, & veritati approximatur. *Ità Farin. q.* 87. *num.* 28. *Giurba conſ.* 87. *num.* 21. *cum Carena p.* 3. *tit.* 10. *nu.* 75. *Cyriac. controv.* 102. *num.* 3. *ex Ciarlin. cap.* 178. *nu.* 41.

Maſtrillus *vol.* 3 *deciſ.* 295. *nu.* 11. *apud dictum Carenam nu.* 76. ait, in Regno Siciliæ ex ſola fama, quamvis vehementiſſima, Reos nunquàm fuiſſe teſtes, etiam in delictis difficilioris probationis, ut eſt nefandum crimen. Ratio eſt, quia fama non dicitur legitimè probata per illum modum, qui nunc practicatur in Curiis; deficit enim à modo, *de quo Farin. ex q.* 47. *num.* 208.

Quæres 7. An fama neceſſariò ſit probanda per verbum fuit, & eſt?

R. Affir-

39 ℟. Affirmativè, nam fama ſupponit delictum perpetratum ante carcerationem, ſeù Inquiſitionem tranſmiſſam, ut aliquid probet ex q. 5. quod indicatur per verbum *fuit*. Verbum verò *eſt*, eſt quoque neceſſarium, ut fama adhuc exiſtens arguere nunc poſſit contrà Reum. *Ità Rota deciſ. noviſs. apud Rubeum p. 2. tom. 1. deciſ. 451. ubi num. 3.* dicitur, quòd teſtes, qui deponunt de publica voce, & fama, debent deponere per verbum *Fuit*, & *Eſt*.

Quæres 8. Quænam ſunt adminicula, quæ cum fama probata dant jus ad torturam?

40 ℟. Sunt hæc, Fuga Rei, teſtes minus idonei, minæ, inimicitia &c. *Ità Farin. q. 47. nu. 17. Carena p. 3. tit. 10. num. 74.*

Quæres 9. An ſupradicta habeant locum in cauſis fidei, & blaſphemiæ juxtà noſtrum inſtitutum?

41 ℟. Affirmativè, quia non minùs, imò magis favendum eſt Religioni, quàm juſtitiæ punitivæ reſpectu aliorum delictorum, cum agitur de ſumma rerum.

Quæres 10. An fama ab una tantùm perſona orta, à qua fuit divulgata, probet aliquid?

42 ℟. Negativè, quia ea oritur ex pluribus viris probis, ex cap. Qualiter 24. de accuſat, maximè ſi eſſet ſuſpecta. *Ità Decius conſ. 37. num. 10. Oſacb. deciſ. 101. num. 17. ex Rota apud Rubeum tom. 2. p. 4. deciſ. 257. num. 7.*

Quæres 11 Quænam probatio prævaleat bonæ, an malæ famæ?

43 ℟. 1. Bona fama alicujus in genere, deſtruit malam famam ejuſdem in genere, & præſumptionem ex ea reſultantem Ratio eſt, quia probatio affirmativa validior eſt negativa. *Ità Farin. q. 47. num. 181. Peguera deciſ. 17 num. 13. ex illis Carena p. 3. tit. 10. num. 79. Rota apud Rubeum tom. 1. deciſ. 202. num. 12.* Doctoribus allegatis ibidem ubi quòd teſtes deponentes de mala fama, numero excederent alios de bona teſtantes. *Ità Corneus vol 4. conſ. 176 num. 10. Anchar. conſ. 189 num. 7. Hojeda de incompatibil. benef. p. 1. cap. 23. num. 143. cum aliis Rota apud eundem Rubeum par. 2. tom. primi, deciſ. 130. num. 103. Barboſa de Canon. cap. 13. num. 46.* ubi alios citat.

44 ℟. 2. Bona fama Rei in genere, non tollit indicia ſpecialia contra eum exiſtentia, ac proindè hujuſmodi probatio non tollit jus torquendi Reum ex aliis indiciis. *Ità Farin. q. 47. num. 192. Clarus quæſt. 60. verſ. Frequens etiam, ex illis Carena p. 3. tit. 10. num. 81.* Nec bona fama eſt inutilis Reo, quia prodeſt illi, ut leviùs, & non tam rigorosè torqueatur. *ex eodem Farinac. num. 192.*

45 ℟. 3. Bona fama, quòd quis non ſit hæreticus, vel blaſphemus, tollitur à mala fama probata contra Reum, quia magis creditur duobus affirmantibus, quam mille negantibus, maximè quando non coarctant ſuam negativam in probatione.

Dubitari poteſt, an concurrentibus contrariis præſumptionibus, una deſtruat aliam.

46 ℟. 1. Apud omnes notum eſſe, unam præſumptionem aliam contrariam eligere, quando eſt fortior, nam duo contraria ſi-

mul eſſe non poſſunt in eodem ſubjecto, ſed unum ſemper ab eo pellit aliud: ſic una præſumptio aliam ſibi contrariam tollit, & deſtruit. *Ita omnes cum Joanne de Amicis conſ.* 114. *num.* 23. *Socin. Senior vol.* 1. *conſ.* 21. *num.* 4. *Pariſ. vol.* 2. *conſ.* 25. *num.* 82. *ex illis M. Anton. lib.* 1. *reſol.* 88. *numer.* 12. Dixi, quando eſt fortior, quia inter æquales non datur victoria, quia par non agit in parem.

47 R. 2. Plures unam vincunt, quia fortiores. *Ita Craveta conſ.* 145. *numer.* 11. *Rimin. Jun. conſ.* 183. *Guaz. defenſ.* 39. *cap.* 2. *num.* 7. *Carena p.* 3. *tit.* 3. *num.* 36. *Surd. conſ.* 1. *num.* 60. *Barboſa Vaz. littera P. numer.* 38. *Sperellus deciſ.* 176. *num.* 44.

48 R. 3. Præſumptio excluſiva peccati prævalet incluſivæ peccati, quia quilibet præſumitur bonus, niſi probetur contrarium. *Ità Roman. conſ.* 68. *num.* 8. *Gram. mat. conſ. crim.* 31. *num.* 12. *Farin. q.* 85. *num.* 1. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 3. *num.* 37. *Sperellus deciſ.* 108. *num.* 53.

49 R. 4. Præſumptio veriſimilior elidit minus veriſimilem, quia illa eſt fortior, quæ propinquior eſt veritati, *Ità Craveta conſ.* 245. *num.* 11. *Bertaz. conſ.* 412. *num.* 28. *Carena num.* 38.

50 R. 5. Præſumptiones fortiores tollunt minus fortes. *Ita Decian. conſ.* 1. *num.* 42. *vol.* 2. *Menoch. lib.* 1. *quæſt.* 30. *numer.* 1. *Carena numer.* 39.

51 R. 6. Præſumptio ſpecialis tollit generalem, quia eſt fortior, & magis ſpecialis tollit minus ſpecialem. *Ità Menoch. de arbitr. judic. ſent.* 5. *caſu* 472. *numer.* 14. *Carena numer.* 40. *Sperellus deciſion.* 136. *numer.* 45.

52 R. 7. Præſumptio facti perimit aliam, quæ non provenit ex facto. *Ità Abbas in cap. Veniens de filiis Præsbyter. num.* 7. *Menoch. lib.* 1. *q.* 29. *num.* 17. *Caren. p.* 3. *tit.* 3. *num.* 41.

53 R. 8. Præſumptio cedit veritati *l. nuptura filio ff. de jure dot. Surd. conſ.* 37. *num.* 17. *cum multis aliis citatis à Barboſa hoc axiom.* 186. Locum ergo non habet, ubi conſtat de veritate *l. fin. de probat. Felin. in cap. Per tuas de probat. deciſion. conſ.* 400. *num.* 8. *Rota vol.* 1. *deciſ.* 64. *num.* 3.

54 R. 9. Præſumptio ex præſumpto ſumi non poteſt, ne detur proceſſus in infinitum, *Farin. vol.* 1. *conſ.* 55. *num.* 25. *Rota p.* 1. *diverſ. deciſ.* 800. *numer.* 17. *Menoch. lib.* 3. *præſumpt.* 132. *limitatur infrà ſub Reſp.* 15.

55 R. 10. Nulla præſumptio eſt in præjudicium tertii, *Aymon de Antiquitate temp. par.* 2. *numer.* 24. *Rota volit.* 1. *deciſ.* 64. *numer.* 3.

56 R. 11. Præſumptiones in Claris ceſſant, *Aut. Monach. florent. deciſion.* 51. 49. *apud Barboſam Axiom.* 186. *numer.* 5. *Megal.* 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 23. *fine.*

57 R. 12. Præſumptio quæ eſt proximior veritati, attenditur, *l. Filium ff. Qui ſunt ſui, vel alieni jur. Grilenz.* 161. *numer* 11. *Navar. conſ.* 1. *de præſumption.*

58 R. 13. Concurſus duarum præſumptionum denegatur, maxime ex eodem fonte manantium, & diverſum finem operantium, *Menoch. lib.* 1. *quæſt.* 43. *à numer.* 6. *Ruin. conſ.* 76. *num.*

*numer.* 20. *vol.* 3. *Surd. conſ.* 135. *numer.* 29. *vol.* 1. *Berous conſil.* 160. *numero* 12. *volit.* 2. *ex illis Sperell. deciſ.* 28. *num.* 57.

59 ℟. 14. Una vehemens plures debiliores exterminat, *Pariſ. lib.* 2. *conſ.* 11. *numer.* 26. *& conſ.* 29. *numer.* 84. *Paleotus de notis cap.* 241. *numer.* 5. *Sperell. deciſ.* 174. *num.* 60.

60 ℟. 15. Una præſumptio ex alia oriri poteſt, quando una venit in conſequentiam alterius, *Mantica deciſion.* 21. *numer.* 3. *Chriſtof. Caſtell. in Repetit. l. ſciendum, ff. de verb. obligat. numer.* 9. *ex Rota deciſ.* 226. *num.* 9. apud Rubeum diverſorum.

61 ℟. 16. Præſumptio non oritur ex facto non plenè probato, *Rota deciſ.* 704 *numer.* 10. *apud Rubeum p.* 3. *Recent.* Undè non poteſt oriri ex aliquo facto, niſi illud ſit certum, & indubitatum, *Alex. lib.* 3. *conſ.* 76. *numer.* 7. *Craveta conſ.* 32. *num.* 7. *Surd. conſ.* 135. *numer.* 79. *cum aliis, eadem Rota deciſion.* 378. *numer.* 12. quare non probata blaſphemia hæreticali, inde oriri non poteſt præſumptio hæreſis.

62 ℟. 17. Præſumptio cedit probationi, *Dec. conſ.* 400. *numer.* 8. *Craveta de Antiq. p.* 3. *numer.* 28. *Menoch. lib.* 1. *Præſump.* 31. *numer.* 2. *&* 3. *Leoncil. deciſion.* 175. *numer.* 3. Et ea non ſufficit, quando probatio eſt neceſſaria, *Bartol. in l. Lucius ff. de cond. & dem. Buratus deciſ.* 763. *numer.* 7. *Leoncil. deciſ.* 32. *num.* 4.

63 ℟. 18. Non eſt capienda præſumptio de eo, quod non eſt veriſimile, quia præſumptio in tantùm eſt probabilis, in quantùm aſſimilatur veritati; & ſi enim nulla præſumptio ut ſic ſit veritas manifeſta, etiam ſi ſit præſumptio juris de jure, *ex Alciato de præſumpt. part* 2. *prælud. numer.* 9. *Menoch. lib.* 1. *qu.* 61. *num.* 7. tamen debet cum ipſa analogiam habere, & ipſius habere ſpeciem, alitèr non eſt præſumptio legalis, & legitima, ſed temeraria, & improbabilis. *Ex cap. quia veriſimile* 10. *de præſumpt. Menoch. conſ.* 1. *num.* 258. *conſ.* 28. *num.* 25. *cum aliis Barboſa ad citatum cap. num.* 3. Et remotum à veriſimili eſt imago falſitatis, *Bald in l* C. *de ſervis fugit. col. fin. Jaſon. in l. Extraneus* C. *de condict. ob cauſam, nu.* 8. *ibidem Barboſa.*

64 ℟. 19. Nullus ex præſumptionibus debet puniri pœna ordinaria, quia probationes debent eſſe luce clariores, quales non ſunt præſumptiones, quæ obſcuram habent veritatem, licèt ſint vehementes, & violentæ. *Ità Farin. q.* 86. *num.* 100. *Maſcard. concl.* 122. *cum multis aliis Barboſa ad cap.* 2. *de præſupt. num.* 7.

65 ℟. 20. Ex bono nulla colligi poteſt mala præſumptio, quia non poteſt arbor bona malos fructus producere, *Matth.* 7. 18. *Ità Cagnolus l.* 2. C. *de pactis num.* 52. *Oſaſcb. deciſ.* 42. *num.* 8. *fine. Decian. conſ.* 2 *num.* 218. *Farinac. quæſt.* 163 *num.* 20. *ex illis Ciarlin. cap.* 40. *num.* 30.

66 ℟. 21. Præſumptio cadit ſuper caſum dubium, cum ea non attingat veritatem, licèt illi aſſimiletur. *Ità Ruinus lib.* 1. *conſ.* 51. *num.* 23. *ex illo Ciarlin. cap.* 122. *num.* 37.

67 ℟. 21. Præſumptio, quæ ſtat pro Religione, prævalet, ſicut &

pro pia cauſa. *Ità Panzirol. conſ.* 135. *num.* 12. *Gratian. cap.* 135. *num.* 2. *ex illis Ciarlin. cap.* 143. *num.* 26.

68 Fuga tunc facit indicium ad torturam, quando Reus fugit ante denuntiationem, ſeu Inquiſitionem ei tranſmiſſam, non verò ſi poſt fugiat, in primo enim caſu præſumitur fuga arrepta ob conſcientiam criminis; in ſecundo verò caſu ob timorem moleſtiarum, quas Rei carcerati patiuntur, *Ità omnes cum Peguera deciſ.* 17. *num.* 32. *Giurba conſ.* 13. *num.* 20. *Maſtrill. deciſ.* 296. *num.* 23. *cum Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 83. *&* 84. *Franc. Pitigian. in* 2. *ſubſt. cap.* 7. *fol.* 150. *de Angelis cap.* 12. *num.* 27. *Peyrin. in formul. lit. C. cap.* 10. *num.* 6. *Miranda q.* 26. *num.* 115. *Plures citat. Barboſa ad cap.* 4. *de præſumpt. num.* 3. *Farin. q.* 48. Præſumptio autem hæc ex fuga tollitur comparatione ſpontanea, *ex Farin. q.* 48. *numer.* 48. *&* 55. *Giurba conſ.* 13. *num.* 22. *Maſtill. deciſ.* 296. *num.* 22. *Carena num.* 85. Quandò aſſignatur aliqua cauſa ſaltem colorata, non devenitur ad torturam, *ex eiſdem Farin. num.* 36. *Peguera deciſ.* 17. *num.* 35. *Carena num.* 86. Undè fuga ex cauſa eundi ad ſuperiorem, nullum facit indicium contrà Reum, *ex Maſtrillo num.* 22. *&* 29. *ibidem*; Fugiens è carceribus habetur pro convicto, *Clarus qu.* 21. *ex eo Pitigian. in ſubſt.* 2. *cap.* 7. *§. ſed quod, fol.* 150. *Pegna p.* 3. *com.* 35. *§. in crimine*, ubi quòd non habetur pro convicto de hæreſi, ſi fugiat è carceribus Inquiſitionis. Punitur autem pœna arbitraria, ibidem *§. Sed ne ob fugam*: ubi tractatur, quid agendum contrà fugitivos, qui haberi non poſſunt.

69 Variatio teſtis de ſe nullum facit indicium ad torturam, quia parùm, aut nil probat, juxtà dicta *caſu* 40. *à num.* 9. *ad* 12. Neque Reus varians in reſpondendo torquendi jus dat ſinè adminiculis, ut docet *Clarus allegatus cum aliis à Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 98.

70 Contumacia, quàm contrahit ille, qui legitimè citatus non comparet, de quo *dixi caſu* 41. *num.* 7. *&* 8. ſecuta condemnatione, facit indicium ad torturam, eſto compareat poſt ſententiam; Ità *Carena part.* 3. *tit.* 10. *numer.* 117. *Vide Giurbam conſ.* 13. *num.* 22. *&* 24. ubi ait, procedere in bannito ſpontè comparente, *Marius Muta deciſ. ſicul.* 80. *num.* 8. *Cabal. reſol. crimin. ſent.* 2. *caſu* 110.

71 Socius in crimine juratus, per ſe ipſum facit tantùm indicium ad inquirendum, non verò ad torquendum, niſi aut cum ipſo adſint adminicula, aut duo ſint ſocii, qui conteſtes ſint in ſubſtantia delicti, licèt ſint ſingulares in circunſtantiis; quòd ſi plures patiuntur defectus, nil omninò probant, ſed ad torturam neceſsaria ſunt per ſe adminicula, quæ ſufficiant ſinè dicto ſocii patientis plures defectus.

72 Primùm de indicio âd inquirendum in caſibus tantùm exceptis. Vide *apud Carenam p.* 3. *tit.* 10. *nu.* 49. *Souſam lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 19.

Secun-

Secundum, quòd non ſufficiat ad torturam, probatur, quia ad eam infligendam requiritur dictum unius omni exceptione majoris; conſtat autem ſocium criminis ſe reddere infamem, dum aſſerit ſe complicem in delicto; ergò cum non poſſit eſſe teſtis integer, non ſufficit ad torturam. Ità *ex cap. Veniens* 10. *de teſtib. Farin. qu.* 185. *num.* 151. *Caſtropal. part.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *part.* 9. *num.* 6. *cum aliis Carena part.* 3. *tit.* 10. *num.* 36. *Royas ſing.* 191. *num.* 4. *Miranda qu.* 17. *num.* 161. *Souſa lib.* 2. *capit.* 25. *numer.* 22.

74 Tertium, quòd Socii dictum cum adminiculis junctum faciat indicium ad torturam, docent omnes cum præcitatis *Peguera deciſ.* 5. *crimin. num.* 37. & 38. *Diana part.* 4. *tract.* 6. *reſolut.* 7. *Cyriacus contr.* 80. *num.* 7. *Ciarlin. capit.* 10. *numer.* 119. *Carena num.* 37. *Farin. qu.* 43. *num.* 141. *Souſa lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 22.

75 Quartum, quòd duo ſocii faciant indicium ad torturam, quandò non patiuntur alios defectus, & ſunt concordes in ſubſtantia delicti, licèt ſint ſingulares in circunſtantiis, probatur, quia in ſuis dictis uniuntur, & ſemiplenè probant, ex quo Judex acquirit jus ad torturam. Ità *Clarus quæſt.* 21. *verſ. Sed pone. Binsfeld. de confeſſ. malefic. mirab.* 2. *poſt concl.* 6. *Verſ. Primum an teſtes. Souſa lib.* 2. *capit.* 39. *numer.* 55. *Diana part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 7. §. *Notandum, ubi citat pro ſe Caſtrumpalaum part.* 15. §. 4. *nu.* 1. *Beccan. de juſtitia quæſt.* 10. *numer.* 10. *Pegna part.* 3. *conſ.* 110. *ibidem alios citat. Ciarlin. capit.* 181. *numer.* 22.

76 *Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 41. ait, non ſufficere teſtes ſingulares, niſi ſint adminiculati, cum Decio, Natta, Guazino, & aliis, probatur, quia teſtium ſingularium tantùm probat unus, quantùm mille; ſi ergò unus non probat, nec alter. Procedit antecedens, quando teſtes ſunt ſingulares ſingularitate obſtativa, vel diverſificativa; non verò quandò concordant in ſubſtantia delicti; Probatur ſecundò, quia præcitati mittuntur dicto aliorum, qui aliter intelligendi ſunt. Sed id parùm refert, quia opinio probabilis opinioni non repugnat in ordine ad exercendum prudenter actum moralem.

77 Quintum de patientibus plures defectus, docetur ab omnibus *cum Souſa lib.* 2. *capit.* 75. *numer.* 25. & *capit.* 39. *numer.* 53. *Diana part.* 4. *tract.* 6. *reſolut.* 8. *ubi alios plures citat, cum illis Carena part.* 3. *tit.* 10.

78 Sextum de adminiculis, ſinè quibus dictum Socii de ſe nil probat docetur ab omnibus locis præcitatis. Adminicula autem ſunt teſtes de auditu, fama publica, fuga Rei, amicitia ſtricta cum nominato. *Ità Farinac. quæſt.* 43. *numer.* 162. *Caſtropal. citat. part.* 9. *num.* 7. *Diana part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 7.

79 Dicta procedunt etiam in caſibus exceptis maleficii, ſacrilegii, ſodomiæ, hæreſis, & in aliis, occultis, & difficilis probationis, in quibus poteſt ſocius interrogari

ſed

ſed ejus dictum non facit indicium ad torturam, niſi adminiculatum, *Menoch. lib. de arbitr. caſu* 474. *num.* 27. *Farin. q.* 43. *num.* 58. 66. 68. *&* 89. *apud Souſam lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 18.

80 Nunquid Socius torquendus ſit, ut probet? Negativè reſpondetur, ſicut dictum fuit de aliis teſtibus inhabilibus caſu 31. num. 39. quia non propter intereſſe aliquod deponunt, ſed ex zelo fidei; ideò gravandi non ſunt. *Ità Simancb. de cathol. inſtit. tit.* 53. *num.* 38. *Pegna p.* 3. *com.* 113. *Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 10. *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 233. *ad* 236.

Dubitatur autem, an hoc indicium ſocietatis locum habeat in blaſphemia? Ratio dubitandi eſt, quia quilibet blaſphemare poteſt ſine ſocio; ergò hæc qualitas non videtur habere locum in caſu noſtro. E' contrà verò blaſphemia, ut plurimùm, committitur inter ludentes, & rixantes; ergò inter ſocios hujus criminis.

81 R. Qualitatem ſocii non habere locum in blaſphemia, quia aliud eſt blaſphemia, aliud eſt rixa, & ludus, ex quibus ea ſolet oriri; ſocietas autem idem delictum facit commune utriq; ſocio, & non unum in ordine ad aliud, tamquàm cauſam ad effectum. Et ſic patet ad rationem dubitandi pro altera parte. Itaque Socius in ludo ſinè hac exceptione teſtificari poteſt contrà alterum Socium de blaſphemia, in qua non eſt Socius, ſed tantùm in ludo, de quo non eſt quæſtio in hoc ſacro Tribunali.

82 Aſſertio vulnerati nullum facit indicium ad torturam, ſed tantùm ad inquirendum, quia cum agatur de proprio intereſſe, nullus eſt legitimus teſtis in propria cauſa. *Ità Clarus quæſt.* 21. *verſ. Aſſertio, Honded. lib.* 1. *conſ.* 102. *num.* 6. *Carena part.* 3. *tit.* 10. *num.* 99.

83 Res inventa in loco delicti facit indicium ad torturam contrà eum, cujus probatur eſſe. *Ità Zanger. cap.* 2. *numer.* 33. *de quæſt. & tortur. ex eo Carena numer.* 100. ſi ſit bonæ vitæ, & famæ, non facit indicium ad torturam, *Farin. quæſt.* 177. *de furtis num.* 1. *&* 5. *Albertin. quæſt.* 28. *num.* 25. *&* 26.

84 Pedis forma in terra humida, ubi delictum fuit commiſſum, facit indicium ad torturam, *ex eodem Zanger.* ſi concurrant indicia. *Ità ex allegatis à Maſcardo concl.* 830. *num.* 11. *Bald. lib.* 1. *conſ.* 42. *numer.* 11. *Menoch. lib.* 5. *præſumpt.* 31. *num.* 12. *Carena num.* 100. Cenſetur tamen leviſſimum indicium apud prædictos.

85 Secreta collocutio ad aures alicujus, ſtatim poſt commiſſum delictum, cum aliis adminiculis, facit ad torturam, *Zanger. num.* 2. *cap.* 50.

86 Teſtis minor viginti annis non facit indicium ad torturam per ſe, cum non ſit major omni exceptione. *Ità ex Canter. de prob. per teſtes cap.* 2. *num.* 25. *Carena p.* 3. *tit.* 10. *n.* 110. In criminalibus ſiquidem non ſunt legitimi teſtes, *Maſcard. concl.* 1253. *n.* 14. *Guazin. defenſ.* 30. *cap.* 11. *per totum.* De teſte minore dixi etiam caſu. 29. ubi *n.* 15. de jure Canonico adduxi textum, quo probavi, teſtem poſt pubertatem eſſe integrum in cauſis fidei.

An

An ludus, & rixa ſint indicia ſufficientia ad torturam contra blaſphemum?

R. Affirmativè, quando ludens eſt conſuetudinarius in ludo, quia in omnium ſententia ludus eſt ferè ſemper cauſa blaſphemiarum, ergo ſufficiens indicium ad torturam. Quòd ſit cauſa blaſphemiæ, docet *Text. in l. fin. §. 1. C. de Epiſcopi aud. Item in l. 3. C. de aleator. item in l. Alearum fin. C. de relig. domib. & ſumpt. funer*, quos textus cum Doctoribus citat *Lazar. de blaſphem. in Præfat. numer.* 34. *Unde* Maſcard. *concl.* 194. *numer.* 12. *ex Petro Gerardo ſing.* 85. *numer.* 2. *ait*, luſorem ſemper præſumi blaſphemare, Theologi omnes cum Canoniſtis dicunt ex ludo, blaſphemiam oriri *cum Raymundo, & Turrecr. in cap. Epiſcopus diſtinct.* 37. *numer.* 2. *Sayr. lib.* 11. *capit.* 12. *num.* 4. *Decian. lib.* 6. *capit.* 2. *numer.* 23. *aiunt*, quod luſores ſemper evomunt horrendas blaſphemias.

Ira quoque non leve eſt indicium contra blaſphemum, quia irati ſolent prorumpere in turpia injuriando, & blaſphemando, ut enim experientia conſtat, ira lubricat linguam in turpia.

Quid dicendum de milite, num ejus profeſſio ſit indicium blaſphemiæ?

R. Affirmativè *ex Deciano lib.* 6. *cap.* 2. *nu.* 23. ubi ait; *Adeò hujus ſeculi corrupti ſunt mores, ut nullus miles fortis habeatur, & militiæ aptus, qui graviter non blaſphemat, & qui graviores, & attrociores profert blaſphemias, is majora habet ſtipendia, ut quotidiana docet experientia, & tradit Nevi.* 2. *in ſua Silva nupt. mihi Caren.* 97. *concl.* 3.

90 Inimicitia Capitalis contrahitur ex pluribus cauſis, præſertim ex lite ſaltem majoris partis bonorum, ex accuſatione criminali, & detentione in carceribus, ex atroci injuria etiàm conſanguineis facta. *Vide Pegnam p.* 3. *com.* 116. *Farin. quæſt.* 49. *initio, ex illis Carena par.* 3. *tit.* 10. *num.* 87. *Petrus de Angelis cap.* 22. *num.* 24. Non capitalis, quæ oritur ex aliis cauſis minoribus.

91 Capitalis inimicitia per ſe ſolam non eſt indicium ſufficiens ad torturam, ſed ſolum cum adminiculis adjuncta, ea tamen ſufficit ad conſtituendum nomen inquiſiti inter Reos, & ad eum tranſmittendum ſpecialem Inquiſitionem. In delictis verò occultis, & difficilis probationis ea ſufficit ad torturam. Non Capitalis non facit aliquid prædictorum.

92 Primùm, quòd ſola non ſufficiat ſinè adminiculis, tradit Maſcard. *concl.* 901. *numer.* 7. *Giurba conſ.* 13. *numer.* 7. *Farin. quæſt.* 49. *numer.* 102. *cum aliis Carena par.* 3. *tit.* 10. *numer.* 89. & 90. *Miranda quæſt.* 26. *numer.* 125. *Spathar. tract.* 8. *cap.* 5. *numer.* 8. *Pitigian in* 2. *ſubſt. cap.* 7. *fol.* 150. § 6. Maſcard. *concl.* 901. *numer.* 6.

Secundùm, quòd ſufficiat ad inquirendum, docent præcitati cum *Carena part.* 3. *tit.* 10. *numer.* 92. *ex Claro quæſtion.* 21.

Ter-

Tertium de occultis delictis docent *Giurba conſ.* 13. *nu.* 3. *Faber. lib.* 9. *tit.* 21. *de quæſt. deffin.* 11. *num.* 1. *Carena nu.* 93.

Quartum de non capitali tradit *Clarus qu.* 21. *verſ. Inimicitia Peguera deciſ.* 17. *n.* 8. *Caren. n.* 88.

Prædicta procedunt etiã de inimicitia de recenti reconciliata, nõ verò de antiqua. Ità *Farin. qu.* 49. *nu.* 110. *Menoch. lib.* 5. *de arbitr. præſumpt.* 43. *n.* 8. *Caren. nu.* 94.

93 Inimicitia autem cum ſit indicium remotum, duobus teſtibus conteſtibus omni exceptione majoribus probatur; id enim eſt commune omnibus indiciis remotis.

94 Inſtrumentum cudendi monetam repertum apud Quærelatum facit indicium ad torturam. Ità *Franc. deciſ.* 440. *Riccius p.* 2. *deciſ.* 43. *Giurba conſil. deciſivo* 85. *num.* 26. *Marius Muta deciſ.* 40. *n.* 9.

Quatuor difficultates remanent expediendæ. *Prima eſt*, an indicia ſint arbitraria Judicibus? *Secunda*, an debeant eſſe probata, ut ſuum producant effectum? *Tertia*, an ex præſumptionibus, & indiciis quis poſſit condemnari? *Quarta*, an plura indicia imperfecta conjungi poſſint ad inferendam torturam?

95 Primæ reſpondetur, eſſe in arbitrio Judicis determinare hoc, vel illud indicium eſſe ſufficiens ad torturam. Ità aliis allegatis *Clarus q.* 64. §. *Dixi quoque. Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 9. *num.* 7. *Menoch. de arbitr. ſent.* 3. *caſu* 270. *num.* 5. *& lib.* 1. *q* 13. *Farin. qu.* 43. *num.* 126. *qui cum Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 20. dicunt hujuſmodi arbitrium debere eſſe regulatum, hoc eſt ex ſententiis Doctorum *cum quibus eſt Miranda q.* 26. *n.* 83.

96 Secundæ, ſatisfit dicendo, neceſſarium eſſe in ordine ad torturam, quòd indicia ſint probata ad minùs per duos teſtes nullam patientes exceptionem, ſufficiunt autem ſingulares, dummodò ſint concordes circa rei ſubſtantiam.

97 Primum de probatione notum eſt apud omnes ſecundùm *Farin. q.* 37. *num.* 13. *Borella conſ.* 45. *num.* 53. *Guazin. defenſ.* 30. *cap.* 31. *Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 3. *Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 9. *nu.* 2. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 10. *nu.* 21. *Salelles lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 179. Ratio eſt, quia effectus certus cujuſmodi eſt tormentum debet procedere à cauſa certa cujuſmodi ſunt indicia, eorum autem certitudo haberi non poteſt, niſi per probationem certam, & indubitatam; agitur enim de damno irreparabili, quod inferendum non eſt, niſi de cauſa conſtet.

98 Secundum, quòd ambo teſtes debent eſſe idonei, probatur, quia cum tortura inferat grave præjudicium, ejus cauſa firmanda eſt teſtibus idoneis, ne fiat injuria torquendo. Ità *Farin. qu.* 27. *nu.* 28. *Souſa lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 18. *Guazinus defenſ.* 30. *cap.* 31. *Cyriacus tom.* 1. *controv.* 106. *num.* 44. *Ant. Gomez lib.* 3. *Varian. cap.* 13. *n.* 18. *cum aliis Carena p.* 3. *tit.* 10. *n.* 22. *Salelles lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 179. *Miranda q.* 26. *à n.* 73. *& ſeq.*

99 Quandò autem teſtes ſunt inhabiles, requiruntur plures juxtà dicta *caſu* 39. *nu.* 34. *Salelles cit. num.* 179. & duos deſignat *Januar. reſol.* 47. *de caſib. reſerv. num.* 28. *Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 3. §. *nota tamen*, ait ſufficere teſtes minus idoneos, & pro hac ſententia citat *Royas p.* 2. *de bæret. num.* 289. *Roland. à Valle lib.* 1. *conſ.* 24. *num.*

24. *num.* 25. *& alios*. Ratio eſt, quia ſi duo omni exceptione majores ſufficiunt ad convincendum Reum; ergò duo inhabiles probant indicium ad torturam; minor enim debet eſſe probatio hujus. Confirmatur id, quia in hoc Sacro Tribunali tortura non eſt multùm rigoroſa, nec rigida, ac proindè præjudicium cum non ſit multùm grave, non petit probationem indiciorum exactam. Utraque opinio placet.

100 Tertium, quòd ſufficiant teſtes ſingulares concordes tamen in ſubſtantia delicti, probatur ex dictis ſub caſu 41. Ratio eſt, quia ſufficiunt ad pœnam infligendam, à fortiori ad torturam, quæ minorem requirit probationem. Ità *Locatus q.* 35. *Souſa lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 19. *Fratas qu.* 22. *de confeſſ ſollicit. Albertinus q.* 25. *num.* 20. *quos cum aliis citat Diana part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 5. *Verſ. ſed bis*. Intelligunt, quandò plura ſunt indicia, quæ probari poſſunt per teſtes ſingulares, qui ſimul convicti faciunt unum indicium ſufficiens ad torturam.

101 Tertiæ reſpondetur, neminem eſſe condemnandum ex præſumptionibus, & ſuſpicionibus, ut clarè habetur in l. Abſentem ff de pœnis, ibi: *Sed nec ex ſuſpicionibus debere aliquem damnari*. Ratio eſt, quia probationes debent eſſe luce meridiana clariores. *l. ſciant cuncti C. de probat.* adeò quòd nec leviores probationes ſufficiunt ad condemnandum hæreticum, *Farin. quæſt.* 187. *numer.* 6. *Caſtropal. part.* 1. *tract.* 4. *diſput.* 8. *part.* 10. *numer.* 1. *Carena part.* 3. *tit.* 3. *numer.* 9. Dixi hìc num. 64.

102 Dices ſuſpectus de hæreſi præcisè ex eo, quòd dixit, vel fecit quid hæreticale, punitur, & tamen ea ſuſpicio non probatur niſi ex præſumptione dicti, vel facti hæreticalis; ergò quis ex ſolis præſumptionibus, quòd ſit hæreticus, condemnari poteſt.

103 R. Utrumque puniri, & blaſphemiam, v. g. ſortilegium &c. ex quibus oritur de jure præſumptio, quòd blaſphemus, & ſortilegus hæreticales ſuſpecti de hæreſi, & ipſum uti ſuſpectum, non verò uti hæreticum, quia graviori pœna mulctaretur hæreticis formalibus debita. Ità *Caſtropal. par.* 1. *tract.* 4. *diſput.* 8. *part.* 10. *numer.* 1. *Ricciul. lib.* 5. *de jure perſonarum extrà grem. capit.* 11. *cum illis Carena part.* 3. *tit.* 3. *num.* 23.

104 Quare reſpondetur, indicia imperfecta in ſe ipſis, ut ſunt fama, minæ, inimicitiæ &c. quæ de ſe non inducunt ad torturam, quia ſunt imperfecta in ſubſtantia judicii, convincta ad invicem faciunt ad torturam, in ſententia omnium infrà citandorum. Quandò verò ipſa indicia ſunt imperfecta, non ſolùm in ſubſtantia judicii, ſed etiam in ſubſtantia probationis, & remota à delicto, non ſufficiunt ad torturam, niſi quandò tendunt ad unum, & eundem finem, & ſunt inter ſe ſubordinata; tunc enim conjunguntur ad faciendum unum perfectum indicium ad torturam, quia ut

ſic unita Judicem inducunt in vehementem ſuſpicionem, quòd ità indiciatus commiſerit delictum ; & pro hac concluſione facit illud axioma : *Singula, quæ non poſſunt, ſimul juncta juvant*, de quo dixi caſu 39. numero 35. *Ità Farinac. quæſtion. 86. numer.* 100. *Giurba conſ. crimin.* 87. *Peregrin. volum.* 1. *conſ.* 75. *numer.* 20. *Borella conſ.* 46. *numer.* 65. *Surd. conſ.* 132. *numer.* 48. ex iliis Carena *part.* 3. *tit.* 10. *numer.* 112. & 113.



CASUS

# CASUS LIV.

## De Tortura Reis danda.

TOrtura eſt medium probativum delicti negati à Reo, ſemiplenè ſaltem probati, quandò deſunt teſtes, per quos poſſit probari delictum denuntiati. Reſolvuntur in ſequentibus difficultates.

Quæres igitùr primò, an, nullis præcedentibus indiciis, denuntiatus torqueri poſſit per ſolum dictum denuntiantis?

1 R. Negativè, quia, ut dicitur *l. 2. ff. de quæſt.* à tormentis incipiendum non eſt. Ità *omnes cum Pegna part. 3. com. 110. verſ. Ad hæc priùs. Farin. qu. 185. nu. 127. Carena part. 3. tit. 10. num. 11. Guazin. defenſ. 30. cap. 4. nu. 3.*

Solus ergò denuntians non ſufficit, ut ſtatim deveniatur ad torturam, quia non dicitur indiciare, nec probare ut ſic, ſed tantùm quærelare; in aliis autem tribunalibus ab eo non devenitur ad torturam, ergò neque in hoc, in quo non rigorosè, ſed benignè Rei tractantur, quorum emendatio magis, quàm pœna optatur: Deindè à tormentis, ut dictum fuit, non eſt inchoandum, ut inciperetur, ſi ex dicto denuntiantis Reus torqueretur, & non à præmiſſis indiciis, & probationibus, ut dicitur in eadem lege. Prætereà denuntiatus per ſolam quærelam non vocatur, ut probavi caſu 51. numer. 4. multò minùs torturatur, quæ ſupponit citationem ad reſpondendum ad ea, quæ objecta ei fuerunt. Confirmatur, quia Sacra Congregatio, reſpondendo ad dubium, an ſollicitans denuntiatus ad dictum unius mulieris, ſit carcerandus, ait: *Per il detto d' una ſol donna V. S. non facci conſtituire, ò carcerare il preteſo Reo, ſenza darne quà prima aviſo, con le relationi della qualità della donna, del denontiante, e Reo denontiato.* Per hæc inſinuans, denuntiantem non debere Judicem monere ad torturandum Reum ſinè aliis teſtibus, à quibus diſtinguit denuntiantem.

Quæres 2. An tortura data, nullis præcedentibus indiciis, præjudicet torto confeſſo?

3 R. Negativè, licèt eam ratam habeat; eſt enim nulla, & invalida, ac proindè nullum pariens effectum contrà tortum. Ità *omnes cum Claro q. 64. §. Dixi etiam, Caſtillus deciſ. Sicul. 179. nu. 1. cum aliis Carena p. 3. tit. 10. num. 12.* nec ejus confeſſio illi præjudicare poteſt in futurum, novis ſupervenientibus indiciis, quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio nullo modo ſubſiſtit. Ità præcitati, quibus addo *Mirandam qu. 26. de ordine judic. art. 17. concl. 1. Dianam p. 4. tract. 6. reſol. §. Unde ex his, Farin. q. 83. num. 5.* etiam loquendo de hæretico, nullis præcedentibus indi-

ciis torto, & confeſſo.

Quæres 3. An torquendo danda ſit copia indiciorum?

4 R. Affirmativè, etiamſi non petatur; agitur enim de gravi damno inferendo, ideò debet illi conſtare ex notitia indiciorum, an legitimè torqueatur. Ità *omnes Genuenſ. cap. 68. num. 5. Souſa lib. 2. cap. 39. num. 22. Diana p. 4. tract. 6. reſol. 28. Miranda q. 26. n. 220. Carena p. 3. tit. 10. num. 159. Guazin. defenſ. 30. cap. 4. num. 16. Decian. lib. 5. cap. 35. numer. 16. Royas ſing. 207. Simanch. de cathol. inſtit. tit. 64. num. 26. Peyrin. in formul. litera R. cap. 9. num. 6. Navar. conſ. 8. de accuſat.* qui addunt, nomina teſtium non eſſe exprimenda in copia indiciorum.

Quæres 4. An debeat conſtare de corpore delicti, antequàm denuntiatus torqueatur?

5 R. Affirmativè, quandò probari poteſt in illis delictis, quæ veſtigium poſt ſe relinquunt. *Ità omnes cum Claro qu. 64. §. Debet autem, Carena part. 3. tit. 10. num. 156. Guazin. defenſ. 4. & 30. cap. 4. num. 2. Marius Ant. lib. 3. reſol. 44. num. 4. Farin. q. 38. num. 1.* Corpus delicti non quæritur in hæreſi, blaſphemia, & aliis, quæ tranſeunt, nullo ſui veſtigio relicto.

Quæres 5. Qualis probatio requiratur, ut Reus poſſit torqueri?

6 R. Requiritur ſemiplena probatio delicti, facta per indicium proximum, aut plura remota, quæ delictum proximè, & de vicino tangant, ut colligitur ex allegatis *à Guazino defenſ. 30. cap. 4. num. 3. cum Rodriquez tom. 2. qu. 20. art. 2. cum ſuo compend. reſol. 45. n. 2. Royas p. 2. nu. 28. Souſa lib. 2. cap. 39. nu. 7. Farin. q. 37. Miranda q. 26. n. 59. Pitigian. 2. de ſubſt. 2. cap. 6. §. Primò. fol. 197.*

Quæres 6. An tortura ſit in ſubſidium probationum, quæ deſunt?

7 R. Affirmativè; non enim torquetur Reus, quandò aliunde delictum adæquatè, & plenè probari poteſt per teſtes, ſed ſolùm cum deficiant teſtes, undè tortura dicitur dari in ſubſidium, & defectum probationum, quandò haberi non poſſunt. *Ità Clarus q. 64. verſ. debet etiam, Farin. q. 38. num. 4. Miranda q. 26. nu. 24. cum aliis Guaz. defenſ. 30. cap. 2. n. 3.* ſolùm ergò torquetur, quandò delictum nondùm plenè probatum, Reus negat.

Quæres 7. An ex unico Teſte poſſit torturari Reus?

8 R. Affirmativè, quandò is eſt omni exceptione major, nam facit ſemiplenam probationem ſufficientem ad torturam, ex qu. 5. *Ità omnes cum Royas p. 2. nu. 281. Pegna p. 3. com. 110. Carena p. 3. tit. 10. n. 39. Souſa lib. 2. cap. 39. nu. 17. Guaz. defenſ. 30. n. 2.* Qui omnes dicunt, eum non debere pati aliquam exceptionem, & deponere contrà Reum ex proprio viſu, & auditu, ut dicatur ſufficiens ad torturam, ex allegatis à Guazino num. 6.

Quæres 8. An talis teſtis omni exceptione major, faciat indicium ad torturam contrà Reum,

9 aliàs bonæ famæ? Affirmavi alibi, quia, poſita quærela, non ampliùs dicitur bonæ famæ, quia gravatur ejus opinio, *Gloſ. vel nuntiantur cap. 4. de accuſat.* Tamen communis eſt negativa, niſi dictum ejus adminiculetur. *Ità Simanch. de cathol. tit. 52 n. 13. Pegna*

*gna p. 3. com. 110. Sanch. in opuſcul. tom. 2. lib. 6. cap. 3. n. 3. dub. 15. Joſeph à S. Maria in Tribunali Relig. tract. 5. cap. 2. §. 5. Decian. lib. 5. cap. 36. num. 6. Sanctar. de hæreſi cap. 41. dub. 1. quos pro ſe citat Diana p. 4. tract. 6. §. Sed quid, Carena p. 3. tit. 10. n. 32.*

Quæres 9. An unus teſtis patiens aliquem defectum cum adminiculo, ſufficiat ad torturam?

10 R. Patiens plures defectus non facit ad torturam, utique unicum patiens defectum corroboratus adminiculo, ſed non contrà Reũ bonæ famæ.

Primum de patiente plures defectus patet, quia ſi non ſufficit teſtis unum patiens defectum, ut mox probabo, conſtat q. 7. multò minùs ſufficiet, ſi plures patiatur. *Ità Natta vol. 2. conſ. 354. nu. 6 Honded. vol. 2. conſ. 93. n. 82. Farin. q. 37. n. 64. cum multis aliis Guazin. defenſ. 30. cap. 30. n. 4.*

Secundum, quòd teſtis unicum patiens defectum cum adminiculo, ſufficiat ad torturam, probatur, quia per adminiculum tollitur ille unicus deffectus *Ità man. conſ. 451. num. 4. Farin. q. 37. nam. 5. Menoch. lib. 1. de præſumpt. q. 89. numer. 11. Caſonus de indic. tract. 10. cap. 1. ex illis Guazin. defenſ. 30. cap. 30. num.* 8. dixi non facere contra reum bonæ famæ, cohærenter ad dicta ſub quæſt. 8. ſi enim nullum patiens defectum non ſufficit, multò minus defectuoſus.

Quæres 10. An duo teſtes inhabiles ſufficiant ad torturam?

1 R. Duo Teſtes inhabiles de viſu, aut auditu propriis, unicum patientes defectum, ſufficiunt ad torturam, quia faciunt ſemiplenam probationem, ac ſi eſſet unicus omni exceptione major. Confirmatur, quia ſi unus cum adminiculo ſufficit ex probatis q. 9. à fortiori duo licèt inhabiles, quia fortior eſt probatio per teſtes, quàm per indicia. *Ità Caſtropal. par. 1. tract. 4. diſp. 8. p. 15. §. 4. num. 1. apud Dianam p. 4. tract. 6. reſol. 11. §. Nota quartò, & tract. 8. reſol 5. 7. § Dico quarto, ubi citat. Farin. q. 188 n. 83. Maſcard. concl. 857. n. 38. Januarius Neapol. reſol. 47. de caſib reſerv. num. 28. Vericell. tract. 8. quæſt. 44. numer. 59.*

Quæres 11. An ex dicto unius teſtis unicum patientis defectum, ſine aliquo adminiculo, torqueri poſſit Reus malæ famæ?

12 R. Affirmativè, quia ſi iſte adminiculatus ſufficit contra Reum bonæ famæ, ergò ſinè adminiculo ſufficiet contra Reum malæ famæ, ubi minor probatio ſufficit. *Ità Bajard. ad q. 21. Clar. num. 15. Menoch. lib. 1. de præſumpt. q. 89. num. 6 ex illis Diana p. 4. tract. 6. reſol. 6. §. Undè è contra.*

Quæres 12. An ex teſtimonio unius, vel plurium ſociorum, ſocius denuntiatus torqueri poſſit.

13 R. Dictum unius ſocii per ſe ſine adminiculo non probat ad torturam, utique ſi ſunt duo etiam ſine adminiculis.

Primum, quòd dictum unius ſocii ſine aliquo adminiculo aliquo non probat ad torturam, conſtat, quia patitur exceptionem ſocietatis, & ſe reddit infamem in delicto confeſſo. Ità decem ſeptem Doctores, quos pro ſe citat *Diana p. 4. tract. 6. reſol. 7. & 9. alios ego citavi caſu præcedenti num. 77. idem Diana reſol. 9. ex Farinac. quæſt. 37. num. 18. de adminiculis.*

Secun-

Secundum, de duobus adminus ſocii probantibus ad torturam, probatur ex dictis q. 10. quia ambo uniti faciunt ſemiplenam probationem, modo alios non patiantur deffectus, *ex Menoch. lib. 1. q. 89. num. 74. Ant. Gomez. 3. Variar. cap. 12. num. 15. Farin. q. 43. num. 178. ex illis Souſa lib. 2. cap. 25. num. 25. Clarius Diana reſol. 7. de tortura §. notandum.*

Adminicula autem ſunt unus teſtis, fama, fuga, ſtricta amicitia cum ſocio, converſatio cum altero ſocio &c. *ex Farin. à nnm. 163. Souſa num. 24.*

Quæres 13. An hi duo teſtes debeant eſſe conteſtes in loco, & tempore, ut probent ad torturam?

14 R. Sufficit, quòd ſint conteſtes quo ad ſubſtantiam delicti, licèt non ſint convenientes tempore, & loco, ac proindè videantur deponere de pluribus delictis ejuſdem ſpeciei, ſed numero diverſis. *Ità Maſcard. concl. 856. num 22. Pegna p. 3. com. 121. §. Quia verò. Farin. q 64. num. 219. Pariſ. lib. 4. conſ. 2. num. 2. Gomez. Variar. cap. 13. num. 7. ex illis Vericellus tract. 8. q. 44. num. 18.* de eodem duplici numero teſtium ſingularium idem *Vericellus numer. 59.*

Quæres 14. De indiciis, quomodò ſufficiant ad torturam? Præmitto ex præcedenti caſu 53. initio, duplex eſſe indicium, proximum, & remotum, de proximo, qualis eſt teſtis de viſu, & auditu proprio, quibus deponunt de crimine ex propria ſcientia, dictum eſt in præcedentibus quæſitis hic, an, & quandò probet ad torturam. Aliud remotum, de quo mox dicendum juxtà ibidem tradita. Dicitur remotum, quia delictum immeditè non tangit, ſed ejus circunſtantias, vel remotiones, ut fama, fuga, conſanguinitas, inimicitia &c. vel proximiores delicto, ut converſatio ſolius cum ſola in lecto, repertus cum gladio ſanguine aſperſo apud occiſum, &c.

15 R. Unicum indicium ex circunſtantia proxima, ſufficit ad torturam, plura verò ad minus duo requiruntur ex circunſtantiis remotis; & debent ejuſmodi indicia eſſe legitimè probata, & ſufficiunt teſtes etiam ſingulares, plures non patientes exceptiones.

Primum de inditio etiam unico ex circunſtantia proxima, probatur, quia æquivalet teſti omni exceptione majori probanti ad torturam ex q. 7. nam pro indubitato habetur, & ità movet animum Judicis, ut non poſſit contrarium credere, cum approximetur delicto ex allatis præced. caſu initio. *Ità Farin. q. 37. num. 46. Guazin. defenſ. 30. cap. 4. num. 12. Carena p. 3. tit. 10. num. 16. de Angelis cap. 12. n. 10.*

Secundum, de pluralitate indiciorum ex circunſtantiis remotis probatur, quia uti remotiora quoque ſunt, & debiliora ad probandum; ergò uniri debent, ut ſe ad invicem coadjuvent. De duobus indiciis, *Miranda quæſt. 26. art. 4. concl. 4. Farin. q. 37. nu. 43. ex illis Diana p. 4. tract. 6. reſol. 4. §. Reum, Guazin. defenſ. 32. cap. 4. n. 12.*

Tertium, quòd debeant eſſe legitimè probata, conſtat ex eo, quin tormenta certa ex incertis, & non probatis inferri non poſſunt, & ità tenent omnes cum *Claro q. 22. Farin. q. 37. à num. 13. Caſtropal. part. 1. tract. 4. diſp. 8.*

*part.*

*part. 9. num. 2. ex Carena p. 3. tit. 10. n. 21.*

Legitima autem probatio indiciorum pro tortura ſit per duos teſtes, licèt non ſint omni exceptione majores. Ratio eſt, quia duo teſtes defectum patientes, faciunt ſemiplenam probationem, quæ ſufficit ad inducendam torturam ex dictis *q.* 10 *&* 12. ergò & in caſu præſenti. *Ità Royas p. 2. num. 289. Roland. à Valle lib. 1. conſ. 24. num. 25. Bartazol. vol. 2. conſ. 341. num. 10. Brunus de Indic. & tortura p. 1. q. 2. num. 7. cum aliis Diana p. 4. tract. 6. reſol. 3. S. Nota.*

Contrarium, quòd neceſſarii ſint teſtes omni exceptione majores, ſuſtinent multi plures, quos contra ſe citat *Diana præcitatus, & Carena p. 3. tit. 10. nu. 22. cum Farin. qu. 37. à num 13. Guazin. defenſ. 30. cap. 31. num. 3.* Ratio eſt, quia cum tortura ſit res graviſſimi præjudicii non ſunt laxandæ habenæ. Confirmatur, quia in dubio Judex judicare debet, non eſſe locum torturæ, ex allegatis ibi, *Caballo caſu 200. num. 145. Cyriaco controv. 106. num. 55. cum Boſſio de indic. & tortura nu. 72. Guazin. defenſ. 29. capit. 2. numer. 4.*

℟. Habenas non relaxari, ſed ſervari æqualitatem, & propenſionem in probationibus, nam ſequeretur, quòd æqualis probatio eſſet in probatione ad condemnationem, & ad torturam: imò, quòd exactior eſſet, & major probatio ad torturam, quàm ad condemnationem, ſi ad hanc peterentur quatuor teſtes omni exceptione majores, in probandis duobus indiciis, qui non ſunt neceſſarii ad condemnationem, ad quam ſufficiunt quatuor inhabiles, ut probavi caſu 39. num. 34. à quibus non recedit ipſe *Carena p. 3. tit. 5. num. 77.* Ad confirmationem dico; verum eſſe, in dubio neminem eſſe ſubiiciendum torturæ, ut probo infra *ſub q. 22. n 29.* Sed hìc non dubitamur, verùm opinamur, in quo locum habet tortura, ut probo infra *ſub q. 65.*

Quartum, quòd ſufficiant teſtes ſingulares in ſubſtantia rei concordantes, licèt diverſi in loco, & tempore, quando non eſt ſermo de uno numero indicio, ſeu delicto, ſuſtinent plerique cum Vericello, dum *tract 8. q. 44. ſect. 12. num. 58.* ait, iſtas ſufficere ad condemnationem ordinariam in cauſa hæreſis, à fortiori ad torturam, quæ minorem probationem petit. *Vide Dianam p. 4. tract. 9. reſol. 5. & tract. 8. reſol 123. Carenam p. 3. tit. 10. num. 25.* tenentem oppoſitum.

Quæres 15. An unus teſtis fide dignus, nullam patiens exceptionem, ſufficiat ad probandum indicium?

17 ℟. Utique ad probandum indicium proximum, non autem remotum; Primum probatur, quia in tali caſu æquivalet uni teſti de propria ſcientia delicti, qui facit ad torturam, juxtà dicta q. 7. *Farin. citandus cum Maſcardo.*

Secundum probatur, quia cum indicia remota longè abſint à delicto, major videtur neceſſaria probatio, ideò uni tantùm non eſt credendum in ordine ad torturam; *Farin. q. 37. num. 14. & 16.* probat, quòd unus teſtis non probat indicium remotum licèt ſit major omni exceptione, *Maſcardus concl. 462. num. 18. & 19. quos citat Diana p. 4. tract. 6. reſol.*

3. *ſed*

3. *ſed Guazin. defenſ.* 30. *cap.* 31. de communi reſpectu cujuslibet indicii petit duos teſtes.

Quæres 16. An Confeſſio extrajudicialis ſufficiat ad torturam?

18 R. Affirmativè, juxtà dicta caſu 52. Ità præter ibi citatos *Pegna p.* 3. *com.* 110. *Simanch. in Enchir. tit.* 56. *num.* 14. *Sanchez. tom.* 2. *opuſcul. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 8. *Miranda q.* 26. *art.* 7. *Rodriq. in ſumma cap.* 162. *tom.* 2. *cum aliis Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 12. quia non eſt veriſimile, aliquem ſibi falſo imponere crimen velle.

Quæres 17. An fama faciat indicium ad torturam?

19 R. Fama de ſe ſola ſine adminiculis non probat ad torturam; ut probavi caſu 53. à numer. 32. ad 42.

Numquid fama vehemens ſola ſufficiat ad torturam?

20 R. Affirmativè, ſi ortum habuit à perſonis fide dignis, & ab aliqua veriſimili cauſa, & conjectura. Ità *Farin. q.* 47. *nu.* 28. *Miranda q.* 26. *art.* 5. *concl.* 1. *Menoch. conſ.* 788. *num.* 27. *Pegna p.* 3. *com.* 110. *cum aliis Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 13. In contrarium ſunt alii, quos citavi præced. caſu 53. num. 38.

Quæres 18. An fuga indicet torturam?

21 R. Affirmativè, ſi ſit facta antè denuntiationem, vel ex carcere, ut probavi caſu 53. num. 68. ubi citavi Doctores, quibus adde *Simanch. de Catbol. tit.* 65. *nu.* 28. *& Dianam p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 14. De exitu è carcere, *ibidem cum Souſa lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 34. *Farin. q.* 30. *num.* 85.

Quæres 19. An vacillatio, & mend aciumdenuntiati, faciant indicium ad torturam?

22 R. Sola vacillatio ſinè adminiculis, non facit indicium ad torturam, utique verò mendacium circà principale; quia illud eſt leve indicium, hoc verò grave, urgens Judicem ad credendum perpetraſſe delictum. De primò *Guazin. defenſ.* 19. *cap.* 2. *n.* 9. *Souſa lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 80. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 164. *cum aliis Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 15. De ſecundò plures citat *Giurba conſ. crim.* 87. *num.* 27. *apud eundem Dianam.* contrà plures ibidem citatos.

Quæres 20. An actus prodigioſus inducat torturam? v. g. occiſus manens elevavit jam defunctus coram populo brachium ſuam dexteram, & digito notavit omnia vulnera, è quibus ſtatim exivit ſanguis, & monſtravit ſubſequenter Reum occiſorem præſentem, qui antecedentèr ad hæc in publica platea exclamaverat, quòd Deus faceret miraculum, ſi erat Reus illius homicidii. Id refert *Serſe deciſ. Aragon.* 111. *vol.* 1.

23 R. Talis actus de ſe non inducit indiciũ torturæ, quia uti prodigioſus potuit eſſe à Dœmone; adjunctis adminiculis facit ad torturam, quale fuit exclamatio coram populo, & murmur, quòd erat contra illum. *Ità Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 183. *qui par.* 2. *tit.* 12. *à num.* 186. Quærit, an Sanguis exiens ab occiſo violenter, faciat indicium contra mandantem, & mandatarium præſentes.

24 R. Negativè, ſub numer. 189. Tùm quia cauſa eſt nobis ignota, ac proindè indicium æquivocum. Tùm quia cauſari poteſt à Diabolo ad decipiendum, ut in-

nocens

nocens pereat prò nocente. Tùm quia hoc indicium nullo jure probatur. Et ibi allegat plures Doctores pro ſe. *Vericellus tract. 1. q. 22. ſect. 5. num. 28.*

Sanguinem exire ex vulneribus occiſorum docet Ariſt. ſect. 7. Problemate 6. Id autem accidere poteſt non ſolùm poſt plures horas à puncto occiſionis, ſed etiam poſt biduum, imò poſt octo dies, *ut refert Franciſcus Caſonus de malefic. cap. 3. de Sanguine profluente. Paponius in Areſt. Fravc. l. 24. tit. 9. Theſaurus Gen. deciſ. Pedem 164. num. 4. Vericell. tract. 1. qu. 22.* per multas ſectiones rem hanc fusè tractat. Cauſam hujus fluxus ſanguinis, Ariſt. refert in Anthipatiam, qualitatem, & motum quendam ab occiſore impreſſum occiſo, ex vi imaginationis, & furiæ. Alii volunt eſſe judicium Dei occultum ex illo Pſal. 78. *Et innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt.* Hic textus non facit ad rem hanc; ibi enim eſt ſermo de vindicta, quam Dominus facit contrà eos, qui ſervos ſuos martyrio afficiunt. Emanat ergò ſanguis à cadavere ex quadam occulta virtute, ac proindè à cauſa omninò nobis ignota, & inſufficiente de ſe ad torturam.

Quidam ajunt, hujuſmodi ſanguinis fluxionem eſſe omninò naturalem, quod probant ex Sacra Scriptura; nam Geneſ. 4. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Fluxio ſanguinis indicium fuit contrà Cain, quòd occiderat Abel fratrem ſuum, & ſæpè in ſacris literis, ſanguis gerit vicem teſtis contrà interfectores. Undè in Ezechiel. 24. 7. dicitur: *Sanguis ejus in medio ejus eſt, ſuper limpidiſſimam petram effudit illum ſuper terram, ut poſſit operiri pulvere. Hoc eſt, interfectus ſanguinem emittet ſuprà petram, in qua non poteſt abſcondi, ſicut cadens in pulverem, ut ſit in teſtimonium contra interfectorem* Machab. 2. capit. 83. dicitur *Et vocem Sanguinis ad ſe clamantem audiret*, Judas Machabeus orationem ſuam dirrigebat ad Deum, ut vox Sanguinis interfectorum clamaret uti teſtis contra perſecutores populi Judaici. Itaque concludi poteſt, quòd ſanguinis emanatio defuncti proclamat, & indicat ex natura Rei interfectorem præſentem cadaveri hominis à ſe occiſi, ſed cum id ſit nobis ignotum, non ſufficit ad torturam, ut dictum eſt.

27 Hac occaſione à Religioſo mei ordinis Sacerdote F. Joanne de Bernardis teſte oculari in patria ſua Urbiſaglia diœceſis Maceratæ ſequens exemplum accepi. Quidam occidit alium in campo ubi nullus erat, præter fratrem interfectoris, quia non fuit conſentiens morti ejus, ambo fratres ſepelierunt ibidem cadaver defuncti. Canis diſcooperuit terra occiſum, & re delata ad judicem, cui cum ignotus omnino eſſet occiſor, cadavere viſitato, circumvicinos mandavit carceribus mancipari, ut ex eorum examine poſſet devenire in cognitionem interfectoris, quod fruſtra evenit, quia nullus eorum confeſſus fuit homicidium, quamvis in carceribus eſſent illi duo fratres. Undè judex conſilio inito, decrevit, ut omnes carcerati conducerentur ſingillatim coram cadavere triduano, aut quatriduano, cum au-

tem conductus fuiſſet malefactor antea incognitus, ſtatim cadaver coram ipſo cæpit ſanguinem ex vulneribus emittere, quem tamen non effudit coram alio fratre, qui non fuerat particeps homicidii, ſed tantum ſocius in defunctum occiſum ſepeliendo. Ex hoc indicio, & confeſſione ſui fratris tortus, & confeſſus, ultimo ſupplicio peremptus fuit, initium ergò indicii inchoatum fuit ab ea ſanguinis emanatione, & tortum ab eadem, & confeſſione alterius.

Quæres 21. An tortus ſupervenientibus novis indiciis aliis à præcedentibus, iterum torqueri poſſit.

28 R. Poteſt, modo ſupervenienția indicia ſint diverſa in ſpecie, & ſubſtantia à prioribus, & de ſe ſufficientia ad inferendam torturam. Ità *Pegna par. 3. com. 39. num. 156. Locatus V. Tortura verſ. Et nota. Boſſius de Tortura num. 24. Diana p. 4. tract. 6. reſol. 16. Farin. q. 38. num. 79. cum aliis Carena p. 3 tit. 10. num. 148.* Ante torturam Reo, danda ſunt indicia, ſicut in prima tortura, juxtà dicta ſub q. 1. Ità *Pegna p. 3. com. 54. Carthbarius de interrogat. Reor. lib. 4. cap. 1. num. 198. & 199. ex illis Diana §. Notandum.* Non eſt autem neceſſe, quòd nova indicia ſint fortiora veteribus *ut docent allegati à Diana §. ſed ego, Carena num. 153.*

Quæres 22. An in dubio ſit locus torturæ?

29 R. Negativè, quia in dubiis magis favendum eſt Reo, quàm Actori Reg. 11. in 6. Confirmatur, quia incerta, & dubia non judicantur cap. nomen Præsbyteri 2. q. 1. ſed ante torturam debet judicium ferri, & decretum ſententiæ interlocutoriæ de tortura; ergo judex debet eſſe certus, quòd Reus mæretur torturam, & non dubitare de illa. Ità *Caballus caſu 200. num. 145. Cyriacus controv 106. num 55. Boſſius de indic. & tortura num. 72. Guazin. defenſ. 29. cap. 2. numer. 4. ex illis Carena p. 3. tit. 10. num. 24.* Utique cum res eſt ſub opinione, ut dico infra q. 65.

Quæres 23. An legitimè convictus poſſit torqueri? Poteſt intelligi quæſtio, an torqueri poſſit ſuper delicto victo non confeſſo, an ſuper intentione prava cauſata ex delicto certo. De primo eſt ſermo, de ſecundo dicam infra.

30 R. Poteſt in aliquo graviſſimo delicto ad eum finem ne appellet à ſententia, ſi ſit ſpes, quòd per torturam confiteatur delictum, quia victus, & confeſſus non appellat, l. 2. C. quorum appellatio eſt doctrina *Baldi in l. Obſervare C. de eod. & l. 1. C. de juram. Calumn. n. 9.* Alias abſtinendum eſt, ne judex ſit Carnifex, qui debet eſſe ſolius veritatis indagator per legitimos teſtes, quam habet, undè uti certus adhuc certiorandus non eſt maxime per torturam, quæ datur ſolum in ſubſidium probationum; ut dictum fuit ſupra initio Caſus. Quæ cum habeantur, iniqua videtur torturatio. Ità *Farin. quæſt. 38. numer. 4. quæſt. 40. numer. 3. Miranda quæſt. 26. numer. 23. & ſeq.*

Quæres 24. An detur Appellatio à Tortura?

31 R. Datur, & quando eſt legitima, & non frivola admittenda eſt, & Reus cautè tranſmittendus eſt, & conſignandus

ſupre-

ſupremo Tribunali. Appellationem locum habere in tortura, colligitur ex l. 2. C. de appellat. notum enim eſt, torturam eſſe graviſſimam pœnam, ideò ad eam evitandam, quandò injuſta eſt, noq præcedentibus ſcilicèt graviſſimis indicis, Reus uti poteſt beneficio appellationis. Ità omnes cum *Simanch. de cathol. tit.* 65. *nu.* 2. *Pegna p.* 3. *com.* 31. *Souſa lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 6. *Farin. q.* 38. *num.* 27. *Miranda qu.* 26. *num.* 249. *cum aliis Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 20. *Carena p.* 1. *tit.* 1. *nu.* 122. *& p.* 3. *tit.* 14. *num.* 4. Frivola appellatio eſt illa, contrà quam conſtat adeſſe ſufficientia indicia ad ſubjiciendum Reum torturæ, ut docent præcitati *cum Rodriq. tom.* 2. *q.* 53. *art.* 10.

An admiſſa appellatio impediat Judicem, ne procedat contrà appellantem denuntiatum ſuper alio delicto? ℟. Non, quia nondùm actum eſt de gravamine, ſinè quo appellatio non ſubſiſtit, *cap. Cum ſit* 3. *cap. Ut debitus* 59. *cap. Cum ſpeciali* 61. §. *Porrò de appel. lat.* Ergò per eam non impeditur Judex procedere contrà eundem reſpectu alterius delicti. *Ità Souſa lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 11. *ex Pegna, Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 7. *n.* 7. *ex illis Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 20. §. *Nota ſecundò.*

Quæres 25. Quot vicibus repeti poteſt tortura reſpectu ejuſdem delicti.

2 ℟. Ultrà tertiam vicem quis non eſt torquendus pro eodem delicto, ne fiat de Judice Carnifex. Quare ſi Reus in tortura confeſſus, in ratificatione neget, ſecundò torquetur, & ſi confeſſus iterùm recantet, tertiò torqueatur, & non ultrà. *Ità Paz. tom.* 1. *ſuæ praxis p.* 5. *cap.* 22. §. 12. *num.* 18. *Boſſius de tort. num.* 43. *ex eis Miranda quæſt.* 26. *numer.* 298. *Compend. Rodriq. reſolut.* 45. *numer.* 9. *Delrius lib.* 5. *in Append.* 2. *quæſt.* 31. *&* 32. *Farin. quæſt.* 38. *numer.* 106. *cum aliis Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 134. *Diana cum multis aliis tenet oppoſitum p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 22. indicia prioris confeſſionis per pœnam ſecundæ torturæ ſatis purgata ſunt, Dic, quòd non, quia in hoc Tribunali leviter datur tortura refertus ex eodem Delrio, quòd ea infligenda eſt non eodem die, ſed tribus diſtinctis diebus, & ſi perſona ſit multùm debilis, non iteratur *Peregrin. conſ.* 2. *duob.* 26. *vol.* 2. Neque in die febris tertianæ, aut quartanæ danda eſt, *Giurba conſ.* 8. *num.* 4. *&* 28. addens debere eſſe levem, & ſine ſquaſ. ſis. Nec dari poteſt niſi poſt decem horas à ſumpto cibo, & potu, *Clarus* 464. *reſſ. decreta torturæ Farin. q.* 28. *num.* 32. *Carena n.* 160.

Quæres 26. Ex pluribus torquendis, à quonam eſt incipiendum?

33 ℟. Ille priùs eſt torquendus, à quo faciliùs ſperatur veritas, ac proindè ab eo, qui timidior eſt, & minùs robuſtus, & ſic prior torquetur fœmina, quàm maſculus, priùs uxor, quàm maritus, priùs filius, quàm pater, priùs à minori, & viliori, quàm à majore, & non viliore. *Ità allegati à Carena p.* 3. *tit.* 10. *nu.* 162.

Quæres 27. An tortura purget, & tollat probationes etiam plenas?

34 ℟. Quamvis de jure non ſit torquendus Reus ſuper illo delicto, de quo legitimè fuit convictus, nihilominùs de facto tor-

tus, & non confeſſus, non evacuat probationes in totum, ſed tunc eſt locus pœnæ extraordinariæ, licèt ſit data cum clauſula abſque præjudicio probatorum.

Primum, quòd convictus non ſit torquendus, patet ex eo, quòd certus non ulteriùs certiorari oportet, cum tortura ſit in ſubſidium veritatis nondùm elicitæ. *Ità Clarus qu.* 64. *num.* 8. *Navar. cap.* 18. *nu.* 59. *ex illis Pitigianus in praxi* 2. *ſubſt. cap.* 6. §. *Tertiò, fol.* 198. *de Angelis cap.* 24. *numer.* 3. excepto caſu, de quo ſub quæſt. 23. hìc.

35 Secundum, de facto tortus, & non confeſſus, evadit pœnam ordinariam, non extraordinariam, probatur, quia tortura debet aliquid prodeſſe torto, cum ſit ſpecies probationis *ſecundùm Cravetam conſ.* 35. *num.* 20. & tenet locum teſtium, *ex Farin. conſ.* 6. *n.* 28. ergò debet aliquid operari, ac proindè mutare pœnam ordinariam in extraordinariam. *Ità Farin. q.* 40. *num.* 11. *Giurba conſ. crimin.* 42. *num.* 30. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 180.

Quæres 28. Quid operatur clauſula *abſque præjudicio probatorum*, ſeù *citrà præjudicium probatorum*?

36 R. Operatur, ut probationes non elidantur per torturam, & Fiſco præſervat jus ſuum contrà Reum, modò Reus non interrogetur ſuper delicto convincto, *ex allegatis à Carena p.* 3. *tit.* 10. *num.* 159. *& Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 32. Dixi, ſi interrogetur ſuper delicto convicto, quia tunc ea clauſula nihil prodeſt, uti proteſtatio contraria facto; ut ex *Carena num.* 180. *aliis allegatis docet Giurba conſ.* 42. *nu.* 9.

Quæres 29. An ſuſpectus de hæreſi torquendus ſit, non ſolùm ſuper delictum, à quo oritur ſuſpicio hæreſis, ſed etiam ſuper ipſa ſuſpicione? Præmitto tria ſpectari in delictis hujus Sancti Tribunalis. Primò delictum ipſum; Secundò ſuſpicio hæreſis, proveniens ex ipſo delicto ſecundùm præſumptionem hominis, vel juris; Tertiò uſus alicujus actus delictum inducentis, v. g. liber ſortilegiorũ inventus apud Reum, indicium eſt, quòd eo uſus fuerit, & fecerit ſortilegium. Quòd torturari poſſit ſuper delicto negato, nullus dubitat, & patet ex præcedentibus, maximè ſub qu. 6. ſuper uſu autem tunc torquetur, cum indicia urgent contrà indiciatum, ut probo infrà ſub qu 32. Reſtat agendum de tortura reſpectu ſuſpicionis, undè quæritur, an denuntiatus torquendus ſit ſuper intentione, ſi neget ſe habuiſſe malam intentionem, ſcilicèt hæreticalem, quæ præſumitur ex dicto, vel facto hæreticalibus.

37 R. Denuntiatus ſuper dicto, vel facto hæreticali negans pravam, & hæreticalem intentionem, torquendus eſt, ſi ſit vehementèr ſuſpectus de hæreſi, & convictus, vel confeſſus de delicto. 38

Probatur, quia, poſitis duobus prædictis, probatione ſcilicèt delicti, & vehementi ſuſpicione de hæreſi poſita, Judex præſumptionem non habet pro ſe validam, quòd ille, qui talia dixit, vel fecit, ſit hæreticus, non obſtante ejus negativa, quòd malè non ſenſerit, reſpondendo catholicè; undè Reum ſubjicere debet torturæ pro eruenda veritate hujus ſuſpicionis, quam contrà ipſum habet; nullum enim aliud medium

reperi-

reperitur præter hoc, ad deveniendum in cognitionem hujus delicti hæreſis, quod mente concipitur.

Et licèt juramento veritas in animo latens inquiratur ex allatis à Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 15. *n.* 8. non ideò tamen juramentum hìc adhibendum eſt, cum præferatur tortum in jis præſumptionibus, quæ ſunt juris, à quibus excluditur juramentum, *ex Bart. in l. inter omnes, §. Ratio, ff. de furt. Moditius §. lex eſt, dubit.* 71. *num.* 3. De tortura danda ſuper intentione omnes cum *Pegna p.* 3. *com.* 110. *§. Ad hæc, Farin. qu.* 179. *num.* 57. *Simanch. de cathol. tit.* 65. *num.* 52. *Genuenſ. cap.* 68. *nu.* 8. *Carena p.* 2. *tit.* 1. *num.* 103. *Diana part.* 7. *reſolut.* 34.

Certa ergò regula ſtatuitur, quòd ſuſpectus vehementèr de hæreſi, probato concludentèr delicto dicti, vel facti inferente hæreſim, torturandus eſt, & in hoc omnes conveniunt, ut videri poteſt apud præcitatos.

Sed dubitari poteſt, an ſuſtinens in tortura catholicam intentionem, abſolvendus ſit, an condemnandus?

38 R. Condemnandus eſt ad abjurandum de levi, vel vehementi, juxtà quod indiciatum fuit ex qualitate dicti, vel facti hæreticalis, & ad pœnam reſpicientem delictum, & ſuſpicionem hæreſis, quia ſuſpicio hæreſis ità eſt vehemens, ut per torturam, quæ in Sancto Officio levis eſt, purgari nequeat. *Ità Cardin. in Clem.* 1. *de uſur. Squitlacenſis de hæret. cap.* 31. *num.* 1. *Repertorium Inquiſit. verſ. An hæretico, & v. Tortura reſſ. ad notandum, Locatus qu.* 27. *Graff. lib.* 2. *deciſ. cap.* 5. *num.* 23. *cum Carena p.* 2. *tit.* 1. *nu.* 110. idem obſervatur contrà ſollicitantem, perſiſtentem in catholica intentione in tortura, nam adhuc punitur, *ex Genuenſ. cap.* 68. *num.* 8. *cum Carena p.* 2. *tit.* 6. *num.* 73. *Farin. qu.* 185. *nu.* 126. qui idem docent de reliquis delictis, qui & unica pœna pro delicto, & ejus ſuſpicione hæreſis condemnantur, ex eodem *Genuenſi num.* 8. *dicti cap.* 68.

Contrarium, quòd tortus perſiſtens in negativa, ſit abſolvendus, docet *Simanch. de cathol. tit.* 56. *n.* 18. *cum multis aliis, quos cit. trà ſe citat Carena p.* 2. *tit.* 1. *num.* 109. *cum quibus tranſit Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 9. *n.* 18.

Probant 1. Quia, actore non probante, Reus abſolvitur. Reſpondetur id procedere in delictis ſecundùm ſe ſpectatis, non in dependentibus fundatis in præſumptione, nam v. g. ſi non probatur homicidium, Reus abſolvitur, ſimilitèr ſi non probatur blaſphemia, utique Reus abſolvitur, ſi verò eſt de illa convictus, non obſtante tortura ſuper intentione, adhuc præſumitur de hæreſi ſuſpectus, quia tortura cum ſit levis, non poteſt in totum elidere præſumptionem legitimam. Prætereà tortura, & ſi ſit ſpecies probationis, ſequitur tamen conditionem probationis negativæ, quæ hìc videtur potiùs improbabilis, quàm probabilis, cum non poſſit coarctari, & recipere ſuam probabilitatem ſaltem adæquatam ad elidendam præſumptionem.

Probant 2. Quia non conſurgit duplex tribulatio, nec Deus bis idem punit. Reſpondetur, torturam non dari in pœnam,

ſed

ſed ad eruendam veritatem, & cum hìc duplex ſemper ſit delictum, nimirùm dictum, vel factum hæreticale, & indè conſequens hæreſis ſuſpicio, meritò debet reſpondere duplex tribulatio, & geminari pœna, quamquàm unica pœna, vel pluribus partialibus, idem delictum cum ſua ſuſpicione ſimul puniatur.

Probatur 3. Quia tortura per ſe efficax eſt ad tollendam quamlibet hæreſis ſuſpicionem, quamvis vehementem. Reſpondetur, quòd cum ſuſpicio ſit vehemens, & legitima, atque in re graviſſima, prout eſt hæreſis, non video ſufficiens motivum aſſerendi, torturam deſtruere totalitèr præſumptionem hæreſis, quæ ut plurimùm ſequitur ad dictum, & factum hæreticale, undè cum Judex habeat pro ſe præſumptionem fundatam in jure, ſeù in conjectura probabili, & urgente contrà Reum convictum, ſeù confeſſum, non invenio, quomodò tortura à mente Judicis poſſit removere hujuſmodi præſumptionem ſaltem totalitèr. Quòd ſi Judex in aliis delictis ſemiplenè probatis, movetur ex conſtantia perſiſtentis in negativa per torturam, ad abſolvendum Reum, & non in caſu noſtro, ea eſt differentia, quia tortura prævalet ſemiplenè probationi dependenti à dicto unius, vel ab indiciis legitimè probatis, cum illa dicatur quaſi plena probatio reſpectu probationum actoris; In caſu autem noſtro prævalere non poteſt, quia præſumptio hæreſis fundatur in delicto plenè probato, & ea eſt fundata in jure, ad eò quòd tortura prædictis duobus prævalere non poteſt, & ea omninò deſtruere.

39

Quæres 30. An dicta in præcedenti quæſtione de tortura danda ſuper intentione, locum habeant non ſolùm, quandò convictus, ſeù confeſſus eſt ſuſpectus vehementèr de hæreſi, verùm etiam quandò eſt ſuſpectus levitèr? Patet ex dictis, torturam habere locum in Reo vehementèr ſuſpecto, de levi mox dicam.

40 R. Reus convictus, ſeù confeſſus, remanens levitèr tantùm de hæreſi ſuſpectus, eſt torquendus. Probatur, quia ea ſuſpicio ſufficientèr, & adæquatè tollitur per abjurationem; ergò non eſt neceſſaria tortura ad eam auferendam. Confirmatur, quia ſuſpicio vehemens tollitur tortura ſimul, & abjuratione; ergò levis ſola abjuratione; ratio enim poſtulat, ut ſit aliqua differentia inter utrunque proportionata. *Ità Genuenſ. cap. 68. num. 8. Pegna p. 3. com. 39. verſ. Quare in hoc articulo, cum Carena p. 2. tit. 7. num. 66. §. Si verò loquamur*, dicentes, quòd ſi levitèr ſuſpectus de hæreſi torquetur, non eſt cogendus ad abjurandum, quia tortura eam purgavit, & deſtruxit.

Quæres 31. An ſuper intentione torqueantur convicti ſuper adoratione idoli, thurificatione, circunciſione paſſi &c.

41 R. Non torquentur, ſed ut hæretici negativi puniendi ſunt, niſi afferant excuſationem, ſe id feciſſe ob metum mortis. Ità intelligendum eſſe *Farin. q. 179. n. 60. docet Carena p. 2. tit. 1. n. 107. §. Modò. Diana p. 4. tract. 7. reſol. 34. qui §. Sed quid citat Torreblancam, & Caſtrumpalaum*, ſubdens, facientes ritus hæreticos eſſe relaxandos, tamquàm hæreticos negativos, omnes alitèr ſe excuſarent,

rent, dicentes, abſque intentione hæreticali eos feciſſe. Sed id abſolutè ſuſtineri non poteſt, quandò Reus adducit pro ſe rationabilem cauſam excludentem pravam intentionem, ut ſi probet, illos ritus feciſſe ad evitandam mortem comminatam; nam tunc torquetur ſuper intentione, & perſiſtens negativus non poteſt uti hæreticus negativus relaxari ut hæreticus formalis.

Quæres 32. An ſuſpectus de uſu ſortilegii ſit torquendus?

R. Si ſit vehementèr ſuſpectus,
42 quòd uſus fuerit ſortilegiis, ſinè dubio torquendus eſt, ut ex reſponſo ſupremi Tribunalis refert. *Genuenſ. cap.* 18. *num.* 12. *& ex eo Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 177. §. *Quinnimò*. Tunc autem dicitur Reus vehementèr ſuſpectus de uſu, quandò apud eum inventum fuit pentaculum, ſeù res, aut liber continens ſecreta ad ſortilegiandum, & erat illi proprio, atque diù apud ſe retinuit, & cuſtodivit, ſivè ſit manuſcriptus, ſivè impreſſus, quia ex hac retentione aliud argui non poteſt, niſi uſus illius, cum alius finis excogitari non poſſit præter uſum. Excuſari poterit ab hac vehementi ſuſpicione, ſi Reus neſciat legere, aut habeat apud ſe titulo cuſtodiæ, & cum ſinè lectura non contingat ſortilegium, evacuatur ſuſpicio per ignorantiam lectionis. Debet autem liber continere ſortilegia hæreticalia, qualia ſunt ea, quibus admiſcentur res ſacræ. Levitèr autem ſuſpectus juxtà mox dicta, non torquetur, quia eſt leve indicium inſufficiens ad tàm grave tormentum, ſicut non torquetur levitèr ſuſpectus de hæreſi, quòd majus eſt delictum. Quidquid dicat Zanardus apud præfatum Carenam *numer.* 179.

Quæres 33. An torquendus ſit ſuper intentione repertus cum libro hæretico, quandò Reus neſcit legere, aut liber in depoſitum, licèt ſciat legere, ſed ruditèr?

43 R. Inventus cum libris hæreticis damnatis tamquàm ſuis propriis vir doctus, niſi ſit hæres de recenti torquendus eſt ſuper intentione, quia per eam retentionem reddit ſe vehementèr ſuſpectum de hæreſi, quia alius finis retentionis excogitari non poteſt, niſi conſenſus, & amplexatio hæreſum, quòd procedit, quandò Reus eſt malæ famæ, & conditionis. *Ità Farin. qu.* 180. *num.* 8. *& 9. Albertin. q.* 28. *nu.* 25. *& 26. Caſtropal. cum Carena p.* 2. *tit.* 10. *nu.* 41. Reperti verò apud perſonam famæ bonæ, vel indoctam, vel neſcientem legere non faciunt indicium ad torturam, ſed cogendi ſunt abjurare tantùm de levi, quæ cum tollat omninò ſuſpicionem, non eſt locus torturæ, *ex eodem Carena nu.* 42. § *in caſu*. Si ſunt hæredis de recenti nullum faciunt indicium hæreſis, *ex eodem Carena n.* 27. quia præſumendum eſt eorum qualitatem ignorare, cum ipſe ſcientèr domum non introduxerit.

Dixi *cum libris hæreticis &c.* quia alii libri prohibiti non continentes hæreſes, ſed ex aliis motivis, quia ſunt maledici, aut habenas conſcientiæ nimis relaxant &c. non arguunt ſuſpicionem hæreſis, ut ſunt opera Marthæ, Pellizarii, Joannis Suarez, Bullarium Barboſæ, & ſimilia.

Quæres 34. Quænam perſonæ

ſubjici

ſubjici poſſunt, vel non poſſunt tormentis?

44 R. Quilibet torqueri poteſt, niſi prohibeatur à jure ratione qualitatis perſonæ ex privilegio exemptæ, vel ratione periculi propriæ vitæ, vel alienæ. De qua re vide *Carenam par.3. tit.* 10. *num.* 125.

Loquendo quoad noſtrum Sacrum Tribunal, nullus tueri ſe poteſt privilegio juris, quia jus ſicut nullum eximit in cauſa criminis læſæ majeſtatis humanæ, ità multò minùs quis eximitur à tortura reſpectu cauſarum ſanctæ Fidei. Ceſſant ergò omnia privilegia. *Ità Simanch. in Enchir. tit.* 52. *num.* 20. *Pegna par.* 3 *com.* 110. *verſ. His conſtitutis. Farin. de hæreſi q.* 185. *num.* 125. *cum aliis Carena p.* 3. *tit.* 10. *nu.* 136.

Quatuor genera perſonarum non poſſunt torqueri ratione periculi vitæ, Minor, Senex, Prægnans, & Energumenus.

Minor quatuordecim annis non torquetur, l. de minore ff. de quæ in crimine hæreſis proximè pubertati torturantur, ſecundùm *Canteram, & Caſtrumpal. part.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8 *p.* 9. *nu.* 14. *cum quibus eſt Carena p.* 3. *tit.* 10. *nu.* 140. propter rationem adductam, quia torquentur in crimine læſæ majeſtatis humanæ; ergò & Divinæ. Sed id mihi non placet, quia vel ut Rei, vel ut teſtes torquendi ſunt, in ratione teſtis, tormentis non ſubjiciuntur in hoc foro, ex probatis caſu 50.

Sed admittuntur cum ſuis exceptionibus omnes teſtes inhabiles. In ratione reatus, non ſunt torquendi, quia cum impuberes etiam proximi pubertati, ut pueri duodecim, aut tredecim annorum, & etiam quatuordecim completorum, in quo termino deſinit impubertas, ſunt teneræ ætatis, evidens periculum vitæ in illis eſt; ergò de jure naturæ dicuntur incapaces torturæ. Deindè non ità facilè præſumendum eſt in illis crimen hæreſis, cũ non ſint omninò perfecti quoad uſum rationis, reſpectu hujus criminis petentis pertinaciam, & electionem partis negativæ contrà affirmativam; ideò non ità exactè contrà illos procedendum eſt, cum poſſint minis tantùm terreri, in caſu, quo denuntiati eſſent, & eorum dicta in bonam partem trahenda ſunt, propter innatam in eis ignorantiam, quam nondùm benè evacuarunt. *Ità Pegna, Simanch. & Delrius cum Diana reſol.* 29.

Dices in l. de minore ff. de quæſtion. ſubdit textus: *Sed omnes omninò in majeſtatis crimine, quoad perſonas Principum attinet, ſi ad teſtimonium provocantur, cum res exigit, torquentur.* Propoſitio hæc eſt Univerſalis, & cum adverſativa *ſed*, quæ præcedentibus contrariatur in jure, & in facto, inquit *Carena eo num.* 40. *de qua Adverſativa Barb. dict.* 360. & de propoſitione univerſali, quæ comprehendit ea, quæ aliàs non comprehenderet, ſi eſſet indefinita; idem Barboſa *dict.* 241.

R. Quamvis textus iſte urgeat, & videatur loqui tantùm de jiſdem minoribus in crimine læſæ majeſtatis, tamen locum non habet de facto, licèt aliàs de jure extendi poſſet ad crimen læſæ majeſtatis Divinæ, quia in S. Officio uſus obtinuit, ne quis teſtis, quamvis inhabilis, torqueatur, ut dixi præcitato caſu 50. & docent

*Pegna*

*Pegna p. 3. com. 113. Simanch. tit. 64. num. 37. Royas p. 2. num. 153. Souſa lib. 2. cap. 13. num. 15. cum aliis Diana p. 4. tract. 6. reſol. 11. §. Verum, Riccius p. 2. deciſ. 268.* Si non torquentur inhabiles ex alio capite, nec pueri propter teneram ætatem, & ſi torqueantur, parum probant, cum nec eis juramentum ſuper veritate dicenda dari poſſit, quo ſolis excedentibus decimum quartum annum
45 defertur, *cap. Pueri 15. 22. qu. 5. Clavis Regia lib. 5. cap. 3 nu. 8. & 9. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. de juram. cap. 14. n. 5. Sanch. lib. 3. cap. 3. num. 5. & 6.*

46 Senes decrepiti non ſunt torquendi, ſed tantùm terrendi, ut perterrefiunt pueri. *Ità Farin. q. 41. num. 24. Guazin. defenſ. 20. cap. 12. num. 2. Diana par. 4. tract. 6. reſol. 29. ex illis Carena p. 3. tit. 10. nu. 142.* Senex autem dicitur homo in anno ſexagenario, ex allatis *à Sanchez lib. 7. diſp 32. n.* 17. in materia excuſationis à jejunio. Decrepitus autem dicitur ſenex extremæ ætatis, decrepitus quaſi à crepando, hoc eſt clamando, & conquerendo, juxtà illud Pſal. 89 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus octoginta anni, & ampliùs eorum, labor, & dolor.* Fortes ergò dicuntur decrepiti in anno ſeptuageſimo ſuæ ætatis, fortiores verò, & robuſtiores decrepitant in octogeſimo anno; ſed in illis, & in iſtis vita illorum, eſt labor, & dolor, ideò neuter hujus ætatis torquendus eſt, ſexagenarius verò levitèr videtur eſſe torquendus, cum dicatur eſſe vicinus decrepitæ ætati. Ità citati à Diana.

47 Prægnans mulier non poteſt torqueri, nec terreri, ob periculum partus, & propriæ vitæ, ut docet Clarus *q. 64. § Quæro modo, Carena p. 3. tit. 10 n. 144. Caſtropal. p. 1. tract. 4. diſp. 8. p. 9. num. 14. Diana p. 4. tract. 6. reſol. 29. § Dicendum* : Nec torqueri poteſt puerpera, niſi poſt quadrageſimum diem. *Ità Cantera qu. 10. de Reo num. 1. Brunus de indic. p. 2. q. 4. n. 2. alios citat Diana § Notandum.*

48 Energumenus ob periculum ne à Diabolo ſuffocetur non eſt torquendus. *Ità Carena p 3. tit. 10. n. 146. ex Ruginello pract. quæſt. cap. 38.*

Quæres 35. An infirmi ſint torquendi.

49 R. Negativè, eo tempore, quo actu ſunt infirmi, ob periculum vitæ, cujuſmodi ſunt laborantes morbo gallico, brachio debilitato, patientes crudationem venæ, aſmatici &c. *Ità Laderchia conſ. 184. Grammat. conſ. 40. Decianus reſp. 93. Guazin. defenſ. 30. cap. 16. num. 1. quos pro ſe citat Diana p. 4. tract. 6. reſol. 29. Verſ. Et tandem.*

Quæres 36. An Reus ſuper complicibus ſit torquendus?

50 R. Reus convictus, ſeù confeſſus de hæreſi, ſeù alio delicto, quod ſolet committi cum aliis, non ſolùm interrogatur, ſed etiam torquetur circà complices, quamvis nullum extet indicium ſuper illis, quia ex convictione, ſeù Rei confeſſione, Judex legitimam habet præſumptionem, quòd in delicto ſuo adhibuerit amicos, ſocios, &c. Undè Pius V. decrevit, omnes, & quoſcunque Reos confeſſos, & convictos de hereſi pro ulteriori veritate habenda, &

ſuper complicibus fore torquendos arbitrio Dominorum Judicum die 28. Julii 1569. refert Bariola in calce ſui operis. Flores Inquiſitorùm. *Carena p. 2. tit. 1. num. 116. Farinac. q. 185.* Procedit reſponſum, licèt non ſit probatum ſaltem ſemiplenè Reum habere ſocios, quia Decretum Pontificium ſuperiùs allatum loquitur abſolutè, & ſimplicitèr ſaltem hìc in Italia, ex eodem *Carena num. 117. & Diana p. 4. tract. 6. reſol. 27. §. Notandum eſt.* Locum quoque habet tortum, licèt hæreticus de ſe fateatur, contrà *Royas p. 2. num. 243. & 315.* ea ratione, qua inquit, veriſimile eſt, quòd de ſe confeſſus, alios revelaſſet, ſi habuiſſet complices. Sed hæc veriſimilitudo non ſubſiſtit, nec contrarium ſuadet Judici, undè cum Decretum Pii V. expreſsè dicat, Reos confeſſos, & convictos eſſe ſuper complicibus torquendos, evacuatur opinio dicti Royas. Quare *Farin. q. 185. num. 135.* elidit eam veriſimilitudinem, quia multi reperiuntur, qui magis curant tegere ſocios, quàm ſeipſos.

Reus quoque in crimine ſortilegii torquetur ſuper complicibus, ſicut hæreticus. *Ità Genuenſ. cap. 68. nu. 12. Carena p. 3. tit. 12. num. 221.*

Quæres 37. An confeſſio Rei emanata in tormentis, ſit poſtmodum ratificanda ad ſui valorem?

51 R. Neceſſariò ratificanda eſt poſt ſpatium 24. horarum à tortura, & extrà locum torturæ, relegendo ei ſuas depoſitiones. Ità omnes cum *Farin. q. 185. nu. 150. Pegna par. 3. com. 39. Souſa lib. 2. cap. 39. nu. 43. quos Diana refert p. 4. tract. 6. reſol. 22.* ampliantes tempus etiam ad tres dies pro ratificatione.

Quæres 38. An nolens ratificare confeſſionem factam in tortura, eam revocando, propter hoc ſit retorquendus?

52 R. Affirmativè, quia hujuſmodi mendax variatio, eſt ſufficiens indicium ad novam torturam. Ità omnes *cum Simanch. de cathol. tit. 65. num. 80. Boſſio num. 34. de tortura, Miranda q. 26. art. 18. concl. 1. Guazino defenſ. 30. cap. 36. num. 4. Leſſius lib. 2. cap. 29. num. 168. Becan. q. 10. de juſt. num. 18. cum aliis Diana p. 4. tract. reſol. 22.*

Quæres 39. An minori ratificanti confeſſionem ex tortura debeat eſſe præſens curator, ſicut & in aliis actibus?

53 R. Curator, debet ſolum intervenire cum defertur juramentum, cum ſit decretum torturæ, & cum ratificat confeſſionem, non autem cum interrogatur, nec dum torquetur. Ità multis citatis, *Guaz. defenſ. 32. cap. 32. num. 3. Genuenſis cap. 41.* ait non intervenire torturæ, quia hæc infertur ad indagandam veritatem, non ad ſolemnizandum judicium *Diana p. 4. tract. 6. reſol. 22. §. Notandum cum Villadiego in Politica cap. 3. nu. 330. Paulo Garzia in ordine proceſſ. in S. Officio fol. 30.* ait, requiri præſentiam curatoris, quando minor ratificat confeſſionem. Vide *Pegnam p. 3. com. 28. §. Hoc tamen. Souſam lib. 2. cap. 32. Farin. q. 81. à num. 352. Iterùm Diana reſol. 31.*

Quæres 40. An obſtinatus nolens reſpondere, propter hoc ſit torquendus?

54 R. Sic, quia judex ex ſemiplena probatione, jus habet ad interrogan-

rogandum, ergò Reum cogere poteſt ad reſpondendum. Ità omnes *cum Capicia deciſ.* 145. *Miranda quæſt.* 26. *art.* 4. *concl.* 5. *Locatus v. Tortura §. & ſcias etiam cum aliis Diana part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 34.

Quæres 41. An, & quomodo ſint torquendi clerici, & religioſi?

55 R. Eccleſiaſtici ſolum legitimè indiciati, ſicut & laici ſunt torquēdi nulla etiam præcedente infamia in hoc officio S. Inquiſitionis, majora autem debent eſſe indicia contra Eccleſiaſticos, quam contra laicos, & mitior debet eſſe tortura per laicum practicum danda.

56 Primum, quod nulla præcedente infamia torqueri poſſint, tradunt omnes, *cum* Pegna *p.* 3. *com.* 110. *Simancb. in cathol tit.* 65. *num.* 48. *Salcedo ad Piaz. cap.* 125. *lit. A. Miranda q.* 26. *num.* 189. *cum aliis Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 36. *Farin. vol.* 1. *conſ.* 38. *num.* 16. *cum aliis Carena p.* 2. *tract.* 1. *num.* 115. *Verſ. Abbas*, ubi vocatur verior hæc opinio contra alios ab illis citatos, quibus adde de Angelis *cap.* 22. *num.* 5.

57 Secundum quod, majora debent eſſe indicia, ſuadetur ex qualitate perſonarum, quæ ratione ſtatus cenſentur meliores, quam laici, ac proindè, quæ ſufficiunt vix pro laicis, eſſe inſufficientia pro clericis *Ità Simon. de Pretis vol.* 1. *conſ.* 36. *num.* 4. *Felicius p.* 2. *Allegat.* 143. *quos refert Carena p.* 2. *tit.* 1. *num.* 115. §. *Abbas Guazin. defenſ.* 30. *cap.* 10. *num.* 3. *Farin. quæſt.* 41. *num.* 9. *Miranda q.* 26. *num.* 189.

58 Tertium, quod ſint mitius torquendi, probatur ex bono nomine, quod reportant ex conditione ſui ſtatus, & propter honorem clericatus. *Ità prædicati cum Sousa lib.* 2. *cap.* 39. *num* 32. *Spathario tract.* 9. *cap.* 22. *à S. Juliano cap.* 8. *Adverſ.* 3. §. 3. *ex Rodriq. tom.* 2. *q.* 19. *art.* 1. *fine.*

59 Quartum, quod tortura Eccleſiaſticis ſit danda per laicum probatur, quia ligandi ſunt per perſonam, vilem expertem in officio, quod Eccleſiaſticis non competit, & hoc ad evitandum periculum diſturbationis, & debilitationis brachiorum, ob ineptam ligationem. Ità practicatur in noſtro Tribunali, & de hoc teſtatur *etiam Diana part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 36. §. *Nota etiam Ex Cantera etiam Carena part.* 2. *tit.* 1. *numer.* 114. §. *Adde Guazin. defenſ.* 30. *cap.* 10. *num.* 5. *Barboſ. cap. Univerſitatis* 24 *de ſent. excom. num.* 3. & hæc conſuetudo eſt univerſaliſſima in Italia, neque enim decens eſt, ut clericus fungatur officio birruarii.

Quæres 42. An, & quando ſtriga, ſeu ſaga torquenda eſt ex depoſitione aliarum ſagarum, quæ ſimul fuerunt in Conventu diabolico?

60 R. Saga denuntiata à duabus Sagis, quæ aſſerunt vidiſſe eam in conventu, non eſt torquenda per hujuſmodi depoſitionem, niſi adſint alia indicia adminiculantia. Ratio eſt, quia licèt in aliis caſibus duæ mulieres faciant indicium ad torturam, quando alios defectus non patiantur, tamen in caſu præſenti id præſtare non poſſunt; Tùm quia patiens plures defectus non probat ex dictis caſu 39. q. 11. ut hæ ſagæ, quæ præter defectum ſexus, ſunt ſociæ in crimine. Tùm quia hujuſ-

di depoſitio, quòd aliam viderit in conventu, eſt dubia, & incerta, quia dœmon ſæpè illudit ſagas, quas fingit ferre in conventum, dum tamen relinquit eas, ubi ſunt, putantes eſſe extra domum ſuam. Judex ergò non poteſt ab his depoſitionibus uti incertis, moveri prudenter ad torquendam perſonam denuntiatam Ità *ferè omnes cum Simanch. de catbol. tit. 37. de Lamiis tit. 14. Scaccia de judic. lib. 1. cap. 82. num. 10. Caſtropal. p. 1. tract. 4. diſp. 8. p. 16 §. V. numer. 2. Tanerus in 2.2. diſp. 4. quæſt. 5. dub. 2. Layman. lib 3. ſect. 3. tract. 6. cap. 15. num. 8. Carena p. 2. tit. 12. numer. 226. & 227. Diana p. 4. tract. 6. reſol. 30. Farin. q. 85. num. 151.*

Dixi niſi adminiculetur aliis indiciis, ut ſi dicat ſe vidiſſe eam volantem contra domum, vel ſe ungentem, & ſimilia feciſſe, ut ſe præpararet ad eundum in conventum, & cum ea acceſſiſſe illuc, ut docent Scaccia & Simanch. locis citatis.

Quæres 43. An dictum Dœmonis per os Energumeni faciat indicium ad torturam?

61 R. Non, quia indicia quærenda ſunt ab hominibus, vel conjicienda ex eorum dictis, aut factis, non autem à Diabolo, qui dicitur pater mendacii, quia non ſtetit in veritate, nec veritas eſt in eo, Joann. 8. 44. ergò mendax eſt, & pater mendacii, *S. Aug. tom. 9. tract. 42. num. 68. qui tom. 5. lib. 3. de civitate Dei cap. 7.* ait, Diabolum eſſe vigilantiſſimum ad decipiendum, in quo maxima fallendi cupiditas viget, *ex eodem lib. 4. de civit. cap. 31.* in nullo igitur ei credendum eſt, quia habet mille nocendi artes. *Ità Carena p. 2. tit. 12. num. 227. §. In quare ubi citat. Fabr. l. 9. tit. de malefic. & Homob. de caſib. reſerv. part. 2. cap. 2. fol. 272.* Ad hujus comprobationem facit Rituale Romanum tit. de exorcizandis obſeſſis à Dœmone, his verbis: *Denique innumerabiles ſunt artes & fraudes Diaboli, ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, exorciſta cautius eſſe debet.* Et infra ſubdit, ei in nullo eſſe credendum.

Quæres 45. An Inquiſitor ſine Epiſcopo, & is ſine illo, poſſit ſubiicere Reum torturæ?

62 R. Negativè, ſed ambo præſentes eſſe debent decreto torturæ, & ejus executioni, ſi autem neuter eorum nequeat, vel nobis perſonalitèr convenire, tunc poterit Epiſcopus, vel ejus Vicarius committere vices ſuas, aut per literas conſilium ſuum, & conſenſum præſtare Inquiſitori, & è contrà. Et ſi ſecùs præſumptum fuerit nullum ſit, & irritum ipſo jure. *Expreſsè Clem. 1. de hæret. De hac re Doctores refert hìc Barboſa, Diana p. 4. tract. 6. reſol. 17.*

Quæres 46. An Apoſtata à fide ſit torquendus, & quandò?

63 R. Eſt torquendus ſuper veritate, quandò perſiſtit in negativa, non convictus ſuper intentione paritèr eſt torquendus, ſiquidem Apoſtata eſt verè formalis hæreticus, quia totam fidem negat, licèt hæreticus prout diſtinguitur ab Apoſtata, dicitur negare unum, vel alterum articulum, non omnes, ac proindè differunt inter ſe ſecundùm magis, & minùs; extenſior enim eſt apoſtaſia, quàm hæreſis, non ideò differunt ſpecie, quia magis, & minùs non mutant ſpeciem. Ità *Sanch. lib. 2. cap. 7. num. 16. Riciul. lib. 6. cap. 4. num. 4. Suarez de fide diſp. 16. ſect. 3. Sanctar. cap. 2. Salelles lib. 1. Reg.*

1. *Reg.* 107. De tortura agit *Simanch. de cathol. tit.* 7. *numer.* 6. *ex eo Carena part.* 2. *tit.* 3. *numer.* 24. qui ait, dicta de tortura hæreticorum habere locum in Apoſtatis.

Quæres 47. An Schiſmatici ſint torquendi?

64 R. Schiſmaticus convictus, vel confeſſus, torquendus eſt ſuper intentione; nam ejus receſſus voluntarius, & pertinax ab obedientia univerſalis Eccleſiæ, vel Summi Pontificis, evidentèr arguit ſuſpicionem hæreſis, ut ait *Bonac. diſput.* 1. *Bullæ quæſt.* 3. *part.* 5. *numer.* 6. *Lupus ſuper Edicto Sancti Officii lib.* 11. *diſt.* 2. *artic.* 3. *cum aliis Carena part.* 2. *tit.* 3. *numer.* 35. Quare ſuper intentione interrogandi ſunt, an extrà Eccleſiam ſit ſalus, an Pontifici ſit parendum, an Eccleſia Catholica dividi poſſit in contraria dogmata &c. Si catholicè reſpondeant, cum non vacuent ſuſpicionem torquendi ſunt. *Ità Carena citat. numer.* 38. Pro qua re ſciendum eſt, quòd ſchiſmatici ſunt in duplici differentia; alii enim recedunt ab Eccleſia quo ad obedientiam ſolum, nullum habentes errorem in intellectu, moti malitia, obſtinatione, & ſuperbia. Alii verò recedunt, quia nolunt credere determinatis ab Eccleſia de fide. *ex S. Thoma* 2. 2. *quæſtion.* 39. *artic.* 1. *ad* 3. *ex eo Eymer. & Pegna part.* 2. *quæſtion.* 48. *numer.* 2. *Farinac. quæſtion.* 184. *numer.* 14. *Ricciull. lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 17. *ex illis Carena numer.* 32. Secundi generis Schiſmaticorum nata eſt hæreſis, primi verò ignota, & ideò tantum ſuſpecta, quamvis primi quandoque tegunt ſuam voluntatem pravam, quare utrique ſuper ea exiſtentes negativi ſunt torquendi.

Dices, Schiſmaticus primi generis non videtur torquendus, quia eſt ſuſpectus de hæreſi tantùm leviter, tales autem non torquentur ex probatis hìc *q.* 30.

65 R. Schiſmaticos etiam primi generis regularitèr eſſe ſuſpectos vehementèr de hæreſi, ideò torquendos; nam receſſus ab obedientia Univerſalis Eccleſiæ, ſeù à Papa rariſſimè contingit ſinè hæreſi, quandò non conſtat de receſſu ſub alio fine temporali, undè *Origenes in Ezechiel. Homil.* 9. dicit, ubi ſunt ſchiſmata, ibi eſſe hæreſes, & *D. Hieronym. relatus capit. Inter* 26. 24. *quæſt.* 3. ait, quòd nullum contingit ſchiſma ad hæreſim. De vehementi ſuſpicione *Simanch. de cathol. tit.* 58. *numer.* 8. *Menoch. lib.* 5 *præſumption.* 6. *numer.* 24. *Caſtropal. part.* 1. *tract.* 6. *diſput.* 4. *part.* 6. *numer.* 19 *ex illis Carena part.* 2. *tit.* 3 *numer.* 36. *Cardinal. de Lugo diſput.* 25. *de fide ſect.* 3. *num.* 43. *ex illis Vericell. de Apoſtol. Miſtion. q.* 186. *n.* 3.

Hoc verò eſſe levitèr ſuſpectos docent Direct. cum *Pegna part.* 2. *quæſt.* 48. *numer.* 3. *com.* 37. *Farinac. quæſt.* 184. *numer.* 35. *cum illis Souſa lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 13. *Lupus lib.* 11. *de Edicto diſt.* 2. *art.* 3. Sed noſtrum reſponſum eſt communiùs, & veriùs, ſed in his non eſt immorandum, quia ſchiſmata rarò accidunt; nam ſuperbi valdè timent potentiam inſuperabilem noſtris Eccleſiæ temporibus.

Quæ-

Quæres 48. An fautores hæreticorum ſint torquendi ſuper ſe, & complicibus?

66 R. Levitèr ſuſpectus de fautoria, eo quod indicia hoc delictum perſuadentia, ſunt debilia, & inſufficientia, non torquetur, ſicut nec ſuſpectus levitèr de hæreſi ex fautoria; ſi verò ſit ſuſpectus vehementèr de hæreſi, & complicibus ſuper his torquetur exiſtens negativus non convictus, non confeſſus.

Primum de levi ſuſpicione fautoriæ patet ex dictis *q.* 6. *&* 7. indicia enim debent urgere, ut Reus ſubjiciatur torturæ, ex allegatis à *Carena p.* 2. *tit.* 7. *num.* 63. *§. Moventur, juncto n.* 66. *§. Quia aliud.*

Secundum, quod non ſit torturandus fautor ſuper intentione, quandò eſt ſuſpectus levitèr, probatur ex dictis ſub *q.* 30. & ità intelligendus eſt *Carena p.* 2. *tit.* 4. *num.* 87. ſi comparetur cum dictis ab ipſo loco præcitato.

Tertium, quòd torqueatur ſuper intentione, quandò eſt ſuſpectus vehementèr, docent *Pegna p.* 2. *com.* 78. *Carena p.* 2. *tit.* 4. *nu.* 87. *§. Quo ad eos.*

Quartum quod non torqueantur ſuper intentione levitèr ſuſpecti, probavi ſuprà ſub *qu.* 30.

Quintum de complicibus docui ſuprà ſub *qu.* 36.

Quæres 49. De Tortura Polygamorum?

67 R. Polygamus, qui ſimul habet plures uxores, pro tali indiciatus, & convictus debet torturari ſuper intentione, nam eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi ex abuſu Sacramenti Matrimonii, nam ille præſumitur hæreticus vehementèr, qui aliquid facit, ex quo ſolet frequentèr, & ſæpè colligi, quod talia agens eſt hæreticus, ut docent omnes, cum *Gerſone de Proteſtat. conſiderat.* 12. *Simanch. de cathol. tit.* 50. *num.* 27. *Pegna p.* 2. *com.* 80. *Ricciul. de jure perſon. lib.* 5. *cap.* 11. *numer.* 7. *cum illis Carena p.* 2. *tit.* 5. *num.* 58. *§ Ratio. Dixi caſu* 53. *num.* 15. ſed ducens ſecundùm uxorem vivente prima tale quid facit, per quod ſe reddit vehementer ſuſpectum de hæreſi ex abuſu matrimonii in ratione Sacramenti, dum per hoc factum præſumitur ſibi licere pluralitatem uxorum ſimul, quod credere hæreticum eſt deffinitum in Tridentino *ſeſſ.* 24 *can.* 2. Quod
68 Polygamus ſit vehementer ſuſpectus de hæreſi docent, *Farin. q.* 178. *num.* 68. *Farin. de Otero p.* 3. *quæſtion. juris q.* 9. *num.* 4. *ex illis* 71 *Carena p.* 2. *tit.* 5. *num.* 58. *& Alberghin. in ſuo Manuali qualificat. cap* 27. *num* 10. *§ Sed eſſe*, alios plures citat *Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 4. *§ Igitur.*

Contrarium eſſe tantum de levi ſuſpectos docent *Simanch. de cathol. tit.* 40. *de matrimon. n.* 6. *Gutier. lib.* 2. *q* 8. *n.* 1. *Tranſmiera lib.* 2. *q.* 1. *n.* 29. *Diana cit. § In noſtra.* ſi contrahat cum tertia dicitur vehementer ſuſpectus, ſicut & ſi contrahens ſit de genere Maumetano, aut Luterano, *ex Locato v. Hæreticus, & Tranſmiera apud Alberghinum n.* 12.

Sponſalia verò contrahens eſt tantum de levi ſuſpectus, quia tunc non intervenit abuſus Sacramenti, ſicut in Matrimonio. Ità *Carena p.* 2. *tit.* 5. *n.* 60. *Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 4. *§. Sed hic obitèr Albergh. cap.* 27. *n.* 18.

Dubitatur hic contra Carenam, quomodo in bigamia detur

tur abuſus Sacramenti Matrimonii; nam abuti re aliqua, eſt illam adhibere non ad eum finem, ad quem inſtituta fuit, ſed ad alium impertinentem, ad eam inſtitutionem; palàm autem eſt, virum uti ſecunda uxore, ſicut prima, nimirùm ad generationem, juxtà illud Domini: *Creſcite, & multiplicamini*, & ad explendam libidinem, juxtà illud Pauli 1. Corinth. 7. 9. *Melius eſt nubere, quàm uri. Concupiſcentia enim carnis eſt ignis animam comburens*, ut dicit S. Auguſt. de Sancta Virg. cap. 34. his verbis: *Uri eſt occulta flammena concupiſcentiæ vaſtari*. Cum ergò operetur ſecundùm finem matrimonii, non benè dicitur abuti Sacramento Matrimonii.

71 R. Quòd cum pluralitas uxorum repugnet Matrimonii inſtitutioni, ut docent *S. S. Patres, Hieronymus, Chryſoſtomus, Beda, Theofilatus in cap. 19 Matth. allegati à Becano cap. 45. de Sacram. qu. 2. nu. 2.* conſequens eſt, eum, qui ſecundam, vivente prima, ducit, abuti hoc Sacramento, non ſolùm quandò eo utitur ad finem extraneum, ut probat objectio, ſed etiam, quandò illud conficit contrà naturam inſtitutionis illius, ut accidit in caſu noſtro; nam matrimonium ex ſua inſtitutione debet cum unica tantùm contrahi. Adde, quòd in argumento verbum *abuſionis* nimis ſtrictè ſumitur, dum ſupponit Rei exiſtentiam, ad quam ſequitur abuſus; in caſu autem noſtro abuſus eſt effectus immediatè proveniens ex ipſa Polygamia. Demùm verbum *Abuti* ſignificat malo modo uti re, ſecundùm *Gloſ. v. Abutentes cap. Nonnulli 28. de reſcript.* Certum autem eſt, contrahentem cum ſecunda, vivente prima, malo modo agere, dum ſibi non licet ſic contrahere. *Vide abuſum cap. 8. de ſortileg.*

Quæres 50. An ſollicitans in confeſſione ſit ſubjiciendus torturæ, & quandò? *Vide caſum 41. quæſt. 25.*

72 R. Per depoſitionem unius fœminæ non carceratur Confeſſarius, multò minùs torturatur, niſi adſint alia indicia ſemiplenam facientia probationem, ſaltem duæ fœminæ, dum negat delictum, torquetur ſuper veritate; ſi verò ſit confeſſus, ſeù convictus ulteriùs torquendus eſt ſuper intentione, an ſcilicèt crediderit, eſſe licitum abuti hoc Sacramento ad res venereas?

73 Primum de non carcerando docet S. Congreg. juxtà quod dixi *hìc qu. 1. nu. 2.*

74 Secundum de tortura non danda, niſi ſollicitatio ſit ſemiplenè probata, eſt commune reſpectu omnium delictorum, ut docui *hìc qu. 5.*

75 Tertium, quòd duæ fœminæ, præter denuntiatricem, ſufficiant ad torturam contrà negantem, probatur, quia ex dictis quæſtione prima, Sacra Congregatio diſtinguit inter denuntiantem, & teſtem deponentem; ſed unica fœmina non poteſt facere ſemiplenam probationem; ergò alia eſt neceſſaria, ut poſſit torqueri, ſi neget.

76 Quartum de tortura ſuper intentione conſtat ex eo, quòd ſollicitans eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi, ac proindè Reus torturæ; eſt enim certa hæc regula, quòd ſuſpecti vehementèr de hæreſi

reſi torquentur, *ex dictis hìc q.* 29. & 30. *Souſa lib.* 1. *cap.* 34. *nu.* 65. Quòd autem ſollicitans ſit vehementèr ſuſpectus de hæreſi, colligitur ex Bulla Pii IV. inſerta in Gregoriana : *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd, qui de fide catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illi injuriam faciunt.* Si ergò benè ſentientes Sacramentis non abutuntur; ergò illis abutentes malè ſentiunt de eiſdem; abuſus ergò arguit infidelitatem, ſicut uſus fidem. *Ità docent Pegna p.* 2. *com.* 81. §. *Ille quoque, Bariola in ſuis florib. Inquiſ. v. Suſpicio. Leo in ſuo Theſauro fori Eccleſ. p.* 3. *cap.* 37. *num.* 35. *Carena p.* 2. *tit.* 6. *num.* 75. *Trimarchus de ſollicit. diſp.* 4. *ſect.* 4. *nu.* 34. *Genuenſ. cap.* 6. *num.* 2. *Diana alios contrà ſe citat p.* 4 *tract.* 7. *reſol.* 7.

77 Qui autem extrà actum confeſſionis in confeſſionario tantùm ſollicitat, cum non ſit ſuſpectus de hæreſi, quia Sacramento non abutitur, non torquetur *Ità Souſa lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 68. *ex eo Carena num.* 76. qui infrà impugnat Dianam aſſerentem *p.* 4. *tract.* 5. *reſol.* 50. in hoc caſu eſſe ſuſpectum de hæreſi levitèr, & teneri abjurare, quem *Fagund. lib.* 6. *in præcept.* 6. *cap* 12. *num.* 25. & *Alberghin. cap.* 31. *num.* 6. *Salelles lib.* 1. *cap.* 16. *nu.* 153. ſequuntur, qui citat Decretum S. Congreg. ſub Paulo V. decernentis, confeſſarios cum mulieribus in confeſſionali extrà occaſionem confeſſionis loquentes de rebus laſcivis, eſſe ſubjectos Inquiſitoribus, cum caſus Analogiam habeat cum cæteris de ſollicitatione; nam Judex præſumere poteſt, ſic loquentem in confeſſionali ibi eſſe occaſione confeſſionis; locus enim ad aliud non eſt deſtinatus, quàm ad audiendas confeſſiones, ideò meritò caſus ſubditur Inquiſitori, licèt non ſit abuſus confeſſionis niſi præſumptivè, ideò ea ſuſpicio levis dicitur.

Quæres 51. An blaſphemus ſit tortura affligendus?

78 R. Blaſphemus ſufficientèr indiciatus, perſiſtens in negativa blaſphemiæ ſemiplenæ probatæ, torquetur ſuper veritate, & ſi probatur, conſuetudinarius torquetur etiam ſuper intentione.

Primum de veritate de ſe patet, quia contrà negantes delictum ſemiplenè probatum, adhibetur tortura, quæ eſt quædam probatio delicti. Ità de communi *Carena p.* 2. *tit.* 7. *nu.* 62.

79 Secundum de intentione probatur, quia quilibet vehementèr ſuſpectus ex dicto, vel facto probato, torquendus eſt ſuper intentione ex dictis *ſub qu.* 29. & 30. ſed blaſphemus conſuetudinarius eſt ſuſpectus vehementèr de hæreſi : ergò ſuper intentione torquendus eſt. Quòd ſit vehementèr ſuſpectus, qui eſt conſuetudinarius in blaſphemia hæretica, docent omnes cum *Eymer. in Direct. p.* 2. *q.* 41. *num.* 5. ibi: *Pegna, Locatus v. blaſphemia, Genuenſ. cap.* 18. *nu.* 11. *Souſa lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 18. *Zanardus p.* 2. *cap.* 11. *num.* 10. *Lazar. qu.* 6. *num.* 17. *Zechius in ſumma cap.* 15. *num.* 3. *ex illis Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 8. §. *Igitùr, Carena p.* 2. *tit.* 7. *nu.* 19. *Alberghinus cap.* 16. *nu.* 14. Quis autem dicatur conſuetudinarius, docui ſub caſu 33. illum dici blaſphemum conſuetudinarium, qui diverſis vicibus quinquiès blaſphemavit. Non conſuetudinarius erit

erit ille, qui citrà numerum quinarium blaſphemaverit, ſivè in ludo, ſivè in ira, ſivè extrà, ut colligitur ex præcitatis. Itaque blaſphemus hæreticalis conſuetudinarius torquendus eſt ſuper intentione. *Ità ex Campanili, in diverſ. Jur. canon. Rubr. v. cap.* 26. *num.* 63. *&* 64. *ff. Cbugna de confeſſ. ſollicit. q.* 23. *num.* 14. *Carena p.* 2. *tit.* 7. *num.* 62. *&* 63. *cum Molfeſio in ſumma tract.* 11. *cap.* 3. *nu.* 27. *Super levi non datur ex eiſdem cum eodem Carena num.* 66. §. *Si verò loquamur*.

In blaſphemiis de facto à fortiori idem dicendum eſt, quia factum hæreticale magis urget, quàm verbum, & auget ſuſpicionem hæreſis, quia potiora ſunt facta verbis: *l. de pupillo* §. *meminiſſe ff de novi oper. nunt. cap. Dilecti* 52. *de appellat. ubi gloſ. v. facto provocare*. Quare deturpans, lacerans &c. ſacras imagines, torquendus eſt ſuper veritate, & intentione negatis, cum ſit de hæreſi vehementèr ſuſpectus, *ex Lupo de Edicto lib.* 14. *diſt.* 7. *diffic.* 2. *Genuenſ. cap.* 18. *num.* 11. *cum aliis Carena p.* 2. *tit.* 7. *nu.* 38. *alios plures citat Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 9. ergò torquendus eſt. Comburentes ſimplicitèr imagines, ſeù ſtatuas Sanctorum propter vetuſtatem, quia vel non ampliùs ſerviunt, non peccant, ideò nec judicantur pœnalitèr.

Quæres 52. An inſordeſcens in excommunicatione uti de hæreſi ſuſpectus, ſit torquendus?

Ille dicitur inſordeſcere in excommunicatione, qui per annum pertinaciter in excommunicatione perſeverat, non quærendo abſolutionem, ex quacumque cauſa ea fuerit lata, ſivè civiliter, ſivè criminaliter, habens notitiam hujus cenſuræ, & contemnens claves. Inquiſitor autem non ſe intromittit, niſi quando quis eſt excommunicatus ex cauſa hæreſis, *ex allegatis à Caren. p.* 2. *tit.* 8. *num.* 18. His præmiſſis.

82 R. Inſordeſcentem in excommunicatione per annum ex quacumque cauſa, eſt ſuſpectus de hæreſi ex Tridentino ſeſſ. 25. cap. 3. ut docet ex quacumque cauſa *Menoch. de arbitr. caſu* 416. *n.* 54. Et proceſſandum eſſe ab Inquiſitore, docet *Serapbin. deciſ.* 1285. *n* 3. *&* 4. *cum Ricciul. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 11. *&* 13. *referente hìc Barboſa num.* 38. Et cum ſit vehementer ſuſpectus de hæreſi *ſecundùm Pegnam part.* 3. *com.* 49. §. *Quod ſi is. Scaccia de judic. cap.* 98. *numer.* 36. *Farin. q.* 192. *num.* 14. *Alterius tom.* 1. *de conſ. lib.* 2. *diſp.* 8. *cap.* 3. *verſ. Quarta; Sanctar. cap.* 4. *de hæreſi dub.* 5 *concl.* 1. *&* 2. *ex illis Carena p.* 2. *tit.* 8. *num.* 19. §. *Et ita latè*. Sequitur torquendum eſſe ſuper intentione, cogendum reſpondere, quid ſentiat de virtute gladii ſpiritualis.

83 Quamvis ex ſupradictis teneat cum aliis *Carena præcitatus n.* 18. Inquiſitores non procedere in hac cauſa, niſi quando excommunicatio procedit ex hæreſi; tamen id mihi non placet, quia cum ex Tridentino, inſordeſcens per annum in excommunicatione ſit ſuſpectus de hæreſi, *& in dicto cap.* 3. fiat mentio de excommunicatione ex quacumque cauſa lata, ſequitur, Inquiſitorem habere jus citandi hujuſmodi ad reſpondendum, quid ſentiat de fide, nec à Tridentino excluditur In-

84 quiſitor, ſed imò comprehenditur, dum ſtatuit, quòd ſuper hoc

non ſæcularis, ſed judex Eccleſiaſticus debet procedere, ſub quo nomine venit etiam Inquiſitor, qui eſt judex Eccleſiaſticus.

Quæres 53. An nondum Sacerdotes celebrantes, & abſolventes à peccatis, ſint torquendi?

85 R. Torquentur non ſolùm ſuper veritate habenda, ſed etiam ſuper intentione, quia ſunt vehementer de hæreſi ſuſpecti. Suſpicio hæc probatur. Tùm quia per hujuſmodi miniſterium videntur probare hæreſim Luteranorum, qui indiſtinctè concedunt, quoslibet etiam Laicos poſſe conficere hæc duo Sacramenta. Tùm quia maledicta, & malefacta, quæ laudantur ab hæreticis, indicant ſuſpicionem hęreſis ſecundùm Sotum in Relect. de hæreſi. Quæ rationes probant ſuſpicionem eſſe vehementem, adjuncto abuſu horum Sacramentorum, quæ non Sacerdotes tractare audentes, pro nihilo habere videntur. Ità docent Itali contra Hiſpanos *cum Carena par. 2. tit. 11. num. 3. ad 7.* Ergò ſuper intentione torquendi ſunt, *ex eodem Carena num. 24.*

Quæres 54. de Tortura danda Sortilegis?

86 R. Sortilegus denuntiatus, & graviter judiciatus, negans uſum ſortilegii, torquetur ſi ſortilegium eſt hæreticale, torquetur ſuper intentione, ſi verò eſt ſimplex, non torquetur.

Primum de negante uſum ſortilegii probavi ſuprà *q. 32.*

Secundum, quòd ex ſortilegio hæreticali torqueatur ſuper intentione, probatur illo communi argumento, quòd ſuſpectus vehementer de hæreſi, torquetur ſuper intentione, ex dictis q. 29. & in caſu præſenti Reus interrogandus eſt, an credat res ſacras, & verba Scripturæ habere vim, & virtutem ad maleficia, ad captandum amorem, ad inveniendum theſaurum, ad ſcienda ſecreta &c. id enim credere eſt hæreticum, ideò prædictis abutens cenſetur gravitèr ſuſpectus de hæreſi, quia illis non uteretur, ſi ſciret eſſe media inefficacia; ſed ſortilegus ſacrilegus eſt vehementèr de hæreſi ſuſpectus ex abuſu rerum ſacrarum, & verborum ſpiritualium, ſtante etiam invocatione dœmonis, ad minus tacita, quæ in illis intervenit, ut docent omnes *cum Alphonſo de Caſtro lib. 1. cap. 15. verſ. Ut autem hoc aptiùs Pegna p. 2. com. 67. §. Item illa ſortilegia, Genuenſ. cap. 18. nu. 11. cum aliis Carena p. 2. tit. 12. num. 242. Diana p. 4. tract. 7. reſol. 10. plures alios citans.* Ergò torquendi ſunt, ità præcitati apud præfatos *cum Carena nu. 225.* Si autem malefica eſt à Dœmone obſeſſa, non torquetur, ob rationem adductam ſuprà *q. 34.* in fine, *ex eodem Carena numer. eodem §. ſed quoniam.*

Tertium de ſuſpectis ſolùm leviter non torquendis, probatum manet ſub q. 30. & docet hìc *Carena p. 2. tit. 12. num. 246.* ex eo, quòd ſunt leviter ſuſpecti, quales ſunt, qui in ſortilegiis non abutuntur rebus Sacris, nec verbis Sacræ Scripturæ.

Quæres 55. De offendentibus miniſtros S. Officii, an ſint torturandi, tranſgredientes Bullam Pii V. incip. *Si de protegendis* quam exponit *Carena p. 2. tit. 13. per totum.*

87 R. Indiciati vehementer de

tranſ-

tranſgreſſione Bullæ negantes, ſunt torquendi ſuper delicto, non verò ſuper intentione, niſi quando fiſcus probaverit, Bullam fuiſſe violatam in odium Sanctæ fidei, ad favendum hæreſi.

Primum de extorquenda veritate delicti, patet in omnibus delictis, ac proindè etiam in hoc, ex eo, quòd tortura eſt quædam ſpecies probationis, quæ ſuccedit in defectum aliarum probationum, quare cum delictum per ſemiplenam probationem non dicatur plenè probatum, in ordine ad pœnam ordinariam, ideò ea procuratur per tormenta, ut Reus adæquatè puniri poſſit juxtà exigentiam delicti, *Guazin. defenſ.* 30. *cap.* 2. *num.* 3.

88 Secundum, quòd non torturatur ſuper intentione patet ex eo, quòd ex delicto offenſionis miniſtrorum S. Officii, vel ipſius officii, non oritur regulariter ſuſpicio hæreſis, quia offendentes non moventur in odium fidei, vel ad favorem hæreſis, ſed ex alio motivo, vel inimicitiæ, odii, ex conſanguinitate, & ſimilibus cauſis, & ſic conturbant juriſdictionem hujus tribunalis. *Ità Farin. q.* 182. *numer.* 87. *Duardus lib.* 2. *Bullæ Cœnæ Can.* 1. *q.* 33. *num.* 28. *ex illis Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 99. *Bariola v. Impeditores ſanct. de hæreſi cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 5 *citans pro ſe Urtalinum, & Zabarellam*, quos contra ſe citat *Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 13. *Ubi* §. *ſed ego, cum Souſa lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 17. *ait, bos eſſe Caſtrumpalaum, dum dicit p.* 1. *tract.* 4. *diſput.* 8. *p.* 6. §. 7. *num.* 1. debere abjurare de levi, ideò tortura locum non habet, niſi fiſcus probet ſuſpicionem eſſe vehementem;

Quæres 56. An Judæi torquendi ſint, indiciati ſuper tranſgreſſione Bullæ Gregorii XIII incip. *Antiqua Judæorum* 70. in Bullario novo, de qua latè *Carena p* 2. *tit.* 14. *per totum*.

89 R. Eſſe torquendos ſuper delicto, imò & ſuper intentione reſpectu eorum, quæ communiter credenda ſunt per ipſos, & per nos, an ſcilicèt credant unitatem Dei, ejus omnipotentiam &c. Quòd ſi negent exiſtentiam Dei &c. ac ſi eſſent formaliter hæretici, puniendi ſunt, ſicut formales hæretici caſtigantur, & quoniam legem naturæ, & ſcriptam Moyſis ſervare tenentur, cogendi ſunt abjurare de formali, aut de vehementi, licèt rectè reſpondeant; ſunt enim ſuſpecti de fide ex convictione, vel confeſſione delicti, eo modo reſpectu legis antiquæ, quo præſumuntur Chriſtiani reſpectu legis Evangelicæ. Reſpectu aliorum delictorum, de quibus in Bulla prohibitorum lege Evangelica, Judæi ſolùm puniuntur ſine abjuratione, quia fidem Catholicam non ſunt profeſſi. *Ita Carena par.* 2. *tit.* 14. *num.* 40. *ad* 43. *citans Direct. p.* 2. *q.* 46. *in fine Pegnam com.* 71. *& Zanard. tom.* 1. *c.* 4. §. *Si igitùr*, alios citat *Diana part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 2.

Quæres 57. An comedens carnes in diebus prohibitis, debeat, torqueri non ſolùm ſuper delicto, ſed etiam ſuper intentione?

90 R. Super utrunque torquetur ſi neget, & ſuper intentione, quandò probatur vehementèr ſuſpectus de hæreſi; non autem ſi ſit tantùm levitèr ſuſpectus. *Carena part.* 2. *tit.* 15. *n.* 15. *&* 16.

Tunc autem cenſetur vehe-

menter ſuſpectus, ut torqueri debeat ſuper intentione, quando carens licentia, & legitima cauſa, pluriès comedit, & reprehenſionem ſibi factam pro nihilo habuerit, malæ exiſtens vitæ, & famæ, Eccleſias, & Sacramenta non frequentans, ex his, & ſimilibus cauſis judicandus eſt ſuſpectus vehementer de hæreſi, quòd abſtinentia à Carnibus nullius ſit momenti, & utilitatis, contra decretum Concilii in fine ſeſſ. 25. de delectu ciborum. Et ità ſunt intelligendi *Pegna par.* 2. *com.* 80. *verſ. Et* 66. *hanc præſumptionem, & part.* 3. *com.* 24. *§ Eccleſiaſtica Sacramenta, Genuenſ. cap.* 18. *num.* 11. *ex illis Carena p.* 2. *tit.* 15. *nu.* 7. *&* 8.

91 Dices, comeſtio Carnium eſt in ſe ipſa res licita, aut ſaltem indifferens, ſolùm mala, quia prohibita certis diebus, undè per ſe non eſt ſignum, nec nota hæreſis, ut docet *Sanchez. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 25. *Riteiul. lib.* 1. *de jure perſon. extrà cap.* 7. *numer.* 2. Ergò non poteſt judicari ſuſpectus de hæreſi.

92 R. Comeſtio de ſe eſt actus indifferens, tamen ſupradictis inſtantiis veſtitus, cum illis ſufficiens eſt ad præſumendum, ſic comedentem eſſe ſuſpectum de hæreſi. Nec oppoſitum ſentiunt præcitati, dum loquuntur de ſimplici comeſtione ſine illis circunſtantiis.

Quæres 58. An proferentes propoſitiones ſuſpectas de hæreſi, vel temerarias, & ſcandaloſas, torturandi ſint ſuper delicto, & intentione?

93 R. Utique torturandi, ſi eas negant indiciati, & ſint graves juxtà dicta de hæreticis, & blaſphemis; ſuper intentione pariter torquentur, quando proferentem reddunt valdè ſuſpectum de hæreſi. Quoad propoſitiones temerarias, & alias hæreſim non continentes, non ſunt torturandi ſuper intentione, quia illæ non arguunt ſuſpicionem hæreſis, dum non ſunt hæreticales, undè nec abjurationem petunt, ſed illius revocationem ad removendum ſcandalum, & ad docendum ignorantes, qui eas audierunt. *Ita Carena part.* 2. *tit.* 16. *à num.* 19.

Quæres 59. An torquendus ſit Religioſus profeſſus, vel Subdiaconus exiſtens, qui duxit uxorem, ſeu ſolùm contraxit ſponſalia?

94 R. Affirmativè, tàm ſuper delicto, quàm ſuper intentione, quia iſti ſunt vehementer ſuſpecti de hæreſi; ſuo enim facto videntur approbare hæreſim Luteranorum, & aliorum, qui reprobantes vota Religioſorum, & Clericorum, aſſerunt licere illis ducere uxorem. *Ità Simanch. de Cathol. tit.* 40. *num.* 9. *Decian. lib.* 5 *cap.* 22. *num.* 40. *Pegna part.* 2. *com.* 74. *Menoch. caſu* 546. *numer.* 49. *Azor. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *quæſt.* 10. *Farinac. quæſt.* 183. *num.* 72. *cum eis Carena part.* 2. *tit.* 17. *numer.* 10. Ideò ſuper intentione ſunt torquendi. Non verò contrahentes ſponſalia, quia ſolùm leviter ſunt ſuſpecti; fit enim aſſenſus à minori gradu ad majorem: ergò ſi aſcenditur à ſponſalibus ad matrimonium, ſequitur, ſi matrimonium contrahens eſt vehementer ſuſpectus, quòd celebrans ſpon-

ſponſalia ſit tantùm levitèr ſuſpectus. Vide alios apud *Dianam p. 4. tract. 7. reſol. 5. & quæ dixi qu. 49. Iterùm caſu ſeq. verſ. Matrimonium.*

Quæres 60. Quanta debeat eſſe tortura Reis danda, tàm ſuper intentione, quàm ſuper delicto, uſu, & complicibus?

95 R. Quantitas temporis eſt in arbitrio judicis, qui ſe regulare debet in ea determinanda, conſiderando qualitatem indiciorum, & perſonæ torturandæ pro eruenda veritate; utrè ſi indicia ſunt vehementia, & urgentiora, prolixior debet eſſe tortura, quàm quæ danda eſt Reo minus indiciato, itaut horam non excedat in gravioribus delictis, niſi agatur contrà hæreticum formalem, vel maleficum homicidii Reum. *Souſa lib. 2. cap. 39 num. 25. ex illo Diana p. 4. tract. 6. reſol. 35. Carena part. 3. tit. 10. numer. 171.* Regulariter non torqueri ultrà horaam.

Tortura verò danda Reo ſuper uſu, complicibus, & intentione, non debet excedere ſemihoram; *Ità Genuenſ. cap. 68. num. 8. fine. Ciarlin. cap. 18. num. 69. ex Farin. qu. 38. num. 47. Carena part. 2. tit. 1. numer. 108. & tit. 5. num. 56. §. Quo verò. Diana p. 4. tract. 6. reſol. 27. fine. Guaz. defenſ. 30. cap. 9. num 3. loquendo de complicibus.* Danda autem eſt ſinè ſquaſſis, ait *Maſinius fol. 162. §. E què pure.* Ex his probo ſuperiùs dicta, in hoc Tribunali ſufficere torturam unius horæ ad cogendum Reum, ut dicat veritatem; ſi enim pro conſequentibus principale ſufficit dimidia hora, pro principali unica hora videtur ſatisfieri officio. Minor autem tortura adhibetur in conſequentibus, quàm in antecedente, quia intentio aliis mediis afficitur præter torturam, & magis affligitur Reus ſuper capite ſuo, quàm ſuper aliorum.

Quæres 61. An tortura irroget infamiam?

96 R. Tortura non irrogat infamiam Reo ex quavis cauſa torqueatur in Sancto Officio, niſi ſequatur condemnatio, probatur ex l. Nullam 14. Cod. ex quibus cauſ. infam. irroget. ubi dicitur, quòd fuſtigatus, aut tortus ad veritatem eruendam, non fit infamis, niſi ſequatur condemnatio, non obſtante Gloſa V. Infamiam, non incurrere infamiam juris, utique facti, quod notat *Paſqualig. 19. quæſtion. 132. numer. 1. quia Marinus lib. 1. capit. 287. tom. 1. ubi n. 9.* defendit, tortum, & non condemnatum, ſed abſolutum ab ea inſtantia cum onere ſe præſentandi, non eſſe infamem juris, nec facti infamia: undè ſic tortus poteſt ſuſcipere ordines, & dignitatem, ſinè ulla diſpenſatione, quia Textus loquitur univerſalitèr, quòd nulla infamia incurritur, niſi ſecuta ſententia. Et ità eſſe tenendum cenſeo, quia Sacra Congregatio, loquendo de Regularibus, eis in hoc Officio pœnitentiatis extrà ſalutares pœnitentias, prohibuit promotionem ad gradus, & officia, quia ſunt ipſo jure inhabiles ad ea; ergò nulla condemnatione ſecuta,

cuta, non obſtante carceratione, ſeù tortura, non fiunt infames, neque de jure, neque de facto, alitèr ſuum Decretum non reſtrinxiſſet ad condemnatos, ſed incluſiſſet etiam ſolùm carceratos, aut tortos, ſi iſti eſſent infames infamia facti; tales enim arcentur à dignitatibus, quare cum hìc non arceantur, nullo modo ſunt infames, niſi per ſententiam.

Quæres 62. An in die feſto dari poſſit tortura?

97 R. Torqueri poſſe etiam in feſtis Paſchalibus, pro ervenda veritate circà enormia crimina. Ità *Tiraquel. de pœnis temper. caſu* 49. *num.* 27. *citans textum in l. Nemo* 3. *C. de Epiſ. aud.* Ubi antiquitùs carcerati circà feſtum Paſchatis relaxabantur, id tamen nunquàm fit ob cultum illius diei Deo debitum. *Farin. qu.* 38. *apud Souſam lib.* 2. *capit.* 39. *num.* 23.

Quæres 63. An Rei poſſint torqueri ſinè conſilio Conſultorum?

98 R. *Maſin. fol.* 131. & 132. petit conſilium Conſultorum, ſed id non ſervatur pro indaganda veritate delicti, ſed tantùm conſuluntur, an torturandus ſit Reus ſuper intentione, & ſuper uſu ſortilegiorum.

Quæres 64. An poſſit dari tortura ſtatim poſt ſumptum cibum?

99 R. Non debet dari niſi poſt decem horas à comeſtione, & potu. Ità *Farinac. quæſt.* 38. *num.* 32. *cum aliis Carena p.* 2. *tit.* 10. *num.* 160. *Guazin. defenſ.* 30. *cap.* 4. *num.* 20. ubi refert alios de breviori tempore etiam quinque horarum.

Quæres 65. Qualis opinio ſequenda in torturam dando?

100 R. Judex poteſt ſequi minus etiam probabilem, quia prudenter ſe gerit. Ita *Delrius in append. lib.* 5. *q.* 1. *quem citat Diana p.* 4. *tract.* 6. *reſol. fin.* Exemplificat ille in ea opinione, quæ docet cum Cyno, & aliis, poſſe ſubiici torturæ Reum ex dicto ſolius ſocii criminis, contra aliorum magis probabilem, non poſſe, niſi adiunctis adminiculis, *ut dixi ſuprà q.* 12.

Quæres 66. An aliis tormentis, præter torturam, affligi poſſint Rei?

101 R. Regulariter utuntur ſolo tormento funis, aliis relictis. *Excitatis à Diana part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 35.

Quæres 67. An illis, qui non poſſunt torqueri, gravior pœna imponi poſſit?

102 R. Negativè, ſed ſi aliquo modo delictum dicitur probatum, Reus pœna extraordinaria plectitur, nullo habito reſpectu ad defectum torturæ, quia hæc non datur in pœnam, ſed ad veritatem indagandam; ideò pœna gravior non poteſt in ejus locum ſubrogari, ſed ea, quam petit delictum, attentis probationibus.

Quæres 68. An tortura purget juramentum falſum?

103 R. Negativè. Ità *Decius conſ.* 189. *numer.* 13. *Ruin. lib.* 5. *conſ.* 146. *num.* 2. *Roland. lib.* 2. *conſ.* 16. *numer.* 9. *Burſat. lib.* 1. *conſ.* 79. *num.* 5. *Farin. lib.* 1. *conſ.* 99. *numer.* 66. *ex illis Ciarlin. cap.* 181. *numer.* 14. Multò minus purgat plures defectus. *Burſat. lib.* 2. *conſ.* 201. *numer.* 67. *Farinac. lib.* 1. *conſ.* 10. *numer.*

*mer.* 12. *& conſ.* 99. *numer.* 66. *& 69. Ciarlin. cap.* 181. *numer.* 26.

Quæres 69. An Reus pro quolibet delicto poſſit ſubjici torturæ, quandò negat delictum, de quo non fuit convictus?

104 R. In hoc Sancto Officio ſubjici in caſibus hæreſis, blaſphemiæ, ſortilegii hæreticalis, & cæteris, in quibus Reus reddit ſe vehementèr ſuſpectum de hæreſi, & ſimilibus, ut patet ex ſupradictis quæſtionibus.

105 In aliis Tribunalibus Rei ſubjiciuntur torturæ pro ſolis gravioribus delictis, quæ merentur pœnam graviorem, quàm ſit tortura, ut pœna mortis, mutilationis, triremium, non verò, quæ exilio, relegatione, ſeù pecunia purgantur. *Ità Gomez. tom.* 3. *Variar. capit.* 13. *numer.* 2. *Pitigianus in* 2. *ſubſtitut. capit.* 6. §. *Secundò obſervandum A S. Juliano cap.* 8. *Advert.* 3. §. 2. *numer.* 4. *De Angelis cap.* 24. *numer.* 3. *Miranda quæſtion.* 26. *numer. ex l. Edictum ff. de quæſtion. num.* 15. *Farinac. quæſtion.* 38. *numer.* 6. *Riccius part.* 2. *reſol.* 414.

CASUS

# CASUS LV.

## An blaſphemus, & alii criminoſi ſint de hæreſi ſuſpecti?

1 ILle dicitur de hæreſi ſuſpectus, qui dicit, vel facit, aut omittit aliquid, ex quo vir prudens arguit, ſic facientem, dicentem, vel omittentem eſſe ſuſpectum de hæreſi. Igitùr ſuſpicio hæreſis oritur ex aliquo antecedenti crimine illam inferente, quod videtur aliquam habere connexionem cum hæreſi, ſecundùm jùdicium probabile viri docti, & prudentis.

Dividitur autem ſuſpicio in levem, & vehementem, cui noſtris temporibus identificatur ſuſpicio violenta, quoad abjurationem.

2 Levis autem ſuſpicio eſt illa, quæ inducitur ex crimine, ex quo rarò hæreſis oritur, vel non multùm urget contrà malè agentem. *Direct. Inquiſ. pa.* 2. *qu.* 55. *num.* 3. refert hoc exemplum, illos ſcilicèt eſſe levitèr ſuſpectos, qui faciunt occulta conventicula, & qui vita, & moribus recedunt à communi converſatione hominum; quod deſumpſit *ex cap. Excommunicamus* 13. *§. Adjicimus, de hæret. Pegnæ com.* 80. *lit. B.* exemplificat in pejerante ſæpiùs; ſed de hac re clariùs infrà patebit.

3 Vehemens ſuſpicio hæreſis eſt illa, quæ inducitur ex crimine, ex quo ut plurimùm, & frequentèr oritur hæreſis, quaſi cogente virum prudentem ad credendum, ſic dicentem, vel facientem eſſe hæreticum. Exemplum *ex cap. Cum contumacia* 7. *eod. in* 6. ubi dicitur vehementèr de hæreſi ſuſpectus, qui citatus non comparet ad reſpondendum ſuper cauſa hæreſis.

4 Addunt, violentam hæreſis ſuſpicionem eſſe illam, quæ oritur ex verbis, vel factis ferè ſemper arguentibus hæreſim, ut ſi quis idolum adoraret, hæreticorum communionem reciperet, &c. *Direct. loco citato num.* 7. *Albergbin. cap.* 16. *num.* 3. Non attenditur ut quid diverſum à vehementi. De illa plura dicit *Farin. q.* 187. *num.* 45.

5 In diiudicanda autem qualitate hæreſis conſiderandum eſt, quale ſit delictum; an inferat expreſſam hæreſim, cui illud ſit proximum, & quoties iteratum; nam unica hæreticalis blaſphemia reddit ſolùm levitèr ſuſpectum de hæreſi blaſphemum, conſuetudinarium verò indicat vehementèr ſuſpectum, ut infrà patebit. Qualitas perſonæ conſideranda eſt, an ſit docta, vel ignorans, mulier, an vir, qua occaſione comiſerit crimen, colligendo ex his, & aliis circunſtantiis qualitatem ſuſpicionis; reſpectu enim ejuſdem criminis quis poteſt eſſe vehementèr ſuſpectus, alter verò ſolùm levitèr.

6 Dixi, ſuſpicionem hæreſis colligi etiam ex omiſſionis crimine, ut ſi

ut ſi quis in Eccleſia Miſſam audiens, non genuflectit, nec caput aperit, cum elevatur Sanctiſſium Sacramentum, certè talis videtur valdè ſuſpectus de hæreſi contrà Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, nam in moribus recedit à communi ritu totius Eccleſiæ, ac proindè pluſquàm levitèr eſt ſuſpectus de hæreſi.

7 Suſpicio hæreſis ſivè levis, ſivè vehemens, alia eſt ab homine, alia à jure. Suſpicio hominis eſt illa, quæ ex communi Doctorum opinione procedit à delicto, de quo nihil in jure determinatur, quod inducat ſuſpicionem hæreſis contrà malè dicentem, vel facientem; Suſpicio verò juris ea eſt, quæ in jure exprimitur provenire à tali, vel tali crimine.

8 Judex non poteſt procedere contrà ſuſpectum de hæreſi, niſi priùs denuntiatus fuerit convictus, vel confeſſus de crimine inducente ſuſpicionem hæreſis, quia præſumptum ex præſumpto non probatur, *l.* 1. *C. de dotis promiſs. Farin. vol.* 1. *conſ.* 55. *nu.* 25. *vol.* 2. *conſ.* 114. *num.* 40. *Rota p.* 1. *diverſ. deciſ.* 80. *num.* 17. *Menoch. lib.* 3. *præſumpt.* 132. *& caſu* 53. *nu.* 54. ubi dixi ſub num. 60. quòd una præſumptio oritur ab alia, quandò una venit in conſequentiam alterius. Confirmatur, quia ex incerto certum non infertur, cum debeat eſſe certiùs inferens, quàm illatum, quod ab eo aliud incertum certificatur. Debet ergò conſtare de delicto, ut indè judex dicatur habere jus ad interrogandm circà ſuſpicionem hæreſis, & procedere cum tortura contrà negantem pravam intentionem, & cogere illum ad abjurandum. *Ità Farin. q.* 187. *num.* 34. *Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 7. *p.* 3. *p.* 1. *num.* 9. *verſ. Ut autem abjuratio, Diana p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 39. *§. Notandum, ex illis Carena p.* 3. *tit.* 12. *nu.* 18. *Ego caſu* 53. *num.* 61.

Dubitatur, an ex duabus ſuſpicionibus de levi oriatur ſuſpicio vehemens; ità ex duabus vehementibus una violenta, & utrum ex duabus violentis ſequatur hæreſis formalis? Quod dubium ità clariùs ponitur. An ex reiteratione ejuſdem delicti aliàs puniti, vel non puniti, oriatur vehemens ſuſpicio, quæ aliàs eſſet levis, ſi delictum non probaretur iteratum in eodem, vel alio judicio?

9 R. Affirmativè, & probatur ex Concilio Tarraconenſi, ubi determinatur, quòd, qui dicit, vel facit aliquid contrà fidem, ſemel eſt ſuſpectus levitèr, qui verò pluries, vehementèr eſt ſuſpectus, ideſt, bis, aut ter, exponit *Direct. p.* 2. *q.* 56. *nu.* 10. Qui autem pluries, & frequentèr, dicitur vehementiſſimè ſuſpectus de hæreſi: Confirmatur, quia delictum iteratum comparatum in ſuis vicibus, movet intellectum Judicis ad concludendum prudentèr, quòd talis delictum replicans, ſit vehementèr ſuſpectus de hæreſi, de qua non cenſeretur niſi levitèr ſuſpectus propter unicam illius perpetrationem; quare benè dicunt noſtri, quòd, qui ſemel, aut bis blaſphemavit hæreticalitèr, eſſe ſuſpectum tantùm levitèr, conſuetudinarium verò eſſe talem vehementèr, imò qui ſemel punitus fuit abjurans blaſphemus de levi, videtur eſſe ſuſpectus de vehementi in ſecundo judicio, licèt non ſit conſuetudinarius: de hoc iterùm infrà. Item in Hiſ.

pania Polygamus prima vice eſt ſuſpectus tantùm leviter, ſi iterùm aliam ducit uxorem, vivente prima, fit ſuſpectus vehementèr ratione reiterationis, quæ auget ſuſpicionem. Ità noſter Alberghinus defendens jura Tranſmeræ Hiſpani contrà Carenam Italum in cauſa Polygamiæ *cap.* 27. *num.* 13. *& ſeq.* eſt ſententia *Locati v. Abjuratio num.* 1. *& v. ſuſpicio §. Nonus modus.* Quæ non placet *Farin. qu.* 195. *num* 24. *& nu.* 25. nihilominùs dicit ex duabus vehementibus oriri violentam ſuſpicionem *ex Locato v. Relapſi n.* 10. *& Meno. lib.* 1 *q.* 100 *n.* 14

10 Prædicta confirmantur *ex cap. Accuſatus* 8. *de hæret. in* 6. ubi dicitur initio, quòd abjurans de levi, non dicitur relapſus, ſi iterùm cadit, ibi: *Si autem levis, & modica ſuſpicio illa fuerit, quamquàm ex hoc ſit graviùs puniendus, non tamen debet in hæreſim lapſorum pœna puniri.* Nota illa verba *graviùs puniendus*, inter pœnas autem connumeratur etiam abjuratio, *Carena par.* 3. *tit.* 12. *num.* 11. ergò ſi prima vice abjuravit de levi, ſecunda debet abjurare de vehementi, ut Textus ille verificetur *graviùs puniendus*, non diſtinguendo inter genera pœnarum, videtur utrunque genus pœnæ complectere, abjurationis ſcilicèt, & caſtigationis corporalis. Ex quibus infertur, delictum, quod primò induxit ſuſpicionem levem, iteratum producere vehementem, nam ex vehementi ſequitur abjuratio de vehementi.

11 Dubium hoc reſolutum in terminis reiterationis delicti, facit difficultatem contrà priorem tenorem, quia non videtur rationabile, quòd ex duabus levibus ſuſpicionibus oriatur vehemens, quia ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, quòd illæ duæ leves deberent præexiſtere vehementi, ut poſſent ei dare eſſe. Sed non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate, nam ſecundum delictum non infert levem ſuſpicionem, quam inferret, ſi eſſet primum, ſed ſolùm, & præcisè ſuſpicionem arguet vehementem ex qualitate reiterationis; non eſt ergò verum, quòd ex duabus levibus inferatur vehemens, ſi ex probatis, illæ non dantur. Præterea ſuſpicio ſuſpicionem non infert, ſicut nec præſumptum ex præſumpto deſumitur, ut ſuprà dixi, ſed cauſa ſuſpicionis eſt ipſummet delictum cum ſua qualitate ſpectatum, undè dubium illis verbis expreſſum, dicitur impropriè propoſitum.

Utrùm levitèr de hæreſi ſuſpectus ſit denuntiandus? R. Affirmativè ſub *caſu* 38. *num.* 33.

12 Quia ſuperiùs dictum fuit, ſuſpicionem aliam fundari in jure, aliam in conſuetudine, ſeù judicio prudenti Doctorum, ideò de utriſque exempla ſunt referenda. In primis autem de ſuſpicionibus juris agendum eſt, quæ ſunt vehementes *ex Direct p.* 2. *q.* 56. *Caſtropal. p.* 1. *tract* 8 *diſp.* 7. *p.* 1 *num.* 2. *Locatus v. Suſpicio.*

13 Contumacia ejus, qui vocatus reſpondere de fide, ſinè cauſa non cõparet in tempore aſſignato, reddit vehementèr ſuſpectum de hæreſi, *cap. cum contumacia* 7. *de hæret. in* 6.

14 Impediens ſcientèr directè, vel indirectè officium Inquiſitionis, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi. *cap. Ut Inquiſit.* 18. *§. Ult. in* 6

15 Impedientibus officium Inquiſitionis, præſtantes ſcientèr conſi-

lium,

lium, auxilium, & favorem pro hæreſi, ſunt ſuſpecti vehementèr, *ex eodem capite*.

16 Inſtruens hæreticos citatos, ut veritatem ſubſileant, & falſitatem dicant, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi, *cap. Accuſatus* 8. *§ Sacerdotes, eod. in* 6.

17 Fautor, receptator, & defenſor hæretici in cauſa hæreſis, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi, *cap. Excommunicamus* 13. *§. Credentes de hæret. Vide caſum* 54. *num.* 66.

18 Familiaritatem habens cum hæretico, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi, *cap. Inter ſollicitudines* 10. *de purgat. canon.*

19 Perjurus convictus in cauſa fidei, eò quòd revocavit priùs confeſſum, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi, *ex cap. Literas* 14. *de præſumpt.* ubi id expreſsè dicitur illis verbis: *Quorum utrunque reddit illum valdè ſuſpectum*. Barboſa hìc num. 5.

20 Religioſi, ſinè licentia euntes ultrà mare, ubi non ſunt fideles, ſunt ſuſpecti de hæreſi vehementèr, quia ſunt excommunicati, *Extravag. commun.* 2. *de Regular. Pegna par.* 3. *com.* 81.

21 Reiterantes idem delictum hæreticale, ſunt vehementèr ſuſpecti de hæreſi, ex Concilio Tarraconenſi, ut notavi ſuprà. Facit caſus 56. de relapſis.

22 Inſordeſcens per annum in excommunicatione, non ſolùm ex cauſa fidei, *cap. Cum contumacia eod. in* 6. ſed ex quacumque alia cauſa *ex Gloſ. v. Hæreticus ibidem*, eſt ſuſpectus vehementèr de hæreſi, ut notavi præced. caſu numer. 82.

23 Excommunicatus ex cauſa hæreſis, licèt non inſorduerit in ea per annum, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi, nam alia ratione non cenſetur excommunicatus, quia favet hæreſi contrà fidem. *Ità Direct. part.* 2. *quæſt.* 56. *num.* 5.

24 Denuntiare negligens hæreticum, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi; ſi verò ſit tantùm ſuſpectus de hæreſi, uti ſortilegus, blaſphemus, non eſt ſuſpectus, ut probavi caſu 38. num. 21.

25 Libros damnatos de hæreſi legens, aut retinens perſona docta, eſt ſuſpectus de hæreſi ex dictis caſu 54. num. 43. Rem hanc Pegna benè proſequitur *par.* 2. *in Direct. ſuper cap. Fraternitatis* 4. *com.* 3. *§. An autem hæc ſuſpicio. Vide Alberghin. cap.* 22. *à num.* 22. *Riccium p.* 1. *reſolut.* 437.

26 Polygamus eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi ſecundùm Italos, de levi verò ſecundùm Hiſpanos, ut dixi *caſu* 54. *num.* 67. 68. reſpectu ſponſalium eſt tantùm de levi ſuſpectus, *ibidem nu.* 69. *Pegna p.* 2. *com.* 81. *§. de eo, qui.* Iterùm infrà num. 69.

27 Matrimonium cum hæreticis contrahens, eſt vehementèr ſuſpectus, *Pegna p.* 2. *com.* 81. *§ Jam ut uno Verbo. Vide Carenam p.* 2. *tit.* 17. *num.* 19. Imò videtur talis violentèr, quia expreſsè videtur approbare eorum ritus.

28 Matrimonium Religioſi, & in ſacris cõſtituti contrahentes, ſunt vehementèr ſuſpecti de hæreſi; ſi verò contrahant ſponſalia tantùm, ſunt levitèr ſuſpecti, in ſententia Doctorum, quos citavi caſu præced. numer. 94. Procedit hoc apud Italos, nam apud Hiſpanos ſunt tantùm levitèr ſuſpecti contrahentes matrimonium, & ideò non torquentur.

*Ità Diana p. 4. tract. 7. reſol. 5. verſ. Verùm hodie, Caſtropal. p. 1. tract. 4. diſp. 8. par. 16. §. 8. num. 4. ex illis Albergbinus cap. 26. num. 6. & ſequent.*

29 Sollicitans in confeſſione eſt ſuſpectus vehementèr de hæreſi apud Italos, quia abutitur Sacramento, cui non videtur credere, dum pœnitentem provocat ad peccatum; à quo illum retrahere deberet per medicinam ſpiritualem hujus Sacramenti. *Ità Carena p. 2. tit. 6. num. 75. Piaſecius p. 2. cap. 4. art. 6. num. 10. Madius de Sacram. ordinis cap. 27. num. 6. Bariola, & alii, quos citavi caſu 54. q. 50. num. 76.* Dum verò fingit, eſt tantùm levitèr, quia Sacramento non abutitur, ut ibidem dixi. Hiſpani verò docent, eſſe tantùm leviter ſuſpectum ſollicitantem in actu confeſſionis, ante, & poſt immediatè, eos citat *Diana p. 4. tract. 7. reſol. 7. & Albergbinus cap. 31. §. 2. num. 4. qui num. 5. probat, ſollicitantes extrà Sacramentum eſſe levitèr ſuſpectos.*

30 Celebrans Miſſam, nondùm Sacerdos, eſt vehementer ſuſpectus de hæreſi, quia Judex probabiliter exiſtimat, ſic celebrantem credere eſſe licitum quibuſcũque perſonis celebrare, & id non eſſe reſervatum ſolis Sacerdotibus, contra *can. 10. ſeſſ. 7. & can. 2. ſeſſ. 22. Ita Itali cum Carena citato caſu præced. numer. 85. Lupo lib. 5. diſt. 1. art. 1. diff. 1.* Confirmatur id per Bullam Incip. *Officii noſtri*, 21. Gregorii XIII. dicentis, hujuſmodi Sacerdotes non exiſtentes facto Catholicam veritatem impugnare, cum autem factum plus operetur, quàm verbum *ſecundùm allegata ab Albertino de Agnoſ. Aſſert. Cathol. in fine q. 8.* ſequitur hos eſſe de hæreſi ſuſpectos; alium enim finem non habent iſti, ſecundùm hanc Bullam, quàm impugnare catholicam veritatem, quæ docet, non licere nondũ Sacerdotibus celebrare Miſſam. Deindè ſic celebrantes committunt, & faciunt committere extrinſecè ſaltem actum Idolatriæ, ex Bulla incip. *Et ſi aliàs* 81. Clementis VIII. ergò ſunt vehementer, imò violenter ſuſpecti de hæreſi, ſicut ſunt idolatræ, ideo ipſe Pontifex mandat, eos ultimo ſupplicio eſſe plectendos. Limitavit autem Urbanus VIII. in ſua incip. *Apoſtolatus officium* 79. ut hac pœna mortis afficiantur ſolùm, qui vigeſimum ætatis annũ compleverint. Indutus Sacris veſtibus pœnas arbitrarias dabit, & majores, qui incœpit, ſed ordinaria non plectetur, niſi Miſſam perfecerit ſaltem poſt conſecrationem, ex allatis *à Diana par. 4. tract. 7. reſol. 12. §. Nota.*

31 Hiſpani volunt, ſic celebrantem eſſe ſolùm de levi ſuſpectum, & ibi pœna mortis nondùm in uſu poſita eſt, ex Souſa, & aliis apud Dianam præcitatum. *Vide ibi 66.* ubi rejiciuntur.

32 Sacerdos fingens conſecrare Hoſtiam, verba proferendo ſuper hoſtiolam jam conſecratam, punitur ab Inquiſitore. Ità Lucerna Inquiſitionum v. Sacerdos. *Bariola v. eod. §. 12. Decian. lib. 5. cap. 16. ex illis Albergbinus cap. 24. initio, Carena p. 2. tit. 17. numer. 17.* Nullus eorum reſolvit qualitatem ſuſpicionis. Ego crederem, hunc eſſe leviter ſuſpectum, quia ex una parte videtur benè ſentire de exiſtentia hujus Sacramenti, & quòd non liceat celebrare in peccato mortali, 33 34

dum

dum finxit conſecrare, putando evitare peccatum, ſed evitata Charybdi incidit in Scyllam, ex alia namquè parte videtur ſentire, Corpus Chriſti non coexiſtere ſpeciebus, ſed receſſiſſe ante earum corruptionem, ex quo Hoſtiolam jam reverà conſecratam, & continentem Corpus Chriſti, iteratò conſecrat, quaſi non ſit amplius conſecrata, aut ſi credit eſſe adhuc conſecratam, & continere Corpus Chriſti, licere conſecrationē reiterare. Itaque ex hujuſmodi facto infertur, Corpus Chriſti eſſe in Hoſtia ſolumodo in uſu, quando ſumitur, & non remanere in Hoſtiolis, quæ ſuperſunt poſt communionem, contrà Can. 4. ſeſſ. 13. dum acceptam de Tabernaculo iterùm conſecrat, quaſi in ea Chriſti Corpus non adſit amplius ſacramentaliter. Confirmatur id, quia dum hoc modo conſecrat, putans ſe evitare peccatum, non conſecrando in peccato mortali hoſtiam magnam, credit ſe non peccare conſecrando parvam hoſtiam jam conſecratam, ergò putat ſibi licere reconſecrare conſecratum, aut ſimpliciter conſecrare illam Hoſtiolam aliàs conſecratam, nunc exiſtentem ſinè Corpore Chriſti, quod credere hæreticum eſt.

33 Sed quid dicendum de illo, qui nullo modo conſecrat, recitando totam Miſſam, allegando, prætermiſiſſe conſecrationem ad evitandum peccatum mortale, nunquid iſte eſt ſuſpectus de hæreſi, & ſubjectus Inquiſitori?

34 Eſt leviter de hæreſi ſuſpectus, quia hoc Sacramento abutitur, dum non eo modo, quo debet, & deficit in ſubſtantialibus, cum Miſſa nequeat conſiſtere ſine conſecratione; factum ergò ejuſmodi contra naturam hujus Sacratiſſimi Myſterii, arguit licere celebrare ſine conſecratione, & Sacra Communione, quod eſt error in fide. Confirmatur, quia Miſſa propriè conſiſtit in Sacrificio, quod fit conſecratione, & ſumptione ipſius Sacramenti, ut colligitur ex natura Sacrificii; nam id eſt oblatio Rei ſenſibilis à Sacerdote facta per illius realem mutationem, ſiquidem per conſecrationem, panis, & vinum mutantur in Corpus, & Sanguinem Chriſti: dum ergò Sacerdos, omittendo conſecrationem, videtur inſinuare Miſſam conſiſtere poſſe ſine Sacrificio, cum ea ſit ipſummet Sacrificium, reddit ſe ſuſpectum de hæreſi; Sed quoniam ſe excuſat, non conſecraſſe ad evitandum peccatum mortale, non eſt ſuſpectus vehementer, ut eſſet, ſi excuſationem non redderet, ideò remanet tantùm leviter ſuſpectus de hæreſi, quòd liceat celebrare ſine conſecratione. Vide præcitatos *apud Albergbinum cap.* 18. *ſect.* 1. *nu.* 6. qui non definiunt qualitatem ſuſpicionis.

35 Dices, illa excuſatio non valet, quia Pontifex conſultus ſuper hoc caſu reſpondit *cap. de homine 7. de celebr. miſſar.* illum Sacerdotem, qui propter peccatum mortale in Miſſa fingit ſe conſecrare, & non conſecrat, graviùs peccare, quàm qui conſecrat in peccato mortali, ergò ea excuſatio celebrantem non relevat à ſuſpicione vehementi hæreſis, quòd liceat celebrare ſine conſecratione, contrà hæreſim Luteri, qui erravit in fide, dum aſſeruit Miſſam non eſſe Sacrificium, contrà

trà quem agit *Sebaſtianus Medices v. Miſſa §. Secunda hæreſis.*

36 ℟. Illa Cauſa, ad evitandum mortale peccatum, quamvis non ſubſiſtat quoad effectum, quia peccatum mortale non evaſit, ut reſpondit Papa, imò majus commiſit, celebrando ſine conſecratione, quàm ſi conſecraſſet, valet tamen, & relevat à ſuſpicione vehementi, quia etiam cauſa beſtialis, quæ non eſt contrà bonos mores, & omnia jura, excuſat à pœna, *ſecundùm Rotam vol. 2. deciſ. 42. num. 35.* hæc autem cauſa non conſecrandi ad evitandum mortale peccatum, non eſt beſtialis, licèt ſit falſa, erat tamen putata vera, & rationabilis ab eo Sacerdote, ergò eidem aliquo modo prodeſſe debet, ut ſcilicèt non habeatur pro ſuſpecto de vehementi.

37 Conſecrans Hoſtiam extra Miſſam, occaſione exponendi orationem 40. horarum, quam oblitus fuerat conſecrare in Miſſa, eſt ſuſpectus leviter de hæreſi, dum hoc facto videtur approbare id licere, & non eſſe neceſſarias Sacras veſtes & ritus ab Eccleſia præceptos *contrà can. 7. ſeſſ. 22.* Quòd ſit caſus Inquiſitionis, *docet Alberghinus cap. 24. num. 3. Vide Diaz cap. 38. in Anotat.*

38 Infirmus ſumens Hoſtiam non conſecratam, dicitur vehementèr ſuſpectus de hæreſi, ſecundùm *Albertin. in Rubr. de hæret. in 6. q. 13. num. 66. repertorium Inquiſ. v. Hæreſis, §. 4. Rubr.* ſapere hæreſim, ubi dicit, non ſapere hæreſim manifeſtam, *Simanch. de cathol. tit. 30. Rubr. de hæreſi numer. 19. ex illis Alberghin. cap. 24. num. 4.* Ego hìc dico, ſumentem Hoſtiam non conſecratam, quia non habet copiam conſecratæ, nec Sacerdotem, aut Diaconum, qui illi Sacramentum per modum Viatici porrigat, non puto hunc caſum Inquiſitionis, nec ſuſpectum de hæreſi infirmum, quia id facit ex devotione, & voto ejus, quod in re ſuſcipere non poteſt. Omittendo autem recipere conſecratam, utens nondùm conſecrata, eſt Reus ſuſpicionis vehementis, quia non diſcernit inter utrumque, ac proindè non videtur credere huic Sacramento.

39 Sed quid dicendum de eo, qui celebrat Miſſas pro Defunctis contrà vivum, ut citò moriatur? ℟. Hunc eſſe violenter ſuſpectum de hæreſi, quia facto ſuo dat intelligere, Miſſam eſſe inſtitutam, non ad tollenda peccata, nec ad ſalutem, ſed ad perdendos homines, ideò iſte ſubjicitur Sacro Tribunali, *& ità dicit Delrius lib. 5. ſect. 16. §. Sacerdos, ex illo Alberghin. cap. 18. ſect. 2. §. 1. num. 11.* Pœna triremium dignus eſt talia perpetrans. *Vide Diaz. cap. 40. & Menoch. de arbitr. ca. 388.*

40 Jejunus celebrans, aut ſumens ſacram Communionem, debet eſſe, *ex cap. Sacramenta 49. diſt. 1. de conſecr. cap. Liquidò 54. diſt. 2. de conſecr. cap. ex parte 5. de celebr. Miſſar. Bonac. q. 6. de Euchariſt. part. 2. num. 5. Suarez. de Sacram. diſp. 68. ſect. 2. & ſeq.* Aliter dicitur ſuſpectus de hæreſi Luterana, quæ dicit, Eccleſiam non potuiſſe præcipere jejunium antè ſumptionem Euchariſtiæ, & ejus conſuetudinem de hac re eſſe contemnendam, & meliùs eſſe aliquid ſumere moderatè ante Sacram Communionem, quæ falſa

dogma-

dogmata refert Suarez ibidem; quare celebrans non jejunus videtur hæreſis ſuſpectus, quia hoc facto comendat hæreſim hanc. Ità *Alphonſ. de Leone de offic. confeſſ. Recollect.* 22. *Inquiſitor. Tranſnvera lib.* 3. *de Polygam. q.* 2. *numer.* 55. *ex illis Albergbin cap.* 23. *numer.* 3. Id puto verum, præſertim in illis locis ubi vigent hæretici, & alibi etiam, ubi celebrans, vel ſumens nullam pro ſe habet rationem, aut ſufficientem excuſationem, eſt igitùr ſuſpectus de hæreſi tantum leviter.

41 Abſolvens à peccatis nondùm Sacerdos eſt vehementèr ſuſpectus, de hæreſi, & judicatur, atque plectitur eiſdem pœnis, quibus Celebrans nondùm Sacerdos. Ratio hujus vehementis ſuſpicionis ea eſt, quia ſic abſolvens præſumitur credere licere quibuſcunque etiam laicis abſolvere à peccatis, hoc ipſo, quòd nondùm Sacerdos abſolvit; alia enim ratio excogitari non poteſt, præter hanc, quæ hæreſis eſt damnata, *can.* 10. *ſeſſ.* 14. quia non omnibus, ſed ſolis Sacerdotibus dictum fuit: *Quæcumque ligaveritis ſuper terram &c. Ità* Carena *p.* 2. *tit.* 11. *num.* 3. contrà Hiſpanos, qui dicunt, audientes confeſſiones ſacramentales, eſſe tantùm levitèr ſuſpectos, qui ſunt *Souſa lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 14. *Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 16. §. 9. *num* 2. *Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 11. *ex illis Albergbin. cap.* 25. *num.* 2. Dubitatur, an audiens confeſſiones, ſed non abſolvens ſit Reus pœnæ mortis? Utranque opinionem refert Diana citatus. Reverà tàm Clemens VIII. quàm Urbanus paritèr VIII. in ſuis Bullis utuntur his verbis: *Aut Sacramentalem confeſſionem audire præſumpſerit*; ergò ad incurrendam pœnam, ſufficit tantùm audiri; exercuit enim actum ſacramentalem, qui ſolis Sacerdotibus competit, & eſt potiſſima pars Sacramenti pœnitentiæ, à qua etiam dolor ſupernaturalis, tunc dicitur Sacramentalis, cum conjungitur confeſſioni. Sacerdos verò ſimplex carens juriſdictione non eſt Reus hujus pœnæ, quia Bullæ loquuntur tantùm de non Sacerdote. Vide *Carenam parte* 2. *tit.* 17. *nu.* 9. §. *eodem modo, de audiente* 10. 10. *confeſſionem.*

42 Schiſmaticus, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi ex dictis præced. caſu num. 65.

43 Apoſtata eſt hæreticus pluſquàm formalis, cum à tota fide recedat, alitèr eſt ſuſpectus violentèr. Vide præcitatum caſum num. 63.

44 Sortilegi cum abuſu rerum ſacrarum, & verborum Sacræ Scripturæ, ſunt ſuſpecti vehementèr; præſumuntur enim credere eſſe licitum adhibere hujuſmodi res ad illicita facienda, quòd aſſerere hæreticum eſt, ex dictis præced. caſu num. 86. Illi verò ſunt tantùm levitèr ſuſpecti, qui non abutuntur rebus ſacris, ratione tacitæ invocationis Dœmonis. *Ità Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 242. de ſortilegiis hæreticalibus, ſcilicèt cum abuſu Sacrorum, inferentibus vehementem ſuſpicionem contrà ſortilegiis utentes. De levitèr ſuſpectis *ſub num.* 246. *Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 10. §. *Clarè igitùr.*

45 Dœmonium invocans, ſivè deprecatoriè, ſivè imperatoriè, eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi,

licèt

licèt rebus ſacris non abutatur, nec illi cultum adhibeat, quia nemo poteſt ſervire duobus dominis, Deo, & Mamonæ, ideò Diabolum invocans illi præſumitur ſervire, & Deum deſerviſſe, *ex allegatis à Diana p. 4. tract. 7. reſol. 10. §. His tantùm*, ubi antecedentèr refert plures docentes invocationem ex imperio non arguere hæreſim, ſivè in ordine ad malum, vel bonum obtinendum. Sed audiendi non ſunt, quia Diaboli ſervus non ſolùm qui deprecatur, ſed etiam, qui inæptè imperat, cui nihilominùs Dæmon ſuam operam, & opus præſtat, undè ei obligatur, non obſtante imperio.

46 Aſtrologiam judiciariam exercentes futura contingentia prænuntiantes certò, vel conjecturalitèr, ſunt de hæreſi ſuſpecti, aliquandò vehementèr, interdùm levitèr tantùm. Tunc vehementèr, quandò probantur prædixiſſe ea, quæ pendent à libera tantùm voluntate hominum, ut ſunt electiones, revolutiones Regnorum, bonum, & malum, quod quis acturus eſt, & ſimilia, quæ à ſolo hominis arbitrio ſinè ulla dependentia ad aſtra, & influxus cœleſtes. Probatur ex Bulla incip. *Cœli, & Terræ* 17. Sixti V. ex qua id ferè colligitur clarè nam in ea dicitur: *Dubitandum non eſt, in hujuſmodi futurorum contingentium, & furtuitorum eventuum inquiſitione, & præcognitione Diaboli operationem ſe fallacitèr immiſcere.* & infrà. *Judicare, & affirmare temerè præſumunt, non ſinè magno periculo erroris, & infidelitatis, cum S. Auguſtinus, eum, qui hæc obſervat, qui oſtendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam Fidem, & baptiſmum prævaricaſſe, affirmat.* Iterùm infrà ſubjungit: *Hi leviſſimi, & temerarii homines in miſerandam animarum ſuarum ruinam, grave fidelium ſcandalum, & Chriſtianæ Fidei detrimentum futuros rei eventus &c.* Demùm concludit his verbis: *Prænuntiantes futura, ſoli Deo reſervata, creaturis tribuunt, quod ſoli Deo competit, cujus majeſtas læditur, & fidei integritas violatur.* ex his ſententis, in quibus reperitur violatio, & detrimentum fidei, manifeſtè colligitur, hujus generis Aſtrologos, eſſe vehementèr de hæreſi ſuſpectos, dum per hujuſmodi exercitium, fidei Catholicæ violationem, & detrimentum afferunt. Confirmatur, quia talia præſagientes præſumuntur credere voluntatem humanam cogi poſſe ad malum ab aſtris, & cæteris influxibus cœleſtibus quod dicere hæreticum eſt, meritò igitùr ſunt ſuſpecti vehementer de hæreſi. Vide Bullam quoque Urbani VIII. incip. *Inſcrutabilis* 113. ubi Aſtrologi judiciarii, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeù vita Romani Pontificis, aut ejus conſanguineorum judicia facere, & illi qui illos deſuper conſulere præſumpſerint, plectuntur ultimo ſupplicio.

47 Adorantes Idola, incenſum eiſdem deferentes, genua flectentes &c. Spontè, & non coacti dicuntur hæretici formales, alias de hæreſi ſunt violenter ſuſpecti propter factum, quod aliter vir prudens interpretari non poteſt, niſi quod demonſtrat exterius. Vide in Caſu præced. num. 41.

48 Carnes comedentes diebus vetitis ſinè cauſa, & licentia ſunt levitèr

leviter ſuſpecti de hæreſi, rarò de vehementi, juxtà dicta præced. caſu num. 90.

49 Offendentes Officium S. Inquiſitionis in odium, & contemptum Fidei, ſunt violenter ſuſpecti de fide, juxtà dicta ibidem num. 87.

50 Confeſſionem, & Sacram Communionem non recipientes ſemel in anno, ſecundùm aliquos, ſunt ſuſpecti de hæreſi, ſed veriùs, ſecundùm alios, non ſunt ſuſpecti, ſed ab Epiſcopo, ſeù Parocho iſti interdicti declarantur ab ingreſſu Eccleſiæ, juxtà cap. Omnis 12 de Pœnit. ſuſpectos vocat *Beja p. 4. caſu 4. Menoch. lib. 5. de præſumpt. 6. num 27. cum aliis relatis à Barboſa ibi num. 11. alios refert Carena p. 2. tit. 17. numer. 2. qui num. 4.* ſentit, quod diximus.

51 Cenſuras contemnentes cum dicunt. *Che Scomunica? Che Scomunica? anco i ſcomunicati mangiano, non la ſtimo &c.* ſuſpecti ſunt vehementèr, vel levitèr, attentis circunſtantiis verborum, & qualitate perſonæ: nam ea verba proferens, in totum, vel ex parte videtur malè ſentire de juriſdictione, & poteſtate clavium, quaſi hæc nullius ſint momenti in Eccleſia; Idem dic de lacerantibus Cædulones, & alia edicta cenſuras continentia; præſumuntur enim id facere in contemptum cenſurarum. *Vide Genuenſ. cap. 7. Pegnam p. 3. com. 34. ex illis Carena p. 2. tit. 17. num. 5. ad 9. Lazar. q. 12. de Blaſphem. numer. 44.*

52 Indulgentias contemnentes ob. locutione de illis, ſunt vehementèr ſuſpecti de illorum exiſtentia, & virtute. *Vide Carenam cit. nu. 9. Lazarium cit. q. 12. n. 44.*

53 Campanas contemnentes ſunt ſuſpecti de hæreſi levitèr, caſum refert Zerola de quodam, qui martellos campanarum abſtulit in nocte Sabbati Sancti, & punitus fuit abjurando, *idem Carena num. 9.*

54 Ceremonias, & ritus Eccleſiaſticos contemnentes, ſunt ſuſpecti de hæreſi vehementèr, vel levitèr, juxtà actiones concurrentes in contemptu, & joco facto contrà talia. *Carena referens ſub eo num. 9. & Idem.* caſum de eo, qui joco indutus fuit veſtibus Epiſcopalibus, qui ſuper Aſinum ſedens, dabat benedictionem, aliis ridentibus; ſpernunt enim dignitatem Epiſcopalem, ac ſi eſſet res rediculoſa. Contrà iſtos adeſt canon. 7. ſeſſ. 22. ita definiens: *Si quis dixerit, cæremonias, veſtes, & externa ſigna quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quàm officia pietatis, Anathema ſit.* Verbum *irritabula* interpretatur ideſt incitamenta, provocamenta ad riſum, & malum.

55 Sigillum Confeſſionis frangens Confeſſarius, non eſt de hæreſi ſuſpectus, quia is actus non eſt hæreticalis, neque aliqua conſtitutione Apoſtolica frangens Sigillum Confeſſionis decernit ſuſpectum de hæreſi. *Ità Carena p. 2. tit. 27. n. 92.*

56 Superior Regularis non faciens legere Bullas, compendiosè redactas in Decreto S. Congreg. legendas feria ſexta poſt octavam Aſſumptionis, non eſt ſuſpectus de hæreſi, quia præſumitur potius negligentia, ſeu oblivio, quàm malitia, & contemptus Bullarum. *Vide Carenam p. 2. tit. 17. num. 98.*

57 Blaſphemus ſimplex, hoc eſt non hæreticalis, juxtà dicta caſu 6. non eſt ſuſpectus de hæreſi, nec ſubjectus judicio hujus Sacri Tribunalis. Ità *omnes cum Locat. v. Blaſphemia num.* 1. *Albertin. q.* 22. *num.* 63. *Pegna p.* 2. *com.* 66. *Souſa lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 16. *Carena p.* 2. *tit.* 7. *num.* 18. Blaſphemias imprecatorias connumeravi inter hæreticales ſub caſu 7. ideò blaſphemi earum judicandi ſunt ſuſpecti vehementèr de hæreſi.

58 Hæreticalis autem blaſphemus eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi: primò, ſi ſemel blaſphemavit, ſi aliàs fuit convictus, vel confeſſus ſuper aliis blaſphemiis hæreticalibus, juxtà dicta hìc *ſub num.* 9. & 21. ſecundò eſt ſuſpectus de hæreſi vehementèr ille, qui probatur blaſphemus hæreticalis conſuetudinarius, qui ſcilicèt blaſphemias hæreticales pronuntiavit quinquies, juxtà dicta in caſu 33. ad quem remitto lectorem, quod verùm eſt, ſivè illas protulerit in ira, in ludo, in ebrietate, vel alio modo, juxtà quod dixi caſu 34. *Ità omnes cum repertorio Inquiſ. v. Blaſphemia verſ. ſed an tales, Lælius Zechius tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 3. *Lazar. q.* 6. *num.* 8. & 9. *ex illis Carena p.* 2. *tit.* 7. *numer.* 19. *ad* 21. *Souſa lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 18. *Direct. Inquiſ. p.* 2. *q.* 41. *num.* 5. & 6. *Genuenſ. cap.* 68. *num.* 8 *ex illis Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 8. Vide, quæ dixi *præced. caſu num.* 79. *Albergbin. cap. numer.* 14. & 15.

Hiſpani conguentèr procedendo quoad ſuum ſtilum reſpectu ſuſpectorum, docent, blaſphemos hæreticales conſuetudinarios eſſe tantùm levitèr ſuſpectos, & hi ſunt *Joſeph de Seſſe tom.* 4. *deciſ.* 450. *n* 9. *Royas p.* 2. *n.* 176. *Salcedo ad Diaz. ca.* 110 *Inquiſitor San. Vicente*, quos contrà ſe citat Diana præcitatus.

59 Non probatus conſuetudinarius, nec aliàs punitus de blaſphemia hæreticali, habendus eſt pro ſuſpecto tantùm levitèr. Ità præcitati Doctores. Vide caſum 57. de Abjurat.

60 Blaſphemi, non lingua, ſed opere, qui nimirùm lacerant, deturpant, confringunt ſacras Imagines, ſunt vehementèr ſuſpecti de hæreſi, quia præſumuntur negare cultum Sanctorum, dum eorum imagines contemnunt, & conculcant. *Ità Bellocb. de caſib. reſerv p.* 2. *q.* 1. *num.* 73. *Zechius in Summa tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 5. *Seſſe tom.* 4. *deciſ.* 448 *num.* 49. *cum aliis Diana p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 9. *Caren. p.* 2. *tit.* 7. *nu.* 38 *Farin. qu.* 178. *nu.* 57. *cum aliis Albergbinus cap.* 28. *num* 4.

61 Quæres hìc motiva, cur Hiſpani in multis diſcrepant ab Italis circà qualitatem ſuſpicionis, ſiquidem ſecundùm Italos blaſphemi celebrantes Miſſam, & audientes ſacras confeſſiones cum non ſint Sacerdotes, Polygami, & alii criminoſi, ſunt vehementèr ſuſpecti de fide; ſecundùm verò Hiſpanos tales ſunt ſolùm levitèr; ideò ſecundùm Italos torquentur, & negativi perſeverantes coguntur abjurare de vehementi, ſecundùm verò Hiſpanos abjurant de levi ſinè tortura.

62 Hiſpani blaſphemos vocant levitèr ſuſpectos, quia præſumunt, illos potiùs ex ira, impatientia, ex lubrico linguæ, aut joco, proferre ea verba, quàm ex prava intentione malè ſentiendi de divinis perfectionibus, quia tamen

dictum

dictum continet in ſe hæreſim, ideò cenſent blaſphemum eſſe levitèr ſuſpectum de hæreſi.

63 Itali verò primo recurrunt ad pravam intentionem, quam verba ipſa indicant contrà blaſphemantem, nam dicto, ſeù facto quis probat ſuam credulitatem, *ut ex l. Paulus 5. Rem ratam dixit Ricciul. lib. 1. de jure perſon. extra cap. 7.* dum ergò blaſphemus impingit imperfectionem in Deo obloquendo demonſtrat, Deum eſſe talem, qualem prædicat, verba enim ſunt ſigna eorum, quæ in mente habemus, ut Chriſtus Matth. 15. 18. loquendo etiam de Blaſphemia, dixit. *quæ procedunt de ore, de corde exeunt.* Quare cum verba mala, in bonam partem trahi nō poſſint, interpretanda ſunt ſecundum eum ſenſum, quē de ſe præferunt. Igitùr Judex preſumere non poteſt, niſi pravam intentionem contrà blaſphemum.

64 Neque excuſationes, iræ, æbrietates, joci, aut lubrici linguæ divertere habent mentem viri prudentis à vehemeti ſuſpicione hæreſis, tùm quia non ſunt quærendæ excuſationes in peccatis; ad propoſitum Pſal. 140. 4. non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Vir prudens mentem ſuam accomodare non debet ſupradictis verbis, quæ continent malitiam, nam iræ, lubricum linguæ, jocus, & æbrietas, peccata ſunt, ideò ex illis non eſt allevianda, ſed gravanda ſuſpicio. Tum quia ſi illæ excuſationes admitterentur, vullus puniretur blaſphemus, ſaltem pœna ſuis delictis conveniente, ſi enim minueret ſuſpicionem, cur & non pœnam blaſphemis debitam. Tum quia nulla eſſet, differentia inter blaſphemum conſuetudinarium, & non conſuetudinarium, quo ad ſuſpicionem, quod aſſerere eſt potiùs imperiti, quàm viri docti.

65 Quod ſi quis dicat, ſemel blaſphemantem hæreticalitèr nullatenus eſſe ſuſpectum de hæreſi. Reſpondetur id eſſe omninò falſum, tum quia blaſphemia hæreticalis huic ſoli tribunali ſubiicitur, ergò inducit ſuſpicionem hæreſis, undè & qui ſemel blaſphemavit denuntiandus eſt, ut probavi caſu 38. num. 7. Tùm quia verba ipſa ex ſua natura inferunt hæreſim, ergò judex aliter præſumere non poteſt, cum teneatur judicare ſecundum tenorem, & ſenſum proprium verborum.

66 Hiſpani non Sacerdotes celebrantes Miſſam, & audientes Sacras Confeſſiones, præſumunt ſolum levitèr ſuſpectos de hæreſi, quia abutuntur his Sacramentis, putantes omnibus licere ea adminiſtrare, ſecundùm hæreſim modernorum hæreticorum; Confirmatur ab illis, quia iſti præſumuntur moveri magis ab ambitione, aut aliquo intereſſe, quam ex eo, quòd credant licere omnibus adminiſtrare ea Sacramenta.

67 Itali idem habent motivum hæreſis, quia præſumunt, ea conficientes Sacramenta credere, etiā non Sacerdotibus licere eorum Confectionem. Idem autem motiuum non poteſt producere diverſos effectus, ſed eundem, & certè verior eſt opinio Italorum, quia facto impugnat catholicam veritatem, & idolatrię occaſionem dat aſſiſtentibus Miſſæ, cui & ipſe Sacerdos operatur, dùm celebrat, quæ motiva cum urgeant, non niſi vehementem ſuſpicionem arguunt, ut dixi ſuprà num. 30. ſimilitèr non Sacerdos abſolvens

à peccatis, præſumendus eſt vehementèr ſuſpectus, dum ex tenore verborum abſolutionis, dicit ſe habere auctoritatem abſolvendi, habet contrà ſe urgentem præſumptionem vehementis ſuſpicionis hujus hæreſis, quòd quilibet laicus, & non Sacerdos valeat remittere peccata. Vide ſuprà numer. 41.

68 Confirmatio infirma eſt, & nullius momenti, cum ſit fundata in excuſatione peccaminoſa; nam neque Sacerdoti vero licèt celebrare cum ambitione, & intereſſe, multò minùs, & nullo modo decet non exiſtentem Sacerdotem

69 Hiſpani Polygamos, dicunt de levi ſuſpectos, quia tales præſumuntur ut plurimum contrahere ſecundùm matrimonium, ex luxuria, & aviditate dotis lucrandæ, niſi iſti eſſent de Provincia infecta hæreſi Calviniana, & Luterana, ex allatis *à Diana p. 4. tr. 7. reſol 4. §. In noſtra*.

70 Itali verò eoſdem de vehementi ſuſpectos judicant, quia abutuntur Sacramento Matrimonii credentes licere pluralitatem uxorum contrà Can. 2. ſeſſ. 24. *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege Divina eſſe prohibitum, anathema ſit*. Et hoc pluribus probat *Carena contrà Hiſpanos p. 2. tit. 5. num. 57. § Ratio*. Hiſpani non poſſunt negare idem motivum reſpectu levis ſuſpicionis. Quod tamen non facit pro ipſis, dum illud urget, & arguit magis vehementem ſuſpicionem, quàm levem, cum factum ipſum ducendi ſecundam uxorem, vivente prima, directè, & immediatè adverſetur definitioni Sacri Concilii loco præcitato; ſicut enim aſſerens contrà dictum Canonem licere ducere plures uxores ſimul viventes, ſit vehementèr ſuſpectus de hæreſi, imò ſit formalitèr hæreticus, qui pravam intentionem declarat, & ità vehementèr judicandus eſt ſuſpectus, qui facto probat ſuum dictum, & à fortiori, quia facere facto plus eſt, quàm verbo dicere, *Gloſ. v. Facto provocare, cap. Dilecti filii 52. de appellat.* Præſumitur ergò malè ſentire de fide hujus Canonis; factum enim alicujus ipſum judicat, *l. cum probatio ff. de probat.*

71 Nec prodeſt excuſatio Hiſpanorum, nempè luxuria, & aviditas dotis, quia malitia non debet minuere aliam malitiam, ſed potiùs augere, juxtà dicta ſuprà de Blaſphemis; addo, quod factum damnatum præſumitur mala intentione geſtum *l. ſi non convictus C. de injur. cap. 1. de præſumpt.* ergò qui duxit ſecundam uxorem vivente prima, præſumitur credere id ſibi licere.

72 Relapſus in hæreſis ſuſpicionem, dicitur vehementèr ſuſpectus de hæreſi, quam anteà abjuraverat, licèt Reus ſit unius tantùm criminis, ut patet in ſeq. caſu num. 7.

CASUS

# CASUS LVI.

## An Crimen Relapsus locum habeat in Blasphemo?

1 RElapsitas (ne mireris vocabulum) est conjunctio plurium hæresum, quarum una ad minus sit formalis, & aliæ tantùm suspectæ probatarum in suis qualitatibus in diversis judiciis. Ille dicitur igitùr relapsus, qui recadit in eandem, vel diversam hæresim abjuratam de formali, vel de vehementi; Contingit autem relapsus sequentibus modis.

2 Primò verè, & propriissimè cum quis recadit in eandem speciem hæresim, quàm primo abjuravit de formali, & sic denuntiatus bis, Reus est duarum hæresum formalium ejusdem speciei, & qualitatis, & sic confessus fuit vel convictus in duobus judiciis, quòd negaverit puritatem Virginis Mariæ. *Colligitur ex cap. Ad Abolendam* 9 §. *Illos quoque de hæret. & cap. super eo* 4. *eod. in* 6. *Farin. q.* 195. *num.* 1. *Castropal. p.* 1. *tract.* 4. *disp.* 6. *p.* 2. *num.* 7. *Carena p.* 2. *tit.* 2. *num.* 28.

3 Secundò inpropriè, & juris fictione, ut etiam in sequentibus, ille dicitur relapsus, qui incidit in plures hæreses ejusdem speciei, sed diversæ qualitatis, ex eo, quod unam abjuravit de formali, seù de vehementi, & postèà incidit in eandem; parùm autem refert, quòd præcedat suspicio hæresis, vel ipsa hæresis. Ut si quis convincitur Reus vehementèr de hæresi in primo judicio ex blasphemia, *Meretrix Mariæ Virginis*, & postèà in secundo fatetur hanc hæresim. Vel è contrà. *Ità colligitur ex cap. Accusatus* 8. *Initio de hæresi in* 6. *Direct. p.* 2. *q.* 58. *num.* 3. *Pegna ibi vers. Altera. est illius. Farin. q.* 195. *numer.* 10. *Carena p.* 2. *tit.* 2. *num.* 28.

4 Tertiò ille dicitur relapsus, qui est Reus plurium hæresum diversarum specie, & qualitate, ratione generalis abjurationis, ut si quis primo de formali, aut de vehementi abjuravit specialitèr Dei omnipotentiam, ex blasphemia, & deindè omnes, & quascumque hæreses, ut de more fit in omnibus judiciis hujus tribunalis, & postèà cadit in aliam hæresim, vel ejus suspicionem, ut quòd non detur Purgatorium, dicitur relapsus sivè præcedat abjuratio de formali, sivè de vehementi, dummodò una illarum sit de formali, seù Reus sit confessus, vel convictus de hæresi formali. Ratio hujus relapsitudinis ea est, quia cum sub primo judicio abjuraverit generalitèr omnes hæreses, si iterùm cadit etiam in aliam, quam nunquam abjuravit in specie, neque illius fuit Reus, nihilominùs dicitur relapsus, quia cadit in eam, quam utcumque abjuraverat. *Ità colligitur ex cap. Accusatus* 8. §. *Eum verò, eod. in* 6. *Direct. p.* 2. *q.* 58. *num.* 4. *Carena p.* 2.

*na part. 2. tit. 2. num.* 31. *Sanctar. de hæreſi cap.* 42. *num.* 2. Exemplum ibi refertur *ſub §. Ille quoque, dicti cap. Accuſatus*, de receptatore hæretici etiam unica vice, qui dicitur relapſus, ſi hæreſim alias de formali abjuraverat.

Quartò, ille dicitur relapſus, qui primò de levi abjuraverit, quia non conſtabat de hæreſi, nec de ejus vehementi ſuſpicione, ſi poſteà conſtet de altero eorum, relapſus dicitur, ſi confiteatur, vel convincatur ſuper alio crimine, vel eodem. *Ità aliis allegatis Carena numer.* 34.

Colligitur ex his *primò*, ad relapſum, ut requiri unum crimen ex pluribus ſit ſemper hæreſis formalis, & ut talis probata, alitèr non poteſt Reus dici relapſus in hæreſim, quandò de nulla hæreſi formali conſtat. *Secundò*, utrunque crimen debet eſſe probatum in ſuis terminis, nimirùm hæreſis in ſua formali qualitate per confeſſionem, vel convictionem, & paritèr crimen inferens ſuſpicionem, non qualemcumque, ſed vehementem hæreſis, alitèr nemò relapſus dicitur, ſi non conſtat de illis duobus criminibus, ex quibus relapſitas conſtituitur. *Tertiò*, requiruntur duo judicia, quia ſub eodem quis non poteſt conſtitui relapſus, licèt probaretur Reus plurium hæreſum, & ſuſpicionum, quia hoc crimen ſupponit præcedentem abjurationem factam, in præcedenti Judicio. *Quartò*, ex pluribus levibus ſuſpicionibus, quis non fit relapſus; imò neque ex pluribus vehementibus, neque ex illarum mixtione, quia relapſitas fundatur in crimine formalis hæreſis, quæ non apparet in ejus ſuſpicione quantumvis vehementi, & violenta. *Ità omnes cum Locato v. Vehemens ſuſpicio. Sanctar. capit.* 42. *numer.* 11. *Pegna part.* 2. *com.* 83. *Farin. quæſt.* 195. *num.* 22. 23. *&* 24. *Carena part.* 2. *tit.* 2. *numer.* 35. *&* 36. Colligitur *quintò* ex tertiò, ſpontè comparentem, ſi recadat, dici relapſum, quia abjuravit ſub primo judicio ſecreto hæreſim, *ex Carena part.* 2. *tit.* 2. *num.* 36. *§. Verùm.*

Ex dictis patet reſolutio noſtri caſus, nimirùm dari crimen relapſi in blaſphemis, quia aliquandò credunt id, quod blaſphemant, eſſe verum, & nulla eſt difficultas quin recadere poſſint in hæreſim ex blaſphemia, ſicut pluries puniuntur in hoc Tribunali, aliquandò ut hæretici, quia confitentur ſuum errorem, ut plurimum verò negantes pravam intentionem, remanent ſuſpecti de vehementi, undè tenentur abjurare de vehementi, ut dicam in ſequenti caſu, quare ſi iterùm blaſphemant, & fatentur hæreſim dicuntur relapſi, ſicut ſi è contrà abjurata hæreſi formali ex blaſphemia, reblaſphemantes, & negantes pravam intentionem, remanent ſuſpecti de vehementi, ſi ſunt conſuetudinarii, imò & ſi non ſunt, conſequentèr relapſi dicuntur, vel proprie reſpe-

reſpectu ejuſdem formalis blaſphemiæ, vel fictione juris reſpectu diverſarum.

8 Relapſus non admittitur ad abjurationem, nec torturam, niſi ad detegendos complices, ſed ſinè remiſſione, licèt pœniteat, traditur Curiæ ſæculari ultimo plectendus ſupplicio; ſufficit enim, quòd ſemel Eccleſiam deceperit per falſam converſionem, dum primò finxit abjurare hæreſim, & eam derelinquere, convertendo ſe ad Deum. *Ità ex capit. Abolendam 9. de hæret. §. Illos quoque. Farinac. quæſt. 195. numer. 4. Carena part. 2. tit. 2. num. 38. ad 42.* Sponte comparentibus parcitur. *Ità Repertorium v. Relapſus §. Si tamen, Caſtro de juſta hæret. pun. lib. 2. capit. 2. Menoch. conſ. 82. numer. 160. cum aliis Barboſa ad hoc capit. num. 20.* quia præſumuntur verè pœnitentes, non verò ille, qui aſſerit ſe pœnitentem poſt citationem.

CASUS

# CASUS LVII.

## De Abjuratione Blaſphemorum?

1 ABjuratio eſt ſolemnis deteſtatio omnium hæreſum facta cum juramento, & cum aſſertione permanendi in catholica fide. Qui enim abjurat de levi, ſeù de formali; id facit coram Judicibus; ideò dicitur ſolemnis abjuratio, in qua jurat, ſe credidiſſe, credere, & in futurum creditурum omne id, quod credit Sancta Romana Eccleſia, deteſtando in ſpecie eam hæreſim, de cujus ſuſpicione eſt convictus, & in generali omnes, & quaſcunque alias, promittendo permanere in fide catholica, undè ſi iterùm cadat in hæreſim formalem, relapſus dicitur, juxtà dicta in caſu præcedenti. In abjuratione de formali præter deteſtationem fatetur ſe incidiſſe in hæreſim convictam, vel confeſſam. *Ità omnes cum Farin. qu.* 194. *Caren. p.* 3. *tit.* 12. *initio*. Abjuratio autem fit à Reo, poſtquàm ſententiatus fuit, ut docet Maſinus in ſuo Arſenali *fol.* 318. *Aver.* 49.

2 Quatuor ſunt modi abjurandi, formalitèr, levitèr, vehementèr, & violentèr, ſicut hæreſis quatuor modis qualificatur, eſt hæreſis formalis, & de ea tres ſuſpiciones, levis, vehemens, & violenta, de quibus dixi caſu 55. Sed quia violenta ſuſpicio, quoad abjurationem, non differt à vehementi, ideò ad tres reducuntur, quæ ſunt abjuratio formalis, levis, & vehemens; *Ità Farin. qu.* 187. *num.* 52. *Genuenſ. cap.* 84. *nu.* 8. *Caren. p.* 3. *tit.* 12. *nu.* 6.

3 Circà materiam abjurationis quæruntur ſequentia. *Primò*, an ea ſit pœna? *Secundò*, quandonam Reus cogendus ſit ad abjurandum? *Tertiò*, quale abjurationis genus illi ſit imponendum? *Quartò*, an publicè, vel ſecretò abjurare debeat? *Quintò*, an quis excuſetur ab abjuratione? *Sextò*, an recuſans abjurationem ſit puniendus? *Septimò*, quomodò, & qualitèr blaſphemus abjurare debeat?

4 Primo reſpondetur, abjurationem eſſe pœnam, quia ea fit poſt ſententiam latam, & cum cæteris pœnis exprimitur in ſententia condemnatoria. Confirmatur, quia abjuratio de formali, aut vehementi, conſtituit Reum relapſum, quandò iterat idem, vel diverſum crimen hæreſis, juxtà dicta præcedenti caſu; *Ità Pegna p.* 3. *com.* 42. *verſ. Verum tamen, Sou. ſa lib.* 2. *cap.* 40. *nu.* 7. *Farin. q.* 194. *nu.* 11. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 12. *num.* 11.

5 Colligo ex hoc, abjurantem etiam de levi fieri infamem, irregularem, & inhabilem ad officia, & dignitates, quia condemnatus incurrit prædicta, ut notavi caſu 54. q. 61. nu. 96. & idem decrevit S. Congr. contrà Regulares in S. Officio pœnitentiatos, quicquid dicant aliqui apud *Dianam p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 64. §. *Sed an.*

Secun-

6 Secundo reſpondetur, tunc judicem cogere Reum ad abjurandum, quandò denuntiatus eſt probatus legitimè Reus hæreſis formalis, vel ejus ſuſpicionis, convictus, vel confeſſus illud delictum, ex quo ſequitur hæreſis ſuſpicio, quamvis Reus neget pravam intentionem, & tortus perſiſtat in negativa; adhuc enim cogitur abjurare, quia ſuſpicionem hæreſis per torturam non ſuſtulit, nec purgavit; *Ità Farin. q.* 187. *nu.* 34. *Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 7. *p.* 1. *num.* 9. *Diana par.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 39. *verſ. Notandum ex illis Carena p.* 3. *tit.* 12. *num.* 18.

7 Tertio reſpondetur, pœna abjurationis datur regulanda à qualitate hæreſis; ſi enim hæreticus probatus eſt formalis, debet de formali abjurare: ſi verò confeſſus eſt, vel convictus de delicto inferente ſuſpicionem hæreſis vehementem, vel levem, abjurat de vehementi, vel de levi, & ſic obſervatur, quia pœna debet commenſurari culpæ. De hæretico formali abjurante de formali, quandò eſt pœnitens, non tradendus Curiæ ſæculari. *Direct. part.* 7. *qu.* 40. *ibi Pegna com.* 65. *Farin. q.* 193. *n.* 4. *ex illis Souſa lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 1.

8 An dubius in fide debeat abjurare de formali? Affirmant *Pegna p.* 2. *com.* 26. § *cum itaque*, *Farin. qu.* 178. *num.* 107. *Carena p.* 2. *tit.* 1. *num.* 17. *cum eis Albergbin. cap.* 5. *num.* 8. Quia dubius in fide eſt infidelis capit. 1. de hæret. Sed ea reſponſio mihi non placet, quia dubius in fide non eſt formaliter infidelis, nec hæreticus, qualis eſt ille, qui firmiter, & pertinaciter diſcredit revelatis à Deo; eligit enim unam partem, alia penitùs derelicta; hæreſis enim dicitur ab electione, *cap. Hæreſis cap.* 27. 24. *qu* 3. dubius verò anceps eſt, & neutri parti adhæret; ergò in rigore non eſt formaliter hæreticus; ergò non eſt cogendus abjurare de formali. Et ad illum Textum reſpondetur, dubium in fide eſſe infidelem, & hæreticum præſumptivè, & non formaliter, ideò abjurare debet ſolùm de vehementi.

9 Probatus vehementer, vel violenter de hæreſi ſuſpectus, debet abjurare de vehementi. Ità *Direct. p.* 2. *q.* 55. *Farin. q.* 187. *Souſa lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 1. *Albergbin. cap.* 15. *nu* 6.

10 Qui verò eſt levitèr ſolùm ſuſpectus de hæreſi, de levi tantùm debet abjurare. Ità *Repertorium v. Abjuratio* §. *Sed abjurationis*, *ex cap. Accuſatus* 8. § 1. *de hæret. in* 6. *Farin q.* 187. *num.* 31. *Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp* 7. *p.* 1. *num.* 8. *ex illis Albergbin. cap.* 15. *num.* 5.

11 Quòd ſi levitèr ſuſpectus fuit tortus, non debet cogi ad abjurationem, quia tortura in totum purgavit eam ſuſpicionem, ut probavi *caſu* 54. *q.* 30. *n.* 40.

12 Quarto reſpondetur, abjurationem de formali fieri publicè, *ex cap. Ad abolendam* 9. §. *Prætereà*, *de hæret. Ità Direct. p.* 3. *in octavo modo termin. proceſſum n.* 189. *Diana p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 81. *Farin. qu.* 194. *num.* 3. & 4. *ex illis Carena p.* 3. *tit.* 12. *num.* 21. Eodem modo abjurare debent ſuſpecti vehementer. *Ex eiſdem cum Pegna com.* 42. § *Adveniente*; Abjuratio de levi regulariter fit ſecretò. *Ità Genuenſ. cap.* 84. *Simanch. de cathol. tit.* 1. *n.* 24. *Farin. qu.* 194. *num.* 10. *cum eis Carena nu.* 28.

13 Comparens ſpontè, imò & quærelatus

relatus antè citationem benignè tractatur in eo, quod admittitur ad abjurandum ſecretò, ſicut & nobiles, atque Eccleſiaſtici bonæ alias famæ, *ex citatis Royas p. 2. nu. 272. Diana p. 4. tract. 8. reſol. 81.*

14 Quintò reſpondetur, ab abjuratione hæreſis neminem eximo, nec Imperatorem, quia à pœnis contrà Reos læſæ majeſtatis nullus excipitur. *Pegna p. 2. com. 40. verſ. His ità poſitis cum Carena p. 3. tit. 12. num. 40.* Omnes igitùr Rei de hæreſi convicti, ſeù confeſſi abjurare debent, maſculos quidem poſt annum decimum quartum, & fœminas poſt duodecimum, quia in eis viget perfectus uſus rationis ſufficiens ad incurendam hæreſim, & ejus ſuſpicionem, & magis hanc, quam ipſam hæreſim formalem. Ità *omnes cum Farin. q 194 nu 31. Souſa lib. 2. cap. 40. n. 4. Carena n. 41.*

15 Sextò reſpondetur, recuſans hæreticus formalis confeſſus, vel convictus abjurare, tradendus eſt Curiæ ſæculari tamquàm impœnitens, *ex Simanch. de cathol. tit. 1. num. 25. Farin. qu. 194. num. 34. Albergbin. cap. 33. num. 13. Carena p. 3. tit. 12. num. 47.* Suſpectus verò de hæreſi volens abjurare, cogitur carcere, ſeù excommunicatione, in qua ſi per annum permanſerit, obſtinatus pro hæretico punitur, ut ibidem dicitur.

16 Septimò reſpondetur, blaſphemum ſolùm hæreticalem eſſe ſubjectum abjurationi. Qui dupliciter autem ſpectari poteſt, *primò*, ut bis, aut ter, ſeù quater blaſphemavit ſub eodem judicio, *ſecundò*, ut probatur conſuetudinarius per quinque vices; *tertiò*, ut relapſus, *quartò*, ut alias abjuravit de vehementi, vel de levi.

17 Primo modo eſt tantùm de levi ſuſpectus, ut docent *Direct. p. 2. qu. 41. num. 5. com. Locatus v. eod. num. 5. cum illis Carena p. 2. tit. 7. nu. 20. Albergbin. cap. 16. nu. 14. & alii omnes.* Ratio prædictorum eſt, quia, qui non probatur conſuetudinarius eſt minus ſuſpectus, quàm ſit conſuetudinarius; ſed is eſt vehementèr ſuſpectus; ergò ille eſt talis ſolùm levitèr. Quare de levi tantùm abjurare cogendus eſt, *ut præcitati docent Carena nu. 70. qui nu. 69.* dixit, eum, qui ſemel in ira blaſphemavit non eſſe cogendum ad abjurationem, *ex Pegna p. 2. com. 66. Genuenſ. cap. 68. in fine. Lazar. q 6. num. 21.* ideò dixi, qui bis, aut ter, &c.

18 Secundo modo blaſphemus ſcilicèt conſuetudinarius, de quo latè dixi caſu 33. qui convincitur quinquies blaſphemaſſe hæreticalitèr, cenſendus eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi; Alii conſuetudinarium dicunt, qui blaſphemavit ultrà tres vices, *ex Diana p. 4. tract. 7. reſol. 8. §. Nota.* Sed ſtemus nos in numero quinario, *cum Lazario q. 8. n. 5. cum Carena n. 26.* Conſuetudinarius ergò eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi. *Ità omnes Itali cum Deciano lib. 6. crimin. cap. 3. n. 26. Maſcard. concl. 194. num 1. Sanctar. de hæreſi cap. 6. de Blaſphemia dub. 5. n. 5.* cum multis aliis *Carena p. 2. tit. 7. n. 23. Albergbin. cap. 16. n. 14. Farin. q. 10. n. 43. Souſa cap. 19. n. 18.* Quare tenetur abjurare de vehementi. *Ità Genuenſ. c. 68. n. 8. Laz. q. 6. n. 17. Carena p. 2. tit. 7. nu. 67. Diana p. 4. tract. 7. reſol. 8. §. Igitùr.*

19 Tertiò blaſphemus relapſus debet abjurare de vehementi, quia relapſitudo, ut probavi præcedenti caſu, arguit vehementē ſuſpicionē contrà relapſum, quandò non pro-

probatur hæreticus formalitèr. Quare qui in primo judicio abjuravit de formali hæreſim, & in ſecundo probatur tantùm ſuſpectus de blaſphemia, abjurare debet de vehementi, quia prior abjuratio eſt urgens argumentum inferendi blaſphemum hunc licèt unica vice, eſſe valdè ſuſpectum de hæreſi. Quòd ibi dixi num. 8. relapſum non admitti ad abjurationem intelligitur reſpectu ſecundi judicii, in quo denuntiatus probatur formalis hæreticus.

10 Quarto modo, qui aliàs abjuravit de vehementi, vel de levi cenſetur vehementèr ſuſpectus; tùm ratione reiterationis ejuſdem criminis, tùm quia cum deceperit Eccleſiam, cui promiſit per abjurationem permanere in fide, & nolle ampliùs blaſphemare, judex prudentèr arbitrari poteſt, blaſphemum eſſe vehementèr ſuſpectum, juxtà ſententiam Concilii Tarraconenſis relati caſu 55. num 9. Si enim reiteratio ejuſdem delicti arguit vehementem ſuſpicionem, à fortiori adjuncta abjuratio.

11 Octavo reſpondeo, in omni abjuratione ſpecialis hæreſis de formali, ſeù vehementi, aut levi, ſuper qua confeſſus, vel convictus fuit Reus, debet adjungi generalis abjuratio omnium hæreſum in communi, non ſolùm, quia ità in more poſitum eſt, *ex Gloſa monginali cap. Accuſatus* 8 §. *Eum verò de hæret. in 6. v. Simplicitèr.* verùm etiam, quia hæreſum natura, & conditio id poſtulat, eo quòd hæreſes caudas habent ad invicem colligatas, *cap. Excommunicamus* 13. *de hæret.* ergò omnium abjuratione Reus ſolvere debet, & diſgregare, ne radices figant in detrimentum fidei Catholicæ. Ità ſpecialitèr, & ſimul generalitèr abjuravit Berengarius hæreticus his verbis: *Anathematizo omnem hæreſim, & præcipuè eam, de qua hactenùs infamatus ſum.* Relatus *cap. Ego* 42. *diſt.* 2. qui negabat verum Chriſti corpus, & ſanguinem ſub ſpeciebus conſecratis. Ità docent omnes cum *Pegna com.* 40. *Farin. q.* 194. *num.* 13. *Carena p.* 3. *tit.* 12. *nu.* 36. 37. & 38. *Diana p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 68. ſic practicari in Hiſpania. Aliàs nihilominùs nonnulli dixerunt, abjurantem de levi non teneri abjurare generalitèr, ea ratione, quia omnis abjuratio regulatur ab abjuratione Berengarii, quæ fuit de formali. Sed hæc ratio nullius eſt momenti, quia Berengarius non abjuravit de vehementi; ergò non eſſet indicenda iſtis abjuratio generalis, ſi ſequendum eſſet pro regula factum Berengarii. Quare cum qualitas abjurationis, ſivè de formali, ſivè de vehementi, ſivè de levi referatur ad conditionem hæreſis quovis modo Reus abjuret ſpecialitèr, cogendus eſt abjurare etiam generalitèr, licèt ſpecialis abjuratio ſit de levi, quia adhuc per illam abjuratur hæreſis ſpecialis, quæ cum aliis connexionem habet, ideò per generalem abjurationem tollenda eſt hujuſmodi connexio, & colligatio hæreſum.

# CASUS LVIII.

## De Pœnis, quibus Blaſphemi puniuntur.

1 POEna eſt corporis ſupplicium, animæ verò medicina, & ſanitas, juxtà illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 5. num. 5. *Tradere bujuſmodi Satanæ in interitum carnes, ut Spiritus ſalvus ſit.* Undè S. Auguſt. lib. 1. Retractat. cap. 9. dixit, quod pœna eſt medicina culpæ, & in cap. 1. de ſent. excom. in 6. excommunicatio vocatur medicinalis, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, niſi ejus contemptorem! Hanc veritatem agnovit ille Divinus Plato, qui in Gorgia ait. *Nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur.* Inquiſitorum finis in puniendis delinquentibus, reſpicit magis emendationem animæ, quàm corporis ſuplicium, quamvis utrunque intendat, ſed unum in ordine ad aliud. Antequàm recenſeam pœnas blaſphemis infligendas, placet prȩmittere nõnullas propoſitiones, quaſi regulas in materia pœnarum.

Prima *Pœna ſupponit culpam. l.*
2 *Sancimus* 22. *c. de pœnis D. Thomas* 2.2. *q.* 108. *art.* 4 ait pœnam non ſemper arguere culpam, intellige tu culpam lætalem, quia ſunt in quibuſdam Religionibus conſtitutiones, quæ non obligant ad culpam, ſed tantum ad pœnam, propter tranſgreſſionẽ ejus; undè hujuſmodi pœna non ſupponit culpam lætalem, hoc eſt peccatum, ſupponit verò aliud genus culpæ, nimirùm moralis, & legalis tranſgreſſionis ſinè peccato. Itaque vera eſt hæc regula quod pȩna ſupponit culpam theo-
3 logalem, vel legalem.

Secunda. *Pœna debet proportionari delicto; cap. Non afferamus* 21. 24. *qu.* 1. *cap. Felicis, §. Illud, de pœnis in* 6. *juxtà illud Deuter.* 25. 2. Pro menſura peccati erit, & plagarum modus. *Et cap. Quæſivit* 2. *de jis, quæ fiunt à major.* Dicitur in fine, quod pœna non eſt ulteriùs protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum. Et pœna augenda eſt, creſcente malitia, ſeù contumacia cap. 5. Ut lite non cont. Quia ubi gravior eſt culpa, ibi major debet eſſe pœna, *cap. Cum bona, de ætate, cap. Tanta, de exceſſib. prælator. Vide Giurbam conſ. crim.*
4 53. *num.* 34. *& conſ.* 83. *num.* 8.

Tertia. *Duplici pœna quis puniendus non eſt. cap.* 4. *in fine de judic.* Intellige, quandò per unam ſufficientèr punitur, ut ait *Gloſ. ibidem v. duplici*, aliter poteſt quis pluribus pœnis caſtigari, quæ ſimul acceptæ commenſurentur delicto, *Gloſ. v. & carceri, cap. Attendendum* 13. 17. *q.* 4. Pœnæ ergò non repetuntur ex allegatis à *Gloſ. v. Dignitatem, cap. Contumaces* 21. *diſt.* 50. Fallit hoc in Legislatore, qui in ſua lege plures ponit pœnas contrà tranſgreſſores, ut experientia, & uſus docet,

maxi-

maximè præſentibus temporibus, ex allegatis *à Naldo v. Pœna nu.* 17. ſolent Inquiſitores addere pœnis corporalibus ſpirituales, ut per has converſi, conſerventur in fide catholica, undè pluralitas pœnarum intelligitur interdicta, quæ eſt afflictiva corporis, vel marſupii vulnerativa.

5 Quarta. *Pœna à jure præſcripta infligitur, & non alia. cap. de cauſis* 4. §. *illis etiam, de offic. de leg.* Judex tamen pœnam juris aggravare poteſt, vel minuere, attenta delicti qualitate, ut illi commenſuretur. Sed quoniam ut plurimum delicta non ſunt talia, qualia ſupponuntur in jure, propter varietatem circunſtantiarum, ideò arbitrariæ ſunt judicibus, *Gloſ. v. Arbitrarium, cap. Super his* 16. *de accuſat.* Si quis autem caſtigari non poteſt pœna legis, alia puniri debet arbitrio judicis, *Gloſ. v. Suſpenſi extrav. com. de elect.*

6 Quinta. *Pœna unius eſt multorum metus* Ità vulgus, *ex cap. Quapropter* 47. 2. *q.* 7. *cap. fin. de calumn.* ex Deuter. 17. 13. ibi: *cunctuſque populus audiens timebit.* ſuplicium ſcilicèt mentis inferendum illis, qui nolunt obedire Summo Pontifici. Undè pœna dicitur eſſe in exemplum aliorum, *cap. cum quidam* 12. *cap. ſi. cut* 13. *de jurejur. cap. ea quæ de ſtatu Monach.* Ex quibus habes, pœnam non ſolùm eſſe medicinam afflictorum, ſed etiam aliorum, qui metu, & timore ſuplicíorum abſtinent ſe à malis. Quare in Officio S. Inquiſitionis publicè leguntur crimina Reorum, & condemnantur coram populo, ut quilibet perterritus ſeveritate hujus Sacri Tribùnalis, diſcat ſervire Deo in timore, & tremore, perſeverando in obedientia Sanctæ Matris Eccleſiæ.

7 Sexta. *In dubio pœnæ ſunt reſtringendæ* Reg. 15. in 6. ubi dicitur, quod odia ſunt reſtringenda, ergò & pœna, quæ eſt ſpecies odii reſpectu Rei, quia in pœnis benignor interprætatio facienda eſt, Reg. 49. in 6. mitior ergò in dubio eligitur. Et Decius in cap. *ex literis de conſtit. num.* 48. ait pœnam pluribus modis intellectam ſumi pro minori. Undè quando dubitatur an ſit temporalis, an perpetua, cenſenda eſt temporalis, *Gloſ. fin. in cap. non oportet* 10. 33. *q.* 4. *Gloſ. ſuper regul.* 49. *Abbas in cap. ex literis præcit.*

8 Septima. *Ad evitandam pœnam ſufficit quælibet cauſa etiam beſtialis.* Rota *p.* 2. *Recent. deciſ.* 268. *num* 3. *Surd. deciſ.* 78. *num.* 7. & *deciſ.* 188. *num.* 6. *relata ab alia Rota deciſ.* 562. *num.* 18. *p.* 2. *tomi primi Noviſſ. apud Rubeum.* Sed hæc propoſitio locum non habet, ubi agitur de delicto omninò certò, & conſtante, quia tunc nulla cauſa inſufficiens, & beſtialis excuſat à pœna, quæ omninò ſuſtinenda eſt in hoc officio. Vide quæ dixi *caſu* 55. *nu.* 36. de cauſa beſtiali.

9 Octava. *Pœna non incurritur niſi per ſententiam, quamvis à lege lata ipſo jure. cap. Non debet* 64. 11. *q.* 3. ubi dicitur, quòd quis non debet ſuſtinere pœnam canonicam, in quam nondùm prolata eſt ſententia legitima, undè *Gratian. ad cap. ſivè* 4. §. *In hoc,* 33. *q.* 2. ait, quòd pœna non eſt inferenda niſi per Judicem; Quare Legislator pœnam præſcribit, & Judex per ſententiam facit illam exequi à condem-

nato

nato, eſt enim miniſter legis, quam exequi oportet. Fallit in cenſuris, quæ ipſo jure incurruntur poſt perpetratum delictum, quia executionem paratam habent, & ſecum trahunt ſine ullo judicis miniſterio *cap. Paſtoralis 53 § Verùm de Apellat.* & licèt ibi ſermo ſit de excommunicatione, idem tamen dicendum eſt de reliquis duabus quia pari paſſu currunt cum ea *Gloſ v Suſpendendum cap. dilectis §. de appellat. per alia jura ibi allegata.* Procedit quo ad cenſuram ipſo jure inflictam, nam comminatoria petit ſententiam, quia lex eam non infligit ipſo jure, ut ſcilicèt incurrantur cum ipſa tranſgreſſione. Sed de his ſatis.

10 Notandum autem eſt, quòd duplex eſt pœna, ordinaria ſcilicèt, & arbitraria, illa lege, & conſtitutione præſcribitur, hæc arbitrio judicis infligitur contrà Reum. Arbitrium autem debet eſſe regulatum, à gravitate delicti, & qualitate perſonæ, attentis etiam aliis circumſtantiis. *de utraque Decian. lib. 5 crimin. cap. 40. & Azor. p 1. lib. 8. cap. 10.*

11 Antequam autem feratur ſententia, debet conſtare de delicto, & Reus audiri debet, nam inaudita parte nullus condemnandus eſt, quia ſententia inaudita parte lata nulla omnino eſt, *cap. 1. de cauſa poſſeſſ.* & judex ante ſententiam totum proceſſum recognoſcere debet, & rimari omnia in eo contenta, cap. cum Joannes 10. in fide de fide inſtr. undè D. Auguſt. relatus cap. 1. 2. q. 1. inquit. *Nos in quemquam ſententiam ferre non poſſumus, niſi aut convictum, aut ſpontè Confeſſum* Quod eſt ſecundùm allegata, & probata judicare ex vulgatis juribus.

12 Sed nunquid in die feſto poteſt ferri ſententia? Jam id practicatur, ut populus, & plebs audiendo pœnas contra ſceleratos hæreticos, & blaſphemos, terrore perculſi, erudiantur in diſciplina catholicæ fidei. Et ita declaravit S. Congregatio, referente *M. Antonino, lib. 3. reſol. fin. rationes pro utraque parte.*

13 De pœnis contrà Blaſphemos agunt *Pegna p. 2. com. 66. Marius Italia de Immun. cap. 5 §. 6. num. 86 latiſſimè Barboſa Allegat 51. à num. 97. Carena par. 2 tit. 7. à num. 71.* Referam pœnas juris Pontificii, ut quiſque eas in promptu habeat.

14 Capite 2. de maled. ſic decernitur. *Si quis contrà Deum, vel aliquem Sanctorum, & maximè Beatam Virginem linguam in blaſphemiam publicè relaxare præſumpſerit, per Epiſcopum ſuum pœnis debitis ſubjiciatur, videlicèt, ut ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ palàm, dum aguntur Miſſarum ſolemnia, exiſtat, & ultimo die Dominico, pallium, & calceamenta non habeat ligatus corrigia circà collum, & ſextis quibuſque feriis infrà illud tempus contentis in pane, & aquâ jejunet, arceaturque ab Eccleſiæ ingreſſu, & tres ſi poterit, alioquin duos pauperes, aut unum reficiat illis diebus. Quod ſi ad hoc ei facultates non ſuppetant, in aliam pœnam commutetur, quam ſi licere recuſaverit, & interdicatur ingreſſus Eccleſiæ, & Eccleſiaſtica careat ſepultura, ſi deceſſerit.* Hanc publicam pœnam faciunt tantùm laici, nam Eccleſiaſtici pœnitentiis publicis non ſubiiciuntur, *cap. 1. de Bigamis cap. Præsbyter. diſt.* 82. Ità

82. Ità Canoniſtæ ſupradictum caput, & cum illis *Barboſa dicta allegation.* 51. *num.* 97.

15 Leo X. in Concilio Lateranenſi, Bulla incip. ſupernæ diſpoſitionis 7. §. 33. ſequentia ſtatuit contrà blaſphemos: *Ut quicumque Deo palam, ſeu publicè maledixerit, contumelioſiſque, atque obſcenis verbis, Dominum Noſtrorum Jeſum Chriſtum, vel Glorioſam Virginem Mariam Dei Genitricem expreſsè blaſphemaverit, ſi munus publicum, juriſdictionem ve geſſerit, perdat emolumenta trium menſium, pro prima, & ſecunda vice dicti officii; ſi tertio deliquerit, illo, eò ipſò privatus exiſtat. Si clericus, vel Sacerdos extiterit, eò ipſò, quòd de delicto hujuſmodi fuerit convictus, etiam beneficiorum, quæcumque habuerit, eo privetur, ſi plura, quòd Ordinarius maluerit, id amittere cogatur; quod ſi tertio ejus ſceleris convincatur, dignitatibus, beneficiis omnibus, quæcumque habuerit, eò ipſò privatus exiſtat, eaque libere impetrari, & conferri poſſint.*

*Laicus verò blaſphemans, ſi nobilis fuerit, pœna viginti quinque ducatorum mulctetur, & pro ſecunda vice quinquaginta, pro tertia nobilitatem amittat; ſi verò ignobilis, & plebeus fuerit, in carcerem detrudatur. Quod ſi ultrà duas vices publicè blaſphemaverit, mitra infami, per integrum diem, ante fores Eccleſiæ principalis, coronatus ſtare cogatur. Quod ſi ſæpius in hoc peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur. Et qui reliquos Sanctos blaſphemaverit, arbitrio judicis rationem perſonarum habituri, aliquantulò mitius puniatur.*

*Et judices ſeculares, qui, in talis blaſphemiæ convictos, non animadverterint, nec eos juſtis, & debitis pœnis affecerint, quantum in eis fuerit, quaſi eodem ſcelere contaminati, eiſdem quoque pœnis ſubiiciantur. Qui verò in illis puniendis ſolliciti, & ſeveri fuerint, qualibet vice, decem annorum indulgentiam conſequantur, & tertiam partem mulctæ* 16 *pecuniariæ habeant.* ſupradictæ pœnæ non practicantur, maximè pecuniariæ, & privationis beneficiorum, ideò tranſierunt in arbitrarias.

17 Julius III. in ſua incip. *in multis* 23. contrà blaſphemantes in Urbe, alias imponit pœnas, tradens modum denuntiandi illos, quæ legi poſſunt loco præcitato, omiſſæ à nobis, quia aliis non inſeruiunt extrà Romam.

18 Pius V. conſtit. 5. incip. *Cum primum* contrà blaſphemos, ſequentia ſtatuit. *Ad abolendum nefarium, & execrabile blaſphemiæ ſcelus, quod in antiqua lege Deus puniri morte mandat, & Imperialibus quoque legibus præceptum eſt, nunc autem propter nimiam judicum in puniendo ſegnitiem, vel potius deſuetudinem, ſupra modum invaluit. Leonis X. prædeceſſoris noſtri in noviſſimo Lateranenſi Concilio, ſtatuta revocantes, decernimus, ut quicumque Laicus Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & Glorioſam Virginem Mariam, ejus Genitricem expreſsè blaſphemaverit, pro prima vice pœnam viginti quimque ducatorum incurrat, pro ſecunda pœna duplicabitur, pro tertia centum ducatos ſolvet, ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui plebeus fuerit, nec erit ſolvendo, pro prima vice manibus poſt tergum ligatis, ante fores Eccleſiæ conſtituetur per diem integrum, pro ſecunda fuſtigabitur per urbem, pro tertia ei lingua*

*perfo-*

*perforabitur, & mittetur ad triremes.*

*Quicumque Clericus blaſphemiæ crimen admiſerit, pro prima vice fructibus unius anni, etiam quorumlibet beneficiorum ſuorum, pro ſecunda beneficiis privetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quòd ſi Clericus nullum beneficium habuerit, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro ſecunda carceribus mancipetur, pro tertia verbalitèr degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blaſphemaverit, pro qualitate blaſphemiæ judicis arbitrio puniatur.* Vide *Sayr. lib. 6. cap. 13. à n. 15. de dictis Bullis.*

19 Nota primò, quòd Conſtitutio Leonis X. per hanc Pii V. fuit revocata, nam alterantur pœnæ, ideò fuit neceſſaria revocatio, ut derelictis pœnis à Leone X. inflictis, reciperentur à Judicibus pœnæ Pii V. in eo, in quo diſcrepat à ſuo prædeceſſore; Ideò Barboſa, à quo hæc recepi *allegat. 51. num. 100.* utitur verbo *Revocantes*. Bullarium verò ejus loco habet *Innovantes*. Utrunque ſuſtineri poteſt, quia Pius V. innovat ſtatuta Concilii Lateranenſis in eo, in quo ambo Pontifices conveniunt, revocat verò ea, quæ contrariantur ſuæ diſpoſitioni; per poſteriora enim derogantur prioribus.

20 Nota ſecundò, Pium ea verba, *palàm, & publicè blaſphemaverit*, non expreſſiſſe in ſua Conſtitutione, inſinuando, omnes blaſphemos ſivè publicos, ſeù privatos, & occultos eſſe puniendos, quandocunque probantur convicti de blaſphemiis.

21 Nota tertiò, illam clauſulam, *pro prima vice* non referri ad numerum condemnationum, ſcilicèt pro prima vice condemnationum, ſcilicèt pro prima vice condemnationis puniatur pœna 25. ducatorum, intelligitur ergò de de prima vice punitionis, non incurſionis blaſphemiæ. *Ità ex Genuenſ. cap. 63. Barboſa dicta alleg. 51. num. 100. Gratian. cap. 93. numer. 22.*

An blaſphemus incurrat aliquam pœnam ſpiritualem cenſuræ, irregularitatis, ſeù infamiæ?

22 Nullam invenio in jure ſtatutam, ſed ſolùm ſuprà dicitur in illis Bullis, quòd privandus eſt honoribus, & dignitatibus, atque officiis. Itaque ante ſententiam nullas incurrit pœnas, nec privationes. Vide caſum 61. quomodò ſit irregularis.

23 Pœna contrà blaſphemum ſimplicem eſt arbitraria, tàm in Judice Eccleſiaſtico, quàm laico; datur enim locus præventioni, cum ſit delictum mixti fori. Ex allegatis *à Barb. alleg 51. nu. 94.* cum aliis *Sperel. deciſ. 134. ubi num. 11.* probat, punitum ſufficienter à Judice Eccleſiaſtico, non eſſe puniendum à laico, & è contrà, quia non conſurgit duplex tribulatio.

24 Demùm plerique tenent, pœnas contrà blaſphemos etiam hæreticales eſſe arbitrarias, cum quibus ſentiunt *M. Italia lib. 1. de Immun. cap. 5. §. 6. num. 85. Menoch. caſu 375. numer. 26.* quia pœnæ juris communis abjerunt in deſuetudinem.

Quæres, An blaſphemus perſiſtens in negativa pravæ intentionis tortus, & ſuſpicione hæreſis abjurata, puniendus ſit

ſolùm

ſolùm quo ad blaſphemiam, an etiam quo ad ſuſpicionem hæreſis.

25 R. Puniendus tantùm pro blaſphemiâ, quia cum per abjurationem ſe oſtenderit innocentem, per hoc puniendus non eſt, cum & ipſa abjuratio fuerit illi etiam pœna. *Sanchez lib. 2. cap. 32. numer. 12. ex Navar. conſ. 18. & 19. de hæret. Caſtropal. part. 1. tract. 4. diſp. 7. part. 1. num. 8. & 9. ex eo Cardin. de Lugo de fide diſp. 25. ſect. 2. num. 26. ad 29.* Pœna ergò infligenda eſt, pro delicto blaſphemiæ, ſeù alteriùs delicti inferentis ſuſpicionem hæreſis, non verò pro ipſa hæreſi, de qua directè non conſtat, ſed tantùm præſumitur de jure illius ſuſpicio, quæ purgatur, & tollitur in parte per torturam, & per abjurationem, qua fatetur ſemper credidiſſe, & in poſterum crediturum Dei gratia favente, deteſtando quamlibet hæreſim, & in particulari illam, de qua ſuſpectus fuit, in futurum nunquàm commiſſurum tale delictum, quo jure habitus fuit de hæreſi ſuſpectus.

# CASUS LIX.

## De Blaſphemia in Spiritum Sanctum.

1 SAnctus Matthæus Evangeliſtarum Princeps cap. 12. à num. 31. agit de hac blaſphemia his verbis: *Ideò dico vobis: Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contrà Filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contrà Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Clariùs idem dicit S. Marcus 3. 28. *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemaverunt. Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed Reus erit æterni delicti.* Blaſphemia ergò in Spiritum Sanctum eſt ità horrenda, & execrabilis, & enormis, ut non remittatur in æternum. Sed quid eſt hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum, quæ eſt irremiſſibilis? Deus enim eſt omnipotens, & maximè in parcendo, & ſummè miſericors, volens, quantùm ex ſe eſt, parcere quodvis peccatum, quamvis ſit graviſſimum; ergò etiam peccatum in Spiritum Sanctum, quantumvis illud ſit grave.

2 Peccatum in Spiritum Sanctum eſt impœnitentia finalis, qua homo obſtinatus vult mori in peccato mortali, nihil curando de ſua ſalute; obſtinatio igitùr in peccato, & deſperatio propriæ ſalutis, eſt peccatum in Spiritum Sanctum, irremiſſibile, non ex parte Dei, qui omnia peccata etiam graviſſima remittere poteſt, & quò ſunt graviora, eò manifeſtior eſt ejus divina omnipotentia, ſed ex parte hominis obſtinati, qui
3 non curat de propria ſalute. Ad remiſſionem autem cujuslibet peccati, non ſolùm requiritur Dei omnipotentia, qui ſemper paratus eſt parcere, ſed etiam diſpoſitio ipſius peccatoris, qui debet peccata commiſſa deteſtari, de 7
quibus ſi non vult dolere, ſed in eis jacere, ut in ſterquilinio, certè irremiſſibile remanet ejus peccatum, juxtà illud Iſaiæ 45. 22.
4 *Convertimini ad me, & ſalvi eritis.* Ergò è contrà, qui non vult converti ad Dominum, ſed mori obſtinatè in peccatis, non habet illorum remiſſionem, quia peccavit in Spiritum Sanctum. Ità docent Sancti Patres apud Magiſtrum ſentent. lib. 2. diſt. 43. 8
ubi optimè Scotus ſic diſcurrit.
5 *Cum igitùr poſt dilectionem Dei actus perfectiſſimus, quo voluntas tendit in Deum, ſit actus ſpei, oppoſitum ejus erit peccatum graviſſimum, & hoc eſt peccatum deſperationis, ſivè obſtinationis in malo, cum deſperatione, & propoſito non pœnitendi, & hoc eſt peccatum in Spiritum Sanctum. Ad peccatum in Spiritum Sanctum requiruntur tria, ſcilicèt, quòd ſit ex certâ malitia, quòd ſit contrà præceptum primæ* 9

tabu-

*tabulæ, & quòd ſit actus oppoſitus perfectiſſimo actui converſivo, & hoc modo eſt peccatum in Spiritum Sanctum finalis impœnitentia, non quia homo decedit ſinè pœnitentia, ſed quia habet propoſitum de nunquàm pœnitendo, & oritur ex deſperatione.* Hæc Doctor ſubtilis.

Sed quæres, cur finalis impœnitentia vocetur blaſphemia, & peccatum in Spiritum Sanctũ?

6 R. Deſperationem, obſtinationem in peccato, & impœnitentiam finalem in eo, qui dicit ſe nolle pœnitere, ſed mori in peccato, nuncupari blaſphemiam, quia derogat divinæ bonitati, quæ parata eſt omnibus parcere propter ſuam infinitam bonitatem, & miſericordiam.

7 Vocatur verò peccatum in Spiritum Sanctum, quia deſperatio, & impœnitentia finalis provenit ex ſpeciali, & certa malitia nolendi pœnitere, opponitur ſpeciali bonitati, quæ appropriatur Spiritui Sancto, & ſi enim attributum Divinæ bonitatis eſſentiæ competit, quia ſolus Deus bonus eſt in ſe, & in perſonis, quibus Divina eſſentia communicatur, ac proindè ſingulæ perſonæ ſint bonæ eſſentialiter: nihilominus ſolus Spiritus Sanctus per 8 appropriationem dicitur bonus, ſicut Pater dicitur potens, & 9 Filius ſapiens, ſingulis perſonis peccatum ſpeciale blaſphemiæ opponi poteſt, nam dicens Patrem Impotentem, blaſphemat contrà Dei Patris potentiam, dicens verò Filium ignorantem, blaſphemat contrà ejus Sapientiam, dicens tandem ſe nolle pœnitere, ſed mori in peccato, committit peccatum deſperationis, blaſphemiam in Spiritum Sanctum contrà bonitatem, quæ opponitur huic ſpeciali malitiæ deſperationis nolendi pœnitere, dum per amorem Spiritus Sancti invitatur ad pœnitentiam. Dicitur etiam pec- 10 catum in Spiritum Sanctum, quia ſicut Spiritus Sanctus verè, & propriè procedit ſolus à Patre, & Filio per divinam voluntatem, ità & hoc peccatum deſperationis verè, & propriè provenit ſpecialitèr à malitia certæ voluntatis pravæ hominis, qui dicitur peccare hoc peccato impœnitentiæ finalis, non per fragilitatem, non per ignorantiam, nec per malitiam generalitèr acceptam, ſed per malitiam certam ſpecificatam ab obſtinatione ejus, qui cognoſcit ſe poſſe ad pœnitentiam diſponere, & liberè tenuit.

Nunquid ſic impœnitens denuntiandus eſt S. Inquiſitioni?

11 Reſpondetur, qui ſanæ mentis exiſtit, & vult mori impœnitens, tamquàm peccator certus caret Eccleſiaſtica Sepultura ex Rituali Romano. Quòd ſi ſupervixerit, denuntiandus eſt, quia ſe reddit ſuſpectum de miſericordia Dei, & quòd omne peccatum non ſit remiſſibile; præſumitur enim moveri altero ex his duobus ad negligendam pœnitentiam, & converſionem ad Deum.

Dubitatur verò, an contingere poſſit deſperatio ſine hæreſi, & actu infidelitatis.

12 R. D. Thomas affirmativè 2. 2. *q.* 20. *art.* 2. quia remoto poſteriori non ſemper removetur, quod eſt prius; ſpes autem eſt poſterior fide, ſaltẽ ordine naturę; fides enim

eſt rerum ſperandarum in patria, quas ſperare non poſſumus ſinè fide; fides ergò antecedit ſpem; ergò ſpe remota, poteſt fides remanere, ac proindè dari deſperationem ſinè infidelitate. Sequitur ergò ex his deſperatum non eſſe denuntiandum Inquiſitoribus, quia deſperatio ſtare poteſt ſinè hæreſi, & infidelitate, propter quæ denuntiantur hæretici, & de hæreſi ſuſpecti.

13 Reſpondendum eſt, ut plurimùm deſperationem contingere cum hæreſi, & infidelitate; quis enim deſperatur, quia judicat ſe non poſſe ſalvari, quod eſt hæreticum contrà illud: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. Quandocunque ergò deſperatio oritur ex hoc judicio, quòd Deus non vult me ſalvare, ſum hæreticus. Si aliundè deſperatur quis v. g. ex eo, quòd non perſeverabit in bono, non ſalvabitur, motivum hoc non eſt hæreticum; ideò nec deſperatio conjunctam habet hæreſim. Quare, ut dixi, cum deſperatio ferè ſemper oriatur ex dicto judicio hæretico, Judex prudentèr movetur ad præſumendum contrà deſperatum, quod ſit hæreticus.

Quòd ſi deſperatus fateatur, ſuã deſperationem oriri ex eo, quod de facto putat ſe non perſeveraturum in bono, ac proindè ſe non poſſe ſalvari, nunquid illi credendum eſt, ac proindè evacuare per hoc ſuſpicionem hæreſis?

14 R. Non eſſe illi credendum, quia ratio præſumptionis hæreſis magis influit in deſperationem, quàm ratio non perſeverandi in bono, cum in eo perſeverare poſſit per Dei gratiam. Suſpicio igitùr per torturam, & abjurationem tolli debet, de vehementi, vel levi, attentis circunſtantiis deſperationis, & conditione perſonæ, quæ debet avertere ſe à deſperatione.

15 Simoniæ vitium dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, *cap. Petrus* 19. *cap. Eos qui* 21. 1. *q.* 1. Ratio deducitur ex Act. 8. 18. *Cum autem vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*. Simon, à quo denominatur Simonia, petiit ab Apoſtolis, ut ſibi venderent Spiritum Sanctum, & ex hoc, peccatum Simoniæ vocatur in Spiritum Sanctum.

Refero exemplum pro hujus probatione, relatum à Gulielmo Durando in ſuo Rationali *divin. offic. lib.* 5. *cap.* 5. narrat enim Ildebrandum Priorem Cluniacenſem, poſteà Gregorium Papam Archiepiſcopum Ebredunenſem, de Simonia accuſatum, non potuiſſe convincere teſtibus per ipſum corruptis, miraculosè ejus crimen probaſſe, præcipiendo, ut proferret verſiculum. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Patrem, & Filium benè proferebat, Spiritum autem Sanctum dicere nunquàm potuit, niſi poſtquam ſuum confeſſus fuit delictum. Signum evidens, quòd Simonia eſt contrà Spiritum Sanctum.

CASUS

# CASUS LX.

## An hæc verba. *Non mi fido ne anco di Dio*. Sint Blaſphemia hæreticalis?

1 QUidam civis inurbanus contrà Deum proferebat ea verba occaſione ſui villici, cui non fidebat, quia dubitabat, eum eſſe furem, ideò increpabat filium, ut occulator eſſet cum ruſtico, proferendo ea verba. *Non mi fido ne anco di Dio* Et tu credis huic ruſtico, quòd non te decipiet? &c.

2 Verba prædicta arguunt blaſphemiam hæreticalem, nam per ea malè dicitur de Deo, qui deberet laudari, & convitiatur ejus ſumma, & infinita juſtitia, & bonitas; non enim quemquam fallit, nec decipit, ſicut quandoque ruſticus fallit, & decipit ſuum patronum.

3 Dices, Deus aſſerit ſe decipere, apud Ezechiel. cap. 14. num. 9. *Ego Dominus decepi Prophetam illum*. Ergò ſi Dominus vocat ſe deceptorem, non eſt cenſendus blaſphemus ille civis, quia nihil affirmat contrà Deum, quod ipſe Deus non dixerit de ſe ipſo.

4 R. Deum permiſiſſe illam deceptionem, non verò eandem voluiſſe; permittere enim eſt non velle fieri, vel non fieri. Permiſit eam ergò deceptionem per os Prophetæ in pœnam quorundam, qui erant pleni iniquitatibus, & idola adorabant, non verò eos decepit voluntate poſitiva, & culpabili, ac proindè cum Deus culpabiliter neminem decipiat, quia ejus ſumma bonitas, & juſtitia id non patitur: non potuit ille blaſphemus proferre verba, niſi cum Dei inhonoratione contrà ejus ſummam bonitatem; non enim Deus decipit hominem, ſicut ruſticus decipit ſuum Patronum culpabiliter.

5 Dices iterùm, ea verba videntur eſſe contrà Dei ſpem, non verò contrà fidem, opponuntur enim hæ duæ virtutes, & una non ſtat cum alia, nam ea verba arguunt diffidentiam eandem contrà Deum, quam habebat erga ruſticum ille civis, ut indicat illa dictio *ne anco* inſinuat comparationem inter diffidentiam, in Deum, & ruſticum ſic: ſi non confido in Deo, in quo tamen fiduciam deberet habere, nulla ratione debet confidere in meo ruſtico, cum habeam majorem cauſam non fidendi. Dum ergò civis iſte non credit ruſtico ſuo, à quo nihil boni temporalis ſperat, ſed deſperat, & diffidit, non dicitur peccare contrà fidem humanam, ſed contrà ſpem humanam, cui opponitur diffidentia, & deſperatio.

6 Confirmatur, quia ſpes, & fiducia

ducia pro eodem accipiuntur; fiducia enim importat ſpem ad magna ſecundùm D. Thomam. 22. *quæſt.* 45. *art.* 4. & ab eodem *quæſtion.* 229. *art.* 6. fiducia dicitur robur ſpei, & in orat. Veſperam Feriæ ij. Dominicæ 2. Quadrageſ. dicitur
7 *Quibus fiduciam ſperandæ ſalutis indulges*. Fiducia ergò ſtat cum ſpe, non cum fide, undè in Tridentino ſeſſ. 6. can. 12. definitur, fidem non eſſe fiduciam divinæ miſericordiæ. Conſtat autem diffidentiam, de qua iſte civis, non opponi fidei, ſed ſpei, ergò peccavit in ſpem, non in fide.

8 R. Concedendo prædicta, non tamen indè ſequitur, quin ille peccaverit contrà fidem, ut probatum fuit, quia idem vitium blaſphemiæ, ſicut multa alia diverſi generis opponi poſſunt diverſis virtutibus, quæ patiuntur detrimentum ab eodem vitio.

CASUS

# CASUS LXI.

## De variis dubiis circà Blaſphemos.

DUbitatur primò, an blaſphemus ſit teſtis habilis in omni negotio?

R. Blaſphemus probatus talis repellitur à teſtimonio, licèt nondùm ſit condemnatus, à fortiori poſt condemnationem. Probatur *ex cap. Super* 13. *cap. Teſtimonium* 54. *de teſtib. ubi Doctores Barboſa citat*, ubi inquit, quòd perſeverans in crimine repellitur à teſtimonio, tàm in cauſa civili, quàm in criminali; emendatus verò non infamis, nec perjurus admittitur in civili, & in criminali civilitèr mota. In terminis *Gratian. cap.* 93. *numer.* 24. *ubi alios citat cum Farinac. quæſt.* 56. *num.* 420. *Caſtropal. p.* 3. *tract* 17 *diſp.* 2. *p.* 2. *§. V. num.* 6. contrarium ſuſtinet, nimirùm blaſphemum condemnatum non repelli à teſtimonio, dicendo, quia nec eſt infamis infamia juris, neque facti, nam jure civili non reputatur infamis ex *l. Famoſi ff. ad leg. Juliam Majeſt.* ubi lubricum linguæ non debet facilè trahi ad pœnam. Ex facto autem non poteſt dici infamis, quia hæc infamia ex pœnitentia, & criminis retractatione abolebitur. Subdit tamen, hunc teſtem non eſſe omni exceptione majo-
2 rem, quod intelligit, niſi multum temporis tranſierit, nimirùm duobus, vel tribus annis.

Sed cum Textus ſupracitati clarè loquantur, dictus Caſtropal. in hoc audiendus non eſt; conſtat enim evidenter, blaſphemum probatum talem, repelli à teſtimonio ex dictis juribus, cum ſit criminoſus, & à fortiori poſt condemnationem: nam ipſo
3 jure incurrit infamiam juris, ut expreſsè dicitur *l. Nullam* 14. *C. ex quibus cauſis infam. & notavi caſu* 54. *q.* 61. *num.* 96. Nec pro ipſo quicquam facit adducta lex,
4 nam ea verba: *Lubricum linguæ non debet facilè trahi ad pœnam*, ibi non loquuntur de crimine blaſphemiæ, ſed intelligenda ſunt de modo lubrico deponendi, nimirùm de modo temerario, & inconſiderato teſtificandi, juxtà *Gloſ. v. Temerè l. Si quantitatem* 2. *C. Qui bonis cedere*, nam verbum *Temerè* dictum ob linguæ lubricum, non præjudicat, quod eſt dicere, non eſſe trahendum ad pœnam contrà Reum; nulla ergò ratione ibi ſermo eſt de blaſphemia.

Dubitatur ſecundò, an Blaſphemus ſit infamis?

5 R. Affirmativè. Et quoniam duplex eſt infamia, quæ tollit bonam famam, facti, & juris. Infamia facti contrahitur duobus concurrentibus, nimirùm ut delictum ſit grave, & notorium; Illud autem dicitur grave delictum, cui imponitur pœna capitalis, aut poteſt, & debet accuſari, notorium debet eſſe, ut

dicatur

dicatur amiſiſſe bonam famam, ex jis quæ docet *Megal. de irregul. lib. 7. de cenſur. cap. 1. numer. 107. Bonac. q. 3. de irregul. p. 1, Sayrus de conſ. lib. 7. cap. 11.* certum autem eſt, quòd Blaſphemia unum eſt ex delictis gravioribus, cujus accuſatio, & denuntiatio competit omnibus, ut dicunt prælegati *Megal. num. 112. Sayrus num.*
6 *7.* ergò inducit infamiam facti contrà blaſphematorem. *Ità Lazar. quæſt. 5. num. 66.* ubi inquit, quòd ſicut eſt infamis offendens perſonam Principis; *l. Quiſquis C. ad leg. Jul. majeſt.* ità & à fortiori eſt infamis blaſphemator, qui offendit honorem Dei, aliis *allegatis à Gratian. cap. 93. num. 24.* Probatus ergò blaſphemus notorius eſt infamis infamia delicti. Quoad ſecundùm de infamia juris, patet ex dictis in præcedenti quæſtione, blaſphemum condemnatum, eſſe infamem infamia juris.

Dubitatur tertiò, An blaſphemus gaudeat immunitate Eccleſiæ?

7 R. Blaſphemus ſimplex gaudet, non verò hæreticalis ratione adjunctæ ſuſpicionis hæreſis, & licèt Bulla Gregoriana expreſsè, & in terminis ſtrictis nominet ſolam hæreſim, ſub qua in rigore non venit ejuſdem ſuſpicio, tamen quia blaſphemia hæreticalis pro foro externo, eſt inſeparabilis ab hæreſi, ideò cum blaſphemus proceſſandus ſit uti hæreticus, non eſt immunis, nec gaudet hoc Eccleſiæ privilegio. Præterquamquòd in Bulla eadem, excipiuntur ab immunitate, committentes crimen læſæ majeſtatis in Principem, à fortiori blaſphemantes hæreticalitèr, qui lædunt divinam majeſtatem potiorem, quàm humanam; non ergò debent gaudere immunitate Eccleſiæ, cujus Sponſum enormitèr offendunt. *Ità ferè omnes cum Pegna p. 2. Direct. Schola 9. §. Qui autem apud Dal bene par. 2. de immun. cap. 16. dub. 22. ſect. 3. nu. 9. melius ad rem dub. 24. ſect. 9. ubi multos citat, Barb. lib. 2. de jure Eccleſ. cap. 3. num. 124. Farin. q. 28. num. 67. & de immun. num. 173. Diana par. 4. tract. 1. reſol. 51. & par. 6. tract. 1. reſol. 16. q. 8. Riccius p. 2. reſol. 9. Alberghin. cap. 16. num. 16.*

Dubitatur quartò. An Blaſphemus excommunicari poſſit?

8 R. Utique per legem, & talem declarari, ſi eam incurrat, non verò per comminationem, & ejus executionem. Illud probatur, quia eſt crimen graviſſimum; ideò ſub excommunicatione latæ ſententiæ prohibèri poteſt. Hoc verò de comminatoria ſuadetur, quia hæc fertur cum ſubſequenti monitióne contrà contumaces, nolentes deſiſtere à peccato, quod habet tractum ſucceſſivum, *ex cap. ex parte de verb. ſignif. & cap. Romana 5. de ſent. excomm. in 6.* Undè dicunt omnes, quòd non poteſt quis excommunicari pro præteritis delictis, & culpis, niſi quatenùs habent tractum ſucceſſivum, vel niſi dependeant ab aliquo futuro, à quo ſi nolit deſiſtere, vel non ſatisfacere commonendus eſt, & factus contumax, & inobediens, tunc excommunicari poteſt, *ſecundùm omnes Canoniſtas ſuper citatis juribus, ubi Barb. ad dictum cap. Romana num. 14.* & ſic excommunicatio ferenda tranſit in latam. Hæc autem non poſſunt applicari blaſphemiæ, cum hæc tranſeat, volat

volat enim irrevocabile verbum, ideò qui jam blaſphemavit, non eſt monendus, ut contrà eum feratur excommunicatio, quia blaſphemia jam perpetrata ceſſat, nec pendet ab aliquo futuro, ideò monitio arguere non poteſt contumaciam, nec inobedientiam reſpectu præteritæ blaſphemiæ, & ſic excommunicandus non eſt. *Ità ex Suarez. Dal bene p. 1. cap. 2. dub. 8. ſect. 21. num. 11. & 16.* Quòd nec comminatoriè ſit excommunicandus, patet ex eo, quia non poteſt reduci ad actum, niſi per monitionem, quæ hìc locum non habet, ut dixi; ergò nec comminari, cum ſit quid fruſtratorium, dum non poteſt reduci ad actum.

Dubitatur quintò, An blaſphemus ſit irregularis?

9 R. Non ex vi ipſius blaſphemiæ, vel ſuſpicionis, ſed tantùm irregularis dicitur ex infamia contracta ratione notorietatis delicti in judicio, undè abjuratione infamia hujuſmodi ſublata, ceſſat irregularitas hæc, quia tollitur abjuratione. *Ità Henriq. lib. 14. de irregul. cap. 4. num. 6. fin. Suar. diſp. 43. ſect. 2. num. 8. & 9 Sanchez lib. 2. capit. 25. numer. 10. & 12.*

Dubitatur ſextò, An blaſphemia dicatur crimen læſæ majeſtatis, cum ſit ſpecialis offenſa contrà Divinam majeſtatem?

10 R. Negativè, quia blaſphemia committitur vitio linguæ, ſinè corporali læſione Divinæ majeſtatis, crimen verò læſæ majeſtatis perpetratur læſione corporali à ſubdito in ſuum Principem ſuperiorem non recognoſcentem temporalem, quia etiam omnis Imperator recognoſcit Papam, qui eſt Princeps Principum; Confirmatur, quia hæreſis, quæ eſt majus crimen, blaſphemia diſtinguitur à crimine læſæ majeſtatis, ex Bulla Gregoriana de Immunitate; ergò & ipſa blaſphemia. *Decianus lib. 6. cap. 3. num. 10.* blaſphemiam æquiparat crimini læſæ majeſtatis, ſicut & hæreſim, cui, ut plurimùm, eſt conjuncta, & hoc per quandam comparationem, quia utrunque eſt crimen publicum ab omnibus denuntiandum, & majus crimen læſio Divinæ majeſtatis, quàm humanæ *ex cap. Vergentis de hæret.*

Dubitatur ſeptimò, An blaſphemia ſit major homicidio?

11 R. Affirmativè, quia blaſphemia detrahit honori Dei, homicidium verò homini aufert vitam, ſed major eſt honor vita ipſa, *Farin. q. 15. de Accuſat. num. 6. Grammat. deciſ. 98. numer. 3. M. Anton. lib. 3. reſol. 11. num. 2.* ergò gravius peccatum blaſphemia, quàm homicidium. Confirmatur, quia dignius eſt objectum blaſphemiæ, quod eſt ipſe Deus, quàm objectum homicidii, quod eſt homo Dei ſervus, & famulus; ergò eò gravior eſt offenſa, quò excellentius eſt objectum offenſum. Deindè peccatum blaſphemiæ eſt contrà primam tabulam, & homicidium contrà ſecundam; ſed graviora ſunt peccata contrà primam, quàm contrà ſecundam ergò. *Decian. cit. lib. 6. capit. 3. num. 11.*

Dubitatur octavò, An Blaſphemia ſit gravior furto?

12 R. Affirmativè, propter rationes adductas in præcedenti quæſtione, & eodem Deciano *num. 12.*

Dubitatur nonò, An blaſphemia ſit gravior perjurio?

13 R. Affirmativè, quia per blaſphemiam immediatè contemnitur honor Dei, qui laudandus eſt ab omnibus, per juramentum verò falſum ſola Dei veritas læditur, & non aliæ perfectiones in Deo, ſicut per blaſphemiam, quæ opponi poteſt omnibus perfectionibus. *Ità D. Auguſt. contrà Mendacium capit.* 19. dicens: *Ideò pejus eſt blaſphemare, quàm pejerare, quoniam pejerando falſæ rei adhibetur teſtis Deus, blaſphemando autem de ipſo, falſa dicuntur Deo;* Perjurium igitùr in uno tantùm lædit Deum, in eo ſcilicèt, quod facit illum teſtem falſitatis contrà veritatem ejus infallibilem; blaſphemia verò Deum lædere in omnibus ejus perfectionibus, dum per blaſphemiam omnes à Deo removeri poſſunt, ſolam verò falſitatem perjurus Deo tribuere dicitur, cum remotione veritatis. Vide *caſum* 63. *numer.* 7.



CASUS

# CASUS LXII.

## An Blaſphemus ex ira confeſſus pravam intentionem, judicandus ſit hæreticus formalis?

1 QUidam confeſſus fuit, ſe ter diverſis temporibus pro re minima blaſphemaſſe ſic: *Non credo, che vi ſia Dio, ſe non fà venir i Diavoli, per portarmi via.* Interrogatus ſuper intentione. Reſpondit. *Hò ſempre creduto, che ci ſia Iddio.* Facta verò ei objectione ex ſupradicta blaſphemia. Reſpondit: *In quella colera per un' hora penſavo, e credevo, che non vi foſſe Iddio, perche ſe ci foſſe ſtato, haurebbe fatto miracoli, facendo venir i Diavoli à portarmi via, paſſata poi quell' hora dicevo, che coſa hò detto, e mi pentivo &c.* Ter igitùr protulit iratus eas blaſphemias, & in illis tribus vicibus per horam putabat Deum non eſſe.

2 Quæritur ſuper his *Primò*, an iſte uti formalis hæreticus ſit expediendus, an verò ſit ſolùm ſuſpectus de hæreſi? *Secundò*, an torquendus ſit ſuper perſeverantia ultrà horam, quòd Deus non fuerit? An verò ſtandum ſit ejus aſſertioni, quòd, finita hora, in unaquaq; vice abjecerit eam pravam intentionem contrà Dei exiſtentiam?

3 Ante prædictorum ſolutionem facit difficultatem ejus reſponſum, in quo videtur ſibi contrariari. Nam primò reſpondet, ſe ſemper Dei exiſtentiam credidiſſe; ſecundò ait, in illa ira per horam non credidiſſe Dei exiſtentiam; ergò non ſemper Dei exiſtentiam credidit, ſi dum erat iratus, non credebat. Ejus igitùr confeſſio non valet, nec juridica eſt, proindè tollitur utraque difficultas, quia non conſtat de formalitate hęreſis ex hac imperfecta confeſſione, propter ejus cõtrarietatẽ; remanet ergò ſolũ ſuſpectus de hæreſi, ac proindè ulteriùs quærendũ non eſt, an poſt horam perſeveraverit in ea prava intentione.

4 Dico, eam confeſſionem fuiſſe veram, & legitimam, nec in ea apparet aliqua contrarietas, aliàs ſublata per reſponſionem ad objectionem, dum dixit ſemper credidiſſe Dei exiſtentiam extrà illam iram; ſic enim prædicta verba ſunt intelligenda; quantùm enim fieri poteſt, evitandum eſt perjurium in depoſitionibus teſtium, & Reorum, nam illud ſinè dolo non contingit. *l. Qui juraſſe ff. de jurejur. M. Ant. lib 2. reſol. 11. num. 41.* qui hìc nullatenùs reperitur, dum fatetur proprium delictum. Imò dato caſu, quòd hìc eſſet aliqua contrarietas in verbis, non eſt tamen in re, quia incontinenti interrogatus ſe correxit, & declaravit, quod fieri poteſt à reo, & à teſtibus, juxtà dicta ſub caſ. 45. Legitima eſt ergò confeſſio hujus blaſphemi ore proprio, quia habet omnes conditiones confeſſionis Reorum, de qua caſu 52. Quare priora duo dubia, quæ hujuſmodi confeſſionem ſupponunt, modò reſolvenda ſunt.

Ad primum reſpondetur, hunc blaſphemum eſſe hæreticum formalem, quia, quod ore dixit, corde, & mente credidit, nimirùm Deum non eſſe, & ſuum dictum ipſemet confirmavit, quia ſi eſſet Deus, feciſſet eum à Diabolo exportari.

Nonnulli ſe opponunt huic certæ concluſioni, aſſerentes, hunc non eſſe hæreticum formalem, ſed tantùm de hæreſi vehementèr ſuſpectum, & multis id probant.

6 Primò, quia cum hæreſis ſit eligere unam partem relinquendo oppoſitam v. g. mihi proponitur exiſtentia Dei, & ejuſdem inexiſtentia, ſi primum eligo, ſum catholicus, ſi ſecundum, ſum hæreticus, propter electionem hujus ſecundæ partis, priore relicta, quoniam autem in caſu propoſito electio nullatenùs locum habet, ſed ſupradicta verba immediatè ſunt ad unum determinata, hæreſis non reperitur hìc, cum illa prolatio verborum nullam ſupponat repræſentationem oppoſitorum, ex qua ſequi poſſit electio unius partis cum excluſione alterius, ſed blaſphemus immediatè prorupit in ea verba; blaſphemare enim non eſt actus electionis, ſed maledicentiæ contrà Deum.

Contrà eſt, quia hic reverà eſt actus electionis, nam poſt prolationem verborum elegit potiùs credere inexiſtentiam Dei, quàm ejuſdem exiſtentiam, ideò argumentum hoc nullius eſt momenti. Nam palàm eſt, dum ea verba protulit. *Dio non è Dio, ſe non mi fà portar via dal Diavolo*, habuiſſe in mente utrunque, exiſtentiam, & inexiſtentiam Dei, & elegiſſe hoc poſterius, dum non vidit contrà ſe prodigium.

7 Secundò non eſt hæreticus formalis, quia non fuit pertinax in ſua blaſphemia, nec in ejus credulitate, ut conſtat ex ejus verbis: *Paſſata poi quell' hora dicevo; oh che coſa hò detto, e mi pentivo d' haver detto, e penſavo, e dimandavo perdono à Dio.* Conſtat autem pertinaciam eſſe de ratione formali hæreſis, quæ ſinè illa ſubſiſtere non poteſt, ex communi Theologorum *cum D. Aug. lib. 4. contrà Donatiſtas cap. 6. & Epiſt. 164. apud Sanch. lib. 2. cap. 7. num. 2.* Etſi enim iſte blaſphemus ſciebat eſſe de fide, dari Deum, non ideò tamen fuit pertinax, quia non perſeveravit in ſua opinione, quia poſt horam in ſe reverſus, pœnituit, & pravam intentionem retractavit; non fuit ergò pertinax, nec obſtinatus in ſuo errore, cum in eo non perſeveraverit.

8 Contrà eſt, quia Adverſarius non benè intellexit, quid ſit Pertinacia in hæreſi, quæ nihil aliud ſignificat, quàm quis ſcit, ſe contrà fidem aliquid tenere, ad quod facit illud *Cicer. 1. de Finibus*: *Certè pertinax non ero, tibique, ſi mihi probabis ea, quæ dicis, libentèr aſſentiar.* Pertinax ergò ille dicitur, qui contrà rem ſcitam de fide firmitèr tenet, ac ſi non eſſet de fide. Pertinacia ergò non dicit perſeverantiam, nec permanentiam in hæreſi concepta, ſed in inſtanti committi poteſt, dum quis deliberatè negat, quod ſcit eſſe de fide, ſtatimque fit Reus formalis hæreſis; nullam ergò moram petit pertinacia hæreſis, quia pertinacia non ſpecificatur à permanentia in hæreſi,

hæreſi, cum potiùs ſupponatur eſſe, ut hæreſis incurratur; ſed à præſumptione tenendi contrà fidem. 9 Quòd pertinacia aliquam moram non petat, docent omnes Theologi *cum Sanch. lib. 2. cap. 7. num. 7. Carena p. 2. tit. 1. num. 12. & ſeq.* In momento igitùr hæreſis incurritur ſecundùm omnes *cum Ricciul. lib. 5. de jure perſon. cap. 2. num. Bellono Papienſi lib. 1. de bis, quæ incontinenti fiunt, cap. 193. num. 4. Diana p. 4. tract. 7. reſol. 36.* nec illa revocatio hæreſis, & recognitio erroris operatur, ne fuerit verè, & realitèr pertinax in ſua hæreſi, quia hujuſmodi actus pœnitentiæ arguunt præceſſiſſe crimen hæreſis, ac proindè blaſphemum fuiſſe formalitèr hæreticum; per hujuſmodi ergò pœnitentiam ceſſat pertinacia, & hæreſis, cujus ille fuit reverà Reus; non enim quem pœnitet ejus criminis, quod non perpetravit.

10 Tertiò probant, quia hæreſis initium habere debet à quiete animi; dum enim ipſa perficitur per actum intellectus, cujus ipſa eſt effectus, neceſsè eſt, quòd mens attendat ad id, quod corde concipit, ut dicatur pertinax, quæ non contingit, niſi per actualem cognitionem relatam in actum repugnantem ex propoſito fidei, ſed iratus non habet animi quietem, dum ira perturbatur; ergò aſſenſus in ea verba in ira prolata, non generat hæreſim, cum non ſit conjunctus cum pertinacia, facit illud commune axioma. *Ira impedit animum, ne ſciat cernere verum.* Huic igitùr irato ea hæreſis imputanda non eſt, quia in ea pertinax non fuit, dum ex ira non cognovit ſe tenere contrà fidem.

Hoc argumentum in tantùm probat, in quantùm ſupponit, hunc blaſphemum caruiſſe uſu rationis in prolatione verborum, & conceptu hæreſis. Id autem falſum eſt, quia ejus ira fuit levis non tollens uſum rationis, ut apparet ex ejus depoſitione, nam in tantùm credidit Deum non eſſe, in quantùm non fecit illud prodigium ferendi illum per Diabolum; ergò tunc habebat uſum rationis, ut patet ex ejus argumento.

11 Quartò probant, quia ejus credulitas eſt regulanda à tenore verborum blaſphemiæ, quæ fuit conditionalis, & nihil poluit in eſſe, quia non fuit adimpleta; ergò nec ſecuta hæreſis, ac proindè ea credulitas habenda eſt pro conditionata. Confirmatur. Tùm quia aſſenſus debet eſſe abſolutus, tàm reſpectu fidei, quàm hæreſis, & non pendere in futurum, quia ea, quæ ſunt fidei propter eorum perfectionem in eſſe ab æterno, quoad eorum veritatem, non debent pendere à futuro eventu. Tùm quia Deus in tantùm remanet Deus in mente hujus blaſphemi, in quantùm non verificatur conditio, cujus tempus, cum ſit indeterminatum, imò & conditio impoſſibilis, cum dependeat à facto Dei, cui nemo imperare poteſt, ità blaſphemans, & credens, quod blaſphemat, non evadit hæreticus formalis, quia non fuit purificata conditio.

12 Contrà, quia argumentum probat contrà Adverſarium, nam ea conditio purificata fuit ſecundùm negationem, adeò quòd hæreſis concepta ex verbis conditionalibus tranſivit in puram, & ſimplicem hæreſim formalem; in tantùm

tùm enim credidit Deum non eſſe, in quantùm exauditus non fuit; ergò non videns effectum petitum, ſuam hæreſim firmavit ſimplicitèr, arguendo, quia Diabolus non me vexavit; ideò Deus non eſt; ſi verò caſus petitus accidiſſet, reverà non fuiſſet hæreticus formalitèr, ut ſatis clarè patet ex verbis blaſphemis. Conſtat ergò ex his, credulitatem iſtius hominis regulari non ſolùm à verbis conditionatis, ſed etiam, & potiſſimùm ab effectu; ſi enim exportatus fuiſſet à Diabolo, evaſiſſet hæreticus formalis, ſed quia non obtinuit rem petitam; ideò judicatus fuit hæreticus formalis ex ore proprio, propter hoc ejus argumentum. Deus non eſt Deus, ſi non facit hoc, ſed non facit; ergò non eſt. Adde, quòd ſicut in contractibus; & aliis, conditiones turpes, & inhumanæ rejiciuntur, & non habentur pro adjectis, *l. quidam* 27. *ff. de condit. inſtit. l. non dubitamus* 20. *de cond. & dem.* Ità in caſu noſtro ea conditio non videtur ſpectanda ſimplicitèr, cum ſit turpis, & inhumana, ac proindè dici poteſt, eam hæreſim firmatam fuiſſe ſimplicitèr ab illo blaſphemo. Nihilominùs, quia in his attenditur etiam tenor verborum, ideò prior reſponſio videtur magis ad rem.

13 Ad primam confirmationem reſpondetur, aſſenſus fidei non pendere ab aliqua conditione, quia ejus veritas, & certitudo immediatè à Deo eſt; nihilominùs ſi mens hominis credat aliquid ſub conditione pertinente ad fidem, non malè facit, ut, credo hoc, ſi Deus dixit, ſi eſt de fide, ſi Eccleſia id propoſuit credendum, alitèr non; ſpectant enim hæ ad fidem, quam corroborant, ut aſſentiamur pro voluntatis affectu. Conditiones verò impertinentes, vel impoſſibiles, ſeù turpes, inficiunt blaſphemum, dum aſſerit ſe non credere niſi &c. v. g. non credo Deum eſſe ſapientem, ſi non facit meum filium eſſe doctum. Deus eſt Dominus, patronus rerum omnium, ſi obtinuero victoriam hujus litis. In his, ſum certè hic, & nunc hæreticus, quia de præſenti aſſero incertam eſſe Dei ſapientiam, & ejuſdem dominium, ſicut ſum incertus de futura doctrina filii mei, & victoria litis.

14 Ad ſecundam confirmationem reſpondetur non obſtare, quia, ut patet ex mox dictis, conditio non manet in ſuſpenſo, dum effectus petebatur de præſenti, & non accidit, ideò de præſenti hæreſis judicanda eſt perfecta in ſuo genere. Vide dicta ſub caſu 20.

15 Secundo quæſito reſpondetur, Rolandum non eſſe torquendum ſuper perſeverantia in illa credulitate, ſed illi credendum, quòd hæreſim retractaverit, poſtquàm depoſuerat iram. Probatur id, tùm quia certus non oportet ulteriùs certiorari *Reg.* 31. *in* 6. conſtat enim judici plenè de delicto, cum Reus fateatur, ſpontè ſe per horam in ea hæreſi permanſiſſe, in qualibet ex illis tribus vicibus; ergò ulteriùs quærendum non eſt, dum perfecta habetur cognitio delicti, ac proindè torquendus eſt ſuper permanentia, & duratione pravæ intentionis; ſicut enim confeſſus fuit delictum principale; ità confeſſus fuiſſet perſeverantiam in eodem, ſi in ea hæreſi ulteriùs permanſiſſet; qui enim confitetur majus, cenſetur etiam dicere veritatem

tem ſuper minus, & acceſſorium, quod eſt minus delictum; Tùm quia creditur hæretico pœnitenti ex propriis ejus actibus, licèt non evadat pœnas, undè & indicitur ei abjuratio, quæ non imponitur impœnitentibus, & obſtinatis in ſuis erroribus, qui ſinè abjuratione caſtigantur, ex caſu 57. num. 15. Sed is aſſerit in ſuo examine poſt horam mutaſſe pravam intentionem in bonam; ergò ejus aſſertioni ſtandum eſt; quod ſuadetur ex cauſa ab eo allata, dum aſſervit, ſe mutaſſe ſententiam, quandò ceſſavit ira poſt horam; veriſimile enim eſt, & valdè probabile, hæreſim deteſtatum fuiſſe, dum ceſſavit ira, quæ fuit cau-
16 ſa hæreſis. Tùm quia Doctores, dum aſſerunt, Reum torquendum eſſe ſuper intentione prava, loquuntur tantùm de hæreticis ſuſpectis, & præſumptis, non verò de formalibus, cum de eorum prava intentione jam conſtet ex eorum confeſſione, & nullam faciant mentionem de perſeverantia in hæreſi; ergò ſuper hac non ſunt gravandi hæretici formales, dum hactenùs nullus vir doctus, quem ſciam, id aſſervit, quod
17 ſignum eſt, D. Inquiſitorem debere eſſe contentum hac cognitione, quòd blaſphemus ſit hæreticus formalis, ex ſua confeſſione, nil ulteriùs cum rigore quærendo. *Facit illud l. Nomen filiarum* 164. §. *habere ff. de verb. ſign.* quod de tempore curandum non eſt, quandò habetur effectus.

Dices hunc eſſe torquendum ſuper permanentia in hæreſi etiam ultrà eam ultimam horam, quia voluntas ſemel poſita præſumitur remanere, & non mutari, *ex cap.* 3. *de Baptiſ. juncta Gloſ. v. Perdurare*. Præterea, quia ſemel malus, ſemper præſumitur malus. *Reg.* 8. *in* 6. ergo iſte hæreticus præſumitur hæreticare etiam poſt eam horam, ac proindè in ea perſeverare, undè ejus aſſertioni ſtandum non eſt, ſed tortura eſt adhibenda ad tollendā præſumptionē.

18 R. Ad primum, in caſu noſtro conſtare de mutatione voluntatis pravæ in bonam, quia eum pœnituit, & mutationem hanc ſufficientèr probavit ceſſatio iræ, nam ad probandam voluntatis mutationem ſufficit quælibet conjectura, & præſumptio levior, *Menoch. præſumpt.* 37. *n.* 35. *&* 38. *& præſumpt.* 42. *n.* 14. *lib.* 6. *ex Rubeo dec.* 573. *n.* 11. *&* 12. *tom.* 4. *qui eſt tom.* 3. *p.* 4. *Recent.*

19 Ad ſecundum, malus præſumitur ſemper malus, non quoad perſeverantiam in eodem delicto, ſed quoad futurum delictum iterùm perpetrandum, *Alciat Reg.* 2. *præſumpt.* 7. §. *Quartò intellige, ex eo Pitigianus in ſua Praxi de* 2. *ſubſt. cap.* 7. §. *Quarta*. Ex ceſſatione igitùr iræ patet ceſſatio hæreſis, maximè in hoc Tribunali, in quo admittuntur hæretici pœnitentes ad abjurandam hæreſim.

CASUS

# CASUS LXIII.

## De Blaſphemiis à Creatore ad Creaturas.

1 BLaſphemia committitur non ſolũ tribuendo Deo, Sanctis, & rebus ſacris, quod eis non convenit, vel removendo ab eiſdem, quod eis competit. Verùm etiam quod Dei proprium eſt tribuendo Creaturis, v. gr. dicendo Diabolum Sanctum, Deum Bacchum, & alia hujus generis, per quæ verba Dei Creatoris perfectiones creaturis tribuuntur.

2 Quòd autem hoc tertium genus blaſphemiæ detur, manifeſtè colligitur ex Sacra Scriptura, Matth. 9. ubi dum Chriſtus dixit paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua*, quidam ex Scribis aſſerverunt, Chriſtum blaſphemaſſe, hoc tertio modo, quia ſibi attribuit virtutem remittendi peccata, quòd ſoli Deo convenit, ignorantes ſcribæ, vel nolentes credere Chriſtum eſſe verum Deum, ac proindè non blaſphemaſſe tribuendo ſibi virtutem remittendi peccata. Princeps Sacerdotum, dum Chriſtus reſpondit interrogatus, ſe eſſe Chriſtum filium Dei, dixit, per hanc reſponſionem, blaſphemaſſe, quia ſibi attribuerat divinitatem, faciendo ſe Dei filium; putabant enim impii Judæi, Chriſtum eſſe purum hominem, ac proindè ſibi aſcribere ut homini, & creaturæ ea, quæ ſolius Dei ſunt. Res eſt ergò certa, quòd blaſphemia eſt tribuere Creaturæ, quòd proprium eſt Creatoris. Ità omnes Theologi.

3 Hæc verba. *Per Deum Bacchum*, & ſimilia idolorum, proferuntur per modum juramenti, & blaſphemiæ, quandò ſic jurans intendit honorem tribuere idolis, ſinè dubio præter peccatum mortale, eſt blaſphemus hæreticalis, quia quod ſoli Deo competit, tribuit Creaturæ, nempè Deitatem, & actum latriæ ex juramento. Et in hoc nullus contradicit. Sed quoniam ex loquacitate ſolent hæc verba proferri ſinè intentione honorandi illa, ſed potiùs contemnendi, nec propriè juramento adhibentur, ſed ex communi opinione nulla fides, nec vix humana illis adhibetur; ideò nec rationem juramenti, nec blaſphemiæ habent, cum apud fideles certum ſit, proferentes hujuſmodi verba, referre illa ad falſos Deos ſinè ullo cultu, & honore; ideò potiùs ſunt verba otioſa, quam blaſphemiæ.

4 Prædicta colliguntur ex Doctoribus apud *Sanch. lib. 2. cap. 32. num. 9. ex Soto, & Alcocer*, qui limitat non eſſe blaſphemiam, nec juramentum, ſi fiat ex joco, vel ſinè intentione jurandi. *Suarez lib. 1. cap. 6. nu. 13. Bonac. p. 2. n. 7.* dum proferens ea verba, non intendit veritatem infallibilem idolo tribuere, *Lazar. qu. 3. num. 48.*

*Mazu-*

*Mazuchell diſp. 2. cap. 16. num. 12.* Vide, quæ dixi ſuprà caſu 17. 36. caſu 18. 10.

Qui ergò ſeriò tribuit ea, quæ ſunt Dei propria, creaturis obloquendo, ſe reddit ſuſpectum de fide, juxtà hactenùs dicta.

5 Qui dicit *Meretrix Dei Bacchi*, non eſt blaſphemus, quia verbum *Dei* ſumitur pro idolo, non pro vero Deo, neque ullus fidelis, dum ea verba profert, intendit divinitatem Baccho tribuere, ſed nominare Idolum, & Deum falſum, & indignum honore.

6 Abuſus eſt notabilis in Sicilia, ubi mulieres, & alii in ira ſolent dicere, *Sanctum Diabolum*, ei tribuendo, quod ſoli Deo competit, nempè Sanctitatem, qua Diabolus nunquàm fuit præditus. Hoc verbum apud Siculos habetur tantùm pro blaſphemia ſimplici. De qua dixi *caſu* 53. *n* 21.

Quærunt Theologi, an ſit gravius peccatum jurare veritatem per falſos Deos, quàm jurare falſum per verum Deum?

7 R. Eſſe illud gravius hoc, quia jurans veritatem per falſum Deũ, duo committit peccata, unum idolatriæ, tribuendo falſo Deo cultum latriæ ex juramento, alterum blaſphemiæ, quia Deitas, quæ eſt propria Dei, tribuitur creaturæ; jurans verò falſum per verum Deum, unicum facit peccatum perjurii contrà divinam veritatem, dum teſtem Deum facit falſitatis. Ille violat præceptum primæ tabulæ, quod eſt contrà idolatriam, iſte verò tranſgreditur præceptum ſecundæ tabulæ contrà blaſphemantes, & pejerantes, ſed gravius eſt peccatum contrà primum, quàm contrà ſecundum præceptum. Pariter majus peccatum eſt illud, quod adverſatur duobus præceptis, quàm uni tantùm. Sed jurans veritatem per falſum Deum, errat contrà utrunque præceptum ratione juramenti, & blaſphemiæ, pejerans verò per verum Deum, ſolus Reus eſt tranſgreſſionis poſterioris præcepti; ergò is minus peccat illo. De his vide *Suarez de Blaſphemia cap 6. num. 13. & ſeq. Sayr. lib. 4. Clavis cap. 4. num 9. Barboſã ad cauſam 22. qu. 1. cap movet 16. num. 9.* Vide *caſum 61. num. 13.*

# INDEX
## RERUM MEMORABILIUM.

### A


*Abjurationis materia casu* 57. *abjurans fit infamis num.* 5. *dubius in fide an abjuret de formali* 8.

*Abraham Deus petiit obedientiam, non immolationem filii* 17. 14.

*Absolvens nondùm Sacerdos punitur* 54. 85.

*Abuti Sacramentis quid sit?* 54. 70. & 71.

*Accusatio differt à denuntiatione* 38. 9.

*Actus, & potentia sunt sub eodem genere* 20. 6.

*Actu fieri, & esse in via, sunt paria* 20. 6.

*Admiratio non est mala, quia etiam Christus fuit admiratus* 25. 7. 8.

*Adminicula alia remota, alia proxima* 39. 26.

*Adorantes Idola sunt violentèr suspecti de hæresi* 55. 47.

*Adulterium quomodò probatur* 41. 64.

*Agnus Dei res sacra* 28. 21.

*Ad despectum. v. Despectum.*

*Altare res sacra* 28. 55. *maledictum sit Altare S. Petri* 28. 60. *ejus encomia* 61.

*Angelus cur nolvit adorari à Joanne* 1. 18.

*Angulo in suo stet Deus* 25. 80.

*Animus ex qualitate præsumitur* 27. 13.

*Animæ à corpore separatæ statim evolant ad locum destinatum* 27. 31.

*Anum, noli mihi frangere anum* 25. 82.

*Appellatio datur à tortura inferenda* 54. 31.

*Apostata quandò torquendus* 54. 63. *suspectus de hæresi* 55. 43.

*Arcula eleemosynarum connumeratur inter res sacras* 28. 47.

*Asinus Christi* 25. 19. & 26.

*Astrologi suspecti de fide* 55. 46.

*Atrox blasphemia* 30.

*Augustinus habuit concubinam, an blasphemia sit hoc dicere* 11. 5.


### B


*Baccho, Deus Bacchus non est blasphemia* 17. 36. *casu* 18. 10.

*Baptismum maledicere est blasphemia* 29. 17.

*Barbam Deo tribuere blasphemia* 16. 7.

*Becculus, qui me sustinet in mundo* 25. 52. *Becculus cornutus* 25. 53. & 67.

*Benedictio sacerdotalis, & patris, seù superioris* 28. 5. *in quo differt à consecratione* 6. *tria petit, ut sit* 8.

*Beneficium res sacra* 28. 50.

*Berlichius negat blasphemiam in Sanctos, impugnatur* 1. *à num.* 7.

*Birruarius debet ostendere denuntiato mandatum capturæ* 51. 11.

*Blasphemia in genere explicatur casu* 1. *ad* 12. *blasphemiæ similitudinariæ casu* 18. *protestativæ casu* 19. *conditionales casu* 20. *comparativæ* 21. *Renegativæ* 22. *Meretrix* 23. *Desinentes in azzo* 24. *imprecativæ mixtæ casu* 29. *atroces* 30. *publica* 31. *consuetudinaria casu* 33. *de Creatore ad creaturas casu* 63. *in Spiritum Sanctum* 59.

*Blasphemiarum hæreticalium Judex Ecclesiasticus, aliæ sunt mixti fori casu* 8. 1. & 5.

*Blasphemus torquetur* 54. 78. *vehementèr suspectus*

*ſuſpectus de hæreſi* 54. 79. *caſu* 55. 57. *ad* 70.
*Bonaccius*, *Deus Bonaccius* 25. 72.
*Breviarii verba ſunt res ſacræ* 28. 14.
*Burſa Calicis res ſacra* 28. 43.

C

*CAlix res ſacra* 28. 38. *quomodò execratur* 28. 39.
*Campana res ſacra* 28. 48. *eas contemnens ſuſpectus de hæreſi* 55. 53.
*Cancro* 25. 27.
*Candelæ in altari res ſacræ* 28. 46.
*Candelabra res ſacræ* 28. 46.
*Canonizatio Sanctorum de fide, in ea non poſſe Papam errare* 22. 5. *caſu* 26. *caſu* 27. & 15. 17. 20. 21.
*Captura petit ad minus unum teſtem integrum* 39. 25. *non admittit appellationem* 51. 10. *fit extrà proprium territorium* 51. 9.
*Carcer S. Officii infamat* 51. 15.
*Carnium comeſtio quandò inducat ſuſpicionem hæreſis* 54. 90. & *actus indifferens* 91. *Quandò ſuſpectus caſu* 55. 48.
*Caſtigat Deus peccata hominum* 25. 69.
*Cauſæ ſpirituales à ſolis Eccleſiaſticis tractantur* 8. 3.
*Cauſa etiam beſtialis excuſat à pœna* 55. 36.
*Cæmeterium res ſacra* 28. 31.
*Cæremoniæ*, & *ritus Eccleſiæ ſunt officia pietatis* 28. 57. *ſuſpectus de hæreſi eas contemnens* 55. 54.
*Cæreus Paſchalis res ſacra* 28. 46.
*Cenſuras contemnens ſuſpectus de hæreſi* 55. 51.
*Celebrans non Sacerdos ſuſpectus vehementèr de hæreſi* 55. 30. *ſimilitèr fingens conſecrare* 32. *ad* 40.
*Certitudo moralis non eſt omnimoda, ut rerum naturalium, ſed habet latitudinem* 41. 60.
*Chriſtus ſumpſit prædicata naturæ non perſonæ creatæ* 14. 5. *quibus modis blaſphematur* 18. 2. & 9. *Chriſtus ligneus* 9. *blaſphematur additione, diminutione, & alteratione, ibi. Chriſtus repulit Dæmonem petentem cultum latriæ ſibi exhiberi* 1. 17.
*Citatur denuntiatus, cum delictum eſt ſemiplenè probatum* 51. 4 & 5.
*Clerici torquentur, nulla etiam præcedente infamia* 54. 55.
*Coleus contrà Deum, & Virginem Mariam hæreticalis* 15. 4.
*Comeſtio impedit, ne tortura ſtatim detur* 54. 99.
*Commandaſſe Dio non l' obedirei* 25. 73.
*Communionem ſacram ſemel in Anno non ſumens, non eſt ſuſpectus de hæreſi* 55. 50.
*Comparitio multum prodeſt blaſphemantibus* 38. 28.
*Complex complicem denuntiat* 38. 22. *torquentur in capite Rei* 54. 50.
*Concordia teſtium* 44. 3.
*Condemnatur quis pœna ordinaria ex duob. teſtib. integris* 31. 4. *morte condemnatur, aut confeſſus, aut convictus* 52. 41. *nemo condemnatur ex præſumptionibus tantùm* 53. 101.
*Conditionales blaſphemiæ* 20. *conditio nihil ponit in eſſe, explicatur* 20. 8. *conditio turpis ejicitur* 62. 12.
*Confeſſionis ſigillum frangens non eſt ſuſpectus de hæreſi* 55. 55. *confeſſio in ſcriptum ſumitur pro laude* 9. 3. *quomodò ſint confitendæ blaſphemiæ confeſſario* 10. 6. *ad* 14. *Confeſſarius non ſcit, ut homo, audita in confeſſione* 38. 14. *confeſſio cælat crimen hæreſis* 38. 15. *non confitens ſemel in anno non eſt ſuſpectus de hæreſi* 55. 50.
*Confeſſio extrajudicialis quomodò probetur* 41. 70.
*Confeſſio Rei in judicio facit notorium* 31. 7. *nolens confiteri torquetur* 54. 54. *confeſſio blaſphemorum* 52.
*Confeſſio judicialis quandò præjudicat confeſſo* 52. 16. *eſt indicium remotũ* 9 & 15. *proprii oris efficaciſſima, habet vim ſententiæ, contrà quam venire non poteſt* 16. *confeſſus citatur ad ſententiam* 17. *exceptiones contrà propriam confeſſionem* 10.

*ad* 28. *eſt indicium ad torturam* 53. 31. *in tormentis quomodò ratificetur* 54. 37. *nolens eam ratificare iterùm torquetur* 38.

*Confeſſio extrajudicialis probatur per duos teſtes* 42. 10. *de qua dixi latiùs caſ.* 52. *uſque ad num.* 5. *facit ad torturam* 54. 18.

*Conſanguinei quomodò teſtificantur* 39. 13. & 14.

*Conſecratio differt à benedictione* 28. 6.

*Conſpectum, ad conſpectatium, conſpectonem* 24. 2. *caſu* 25. 50.

*Conſultores requiruntur ad torturam* 54. 98.

*Conſuetudo blaſphemandi inducitur quinque blaſphemiis* 33. 2. *etiam per actus difformes* 5. *contrà legem verò petit actus conformes* 6. *plures actus debent eſſe facti diverſis diebus* 9. *poſtulat frequentiã actuum, et diuturnitatem temporis* 10. *probatur per duos teſtes integros* 12. *conſuetudo inducitur etiam ex actibus carentibus uſu rationis cum aliquibus factis cum uſu rationis* 34. 9. *non extenditur de caſu ad caſum* 15.

*Converſio peccatoris præcedit ſalutem* 26. 4.

*Converſatio cum malis arguit malum* 53. 26.

*Convincitur Reus per duos teſtes idoneos* 31. 4. *caſu* 41. 11. *caſu* 51. 13. *aliquandò cur torqueatur* 54. 30. *tribus modis convincitur* 41. 16.

*Contumax per ſe debet comparere* 51. 7. *indicium ad torturam* 53. 70. *eſt ſuſpectus vehementèr de hæreſi* 55. 13.

*Correctio fraterna non præmittitur denuntiando* 37. *corrigens alium debet à peccato eſſe alienus* 37. 6. *ubi non ſperatur emendatio, correctio locum non habet* 9.

*Correctio teſtium* 45.

*Cornutus* 25. 67.

*Corpaccius* 25. 10. *caſu* 16. 12.

*Corporalia ſunt res ſacræ* 28. 40.

*Corpus Dei, Chriſti non eſt blaſphemia* 16. 1. *ad corpus Dei Patris, Spiritus Sancti* 7. *ad corpaccium Dei* 12. *ad corpus dieci, dieræ, di di* 13.

*Corpus delicti debet conſtare ante torturam* 54. 5.

*Creator Cœli, & Terræ, atque hominis eſt ſolus Deus* 29. 12.

*Credens Diabolo ea, quæ poteſt facere ſinè ſortilegio, non eſt ſuſpectus de hæreſi* 21. 12.

*Crimen læſæ majeſtatis an ſit blaſphemia* 61. 10.

*Crudelis Deus blaſphemia* 25. 44.

*Crux quæcumque eſt res ſacra* 28. 35.

*Curam mei Deus non habet, blaſphemia* 25. 63.

## D

DE, *ideſt, Deus* 22. 9.
*Debodos à Dios* 25.

*Delicta merentia torturam* 54. 104. *delictum habens tractum ſucceſſivum, probatur per teſtes ſingulares* 41. 62.

*Denuntiationis blaſphemi materia caſ.* 38. *ſimul teſtis eſt* 31. *denuntiatus quandò citandus* 51.

*Deſpectum Deo volo facere, blaſphemia hæreticalis* 17. 1. *dicit contemptum* 4. *dicit diminutionem omnipotentiæ, & connotat diſplicentiam* 5. & 6. *ſimplex reſpectu Virginis, & Sanctorum* 31. *tribus modis proferri poteſt* 32. *ad deſpectum Dei Bacchi non eſt* 36. *ad deſpectum dieræ, dieci, ſuſpectum reddit ſic blaſphemantem* 37. *caſu* 18. 2. *Chriſtophori* 9. *ad deſpectum S. Petri, non eſt hæreticalis* 27. 37.

*Deſperatio differt à blaſphemia* 11. 7. *opponitur actui ſpei* 59. 5. *dicitur peccatum in Spiritum Sanctum* 6. *ſubditur huic Tribunali* 11. *poteſt eſſe ſinè hæreſi* 12.

*Deſponſo indicat ſponſalia* 26. 12. *verus matrimonium, ibidem.*

*Devoveo, ideſt, votum facio* 25. 71.

*Deus dominator omnium* 25. 74. *ejus volun-*

*voluntati nemo reſiſtere poteſt* 76. *omnia poteſt* 76. *Creator, & Pater* 77. *Dominus Cœli, & terræ* 83. *nemini moleſtus, nec injurioſus* 82. *Deus ſecundùm Incarnationem habet corpus &c.* 14. 4. *nam Verbum ſumpſit prædicata humanæ naturæ* 5. *ad extrà per ſolam voluntatem ſinè potentia executrice operatur* 25. 59. *ad differentiam voluntatis humanæ, quæ inſtrumento operatur* 60. *Deus fecit, quæcunque volvit voluntate efficaci* 17. 30.

*Deus non eſt Deus, niſi &c.* 25. 64. *& caſu* 62.

*Deus blaſphematur additione, diminutione, & alteratione verborum* 18.

*Deus Bacchus non eſt blaſphemia* 17. 36. *& caſu* 18. 10. *per falſos Deos jurare, blaſphemia* 12.

*Diabolo Santo, blaſphemia* 53. 21. *credens Diabolo ea, quæ ſcire poteſt, non eſt ſuſpectus de hæreſi* 21. 12. *loquenti per os Energumeni non eſt credendum* 54. 61.

*Diſgratiatus, diſgratiatonus* 24. 6.

*Diſgratio Deum, de illo quod mihi fecit* 27. 7. *caſu* 25. 14.

*Diſpliceat Deo* 25. 15.

*Domenede, ideſt, Dominus Deus* 22. 9. *caſu* 25. 27.

*Donec quid importat?* 26. 14.

*Dubium in Deo eſſe non poteſt* 21. 9. *in ferenda tortura dubium non habet locum* 54. 29. *utique opinio* 100. *dubius in fide abjurat de formali* 57. 8. *dubia in meliorem partem ſunt interpretanda favore loquentis* 16. 4.

*Dulia, & Latria ſunt duæ ſpecies adorationis* 10. 4.

## E

*EBrietas triplex* 34. *quomodò probetur* 35.

*Eccleſia eſt res ſacra* 28. 25. *quandò eſt execrata,* 26. *quandò polluta benedicitur* 27. *polluta non ideò execrata* 28.

*Educatio arguit filiorum conditionem* 53. 25.

*Emendatus adhuc denuntiandus* 38. 16. *præſumitur, ſi benè vixit per triennium* 53. 29. *caſu* 61. 2.

*Energumenus non torquetur* 54. 48.

*Epiſcopo cauſa fidei non cenſetur ablata, licèt committatur delegato* 38. 20. *Epiſcopus major, & quandò par Inquiſitori* 39.

*Et ſumitur pro ideſt* 7. 6.

*Examen denuntiati quale debeat eſſe* 51. 12. *ſcribitur per Notarium, non per Judicem, aliter nullum eſt,* 14.

*Excommunicationis inſordeſcentia* 54. 81. *ſuſpectus vehementèr* 55. 22. *& 23. ex. communicatio contrà non denuntiantes* 38 34. *excommunicari non poteſt comminatoriè blaſphemus* 61 8. *lata contrà contumacem à delegato Papæ, ab ordinario abſolvi non poteſt* 38. 38.

*Execratio loci ſacri quomodò fiat* 28. 22. *ad* 26.

*Excuſationes in peccatis non admittuntur* 55. 64.

## F

*FAcere non poteſt Deus, Blaſphemia* 25. 25. *Deus non habet facere mecum* 25. 77. *& 78. facere ſinè Deo non poſſumus* 78.

*Facere pluſquam eſt, quàm dicere* 55. 70. *factum non poteſt eſſe, quod non ſit factum* 25. 42. *contumelia fit etiam factis* 43. *factibile quid propriè dicatur* 25. 62.

*Falſitas in Deo eſſe non poteſt* 21. 9.

*Fama quandoque facit indicium ad torturam* 53. 32. *ad* 45. *caſu* 54. 19. *aſſerens bonam famam denuntiati nihil illi prodeſt* 53. 44.

*Familiares hæreticorum ſunt vehementèr ſuſpecti de hæreſi* 55. 18.

*Fautores hæreticorum torquentur* 54. 66. *ſuſpecti vehementèr de hæreſi* 55. 10.

*Feretrum pro mortuis numeratur inter res ſacras* 28. 47.
*Ferrum Hoſtiarum inter res ſacras ponitur* 28. 45.
*Feſtivis diebus dari poteſt tortura* 54. 97.
*Fides humana, & divina* 25. 21. & 37. *Non mi fido ne anco di Dio* 60. *fiducia, & fides diverſa* 60. 6. & 7. *fides de genitalibus* 25. 21.
*Filii imitantur vitia parentum* 53. 22.
*Filius in divinis dicitur ſapiens per appropriationem* 59 9.
*Forus conſcientiæ, & externus, regulantur eodem modo, quandò externus non fundatur in præſumptione* 32 2.
*Fratris nomine non ſolùm germanus, ſed etiam alii conſanguinei veniunt, & ſpirituales* 26. 16.
*Fuga, quandò indicium ad torturam* 53. 68. *caſu* 54. 19. *Fugitivus quomodò condemnandus* 51. 8.
*Furtum an ſit minus blaſphemia* 61. 12. *quomodò probetur* 41. 63.

## G

*GEnus continet æquivocationes* 41. 38. *Gloria Sanctorum continet ſex propoſitiones de fide* 27. 16. & 22. *ad* 30.
*Goffa, contrà Virginem blaſphemia* 25. 57.

## H

*HÆreſis dicitur ab electione* 62. 6. *includit pertinaciam* 62 7. & 8. *moram non petit*, 62. 9. *hæreſis ſuſpicio non punitur, ſed tantùm dēlictum, illius cauſa* 58 25. *caſu* 54 38. *ſunt unius ſpeciei, non unius judicii* 41. 41.
*Hæretici caudas habent ad invicem colligatas* 33 5. *caſu* 57. 21. *ſuſpectus torturatur ſuper intentione* 54 37. *ſi negat pravam intentionem, adhuc punitur ſuper delicto* 54. 38. *convincitur per teſtes ſingulares* 41. 25.
*Hiſpanorum, & Italorum rationes in diſcordia graduum ſuſpicionis levis, & vehementis* 55. 61. *ad* 71.
*Homicidium an majus blaſphemia* 61. 11.
*Homo non dicitur blaſphemari, cum injuriatur* 5. 1. *dignus honore* 27. 6.
*Honor, & fama comparantur vitæ, nec prodigi poſſunt* 49. 9.
*Hoſpitale numeratur inter res ſacras* 28. 33
*Hoſtia conſecrata, & non conſecrata utens ſuſpectus de hæreſi* 23. 12. & 13. *eſt res ſacra* 28. 20.

## I

*IDiomatum communicatio in divinis* 14. 4.
*Idolatria non committitur adorando Sanctos* 1. 16.
*Ignorans Deus blaſphemia* 25. 17.
*Imagines ſacras lacerare crimen læſæ majeſtatis* 1. 8. *blaſphemia facti* 4. 2. *ſunt res ſacræ* 28. 19. *lacerans eas vehementèr ſuſpectus de hæreſi* 55. 60.
*Impœnitentia finalis dicitur blaſphemia in Spiritum Sanctum* 59 6.
*Impediens S. Officium vehementèr de hæreſi ſuſpectus* 55. 14.
*Immunitate non gaudet blaſphemus* 61. 7.
*Impicatus blaſphemia contrà Chriſtum* 25. 22.
*Imputatio peſſima Sancti Pauli* 29. 16.
*In, ideſt, contrà* 25. 40. *Incarnatio à ſolo Verbo terminata* 16.
*Incenſum res ſacra* 28. 46. *incenſantes Idola* 55 47.
*Indicium quid, & quotuplex* 53. *indicia ſunt arbitraria* 95. *de eorum probatione* 97. *uniuntur plura ad inferendam torturam* 53. 104 *probantur per duo teſtes conteſtes* 42. 11.

*Indignatio cauſat blaſphemiam* 25. 9.
*Indulgentia pro miniſtris S. Officii* 58. 16.
*Infamia non incurritur ex tortura* 54. 96. *blaſphemus eſt infamis* 61. 3. & 8.
*Infidelitas differt à blaſphemia* 11. 7.
*Infirmi non torquentur* 54. 49.
*Inimicitia quandò indicium ad torturam* 53. 90. *ad* 93. *inimicus capitalis non admittitur in teſtem* 39. 9.
*Injuria fit verbo, ſcripto, & facto* 27. 9. *verba ex ſe injurioſa præſumuntur dicta malo animo* 10. *caſu* 19. 11. *atrox quæ dicatur* 30. 6. *injuria creſcit creſcente qualitate perſonæ* 26. 2.
*Injuſtus Deus blaſphemia* 25. 44.
*Invidus Deus blaſphemia* 25. 55.
*Inſtrumentum Aſtrologi, vel Sortilegi indicium ad torturam* 53. 94.
*Inquiſitor venit ſub nomine Judicis Eccleſiaſtici* 54. 84.
*Inſolita locutio reddit ſuſpectum loquentem* 29. 7.
*Inſordeſcens in excommunicatione vehementèr ſuſpectus de hæreſi* 54. 82.
*Intentio eſt actus immanens, qui non poteſt probari* 27. 11.
*Inventa res eſt indicium contrà poſſeſſorem* 53. 83.
*Joannes Evangeliſta perpetuò fuit Virgo* 23. 9.
*Joco blaſphemare grave peccatum* 11. 6. *caſu* 34. 11. *joco facta quandò merentur pœnam* 34. 12.
*Joſeph quomodò juravit per ſalutem Pharaonis* 25. 32.
*Joſeph Sponſus Mariæ* 26. 8. *inter quos fuit matrimonium ratum tantùm* 17.
*Ira triplex* 34. *quomodò probetur, iratum eſſe privatum uſu rationis* 35. 5.
*Irregularis eſt blaſphemus* 61. 9.
*Iſaac non cognovit filios ſuos, dum eis benedixit* 42. 4.
*Ità*, & ſicut *ſunt comparationes ſimilitudinis* 21. 7.
*Itali in quo differant ab Hiſpanis in gradibus ſuſpicionis hæreticalis* 55. 61. *ad* 71.
*Judæus eſt teſtis inhabilis* 39. 10. *quandò torqueatur, & cogatur abjurare* 54. 89.
*Judex præſumitur benè agere officium ſuum* 8. 7.
*Juramentum eſt actus latriæ* 25. 3. *tres ejus comites* 5. *jurare per ſalutem alicujus non eſt juramentum* 32. & 36. *ubi de aſſertorio, & execratorio à nu.* 31. *ad* 37. *jurans per capillos, quare puniendus* 37. *quomodò S. Paulus juravit in animam ſuam* 39. *non datur niſi* 14. *anno expleto* 54. 45 *juramento non probatur id, quod in animo latet, quandò eſt præſumptio in contrarium* 27. 12. *teſtis ſinè juramento nihil probat* 39. 5. *caſu* 41. 15.
*Juramentum falſum an ſit blaſphemia* 10. 14. *exactum per falſos Deos eſt blaſphemia* 12. 3. *jurare per creaturas non eſt blaſphemia* 12. 13. *jurare per falſum Deum veritatem eſt majus peccatum, quàm jurare falſum per verum Deum* 63. 7.

## L

*Lacerare res ſacras blaſphemia facti* 42. *caſus Inquiſitionis* 8. 9.
*Laici non judicant cauſas ſpirituales* 8. 3. *Judex laicus non corrigit factum Judicis Eccleſiaſtici, nec contrà* 8. 6.
*Lampades res ſacræ* 28. 46.
*Lapis ſacratus* 28. 39.
*Laude dignus homo ſanctus, & non ſanctus* 27. 6.
*Libros de hæreſi habentes ſuſpecti de fide* 54. 43. *caſu* 55. 25.
*Locus ſacer quis dicatur* 28. 22. *quomodò execratur* 23.
*Locutio mala demonſtrat malum animum* 53. 30.
*Ludus cum blaſphemia punitur* 34. 10. *indicium contrà blaſphemum* 53. 87.
*Luxuria præſumitur in Juvene, non in Sene* 53. 28.

M

MA, *in blaſphemia intelligitur contrà Mariam* 18. 1. *caſu* 23. 6.
*Maledictio idem quod blaſphemia* 7. 5. *exempla maledictionum contrà Deum* 25. 11.
*Maledicta malè cogitata* 53. 30.
*Malus ſemper præſumitur malus in eodem genere delicti, non quoad perſeverantiam, ſed quoad iterationem* 62. 19. *caſu* 53.
*Male habeat Deus* 25. 12.
*Male habeat Nicodius* 25. 43.
*Malitiam, actus externus ſumit ab interno* 19. 7.
*Mariæ Virginis blaſphemiæ diverſæ* 10. 7. *ejuſdem laudes, & contrà blaſphemiæ* 26. *multis modis blaſphematur* 17. 1. & 31. *caſu* 18. 2.
*Mariazzà* 24. 9. Ma 1. *Maria* 18. 1. *multis nominibus appellatur* 23. 4.
*Matrimonium cum ſecunda contrahens, vivente prima eſt ſuſpectus de hæreſi* 54. 67. *Item & ſponſalia* 69. *abuti hoc Sacramento quid ſit* 70. & 71. *quid de ordinatis in ſacris, & profeſſis* 94. *caſu* 55. 29. *Deus non fecit hoc matrimonium an blaſphemia* 25. 49.
*Membra inhoneſta, & pudenda nominantur ſinè blaſphemia* 16. *vide v. Pudenda.*
*Mendacium, inditium ad torturam* 54. 22.
*Mendacium in Deo non cadit* 25. 18. & 55.
*Mentiris ſalvo tuo honore, adhuc eſt injuria* 19. 12. *gravis injuria* 30. 3.
*Meretrix D. Auguſtini* 7. 12. *meretrix* 23. & *caſu* 25. 8. *meretrix Chris, Chriſtophari, Chriſti lignei* 18. 19.
*Meretrix in divinis blaſphemia* 23. 7. *teſtis inhabilis* 39. 12. *præſumitur ſponte conſentire in copulam* 52. 33.
*Metus quomodò probatur* 41. 67. *miles ergò blaſphemus* 53. 89.
*Minor non facit inditium ad torturam* 53. 86. *nec torquetur* 54. 44. *minor non jurat niſi poſt* 14. *annum expletum* 54. 45. *tortura, & confeſſionis ratificatio fit coram curatore* 53. *teſt.* 39. 15.
*Minchione contrà divina, blaſphemia hæreticalis* 15 4.
*Miraculum non eſt indicium ad torturam* 54. 23.
*Miſericordia ſuperexaltat judicium* 25. 69.
*Miſſa, v. Celebrans, miſſale res ſacra* 28. 14.
*Mixtum ſequitur naturam potioris ſimplicis* 29. 8.
*Monaſterium eſt res ſacra* 28. 32.
*Mortis pœna petit ad minus duos teſtes integros ſuper delictum* 39. 39.
*Mulier teſtis inhabilis* 39. 11.
*Mutatio voluntatis non præſumitur, ſed probatur etiam levibus argumentis* 67. 18.

N

NEgativa *quomodò probetur* 47. 1. *Nicodeus an præſumatur dictum de Deo* 25 43.
*Nominare nomen Dei in vanum prohibetur* 25. 1. *quid ſit in vanum nominare* 2. *quatuor modis nominatur* 6.
*Nomina inventa ſunt ad demonſtrandam voluntatem alterius* 27. 14.
*Non poteſt facere Deus, quandò blaſphemia* 25. 16.
*Notario bonæ famæ creditur non teſtibus* 40. 14.
*Notorium quid, & quotuplex* 31. 1.

O

OBediendum *magis Deo, quàm hominibus* 38. 13.
*Obliviſcitur mei Deus blaſphemia* 25. 48.
*Oculos Deo eruere blaſphemia* 25. 23. *quomodò Deus habeat oculos* 68.
*Odium cum blaſphemia coniunctum* 10. 9. *differunt* 11. 7.


Offen-

*Offenſam volo, quamvis ſit* Dei *blaſphemia* 25. 46.
*Offendentes S. Officium ſuſpecti de hæreſi* 54. 87. *caſu* 55. 49.
*Omnipotens* Deus 25. 58.
Omnibus, & ſingulis *omnia comprehendit* 38. 25.
*Opinio etiam minus probabilis dat jus torturæ* 54. 100. *in dubio non* 29.
*Oratorium publicum res ſacra* 28. 29.

P

*Palla Calicis res ſacra* 28. 41. *Pallia res ſacræ* 46.
*Papæ maledictio, grave peccatum* 21. 41.
*Par non agit in parem* 47. 8.
*Parmæ reſervatur blaſphemia atrox, quænam ſit* 30. 10.
*Paramenta Sacerdotalia res ſacræ* 28. 45. *ea benedicit Sacerdos Regularis pro ſua Eccleſia* 45.
*Partialis* Deus, *Parteſano* 25. 44.
*Pater in Divinis dicitur potens per appropriationem* 59. 8.
*Patria indicium eſt boni, vel mali hominis* 53. 19.
*Patronus non eſt* Deus, *ſed ego, blaſphemia* 25. 74. 78. & 83.
*Pœnæ contrà blaſphemos* 32. 1. *de aliis caſu* 58. *per totum. Pœna loco torturæ non augetur* 54. 102. *pœna infligitur pro delicto blaſphemiæ, non pro ſuſpicione* 58. 25. *in lege veteri pœna* 7. 4. *titulis eccleſiaſticis punitur blaſphemia hæreticalis.*
*Pœnitentia non tollit præſumptionem mali* 53. 28.
*Peccatum omne dicit offenſam* Dei 1. 11. *peccando dicitur errare* 2. 9. *peccare volo, licet diſpliceat* Deo 25. 40. *peccatum non dicitur factibile, ſed privare actum ſua rectitudine* 62.
*Peccatores non recipit* Deus, *blaſphemia* 25. 70.
*Pedis veſtigium indicium* 53. 84.
*Perjurium, & blaſphemia differunt* 10. 5. *caſu* 11. 7. *copulantur* 10. 13. *tortura non purgatur* 54. 103. *perjurus contrà fidem eſt ſuſpectus de hæreſi* 55. 19. *vitandum quantum fieri poteſt, & ſinè dolo non fit* 65. 5. *non admittitur in teſtem* 39. 8. *perjurus minus peccatum, quàm juramentum verum per falſos* Deos 63. 7. *gravis blaſphemia* 61. 13.
*Per la vita de* Dios 25. 30.
*Perſona ratione voti ſolemnis dicitur ſacra* 28. 15.
*Petrum Sanctum renegare, blaſphemia hæreticalis* 22. 6. *non recuſavit bonorem ſibi factum à Cornelio* 1. 19.
*Pixis res ſacra* 28. 37.
*Plenum dicitur, cui nihil deeſt* 41. 29.
*Pluere non benè facit* Deus 25. 27.
*Plures teſtes inhabiles ſimul juncti probant plenè* 39. 34.
*Pollutio non execrat Eccleſiam* 28. 28.
*Poltrone* 25. 55 *Polygamia* 54. 67. 55. 26. *Porcorum curam habeat* 25. 75.
*Poſſantia Dei* 25. 7. *poſſim renegare* Deo 27. *poſſe non habet* 29. *non poteſt facere* 54. *vulva* Dei 15. 1. & 2. *Potentia* Dei 25. 7. *poteſt facere* Deus 25. 7.
*Potentia in habitu idem operatur, quod potentia in actu* 20. 6.
*Pauperinus, pauperinacius* 24. 5.
*Præcepta primæ tabulæ ſunt majora præceptis ſecundæ* 38. 11.
*Prægnans non torquetur* 54. 47.
*Præſentia alia corporalis, alia intellectualis* 46. 3. & 6.
*Præſumptio quid, & quotuplex* 53. *nu.* 7. *ad* 18. *multa ejus axiomata à nu.* 46. *ad* 67. *per illas nemo condemnatur* 101. *præſumptio ex præſumptione non oritur* 55. 8.
*Primogenitus ille dicitur, ante quem alius non eſt natus* 26. 15.
*Primum ante quod aliud non eſt* 26. 15.
*Prius non pendet à poſteriori* 39. 26.
*Prodere nemo tenetur ſeipſum* 38. 27.
*Probatio plena ſufficit ad condemnationem* 31. 4.

*Propoſitiones cenſurabiles proferentes an ſuſpecti* 54. 93.
*Proteſtatio facta contraria non relevat proteſtantem* 19. 2. *ad* 5. *blaſphemum non relevat* 5. & 9. *debet præcedere faciendum* 6. & *acceptari à parte* 8. *non tollit offenſam* 10. *proteſtatio duplex* 15.
*Providentia Dei* 25. 66.
*Proximi ſui quiſque curam habere debet* 38. 12.
*Pudenda Chriſti, & Sanctorum blaſphemare* 14. *caſu* 15. *cur pudenda nominare ſint blaſphemiæ, non membra honeſta* 16. 11.
*Purificatio eſt res ſacra* 28. 42.

Q

*Qualitas, quæ potiſſimùm attenditur, probanda eſt* 33. 14.

R

*Reiteratio delicti inducit vehementèr ſuſpicionem* 55. 2.
*Relapſus quis dicatur* 56.
*Religioſus quandò torqueatur* 54. 55. *contrabendo matrimonium, & ſponſalia* 94. *tranſiens ultrà mare ſuſpectus de hæreſi* 55. 20. *blaſphemus denantiatur Inquiſitori* 8. 12.
*Religionis cultus ad Deum, & Sanctos* 1. 14. *quid ſit Religio in communi* 1. 20.
*Relativa non judicantur ad imparia* 27. 3.
*Reliquiæ Sanctorum ſunt res ſacræ* 28. 17.
*Res ſacræ enumerantur* 28. *blaſphemantur in ordine ad Deum* 1. 7.
*Renego Deum, ſi non eſt verum* 20. *Virginem, Sanctos* 22. *caſu* 27. 34.
*Reſervatio blaſphemiæ Epiſcopis non eſt de jure communi* 32.
*Reſiſtere voluntati Dei efficaci nullus poteſt* 17. 3. & 17. *reſiſtere Spiritui Sancto eſt bonas inſpirationes non acceptare* 8. *reſiſtere voluntati Dei inefficaci poteſt* 29.
*Reſponſio cohæret interrogationi* 25. 88.
*Reus capi poteſt extrà proprium territorium* 51. 9. *convincitur per duos teſtes integros* 13.
*Ribaldus* 25. 41. *Stirps hyrcina* 29. 9. *ſuppoſita* 11.
*Ritus ſacri ſunt res ſaræ* 28. 56.
*Rixa indicium contrà blaſphemum* 53. 88.

S

*Sacerdos non exiſtens celebrans, aut abſolvens eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi* 54. 85.
*Sacra res quid ſit* 28. *per totum, digna veneratione* 51. *contrà eas injuriæ ſunt blaſphemiæ* 53. *ritus ſacri non contemnendi* 56. *eis inſunt benedictio, & Sanctitas* 56. *Sacrum, & Sanctum differunt* 7.
*Sacramenta ſunt res ſacræ* 28. 10.
*Sacramentalia quænam ſint, ſunt res ſacræ* 28. 11.
*Saga quandò torquenda* 54. 60.
*Sagratonus* 24. 4. *Deus ſacrate* 24. 10.
*Salvare vult omnes Deus quomodò* 17. 22.
*Sanguis Dei non eſt blaſphemia* 16. 1. *ad* 12.
*Sanguis fluens è cadavere coram occiſore* 54. 25.
*Sanitas à Deo eſt* 29. 10.
*Sancti non ſolùm propter Deum, & etiam propter ſe venerantur* 1. & 12. *undè & in ſe blaſphemantur* 1. 3. *ad* 10. *Sanctos blaſphemans non intendit Deum blaſphemare* 27. 8.
*Sanctitas includit ſex propoſitiones de fide* 27. 16. *ad* 30. *parem habent honorem cum Angelis* 26. *renego S. Petrum, hæreticalis* 34.

San-

*Sanctorum blaſphemiæ quænam hæreticales, & quæ non* 7. 11. & 12. *referre eorum defectus in vita, non blaſphemia* 11. 5. *renegare Sanctum non eſt hæreticalis* 22. 4. *inter unum, & alterum Sanctum non eſt differentia* 22. 7. *Sanctorum doctrinam abnegans, non eſt hæreticalis* 22. 8. *Meretrix qualis blaſphemia* 23. 8. *ad* 12. *vide caſum* 27. *ubi plura.*

*Schiſmaticus quandò torquendus* 54. 64. *de illis* 84. *eſt vehementèr ſuſpectus de hæreſi* 55. 42.

*Scripturæ quomodò probat hæreticum* 41. 18.

*Secreta locutio indicium ad malum* 53. 85.

*Sedere pro Tribunali eſt apex juris* 52. 30.

*Senex non torquetur* 54. 46.

*Sævitia mariti quomodò probetur* 41. 66.

*Siculi blaſphemant Sanctum Diabolum* 53. 21.

*Sigillum confeſſionis frangens non eſt ſuſpectus de hæreſi* 55. 55.

*Signa divinæ voluntatis ſunt quinque* 17. 12.

*Similitudinariæ blaſphemiæ* 18.

*Simonia cur peccatum in Spiritum S.* 59. 15. *quomodò probatur* 41. 68.

*Singula, quæ non proſunt, ſimul juncta juvant* 39. 35. *caſu* 41. 46.

*Singularitas teſtium triplex* 41.

*Socius criminis non datur in blaſphemia* 39. 7. *caſu* 53. 81. *non facit indicium ad torturam* 53. 71. *ad* 81. *caſu* 54. 17. *non torquetur* 53. 80.

*Sollicitata non tenetur revelare conſenſum in copulam* 49. 10. *ſollicitans quandò torquetur* 54. 72. & *quomodò probatur* 41. 72. *conſentiens non dicitur ſocia criminis* 41. 76.

*Sortilegi ſunt ſuſpecti de hæreſi* 35. 44. *ſuſpectus de uſu ſortilegii quandò torquetur* 54. 42. & 86.

*Spiritus Sancti blaſphemia* 59. *per appropriationem dicitur bonus* 59. 8. *ſpirat nobis ignorantibus* 27. 19.

*Sponſalia contrahens, vivente prima, eſt tantùm levitèr ſuſpectus* 54. 69.

*Spontè comparenti parcitur* 40. 18. *ſubornatio teſtium* 40. 17.

*Supellectilis eccleſiaſtica res ſacra* 28. 34.

*Suſpicio hæreſis caſu* 55. *per totum, an duæ leves faciant unam vehementem* 55. 9. & 11. *quis dicatur ſuſpectus de hæreſi* 54. 67. *ſuſpicio major, aut minor reſpectu rerum ſacrarum undè accipitur* 28. 59. *ſuſpicio hæreſis tortura, & abjuratione tollitur, non punitur, ſed tantùm delictum, à quo illæ ortum habet* 58. 25. *non eſt infamis* 41. 24.

## T

*Tabernaculum eſt res ſacra* 28. 36.

Tàm, & Quàm, *dicunt comparativam ſimilitudinem* 21. 7.

*Tempus non quæritur, dum habetur notitia delicti* 62. 17.

*Teſtes duo integri convincunt Reum ad pœnam ordinariam* 31. 4. *unicus omni exceptione major ſufficit ad torturam* 39. 25.

*Teſtium negativorum, & affirmativorum qualitas* 47. 8.

*Teſtes vacillantes, obſcuri &c.* 40. *Varius non facit indicium ad torturam* 53. 69.

*Teſtium variæ diviſiones. Alii ſingulares* 41. *de auditu* 42. *nocturnus* 43. *contrarii concordandi* 44. *eorum correctio* 45. *nominatus ab alio* 46. *Teſtes negativi* 47. *Teſtium repetitio* 48. *Teſtium publicatio* 49. *Alii habiles, alii inhabiles* 39. *Pluralitas Teſtium an convincat* 41. 45.

*Teſtium occultatio in S. Officio non eſt exceptio pro Reo* 41. 55.

*Teſtis non tenetur revelare ſuam turpitudinem* 49. 7. *eorum tortura* 50. *Blaſphemus teſtis eſſe non poteſt* 61. 1.

*Thuribulum res ſacra* 28. 46.
*Tirannus Deus blaſphemia* 25. 55.
*Tortura teſtibus danda* 50.
*Tortura Reis danda* 54. *datur etiam ſuper intentione* 62. 16. *petit unum teſtem omni exceptione majorem delictum probantem* 39. 25. *caſu* 41. 23. *non infamat* 41. 24.
*Traditor Deus blaſphemia* 25. 44.
*Turpitudinem ſuam nemo tenetur revelare* 49. 8.

V

*Vacillatio ſola non eſt indicium ad torturam* 54 22.
*Velit, nolit Deus* 17. 53.
*Verba indicant alteratam malam intentionem* 18. 4. *inventa ſunt ad ſignificandum, quod latet in corde, non ad decipiendum* 18. 5. *artificioſa, & captioſa ſunt ad occultandam blaſphemiã* 18. 6. *verba habentia idem ſignificatum ſunt diverſa tantùm in voce* 41. 43.
*Veriſimile quid ſit?* 53. 63.
*Veritas humana comparata divinæ in jurando, quandò ſit blaſphemia* 21.
*Videt minimè Deus, quæ ſunt ſuper terram, blaſphemia* 25. 65.
*Virgo ſumitur ſubſtantivè, & qualificativè* 26. 29. *eo nomine venit Maria Mater Dei* 23. 5.
*Vita Dei an blaſphemia* 25. 30. *vivit Dominus erat juramentum Judæorum* 25. 31. *idem quod per vitam Dei, ibidem.*
*Vita hominis de malo in bonum non ità facilè mutatur* 38. 17. *vita mala arguit malum* 53. 27. *mutatio vitæ non præſumitur, ibidem, emendatio triennio bonæ vitæ probatur* 53. 29.
*Volo facere, licèt ſit peccatum, an hæreticalis* 17. 34. *nec volo peccare, quamvis diſpliceat Deo* 17. 35. *volo facere quod non vult Deus* 25. 76. & 81.
*Volpa và à Loreto* 26. 32.
*Voluntarium quid* 34. 4.
*Voluntas verbo, aut facto ut exprimatur, parùm refert* 8. 11. *utroque enim modo manifeſtatur* 10. *mutatio voluntatis ex conjecturis etiam levibus probatur* 62. 18.
*Voluntas Dei in ratione actus multiplicitèr dividitur* 17 *à num.* 9. *ad* 30. *quinque ſunt ſigna voluntatis Dei* 12. *Voluntas beneplaciti habet pro objecto bonum* 13. *ideò ſemper adimpletur* 14. *per voluntatem beneplaciti ſemper vult aliquid, quod quandoque ignoramus, ſcientes aliud* 15. *voluntas ſigni non eſt vera voluntas ſecundùm aliquos* 16.
*Votum ſolemne non ſimplex facit perſonam ſacram* 28. 15.
*Urceoli cum vino, & aqua res ſacra* 28. 46.
*Vulnerati aſſertio non dat jus ad torturam* 53. 82.
*Vulva Dei* 15. 1. & 2.
*Uxorum pluralitas probibita* 54. 68.

# APPENDIX SECUNDA
AD
# MANUALE
# CONSVLTORVM
## OFFICII SANCTÆ INQUISITIONIS

Super Cenſura Sortilegiorum frequentiùs occurrentium in hoc tremendo Tribunali ; ac pari paſſu expoſita

PER

*REVERENDISSIMUM PATREM MAGISTRUM*
# FRANCISCUM
# BORDONUM
## PARMENSEM

Religionis Tertii Ordinis S. FRANCISCI Profeſſorem, Theologum, Qualificatorem S. R. Univerſalis Inquiſitionis, & Conſultorem Sancti Officii Parmæ, necnon Examinatorem Synodalem.

## OPUS POSTHUMUM.

*Nunc in lucem de recenti editum, cum duplici Indice*

Uno Capitum, & Sectionum ; altero ſcilicèt Rerum memorabilium.

*Thuribulum res ſacra* 28. 46.
*Tiranus Deus blaſphemia* 25. 55.
*Tortura teſtibus danda* 50.
*Tortura Reis danda* 54. *datur etiam ſuper intentione* 62. 16. *petit unum teſtem omni exceptione majorem delictum probantem* 39. 25. *caſu* 41. 23. *non infamat* 41. 24.
*Traditor Deus blaſphemia* 25. 44.
*Turpitudinem ſuam nemo tenetur revelare* 49. 8.

## V

*Vacillatio ſola non eſt indicium ad torturam* 54 22.
*Velit, nolit Deus* 17. 53.
*Verba indicant alteratam malam intentionem* 18. 4. *inventa ſunt ad ſignificandnm, quod latet in corde, non ad decipiendum* 18. 5. *artificioſa, & captioſa ſunt ad occultandam blaſphemiã* 18. 6. *verba habentia idem ſignificatum ſunt diverſa tantùm in voce* 41. 43.
*Veriſimile quid ſit?* 53. 63.
*Veritas humana comparata divinæ in jurando, quandò ſit blaſphemia* 21.
*Videt minimè Deus, quæ ſunt ſuper terram, blaſphemia* 25. 65.
*Virgo ſumitur ſubſtantivè, & qualificativè* 26. 29. *eo nomine venit Maria Mater Dei* 23. 5.
*Vita Dei an blaſphemia* 25. 30. *vivit Dominus erat juramentum Judæorum* 25. 31. *idem quod per vitam Dei, ibidem.*
*Vita hominis de malo in bonum non ità facilè mutatur* 38. 17. *vita mala arguit malum* 53. 27. *mutatio vitæ non præſumitur, ibidem, emendatio triennio bonæ vitæ probatur* 53. 29.
*Volo facere, licèt ſit peccatum, an hæreticalis* 17. 34. *nec volo peccare, quamvis diſpliceat Deo* 17. 35. *volo facere quod non vult Deus* 25. 76. & 81.
*Volpa và à Loreto* 26. 32.
*Voluntarium quid* 34. 4.
*Voluntas verbo, aut facto ut exprimatur, parùm refert* 8. 11. *utroque enim modo manifeſtatur* 10. *mutatio voluntatis ex conjecturis etiam levibus probatur* 62. 18.
*Voluntas Dei in ratione actus multiplicitèr dividitur* 17 *à num.* 9. *ad* 30. *quæque ſunt ſigna voluntatis Dei* 12. *Voluntas beneplaciti habet pro objecto bonum* 13. *ideò ſemper adimpletur* 14. *per voluntatem beneplaciti ſemper vult aliquid, quod quandoque ignoramus, ſcientes aliud* 15. *voluntas ſigni non eſt vera voluntas ſecundùm aliquos* 16.
*Votum ſolemne non ſimplex facit perſonam ſacram* 28. 15.
*Urceoli cum vino, & aqua res ſacra* 28. 46.
*Vulnerati aſſertio non dat jus ad torturam* 53. 82.
*Vulva Dei* 15. 1. & 2.
*Uxorum pluralitas probibita* 54. 68.

# APPENDIX SECUNDA
AD
# MANUALE
# CONSVLTORVM
## OFFICII SANCTÆ INQUISITIONIS

Super Cenſura Sortilegiorum frequentiùs occurrentium in hoc tremendo Tribunali ; ac pari paſſu expoſita

PER

*REVERENDISSIMUM PATREM MAGISTRUM*
# FRANCISCUM
# BORDONUM
## PARMENSEM

Religionis Tertii Ordinis S. FRANCISCI Profeſſorem, Theologum, Qualificatorem S. R. Univerſalis Inquiſitionis, & Conſultorem Sancti Officii Parmæ, necnon Examinatorem Synodalem.

## OPUS POSTHUMUM.

*Nunc in lucem de recenti editum , cum duplici Indice*

Uno Capitum , & Sectionum ; altero ſcilicèt Rerum memorabilium.

# PONTIFICIUM
# FRANCISCUM

# INDEX

## Capitum, & Sectionum de Sortilegiis.


1 *Quid, & quotuplex ſit ſuperſtitio?*
2 *Quid, & quotuplex ſit ſortilegium?*
3 *De Diabolo agente in ſortilegiis.*
*Sect. 1. de poteſtate Dæmonis.*
*Sect. 2. de pactis ſortilegi cum Dæmone.*
*Sect. 3. de invocatione Dæmonis.*
4 *De Divinatione, & Aſtrologia.*
*Sect. 1. de diverſis modis divinandi ex pacto Dæmonis expreſſo.*
*Sect. 2. de divinationibus ex pacto Dæmonis expreſſo.*
*Sect. 3. de divinatione per Aſtrologiam.*
*Sect. 4. de divinatione per ſortes.*
*Sect. 5. de divinatione per ſomnia.*
*Sect. 6. de ſuperſtitioſa inventione rerum occultarum.*
5 *De Magia.*
6 *De Maleficiis, Strigis, & Lamiis.*
*Sect. 1. de venefico maleficio.*
*Sect. 2. de maleficio amatorio.*
*Sect. 3. de diſſolutione maleficiorum.*
*Sect. 4. de Strigis, & Lamiis.*
*Sect. 5. quomodò probandum homicidium ex maleficio?*
7 *De vana obſervantia.*
*Sect. 1. de arte notoria.*
*Sect. 2. de vana obſervantia ſanitatum.*
*Sect. 3. an uſus Brevium ſit ſuperſtitioſus?*
*Sect. 4. de obſervantia eventuum, & dierum, & temporum.*
8 *An omne ſortilegium ſit hæreticale?*
9 *Quomodò probentur ſortilegia?*
10 *De citatione, & examine ſortilegiorum.*
11 *De tortura ſortilegis danda.*
12 *An, & qualitèr ſortilegus ſit ſuſpectus de hæreſi, & de ejus abjuratione.*
13 *De ſortilegio imperfecto.*
14 *De pœnis contrà ſortilegos.*
15 *De judicibus ſortilegiorum.*
16 *An ſortilegi ſint denuntiandi.*
17 *An Cingaræ ſubdantur huic Tribunali.*


CAPUT

# CAPUT I.

## Quid, & quotuplex ſit ſuperſtitio?

1 QUoniam in præſenti opuſculo de Sortilegiis, quæ ſæpiùs occurrere ſolent in noſtro ſacro Tribunali S. Inquiſitionis, pro debilitate ingenii mei acturus ſum, materiam de ſuperſtitione præponere ſtatui, ut aperiatur via cognoſcendi exactè naturam ſortilegii, cujus notitia habetur ex intelligentia ſuperſtitionis, quæ tamquàm genus ingreditur ejus definitionem, ut mox videndum erit.

2 Superſtitio autem eſt cultus vitioſus tributus vero Deo, aut creaturæ, falſis Diis, & Dœmonibus. Eſt igitùr cultus vitioſus alicui ex prædictis tributus, qui opponitur virtuti Religionis, quæ dictat de vero cultu uni Deo tribuendo, & Sanctis ejus, juxtà cultum triplicis generis, latriæ, duliæ, & hyperduliæ, Deo ſcilicèt, Sanctis, & Matiæ Virgini.

3 Cultus autem vero Deo vitiosè tributus, & modo indebito duplex eſt. Unus vocatur Pernicioſus, alter Superfluus. Pernicioſus cultus ille dicitur, qui eſt falſus, & contingit multis modis.

4 Primò, cum Deus, vel Chriſtus colitur cœremoniis Judæorum, indicantibus Deum venturum, quaſi nondùm ſuſceperit naturam humanam. Is autem actus eſt graviſſimum mortale peccatum, inducens ſic volentem in vehementem hæreſis ſuſpicionem, quia præſumitur errare contrà articulum Incarnationis Filii Dei. De peccato omnes *cum Bonac. de ſuperſt. n. 2. D. Thom. 2. 2. q. 93. ait 2. Sanch. lib. 2. cap. 37. nu. 2. Angelus v. ſuperſtitionum 1. Lupus de edicto S. Off. lib. 15. initio.*

5 Secundò, ſi quis admiſceret divino officio, vel miſſæ aliquid obſcænum tamquàm ejus partem, exercet cultum pernicioſum, & ſe reddit ſuſpectum de hæreſi vehementèr, juxtà qualitatem adjuncti; præſumendum enim eſt, hunc credere ſibi licere talem admixtionem, ac proindè horas canonicas, & miſſam non eſſe orationes ſacras, & puras ab omni obſcenitate, & turpitudine. De hoc ſuperſtitioſo actu *Bonac. p. 1. n. 2. Sanch. lib. 2. cap. 37. n. 7. Suar. tom. 2. de relig. lib. 4. de horis canonicis cap. 13. n. 16. & 17. Obſervantes eſſe tamen peccatum mortale, etiam ſi mixtio non ſit de rebus turpibus, & laſcivis, ſed de rebus profanis, & vanis, ultrà parvitatem materiæ, & ſi immiſcentur tamquàm pars horæ canonicæ, neque à culpa excuſantur. Cantus, & ſoni non ità devoti, ut exigit oratio, & locus ſacer Eccleſiæ. Caſus verò Sancti Officii eſt, cum admixtio eſt de rebus turpibus.*

6 Tertiò committit actum ſuperſtitioſum, qui verba Sacræ Scripturæ trahit jocosè ad profana, & turpia, miſcens ſacra profanis, ut di-

ut dicitur. Et talis eſt de hæreſi ſuſpectus levitèr, vel vehementèr, juxtà qualitatem rei profanæ ſacris adjunctæ. Subditur autem huic Sancto Officio. *Ità Pegna p. 3. com. 17. verſ. Poſtremò, Salcedo ad Diaz cap. 113. §. ſed locus iſte, Sanctar. de blaſphem. cap. 8. n. 4. ex illis Carena p. 2. tit. 7. n. 36. & tit. 17. n. 62.* Ubi quidam fuſtigatus fuit in Palatio, & privatus utraque voce per decennium, cum jejunio trienali feriarum ſextarum, quia verba, & res turpes, & ſcandaloſas, miſcuerat hymno: *Jam lucis orto ſydere*. Teſte Locato caſu 1. ex deciſis Romæ.

7 Quartò, actum ſuperſtitionis pernicioſum committit, qui falſa miracula prædicat, aut cum illis intendit firmare fidem catholicam, vel in ordine ad canonizationem alicujus ſervi Dei, probat in judicio falſum miraculum pro vero.

Hìc tres actus numerantur. Primus de falſis miraculis adductis in fidei confirmationem, de quo præcitati *Bonacina, Sanchez lib. 2. cap. 37. num. 9. Cajet. v. Superſtitio & 2. 2. qu. 93. art. 1. fine. Salelles Reg. 111. p. 1. nu. 11. Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 1. num. 3.* Secundus eſt de eorum prædicatione, quæ prohibetur, cum ex natura rei contineat falſitatem, & mendacium ex ſe malum, quod contingit etiam in aliis duobus actibus, ex eorum falſitate pernicioſis, ità præcitati cum *Leſſio lib. 2. cap. 43. nu. 3.* Non eſt excommunicatus prædicans falſa miracula, *Suarez diſp. 22. de conſ ſect. 6. n. 8. cum aliis Paſqualig. ad Franchum p. 1. n 1213. & 1214.* Tertius eſt atteſtatio falſi miraculi pro vero in ordine ad Canonizationem, vel Beatificationem. In his ergò tribus modis, actus ſuperſtitioſus eſt peccatum mortale, quia continet mendacium, & falſitatem in re gravi, per quæ fides catholica magis periclitatur, quàm confirmetur; nulli enim ſubeſt mendacio, aut falſitati, cum pro ſtabilitate, & firmitate innitatur divinæ veritati, quæ nec fallere, nec falli poteſt. Hos tres actus non inducere ſuſpicionem hæreſis tantò, quia fidei non adverſantur, ſed ſolùm arguunt indiſcretum modum probandi fidem, & Canonizationem Sanctorum.

8 Quintò, ille dicitur perpetrare actum ſuperſtitionis pernicioſum, qui falſas reliquias proponit adorandas; mentitur enim iſte, & facit idolatrare earum cultores ſaltem materialitèr. Ità præcitati. Puto autem dici falſas reliquias illorum mortuorum, qui licèt fecerint miracula; nondùm tamen ſunt ab Eccleſia beatificati, vel Canonizati; horum enim reliquiæ prohibentur venerari *cap. 1. de Reliq.* Gravius ſiquidem eſt peccatum exponere oſſa, & hujuſmodi, pro veris Reliquiis, quæ reverà tales non ſunt, quàm proponere corpus, aut pars certi hominis, ut colatur ſervus Dei, nondùm beatificati, nam in hoc poſteriori caſu non adeſt mendaciũ, ut in priori, ſed ſola prohibitionis tranſgreſſio. Uterque caſus ſubditur huic Tribunali per Bullam Urbanam 37. incip. *Sanctiſſimus*; ubi mandantur puniri per Ordinarios, & Inquiſitores, Religioſi quidem privatione officiorum, & vocum, ac ſuſpendi à Divinis, clerici verò eadem privatione ſuorum officiorum, ſuſ-

pensione à divinis, & ab administratione Sacramentorum, atque executione suorum ordinum, qui quovis modo pro Sanctis, seù Beatis colverint defunctos, licèt mortuos cum fama sanctitatis, seù martyrii, sivè in locis publicis, sivè privatis.

9 Actus autem honoris superstitiosi in hac Bulla prohibiti sunt, Imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis cum laureolis, aut radiis, seù splendoribus, miracula, revelationes, aliaque beneficia à Deo per intercessionem adepta, quæ in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra, tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Similitèr impressiones librorum de eorum vita, & gestis.

10 Notandum est autem, quòd servi Dei dicuntur beatificari, seù canonizari ab Ecclesia duplicitèr, primò à Summo Pontifice cum quadam solemnitate, secundò ex pio consensu fidelium, quod contingit, aut per communem Ecclesiæ consensum, ut habemus exemplum in Sancto Rocho, qui fuit Religiosus Tertii Ordinis Sancti Francisci, ex communi consensu totius Ecclesiæ tentus pro Sancto, aut per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, & tolerantia Sedis Apostolicæ, aut Ordinarii coluntur. Ità docet eadem Bulla.

11 Dubium super tempus immemorabile propositum, Sanctissimus Urbanus in Bulla 22. in Append. incip. *Cœlestis Jerusalem*, declaravit per hæc verba: *Insuper longissimum tempus, de quo in prædicto decreto intelligi declaravimus, esse tempus centum annorum metam excedens*. Tempus igitùr hujusmodi lege sic definitum, numerandum est à morte servorum Dei, qui regularitèr incipiunt venerari à fidelibus, adeoquòd post centum annos ab omnibus legitimè coli possunt, dum illa perseveranti devotione populorum certificata fuit illorum sanctitas. *Vide Lezanam consult.* 1. 2. & 3. ubi de Canonizatione Sanct. *Caren. p. 2. tit. 17. à num. 37. in terminis nostris*. Plura de Canonizatione Sanctorum, & de eorum miraculis *Pasqual ad Franchum par. 1. à num.* 1170.

12 Advertendum autem hìc, cultum Sanctis adhibendum vocari Duliam speciem distinctam à Latria, qua Deus colitur, ne incidamus in errorem quorundam hæreticorum, qui Sanctis negant venerationem, quam volunt soli Deo competere, ideò asserunt, cultum Sanctis per nos Catholicos, tributum esse actum idolatriæ in eo, quod honor Deo debitus creaturæ datur. Sed horum errores exterminavi *in tract. de blasphem. casu primò*.

13 Sextò, ille dicitur exercere actum superstitionis perniciosum, qui conficiendo, administrandoque Sacramenta, illorum materiam, & formam, essentialitèr mutat; Deum enim in suis Sacramentis non colit, juxtà Ecclesiæ normam, quæ docet Christum Dominum singulis Sacramentis propriam dedisse materiam, & formam, juxtà instructionem nobis traditam in Sacris Conciliis.

ciliis. Qui ſic mutat materiam, & formam Sacramentorum, præter graviſſimum peccatum ſuperſtitionis, & ſacrilegii, damnum ſpirituale infert Fidelibus, quibus nullitèr confert Sacramenta, quæ exiſtere nequeunt ſinè materia & forma tamquàm ſuis principiis intrinſecis illi conſtituentibus in ſuo esse physico, & morali. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 3. *Bonac. p.* 1. *numer.* 2. *Suarez de ſuperſt. cap.* 2. *num.* 12. Sic autem mutans materiam Sacramentorum reddit ſe ſuſpectum vehementèr de hæreſi, nam per hoc legitimè arguitur, eum exiſtimare materiam, & formam Sacramentorum dependere ab homine, & à Deo non fuiſſe inſtituta; nihil enim ſunt præter ſuam materiam, & formam, ex quibus componuntur, & conficiuntur à Sacerdote juxtà ritum S. R. Eccleſiæ, quæ ſemper docuit, eorum, auctorem, & inſtitutorem fuiſſe Chriſtum Dominum. Confirmatur, tùm quia ille præſumitur hæreticus, qui cum Eccleſia Romana non concordat, ſecundùm Ivonem Carnutenſem Epiſt. IX. Tùm quia, qui moribus, & vita diſcedit à communi converſatione Fidelium, hæreticus præſumitur, *cap. excommunicamus* 14. §. *Adjicimus*, *de hæreticis*.

Septimò nondùm Sacerdos exiſtens actum ſuperſtitionis pernicioſum facit, dum conſecrat, aut abſolvit pœnitentem; tribuit enim Deo actum pernicioſum, & falſum, dum illi facit injuriam maximam fingendo ſe Sacramenta conficere, cum id non poſſit, dum caret poteſtate ordinis Sacerdotalis. Vide *Suar. de ſuperſt. cap.* 2. *à num.* 12. *ad* 16. *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 1. *num.* 3. & 4. Ita Celebrans, aut abſolvens nondùm Sacerdos eſt vehementèr de hæreſi ſuſpectus, quia præſumitur credere impiè cum hæreticis, cuique indifferentèr licere Sacramenta conficere. De Celebrante miſſam, cum nondùm ſit Sacerdos dixi caſu 55 *de blaſph. n.* 30. *de Abſolvente num.* 41.

15 Cultus altera ſpecies erga Deum vitioſus vocatur ſuperfluus, qui nullam falſitatem continet, ſicut Pernicioſus conſiſtit in devotione indiſcreta, & tranſgreſſione rubricarum, & Cœremoniarum ab Eccleſia præſcriptarum, quod contingit, eas mutando, addendo, vel detrahendo, aut omittendo, vel ponendo cultum in quibuſdam circunſtantiis loci, temporis, numeri, coloris, &c. v. g. Si Sacerdos in celebratione faciat duas tantùm, aut quatuor Cruces ſuper oblata, ſi utatur pluribus candelis, quàm conveniat &c. Regularitèr talis cultus non videtur pluſquàm veniale. Ità docent omnes *cum Bonac. p.* 1. *de ſuperſt. num.* 4. *Leſſio lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 5. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 4. & 10. *Suarez tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *capit.* 2. *num.* 21. Accidere tamen poteſt, quòd ſit peccatum mortale, quandò mutatio, ſeù omiſſio eſt notabilis. Imò quandoque talis cultus poteſt inducere ſuſpicionem hæreſis, quandò nimirùm in celebratione Miſſæ, & confectione aliorum Sacramentorum Sacerdos utitur aliquo ritu hæreticorum, ut ſi non genuflectat poſt conſecrationem,

tunc enim præſumendum eſt, non credere Chriſtum eſſe ſub illis ſpeciebus, ſequendo hæreſim negantium Chriſtum præſentiam ſub ſpeciebus conſecratis. Contrà quam hæreſim vide *Becanum cap.* 17. *de Sacram. q.* 1. *&* 2.

16 Egimus uſque hùc de cultu ſuperſtitioſo, qui Deo vero vitiosè, & indebito modo tribuitur: modò agendum eſt de cultu ſuperſtitioſo, qui tribuitur falſo Deo, Creaturæ, & Dœmonio. *qui à D. Thoma* 2. 2. *q* 92. *art.* 2. dividitur in tres ſpecies, quæ ſunt *Idolatria*, de qua q. 94. *Divinatio*, ſub qu 95. *&* *Vana obſervantia*, ſub qu. 96. Ego autem claritatis cauſa divido cultum creaturæ tributum loco Dei, in quinque ſpecies, quæ ſunt Idolatria, Divinatio, Magia, Maleficium, & Vana Obſervantia, ex *Toleto lib.* 4. *cap.* 14 *Valentiæ Compend. tract.* 24 *à cap.* 1. *ad* 8. De ſingulis agendum.

17 Idolatria eſt honor creaturæ tributus uti Deo. Hoc idem importat ejus ætymologia compoſita ex Idolo, quod eſt Deus falſus, & latria, quæ eſt præcisè cultus, & honor, qui ſoli Deo vero competit propter ejus ſummam excellentiam, & dominium ſuper omnes creaturas, undè ſi tribuatur alicui creaturæ, uti Idolo, ſeù Diabolo, vocatur idolatria. Eſt peccatum mortale graviſſimum, cui ſententiæ nullus contradicit. Idolum autem in eo differt ab Imagine, quòd ambo repræſentant aliquid, idolum quidem rem falſam, & chimeram, cum referatur præcisè ad aliquem Deum extrà Deum verum, cujus eſſe eſt impoſſibile, ac proindè chimericum. Imago verò repræſentat rem veram, & realem, ut hominem viventem, vel defunctum Sanctum, vel non Sanctum.

18 Committi autē poteſt idolatria duobus modis. *Primò*, ſpontè honorando idolum genuflexione, incenſatione, oratione &c. intellectu credendo, & voluntatis affectu hæc præſtando tanquàm vero Deo, qui tamen non eſt. Et hic cultus vocatur Idolatria formalis, & interior, quia procedit ab intellectu, & voluntate idolatrantis, volentis, & credentis creaturam eſſe Deum aliquem; idolatra enim credit pluralitatem Deorum contrà Catholicam Fidem, quæ unum Deum eſſe tantùm credit, & prædicat. Contingere autem poteſt duobus modis. *Primò*, cum errore in intellectu, & ſubmiſſione voluntatis, credendo idolum eſſe verum Deum, ac proindè dignum adoratione latriæ, cui ſe voluntariè ſubmittit per actus venerationis. Hæc eſt perfecta idolatria, includens in ſe hæreſim formalem, inducentem excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini reſervatam. *Secundò*, contingit ſinè errore in intellectu cum ſolo pravo voluntatis affectu, quo quis colere vult idolum, quem reverà ſcit, & credit non eſſe Deum, ſed creaturam indignam tali cultu. Hæc dicitur idolatria imperfecta ſinè errore in intellectu, ac proindè non inducit cenſuram, ſed ſolùm peccatum mortale graviſſimum. De qua *Suar. & Sayr. & Sanch. lib.* 2. *cap.* 37. *nu.* 22. *&* 23. *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 2. *num.* 5.

19 Secundò, committitur idolatria coactè, cum quis metu mortis,

tis, vel alio periculo imminente cogitur adorare idolum, ſi illi præſtet actus honoris ſinè errore in intellectu, & ſinè affectu voluntatis, præter peccatum mortale, nullam incurrit cenſuram in foro Dei. Quòd peccet mortaliter patet ex eo, quòd in jis, quæ intrinſecè ſunt mala, nec metus mortis excuſat, ut docent omnes cum Toleto *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 2. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 21. Vocatur autem idolatria imperfecta, & impropria, quia ad propriam requiritur ex parte intellectus recognitio Creaturæ pro vero Deo, & affectus reverentiæ exhibendæ eidem uti vero Deo, aut eidem, ac ſi eſſet verus Deus, qui tamen à colente cognoſcitur creatura.

20 Utrunque crimen ſubjicitur ſacro Tribunali, cum per utrunque Sancta Fides dicatur gravitèr violata ex honore creaturæ tributo, qui ſoli Deo erat tribuendus, præſupponendo pluralitatem Deorũ. Idolatra autem ſpontaneus non ſolùm eſt ſuſpectus de hæreſi, imò judicandus eſt talis, cum ex ejus actibus non ſuſpicio, ſed formalis inferatur hæreſis; non enim aliud motivum intellectus prudentis habere poteſt, niſi illationem hæreſis formalis, ex quo ſpontè ſe immiſcuit circà actus ſuperſtitioſos, qui ſolam hæreſim neceſſariò indicant.

21 Coactus verò colere idolum, præſumitur vehementèr ſuſpectus de hæreſi, non verò judicandus eſt formalitèr hæreticus, quia actus ſuperſtitioſi ab eo perpetrati, cenſentur facti ad evitandam mortem, non verò ad honorandum idolum, nec credendum illud eſſe verum Deum illo latriæ honore dignum.

3 Notandum autem eſt, quòd quis poteſt idolatrare ex duplici fine, exhibendo creaturæ actus ſuperſtitioſos genuflexionis, incenſationis &c. propter ſeipſum, altero modo ad conſequendum aliquem effectum, ut ſi quis incenſet, vel genuflectat Diabolo ad obtinendum aliquid. Priori modo eſt ſimplicitèr idolatria, in qua nihil aliud intenditur, niſi honor ejus, cui tribuitur. Poſteriori verò modo idolatria conjungitur cum ſortilegio ſpecificato ab illo fine conſequendi aliquid. Quoniam autem intentio noſtra eſt abſolvere tractatum ſub nomine Sortilegiorum, ſub quo continentur ſupradictæ ſpecies, Divinationis, Magiæ, Maleficii, & Vanæ Obſervantiæ, cum idolatria, juxtà mox dicta, ideò ſecundum inſtituitur caput de ſortilegiis in genere.

CAPUT

# CAPUT II.

## Quid, & quotuplex sit Sortilegium?

1 SOrtilegium est superstitio, qua quis utitur instrumentis diabolicis ad consequendũ aliquid. Ità colligo *ex Bodino de Demon. lib. 1. cap. 1. Farin. q. 20. in praxi crimin. nu. 73. Scaccia de judic. crimin. civil. & hæret. lib. 1. cap. 12. num. 20. ex illis Carena p. 2. tit. 12. nu. 1.* Singulæ particulæ sunt explicandæ.

2 Dixi 1. Quòd sortilegium est superstitio, quia illud non contingit sinè dœmonis invocatione, qua dicitur coli, & honorari ab homine, qui ab illo intendit aliquid obtinere; inimicus enim hominis sinè magna mercede gratis servire non vult, consistente non solùm in exhibitione reverentiæ, & honoris, verùm etiam quandoque in oblatione sui ipsius facta Diabolo cum quadam solemnitate.

3 Dixi 2. Qua ut instrumento diabolico utitur, Diabolus non immediatè per se ipsum operatur, regularitèr loquendo, dum servit homini, sed illi proponit instrumentum, quo utatur ad consequendum suum finem. Hujusmodi autem instrumenta, quæ sunt modi ad consequendum effectum, nec ex se, nec ex institutione divina habent vim, & facultatem operandi effectum desideratum, sed Diabolus in illis occultè operatur ad decipiendum homines in eo confidentes; Quid enim potest cribrum motum ad inveniendum auctorem furti? certè nihil. Audivi à quodam fide digno ad nominationem cujusdam certæ personæ, an esset auctor furti? Motum esse cribrum, & nihilominùs nullum extitisse furtum, quia Dominus pecuniæ non ampliùs recordabatur, in quo loco abscondisset pecuniam, & locus occurrisset tandem memoriæ illuc vadens pecuniam à se absconditam invenit in eodem loco, in quo primò eam reposuerat. Et id etiam constabat ex processu in S. Officio. Motus ergò cribri nullius est momenti, & virtutis, sed dœmon homines decipit suis fallaciis.

4 Dixi 3. Sortilegum uti instrumento, quia sinè usu non contingit sortilegium, quod ex usu instrumenti sequitur, & sortitur suum effectum, aliquandò non, juxtà quod dicetur infrà.

5 Dixi 4. Ad consequendum aliquem effectum; homo enim alio fine non utitur instrumento, nisi ut per ejus usum obtineat, quod desiderat. Ad complementum autem sortilegii non est necessarium, ut sequatur effectus intensus, sed sortilegium existit, & perficitur in usu illius instrumenti, quod diabolus ordinat ad effectum obtinendum.

Sorti-

6 Sortilegium tamquàm genus dividitur in Divinationem, Magiam, Maleficium, & Vanam Obſervantiam; hæc enim à noſtris ſolent vocari ſortilegia, ut colligitur etiam ex tribus capitibus tituli de Sortilegiis.

Difficultas oritur ex prædictis. Nunquid in omni ſortilegio miſceatur cultus idolatriæ ex uſu illius inſtrumenti diabolici?

7 R. Affirmativè, quia in omni ſortilegio Diabolus invocatur, ſi non expreſsè, ſaltem tacitè, ut infrà patebit cap. 3. quæ invocatio includit cultum latriæ, quo Diabolus honoratur ad conſequendum effectum deſideratum. Et licèt à petente auxilium recognoſcatur, ut talis creatura, cui non competit talis cultus, cum non ſit Deus, nec ac ſi eſſet Deus colatur, ut poſtulat idolatria propriè accepta, nihilominùs ille cultus habet rationem idolatriæ imperfectæ, ut dixi ſuprà præcedenti *cap. num.* 18. A Sortilegis igitùr Diabolus adoratur, & colitur cultu latriæ debitæ tantùm Deo, licèt cognoſcatur à colente, ut pura creatura, imò ut indignus honore, quia nullam in ſe habet excellentiam, quæ moveat ad ſui adorationem, & cultum, tamen Sortilegus ſperans aliquid ab eo obtinere, exhibet actus honoris, recognoſcendo eum ut ſuum amicum, & benefactorem. Quòd autem idolatria contingere poſſit abſque errore in intellectu, colendo Diabolum honore divino, quem credit non eſſe verum Deum, ſed creaturam, docet *S. Th.* 2. 2. *q.* 94. *ar.* 3. *ad primum*, *Valent. ibid. diſp.* 6. *q.* 11. *p.* 2. *verſ. ex diverſa*, *& p.* 3. *verſ. neque obſtat cum illis Sanch. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 22. *Mazuchell. diſp.* 2. *de caſib. reſervatis cap.* 10. *num.* 21. *Suarez tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 6. *de ſuperſtit. num.* 3.

8 Colligitur hinc, & ex dictis in præcedenti capite, idolatriam tribus tantùm modis committi poſſe. *Primò*, cum errore infidelitatis, & hæreſis in mente, credendo pluralitatem Deorum. *Secundò*, ſinè tali errore, cum affectu ſolius voluntatis tribuentis honorem ſoli vero Deo debitum, creaturæ, ſeù Diabolo, quem credit non eſſe Deum, tamen illum vult honorare propter aliquod bonum, quod ab eo ſperat. *Tertiò*, ſinè errore in intellectu, & ſinè affectu voluntatis colendi Diabolum ut Deum, quod ſolet accidere coactis id facere ad evitandam mortem, qui illum actum adorationis externum ſinè intentione colendi faciunt, fingentes adorationem, ut comminatam mortem, vel aliud malum imminens evitent. De hoc triplici modo idolatrandi D. *Thom.* 2. 2. *quæſt.* 94. *art.* 2. *&* 3. *apud Suarez citat. capit.* 6. *de ſuperſtit. à numer.* 1. *ad* 6. Primus modus conſtituit propriiſſimè rationem idolatriæ, quo tribuitur cultus latriæ creaturæ exiſtimatæ Deo vero. Secundus facit idolatriam propriè dictam, quia creaturæ, ut tali tribuitur veri Dei cultum Latriæ ex pravo voluntatis affectu, ſinè errore in intellectu; talis autem honor, ut plurimùm contingit in Sortilegis. Tertius arguit idolatriam fictam, quam non intendit exercens cultum; ergò idolum ſinè intentione illud colendi.

Dices,

Dices, hinc ſequitur, unam ſpeciem ſuperſtitionis prædicari de alia contrà regulas Logicæ, nam ſi in quolibet ſortilegio reperiatur idolatria, ſequitur, quòd idolatria ſit Divinatio, Magia, &c. cum ſint ſpecies ſortilegii; ergò una ſpecies, nempè idolatria, dicitur de alia ſpecie, nempè de Divinatione, Magia, &c.

9 R. Unam ſpeciem non prædicari de alia, quia oppoſitas habent formas, nec argumentum id probat, ſed tantùm oſtendit in uno, & eodem actu ſortilegii poſſe reperiri plures doformitates ſuperſtitionis v. g. dum quis vult ſcire aliquod ſecretum cordis, invocat dœmonem, ecce deformitas idolatriæ, qui eum docet modum ſciendi, ut nimirùm mandu, cet hoſtiam triangularem conſecratam, ecce abuſum Sacramenti, ipſum deſiderium ſciendi ſecretum cordis hoc modo, eſt inordinatus modus ſciendi ea, quæ excedunt virtutem proprii intellectus, cujus objectum non poteſt naturalitèr eſſe ſecretum. Tres ergò deformitates ſunt in hoc actu ſortilego, idolatria, abuſus, Sacramenti, & inordinatum deſiderium ſciendi ſecretum, quæ ſunt tres ſpecies ſuperſtitionis inter ſe diverſæ in eodem actu ſortilego.

10 Objicies, non ſemper per invocationem dœmonis cultus ei tribuitur, cum ab eo aliquid peti poſſit ſinè reverentia, & cultu, ut conſtat, quandò aliquid ei imperatur; in hoc enim modo invocandi nullus apparet cultus, nec ſubmiſſio; ergò per invocationem dœmonis non infertur idolatria. *Ità Cajet. 2. 2. q. 95. art. 4. Pegna p. 2. com. 68. verſ. Tertius caſus.*

11 R. In omni invocatione dœmonis invenitur reverentia, & ſubmiſſio hominis Diabolo ad conſequendum, quod petitur, experientia id docet inter homines, quia indigens, ut ab alio obtineat petitum, honorat ſubmiſsè eum, à quo ſperat beneficium; alio enim modo non obtinetur, quod petitum fuit. Quòd autem invocatio ſit actus honoris, apertè colligitur ex Sacra Scriptura Geneſis 4. 26. *Iſte cæpit invocare nomen Domini*, ideſt Enos. *ibidem cap. 13. 4. cap. 21. 33. cap. 26. 25.* ſub hoc vocabulo Invocationis legitur Abraham Deo ſuper altari obtuliſſe ſacrificium, 2. *Reg.* 22. 4. David inquit: *Laudabilem invocabo Dominum.* Ecce quòd invocatio includit laudem, & cultum Dei. In Pſal. 17. 4. *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.* Libri Canonici ſunt pleni his invocationibus, quæ aliud non ſignificant, niſi honorem, & cultum latriæ Domino *tributum.* Infrà *ſect. 3. num. 3. Latiùs.*

12 Nec imperium hominis in ſortilegiis in dœmonem ſpectandum eſt, cum ſit vanum, inutile, & fictum, nam ſervit homini non ex imperio, ſed ex voluntate, ut ejus lucrifaciat animam. Nullius ergò momenti judicatur imperium hominis contrà Diabolum, dicente Job 41. 24. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullam timeret.* Quare *D. Auguſt. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 11.* dixit, eſſe rem ridiculam invocare Diabolum per modum imperii, vel ei minitando præcipere, cum à nemine cogi poſſit.

CAPUT

# CAPUT III.

## De Diabolo agente in Sortilegiis.

SUb hoc capite agendum eſt de poteſtate Dœmonis. De pactis, quæ inter ipſum, & homines ineuntur. Et de ejuſdem invocatione facta ab homine in actibus Sortilegis.

## SECTIO PRIMA

### De poteſtate Dœmonis.

1 POteſtas Diaboli in terra eſt maxima, cui aliam ſuper terram comparari non poteſt, ut dixit *Job* 41. 24. ut mox diximus. Ratio eſt, quia per peccatum vires naturales non amiſit, nec diminutæ ei fuerunt, ſed omnia naturalia in eo integra remanſerunt, ſola Dei gratia illum relinquente *ex D. Thoma p.* 1. *qu.* 64. *art.* 4. quem omnes Theologi ſequuntur, teſte *Caſtrop. p.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 1. *p.* 9. *num.* 2.

2 Neceſſaria autem eſt hæc cognitio poteſtatis Dœmonis, nam ex ſententia multorum, inquit Caſtropalaus, non committi ſuperſtitionem propriè dictam, quandò ab illo quis petit aliquid, quod Dœmon viribus ſuis facere poteſt, quia non deffert ei honorem divinum, ſed ei proprium, & naturalem. An autem id ſit probabile, dicetur infrà ſect. 3.

3 Circà hominis corpus multa facere poſſunt. *Primò*, illud ſauciando multis, & variis infirmitatibus, etiam inſanabilibus humana induſtria. *Secundò*, è contrà infirmos curare poſſunt, & utrunque facere poſſunt, vel per ſe, vel per homines ſuos miniſtros, qui vocantur malefici. *Tertiò*, poſſunt homines transformare extrinſecè, interponendo aliquid inter videntem, & viſum traſmutatum, qui intrinſecè nullam paſſus ſit mutationem. *Quartò*, poſſunt hominem de loco ad locum longinquum brevi tempore tranſportare, ut id contingit in Strigiis, & Magis. *Quintò*, poſſunt Dœmones inferiores immittere in corpora tùm hominum, tùm belluarum, & in eis conſtringere, remanere, aut ab eis expellere, quandocunque voluerint. *Sextò*, poſſunt Dœmones ſe ſubjicere hominibus, qui dicuntur eos alligare in anullis, ſed alligatio hæc non eſt coactiva, ſed voluntaria, ex qua proventum habet in præjudicium animæ illum alligantis. *Septimò*, poſſunt impedire copulam matrimonialem certis remediis occultis refrigerando hominem, prohibendo emiſſionem ſeminis, vir-

tutem motivam ſpirituum ad membrum. *Octavò*, fingunt ſe exercere actum venereum, cum viris ſe ſuccumbant, vel cum mulieribus ſe incumbant. De his latè *Carena p. 2. tit. 12. à num. 5. Caſtropal. de ſuperſtit. diſp. 1. p. 9. num. 3.*

4 Contrà animam verò nihil efficere poſſunt immediatè, ut peccet, ſed tantùm ei propohere poſſunt, quæ dependent ex phantaſia, & diſpoſitione corporis, excitando ad odium, ad amorem, ad libidinem, & ſimiles affectiones; igitùr voluntatem humanam in nullo cogere poſſunt, licèt ex affectionibus ſenſualibus inclinare poſſint ad malum. Ità omnes cum *Delrio lib. 2. qu. 24. Leſſio lib. 2. cap. 44. num. 23. ex illis Carena p. 2. tit. 12. nu. 15. Caſtropal. citat. num. 3.* Et hoc de fide credendum eſt, quia voluntas eſt eſſentialitèr, & naturalitèr libera; Undè Dœmon petiit à Domino poteſtatem vexandi Job, & obtinuit, cum ea conditione, & limitatione: *Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerva.* Job 2. 6. indicando nobis, quòd animæ ſubjectio eſt ſolius Dei ejus Creatoris.

5 Nullam penitùs poteſtatem habent ſuper Animas ſeparatas, niſi torquendi damnatas, juxtà mandatum ſibi à Deo factum, ideò eas mittere non poſſunt, ad vivos, ut docent omnes cum *Delrio lib. 2. q. 6. & 26. Leſſio lib. 2. cap. 44. nu. 23. Carena p. 2. tract. 12. num. 16. Caſtropal. num. 3.* Pithoniſſa autem ex mandato Saul, cæpit procurare ſuis magicis artibus, ut à mortuis excitaret Samuelem Prophetam, ſed non potuit, quia, Deus præveniendo Samuelem fecit apparere Saüli capite ſurſum, ad differentiam umbrarum magicarum, quæ apparent capite deorſum. *Ità ex 1. Reg. cap. 28. & Eccleſiaſtici 46. colligit Leſſius cit. num. 24. Carena num. 16. Caſtropal. num. 5.*

6 Elementa permutare poteſt, excitando tempeſtates, grandines, pluvias, transferendo ſegetes ab uno ad alium locum. *Ità præcitati.*

7 Theſauros occultos eruere poſſunt, & occultare, ſeù alio transferre, & impedire, ne ab hominibus colligantur.

8 Poſſunt facere loqui beſtias, ut locutus fuit ſerpens, decipiendo Evam. Multo tempore immittere ſoporem in homine, ut diù dormiat. Item animalia imperfecta ex putri producere. *Latè Delrius q. 14. 19. 20. 21. 23. & 24.*

9 Non poſſunt vera miracula facere, quia carent poteſtate infinita, neceſſaria ad facienda miracula, undè non poſſunt dare vitam mortuis, viſum cœcis, conſtituere idem corpus in pluribus locis. *Delrius lib. 2. qu. 7.* Undè nec ordinem Naturæ, nec leges Univerſi mutare, aut evertere poteſt, cum id poſtulet infinitam potentiam, qua Dœmon caret; *ex eodem, & Carena nu. 14.*

10 Multa autem prædicere poſſunt, quæ non dependent à libera hominum voluntate, ut morbos, mortem, tempeſtates, & conjecturare etiam actiones humanas ex præcedentibus diſpoſitionibus. *D. Aug. relatus capit. Sciendum 2. 26. q. 3. & 4.* Habent enim Dœmones magnam experientiam, & ex eorum ſubtilitate, cum ſint ſpiritus, omnia penetrare, & pervadere poſſunt.

Diffi-

11 Difficultates hìc nonnullæ oriuntur. *Prima*, an cenſendus ſit Sortilegus ille, qui à Dœmone obtinuit, quod ſuis viribus facere poterat? v. g. Dœmon poteſt invenire theſaurum, & conſequentèr dare alicui ab eo petenti illum. Nunquid is actus dicatur ſuperſtitioſus? negant aliqui, quia Dœmoni non defertur honor divinus, ſed naturalis, & ei proprius; ergò non eſt ſuperſtitioſus, qualis eſt honor divinus creaturæ tributus. *Secunda*, an Dœmon ex Inferno ad nos veniat pro ſortilegiis, & alia faciat, quæ ejus poteſtatem non excedunt, an verò ſint tantùm ſpiritus aerei hæc præſtantes? *Tertia*, an Diabolus, ſinè Dei permiſſione, hæc agere poſſit, nocendo homini in perſona, & rebus? *Quarta*, an poſſit recipere Sacramenta?

n Reſpondeo ad primam, illum actum cenſeri propriè ſuperſtitioſum, quia hìc præcisè non ſpectatur acceptio theſauri, ſed præcedens petitio, qua cum ſe Diabolo ſubjecerit, non poteſt non dici niſi actus ſuperſtitioſus, & cultus divinus Diabolo tributus; non autem honor naturalis illi tributus, ſed moralis denominatus ab illa petitione, & invocatione, quæ arguit cultum latriæ, ex probatis ſuprà. Vide *Suarez capit.* 8. *numer.* 16. ubi rem meliùs reſolvit; Iterùm infrà *ſection.* 2. *num.* 26.

Ad ſecundam, Dœmones, qui ſortilegia cum hominibus cooperantur, non ſunt de illis, qui ab initio ſui caſus ceciderunt in Infernum, cum de his, & hominibus dicatur: *in Inferno nulla eſt redemptio*, & meliùs ad propoſitum Lucæ 16. 26. *Et in bis omnibus inter nos, & vos*, dixit Abraham in Limbo exiſtens cum Lazaro, ad eos, qui erant in Inferno, cum divite Epulone, *Chaos magnum firmatum eſt, ut bi, qui volunt binc*, ideſt, à Limbo, *tranſire ad vos*, qui ſcilicèt eſtis in Inferno, *non poſſint, neque inde hùc traſmeare*. Clauſa ergò eſt porta Inferni quoad exitum, ideò Dœmones ibi condemnati vexare non poſſunt homines, neque cum eis efficere ſortilegia; ſed hæc ideò præſtantur à Dœmoniis, & ſpiritibus exiſtentibus in aere illis caliginoſo, juxtà quod dicitur ad Epheſ. 2. 2. *Secundum Principem poteſtatis aeris hujus ſpiritus*, ideſt, Diaboli manentis in aere cap. 6. 12. *Adverſus Mundi rectores tenebrarum barum contrà Spiritualia nequitiæ in cœleſtibus*. 14 Ideſt Dœmones, qui ſunt ſpiritus nequitiæ habitantes in aere, qui vocatur Cœlum aereum. *D. Auguſtin. tom.* 6. *de natura boni contrà Manich.* Confirmatur id, quia Dœmones non poſſunt ſervire, nec nocere hominibus, niſi Deo permittente, 15 ex *D. Auguſt. relato cap nec mirum* 14. 26. *quæſt.* 5 veriſimilius autem eſt, quòd id permittat aereis, non infernalibus, cum illi detineantur ſuper terram afflicti, non gehenna, ſed aliis tormentis, iræ, invidiæ, deſperationis &c. inquit *Riccardus apud Pelbartum Themerſvar. tom.* 2. *v. Dœmones* §. 20. Qui verò ſunt in Inferno, ſuum ultimum experiuntur ſupplicium, adeoquòd vexatione hominum, & eorum adjutorio in malum, non ſunt refrigerandi à ſuis pœnis, ut noceant hominibus

16 Ad tertium patet ex dictis, Dœmones non posse nocere hominibus sinè Dei permissione, aliter si possent, sicuti potest homo homini malum inferre, totam naturam humanam destruerent, cum longè fortiores sint hominibus, & mille artes nocendi habeant. Quare si quis vexatur à Dœmone, vel sortilegia facit; id Deus permittit in pœnam eorum, & ut nos exerceremus per illos in bonum, ex *D. Bonavent. apud dictum Pelbartum* §. 23.

17 Ad quartum ℟. Negativè, neque id Deus permitteret, cum sit execrabilis, & inutilis Diabolo usus Sacramentorum, quæ illi prodesse non possunt propter ejus obstinationem in peccato.

An Sortilegus reverà alliget Dœmonem in vase, vel annulo, ut fert Vulgus?

18 ℟. Negativè, sed spontè ibi manet, vel fingit ibi existere, ut hominem adjuvet ad malè agendum, ut eum tandem decipiat statuto tempore, & de eo sibi lucrum faciat. Ità omnes cum *Simanch. tit. de superstit. num.* 30. *Pegna p.* 3. *com.* 68. §. *In hac re*, *Carena p.* 2. *tit.* 12. *nu.* 64.

# SECTIO SECUNDA

## De Invocatione Dœmonis.

1 Diabolus à Sortilegis in auxilium vocari solet, ideò hìc agendum est de invocatione illius, ut perfectam dicendorum de sortilegiis cognitionem habere possimus.

2 Invocatur autem Dœmon quatuor modis. Primò per modum indignationis. Secundò per modum adjurationis. Tertiò per modum deprecationis. Quartò demùm per modum imperii. Singula sunt explicanda.

3 Invocatio Dœmonis per modum indignationis est, cum quis iratus vocat dœmonem, vel illi maledicendo, vel ut malum alicui inferat. Qui maledicit Diabolo ex ira, & indignatione, peccat venialitèr. Qui verò homini per Diabolum verbalitèr, & ex animo malum precatur notabile, peccat mortalitèr, ex *Navar. cap.* 23. *num.* 117. Sub hoc modo comprehenduntur verba relata à Ve-

ricello tract. 8. q. 22. nu. 7. *Petre, undè Diabole venis. Aut quò Diabole vadis, non dormias, nec quiescas, sed semper de me cogites.* Nam sunt dicta per modum iræ, & indignationis, nec aliquam habent rationem sortilegii, ut falsò supponit ipse, quia dum asserit in hac invocatione, Diabolum non deprecari, nec ab eo auxilium peti, nec nominari ex honore, & reverentia, sequitur non esse sortilegium, quod supponit aliquem cultum, & honorem Diabolo tributum à Sortilego. Hoc genus invocationis nullum Dœmoni tribuit cultum, & honorem, dum ex indignatione appellatur, consequentèr non spectat ad sortilegium, nec sic malè loquentem facit suspectum de hæresi. Potest etiam Diabolus reprehendi sinè ullo vitio invocationis, dicendo: Vade in malam crucem, cessa à tentatione; objurgatur enim, non

invo-

invocatur, *ex Leſſio Suar. Sanch. Caſtropal. p. 3. tract. 17. diſp. 1. par. 12. fine*.

4 Invocatio verò per modum adjurationis tunc contingit, cum Sacerdos per ſanctum exorciſmũ, orationibus ab Eccleſia inſtitutis, imperat Diabolo, ut exeat à corpore obſeſſo, ne offendat quemquam in perſona, & rebus. Id autem facere debet imperando, nequaquàm rogando, aut deprecando, quia iſti ſunt actus ſubjectionis, ſubmiſſionis, & honoris. Exorciſta autem non eſt ſubjectus Dœmoni, cui nec hunc cultum humilitatis tribuere debet, ſed cum Sacerdos dominium habeat ſuper Dœmones ejiciendos, ut dicitur Lucæ 10. 17. *Domine etiam Dœmonia ſubjiciuntur nobis in no-*
5 *mine tuo*. Dederat enim Apoſtolis, & in illis poteſtatem cæteris Sacerdotibus, & exorciſtis ejiciendi Dœmonia, Marci cap fin. 17. *In nomine meo Dœmonia ejicient*. Debent ergò Sacerdotes hanc poteſtatem exercere ſuper Dœmones per modum imperii, præcipiendo eis, nè quemquam lædant in perſona, nec in eis rebus. Qui enim rogaret Dœmonem ad exeundum à corpore obſeſſo, vel ne noceret per grandines, aut tempeſtates, certè peccaret mortaliter, quia impium eſt expectare beneficium à Diabolo, humani generis hoſte perpetuo. Ità omnes cum *Soto lib. 8. de juſt. q. 3. Sanch. lib 2. cap. 42. num. 12. & ſeq. Bonac. diſp. 4. Decalog. q. 1. p. fin. num. 5*. Hæc invocatio uti licita, & ſancta, non ſpectat ad præſentem materiam; ideò omittitur. Invocatio deprecativa, & imperativa ſpectant ad ſortilegium, ideò de iſtis agendum.

6 Eſt autem invocatio deprecativa illa, per quam homo rogat Dœmonem, ut faciat aliquid, ſivè ſit bonum, ſivè ſit malum, ſivè excedat ejus vires, ſivè non. Imperativa verò eſt illa, per quam homo jubet, & imperat Dœmoni ad faciendum aliquid bonum, ſivè malum, excedens, ſivè non excedens ejus vires, & poteſtatem. In hoc omnes conveniunt. De hac duplici invocatione *Direct. p. 2. q. 43. Pegna com 68. Caren. p. 2. tit. 12. n. 63 verſ. Simanch. alios citat pleniùs Diana p. 4. tract. 7. reſol. 10 verſ. ſed oritur hìc, Sanch lib. 2 c. 42. occaſione adjurationis à n. 13. 14. & ſeq.*

7 Duplex difficultas hinc oritur. *Prima*, an licita ſit ſaltem invocatio imperativa, quandò eſt illicita deprecativa Dœmonis? *Secunda* an dari poſſit Dœmonis invocatio ſimplex ſinè honore? Quod eſt etiam quærere, an invocatio Dœmonis ex ſe ipſa ſit cultus, & honor Diabolo invocato datus.

8 Ad primam reſpondetur, utranque invocationem eſſe illicitam, & jure divino prohibitam. Probatur, quia invocatio beneficialis, qualis eſt hæc in ſortilegiis, in quibus Sortilegus petit aliquid auxilio, & ope Dœmonis, non poteſt fieri ſinè amicitia, & ſocietate Dœmonis, à quo petitur ſervitium; nam certum eſt de fide, quòd Diabolus eſt inimicus humani gene-
9 ris, Matth. 13. 25. *Venit inimicus, & ſuperſeminavit zizania*, ideſt, Diabolus, ut Sancti Patres interpretantur, undè Joannes Papa relatus cap. 1. 16 q. 2. inquit: *Conatur enim à principio ruinæ ſuæ, unitatem Eccleſiæ reſcindere, charitatem vulnerare, &c.* & paulò antè dixerat, quòd Dœmon habet mille modos nocendi. Intercedit er-

gò gravissima inimicitia inter hominem, & Diabolum, qua supposita, sicut homo suo inimico non facit beneficium, nec facere vult, sed nocere quantùm potest, omne malum enim præsumitur de inimico, *l. Si Inimicitia ff. de his, quibus ut indign. Farin. q.* 49. *num.* 88. *M. Ant. lib.* 3. *resol.* 6. *num.*
11 12. *& resol.* 37. *nu.* 4. Ità Dœmon, durante inimicitia, Sortilego servire non vult; ergò dum illum invocat in auxilium, contrahit cum eo amicitiam, & illi reconciliatur, quare invocatio hujusmodi omninò illicita est, & à Deo interdicta per os Apostoli 1. ad Corinth. 10. 20. *nolo vos socios fieri Dæmoniorum*. Argumentum probat etiam respectu invocationis imperativæ, quòd ostenditur, nam invocatio imperativa est à superiore in subditum, cui imperare potest, ex hoc enim appellatur imperativa, quod colligitur à Doctoribus agentibus de abjuratione deprecativa subditi erga Superiorem licita, & de imperativa Superioris erga, & contrà subditum, *Sanch. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 15. *Bonac. disp.* 4 *Decal. q.* 1. *p. fin. nu.* 1. *& alii omnes;* sed homo nullum jus, nullam potestatem, nec superioritatem imperativam habet adversus Dœmonem nisi adjuratoriam, & quidem Sacerdos ex divina ordinatione, nam nullibi reperitur data potestas homini
12 imperandi Diabolo, imò è contrà Diabolus dicitur Princeps hujus mundi, quod arguit nescio quid superioritatis usurpatæ ad tentandum hominem, & talis est Diaboli potestas, cui nulla alia comparari potest, secundùm Job 41. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret*. Si major est potestas Dœmonis super terram; ergò homo, cujus potestas est minor diabolica, non potest imperare Diabolo.

13 Sequitur ergò ex his, hujusmodi invocationem imperativam reverà non dari, sed palliari, ad evitandas pœnas, quæ dantur invocantibus Dœmonem deprecativè, siquidem ea in re alia non est invocatio nisi deprecativa æquivocata, & palliata sub nomine imperii.

14 Colligitur ex dictis, hanc invocationem Dœmonis per modum imperii, non excusari Magum à sortilegio hæreticali, quia is modus invocandi nihil difert à deprecativo manifestante suspicionem hæresis, & inducente sortilegium hæreticale manifestum, nam Dœmon, juxtà petitionem imperativam, fingit se obedire, dum servit homini, eo tantùm fine, ut illum decipiat, ut benè D. Aug. tom. 5. lib. 2. de de civit. Dei cap. 10 inquit: *Qui humanis erroribus gaudeat, pro quibus etiam se collendos mille nocendi, fallendiq; artibus interponunt.* Idem ait tomo 10. serm. 234. de tempore: *Nemo est astutior Diabolo, falsa crimina ad confingendum*. Fingit ergò Dœmon se hominis servum, & subditum, non ut illi obediat, sed ut per servitium petitum eũ decipiat, undè de sortilego imperante dici potest illud Evangelii: *Qui vult esse Dominus, fit servus*, apud Petrum Chrysologum serm. 114. num. 15. qui, imperando Diabolo, de Domino fit servus, & sic honorat, cui imperat, dum ex servitio recepto obligatur, qui anteà sui juris erat, factus servus ex illo imperio ficto.

15 Quæ diximus, amplectuntur rejicien-

vocatio ad aliquid conſequendum eſt ſubjectio, & ſubmiſſio invocantis illi, à quo beneficium petitur; ergò eſt actus honoris, & reverentiæ. Confirmatur, quia nemo petit ab alio beneficium, ſeù auxilium, aut conſilium, niſi orando, & obſecrando; ergò honorando, & colendo perſonam, quæ invocatur in auxilium.

23 Dices, Invocatio Dæmonis in conſilium, ſeù auxilium, non ampliùs importat honorem, quàm homo homini defert, à quo beneficium accepit; is autem honor eſt tantùm politicus, & civilis, qui ſicut ab uno alteri tribuitur ſinè ulla ſuſpicione idolatriæ, & hæreſis, ità & Diabolo dari poteſt ſinè ullo periculo idolatriæ, & hæreſis; ſcit enim homo, quòd Dæmon non meretur cultum duliæ, nec latriæ, nec hyperduliæ.

24 R. Dæmonem nec eſſe dignum honore politico, & civili. *Primò*, quia is honor eſt proprius inter homines, qui à filiis debitus parentibus, appellatur Pietas, à ſubditis deferendus ſuperioribus, nuncupatur Obſervantia, de quo *Ariſt. 6. Ethic. cap. 2. S. Thom. 2. 2. q. 100. & 102.* Ergò hæc dabilis non eſt inter hominem, & Diabolum, qui non eſt de ſpecie hominis; imò ſocietas, familiaritas, & converſatio, quæ ſunt conditiones, ſinè quibus cultus, & honor exhiberi non poteſt ſaltem exterior, niſi unus ſit alteri præſens: inter homines, & Dæmones omninò prohibetur jure divino, ut ſuprà notavi. *Secundò*, honor politicus debetur à filiis parentibus, & à ſubditis ſuperioribus ejuſdem ſpeciei, ex auctoritate Ariſt. & Theologorum cum S. Thoma loco præcitato; certum autem eſt, homines non eſſe filios, nec ſubditos Dæmonii, neque proindè de ejus ſpecie; ergò nec dignus eſt cultu politico, & civili. *Tertiò*, quicunque cultus, & honor, ſivè Sacer, & Religioſus, ut latria, & dulia, ac hyperdulia, exigitur ob excellentiam reſplendentem in perſona honorata; ubi enim nulla reperitur excellentia, ibi nulla ratione exerceri poteſt cultus, & honor, nam Deus adoratur, & colitur propter ejus increatam divinitatem; Sancti verò venerantur propter eorum ſanctitatem, quam ſibi acquiſieruut ex heroicis, & ſanctis operibus, in quibus excelluerunt; demùm parentes, & ſuperiores honorantur ob eorum excellentiam procreationis filiorum, & ſuperioritatis, in qua Deum ipſum repræſentant, cum omnis poteſtas à Deo ſit. Manifeſtum autem eſt in Dæmone nullam dari excellentiam Sanctitatis, paternitatis, aut ſuperioritatis, nec divinitatis; ergò indignus eſt honore politico; imò illius incapax. Imò neque hoc intendit, ſed cultum latriæ; cum enim appetierit ſimilitudinem Dei, & ejus honorem ſibi tribui, alium non quærit, quàm latriæ, aut duliæ, dum Sanctis Angelis, & hominibus invidet, quærendo ſibi uſurpare eorum cultum, & honorem per hujuſmodi invocationes.

26 Quæ hactenùs dicta ſunt de invocatione Dæmonis, contingente ſemper cum cultu, & ipſius

honore

honore, cum de ſe ſit cultus, ſinè alio actu externo, ſivè Diabolus invocetur in auxilium, & beneficium alicujus effectus, qui non excedat, ſivè excedat ejus vires, nam actus ipſe invocationis non ſpecificatur ab effectu, ſed talis nempè eſt ſuperſtitioſus cultus ex ordine ad Dœmonem, qui nullatenus vocandus eſt in auxilium, ex quo ejus prohibetur ſocietas, ob periculum idolatriæ, dum ſummè affectat divinam excellentiam, quam adhuc invidet, ideò libentèr ſentit hujuſmodi hominum invocationes; non poſſunt ergò non eſſe, niſi cultus de ſe exhibiti Dęmoni, ac ſi eſſet Deus. Quod verum eſt, ſivè fiat petendo, orando, ſivè imperando ſinè objurgatione juxtà dicta ſuprà num. 14. *Ità Suar. lib. 2. de ſuperſt. cap. 8. num 16. Sanchez lib. 2. cap. 38. num 9 Caſtropal. diſp. 1. p. 3. num. 12. Diana p. 4. tract. 7. reſol. 10. §. ſed oritur, ubi citat Delrium lib. 5. ſect. 15 concl. 5. Raphaelem ad art. 4. q. 95. D Thomæ diſp. 1. aſſert. 4.* exemplificando in ſortilegio amatorio, contrà quamplures ab eo citatos negantes talem invocationem ſuper re non excedente vires Dœmonis non ſapere manifeſtam hæreſim. Sed quoniam effectus, ut dixi, proveniens à ſortilegio, non ſpecificat ſortilegium, nec invocationem denominat hæreticalem, ſed manifeſta hæreſis ſuſpicio cognoſcitur ab ipſamet invocatione expreſſa Dęmonis, quæ de ſe eſt actus idolatriæ, & ſortilegium cognoſcitur hæreticale ex abuſu rerum ſacrarum, ideò ad hoc parùm refert, quòd effectus excedat, vel non excedat vires Dœmonis agentis.

27 Quærendum modò eſt, an, & qualitèr Dœmonem invocans ſit ſuſpectus de hæreſi? ex dictis conſtat quatuor modis invocari dęmonem, ex indignatione, ſeù objurgatione, ſecundò adjuratione, tertiò deprecando, quartò imperando; petitur ergò à Dœmone conſilium, vel ſervitium, ſeù beneficium deprecando, vel imperando, de his duobus poſtremis modis quæſtio eſt. Nam de primis non eſt locus ſuſpicioni hæreſis, nam quantùm ad objurgationem, & indignationem, nullus honor Dœmoni ſic invocato tribuitur, ſed potiùs inhonoratur; cultus enim ſemper habet comi-
28 tem devotionem, modeſtiam, & bonum affectum cum humilitate, non ſuperbiam, arogantiam, & indignationem. Unde v.g. Iratus ob aliquod infortunium dicendo. *Diavolo portami via. Apre una volta queſta prigione &c.* hujuſmodi invocationes non ſunt cum cultu licèt petat auxilium, quia carent devotione, modeſtia, & humilitate, plenæ indignatione, & impatientia juxtà ſupradicta.

29 R. Invocatio Dœmonis expreſſa per ſe ipſa exiſtens cultus idolatriæ ex probatis hactenùs, etiam ſine alio cultu externo, ſed ſola verbali vocatione reddit invocantem vehementèr ſuſpectum de hæreſi, & ipſa invocatio ſapit manifeſtam hæreſim per ſe ipſam, à fortiori adjunctum habet aliquem actum idolatriæ, & genuflexionis, tonſionis pectoris, fumigationis &c. ſivè petat aliquid orando, ſivè imperando, etiamſi illud non excedat ejus vires, à fortiori ſi excedat. Quandò invocatio eſt tacita, ſeù

pactum

pactum tacitum, tunc eſt ſolùm levitèr ſuſpectus, ſi ſortilegium caret abuſu rerum ſacrarum.

Primum, quòd ſola invocatio Dæmonis ad aliquid, arguat manifeſtè hæreſim, & invocantem reddat vehementèr ſuſpectum de hæreſi, probatur, quia ex hactenùs dictis ſola invocatio eſt actus idolatriæ; ſicut enim homo homini inimico non ſervit, niſi per reconciliatam amicitiam, abjecta inimicitia, ità Diabolus inimicus homini ex abrenuntiatione in Baptiſmate, non ſervit homini ſibi non reconciliato; ergò invocatione præciſa reconciliatur, quod non contingit ſinè actu idolatriæ; ergò iſte actus invocationis præciſæ manifeſtat hæreſim, & invocantem facit vehementèr ſuſpectum de hæreſi. Quòd autem ſola invocatio faciat ſortilegium hæreticale, quod eſt ſapere manifeſtè hæreſim, & indè oriatur vehemens ſuſpicio ejuſdem, docent *Barbatia lib. 1. conſil. 55. Locatus v. Apoſtaſia num. 5. & v. Divinatio numer. 2. Repert. v Dæmon §. Tertius caſus. Simanch. tit. 63. numer. 12. Zanchin. de hæret. cap. 22. num. 3. Direct. part. 2. qu. 43. numer. 4. & 14. quos refert Farinac. quæſt. 181. numer. 73. verſ. Verùm, qui num. 75.* refert contrariam opinionem, quam fundat in quadam Bulla incip. *Nuntiatum*. Sixti IV. extenſa ad Calum Direct. ubi Pontifex dixit, quòd invocare Dæmones, & ab eis reſponſa petere, multa generavit ſcandala, & ſic non dicit, talem invocationem ſapere hæreſim. Sic ſcribit hìc Farinac. Refero verba Bullæ, quæ noſtrum reſponſum directè probant his verbis.

31 *Nuntiatum eſt nobis, nonnullos aſſerere, non eſſe hæreticum, & à puritate fidei alienum, Dæmonum expectare reſponſa, ob quod adverſus ipſius fidei puritatem, ſcandala multa exorta videntur. Nos id indignè ferentes, & de præmiſſis certam notitiam non habentes &c.* Papa ex eo quòd indignè fert non ſolùm ſcandala orta ex illa aſſertione, ſed ipſam aſſertionem negantium eſſe hæreſim à Dæmone excitare reſponſa, inſinuat eſſe hæreticum credere, eſſe licitum invocare Dæmonem, & ab eo expectare reſponſa, quæ dat invocantibus ſeipſum, conſequentèr invocatio præciſa Dæmonis arguit invocantem eſſe manifeſtè ſuſpectum de hæreſi; Papa igitùr non conſiderat tantùm ſcandala, ſed etiam ipſam hæreſim invocandi Dæmonem, & ab eo expectare reſponſa.

32 Secundum, quòd invocatio conjuncta cum alio actu externi cultus, argùat manifeſtè hæreſim, & invocantem reddat vehementèr ſuſpectum de hæreſi, conſtat ex illo actu adjuncto idolatriæ, quod ſortilegium indicat manifeſtè hæreticale: Ità omnes cum Genuenſi, *cap. 18. numero 11. Carena part. 2. tit. 12. numer. 28. Albergbin. capit. 18. ſection. 2. numer. 4. Farinac. quæſt. 181. numer. 67. & ſeq.*

33 Tertium, quòd invocatio Dæmonis, etiam reſpectu eorum, quæ non excedunt ejus

vires, arguat manifestè hæresim, & inducat suspicionem ejus vehementem, probatur, quia ex dictis sub numero 26. Manifestatio hæresis, & ejus suspicio oriuntur ab ipsa invocatione, non verò ab effectu, & beneficio petito, quodcumque illud sit, sivè vires Dœmonis excedat, ut creatio, resuscitatio, illuminatio &c. sivè non, ut tentatio ad amorem lascivum, inventio thesauri, aut rei perditæ, & alia, quæ enumerat *Diana p.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. *vers. Sed oritur. Ità Delrius lib.* 5 *sect.* 15. *concl.* 5. *Raphael à Turre* 2. 2. *qu.* 95. *art.* 4. *disp.* 1. *assert.* 4. *ex illis Diana cit.* §. *His tamen, Zanard. ex eo*
34 *Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 28. quia ubi est peccatum, seù expressa invocatio, sortilegium sapit manifestam hæresim. Vide *Farin. quæst.* 181. *num.* 25. *&* 76. ubi distinguit, ea sapere manifestam hæresim, quæ excedunt vires Diaboli; non verò alia, licèt Dœmon invocetur, plures id tenentes citat contrà se Diana cit. §. Hinc oritur. Pro nobis citari possunt *Suarez lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 9. asserentes, petere à Dœmone cognitionem eorum, quæ ipse naturalitèr scit, esse actum superstitiosum. *Hurtadus cler. min. p.* 1. *tract.* 5. *cap.* 4. *resol.* 24.

35 Quartum, quòd invocatio, sivè orando, sivè imperando, indicet manifestè hæresim, & invocantem faciat vehementèr de ea suspectum, probatur, quia ut probatum fuit, invocatio imperativa in re non differt à deprecativa, quæ palliatur per imperativam, & ad hanc conclusionis partem, quia non modus invocandi, sed ipsa invocatio manifestat hæresim, & ejus suspicionem in Sortilego; ergò ad hoc præfati modi considerandi non sunt. Ità *Simanch. titul.* 21. *numer.* 13. *Hemobon. part.* 1. *de examin. tract.* 7. *capit.* 3. *quæst.* 16. *& alii cum Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. §. *Clarè igitùr, Farin. quæst.* 181. *num.* 88. *Salelles Reg.* 124. *num.* 341.

36 Quintum, quòd ex pacto tacito, seù invocatione tacita non arguatur manifestè hæresis, sed tantùm occultè, cum suspicione ejus levi, probatur, ex differentia ejus cum invocatione expressa, nam si hæc, ut probatum est, arguit manifestè per se solam hæresim, quid minùs debet arguere tacita invocatio, quæ minoris est conditionis, & efficaciæ; sequitur ergò, quòd inferat tantùm occultam hæresim, & ejus levem suspicionem; alii enim modi non dantur. De hoc pacto tacito, inferente levem hæresis suspicionem, plura dixi capit. 8. à numer. 36. intellige, nisi sortilegium misceatur rebus sacris, quia tunc sapit manifestè hæresim, juxtà ibidem dicta num. 13. & seq.

37 Colligitur ex dictis à num. 8. ad 16. sequentia verba arguere invocationem deprecativam, palliatam nomine adjurationis, & imperii videlicèt: *Cinque deti metto al muro, cinquecento Diavoli scongiuro. Scongiuro Lucibel, scongiuro il più gran Diavolo, che sia dentro le porte dell' Inferno.* Nam

verbum

verbum *Scongiuro* idem eſt, quod imperare cum efficacia, ſeù obſecrare cum minis, inquit Calepinus, itaque importat deprecationem, & obſecrationem, non formale imperium, cum homo non habeat poteſtatem compellendi Dœmonem ad aliquid agendum, niſi ſit exorciſta. Itaque verbum *Scongiurare* prolatum à Mago, & Sortilego, idem eſt, quod deprecari, rogare, & obſecrare, qui ſunt actus cultus relati ad Dœmonem.

# SECTIO TERTIA

## De pactis cum Dœmone.

1 DIabolus nemini gratis ſervire vult, ſed ſemper cum fœnore, & proventu ſe offert ad ſerviendum illis, qui cum eo ſocietatem habere volunt, ideò ſortilegia ſemper adjunctum habent pactum, vel expreſſum, vel tacitum Dœmonis. Hinc fit, quòd Judex ſemper habet fundatam ſuam intentionem, probato ſortilegio, denuntiatum eſſe ſuſpectum de hæreſi, ut infrà ſuo loco dicemus.

2 Pactum autem cum Dœmone duplicitèr fieri poteſt, expreſsè, & tacitè. Tunc autem fit expreſsè, cum Dœmon, & Sortilegus conveniunt inter ſe circà aliquid lege divina prohibitum, nam homo per pactum promittit Diabolo fidelitatem, & fidem Deo datam in Baptiſmate, abnegat cum cæteris myſteriis fidei. Quare Sortilegus dicitur profiteri fidelitatem in manibus Dœmonis, vel ſolemnitèr coram exiſtentibus in conventu, vel privatim coram aliquibus, & interdùm per tertium hominem recipit fidelitatem Diabolus ſubdicendo, qui homini dedit facultatem aliorum fidelitatem recipiendi. Ità Januarius Neapolitanus multis titulis onuſtus in ſuis ſelectis *reſolut. moral. de caſib reſerv. reſol.* 30. *nu.* 3. qui profeſſos immediatè in manibus Diaboli vocat tales expreſsè, profeſſos verò tacitè, qui in manibus alterius hominis profeſſi emiſit diabolicam profeſſionem, citat pro ſe *Grilland. qu.* 3. *Homobon. p.* 2. *de caſib.* Subjungit num. 4. quòd profeſſi ſivè expreſsè, ſivè tacitè, quod agunt, ſemper faciunt cum expreſſa Dœmonis invocatione.

3 Itaque pactum expreſſum contingit fieri duobus modis, coram Dœmone, & coram ejus delegato jam profeſſo. Sed videtur difficultas, quomodò in hoc ſecundo pacto interveniat expreſſa Dœmonis invocatio, cum nec nominetur Dœmon, dum honor ſoli delegato tribuitur. Sed reverà Dœmon expreſsè invocatur, dum illi fidelitas promittatur, reſpondente, & recipiente delegato, qui repræſentat perſonam Diaboli, licèt non comparentis, nec reſpondentis. Contingit ergò pactum expreſſum cum invoca-

tione Dœmonis expreſſa, quandò fidelitas promittitur Dœmoni, vel ejus delegato, undè ego utranque profeſſionem voco pactum expreſſum ad differentiam pacti taciti, in quo nihil prædictorum intervenit, ſequendo vulgatam diſtinctionem in noſtro Tribunali.

4 Pactum igitùr tacitum dicitur ab homine fieri cum Dœmone, quandò utitur illo ſigno, ſeù inſtrumento, & ſortilegio ad conſequendum aliquem effectum, qui reverà provenire non poteſt ab illo medio aſſumpto ad obtinendum illum. Differunt verò hæc pacta, quòd expreſſum fit per mutua verba inter hominem, & Diabolum, ſeù ejus delegatum, cum profeſſione abnegationis fidei, quod eſt peccatum apoſtaſiæ; tacitum verò fit, cum homo utitur mediis diabolicis, conſiſtens in uſu ejuſdem medii, ex quo præſumitur ſocietas cum Dœmone, ſicut eſt in pacto expreſſo. Ità omnes *cum Sanchez lib. 2. cap. 38. nu. 3. Sdar. tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 9. Delrius lib. 2. cap. 4. Farin. q. 181. num. 34. Carena p 2. tit. 12. num 17. & 137. Bonac. part. 3. num. 4. Salelles Reg. 114. à nu. 73.*

5 Oriuntur hìc nonnullæ difficultates. *Prima*, an par ſit ſuſpicio de fide orta ex pacto expreſſo, & ex tacito, probatis ſortilegiis? *Secunda*, an pactum expreſſum arguat Apoſtaſiam, & abnegationem fidei? *Tertia*, an pactum tacitum excludi poſſit à ſigno, ne fiat ſortilegium? *Quarta*, an dicatur iniiſſe pactum expreſſum ille, qui uſus fuit medio, quod ſciebat eſſe diabolicum. *Quinta*, an pactum tacitum faciat ſortilegium hæreticale, ſi nihil aliud interveniat? *Sexta*, an pactum tantùm ſpecie differat ab expreſſo?

6 Reſpondetur primæ, Conſultores cum judicibus habere de jure majorem ſuſpicionem, & quidem vehementem, & violentam, quandò eis conſtat, ſortilegium factum fuiſſe cum pacto expreſſo, quod non contingit ſinè Apoſtaſia, & quia poteſt accidere, quòd Dæmon aliquandò non petat fidelitatem, ideò nunquàm habentur hæretici formales, ſed ſuſpecti, ideò ſuper intentione torquentur, ut dicam ſuo loco. Ex pacto vero tacito minor ſuſpicio arguitur fidei, quia medium, licèt diabolicum, tantam vim non habet perſuadendi judicibus majorem ſuſpicionem, quia Dæmon palàm non ſe immiſcuit in ſortilegio. De hac re vide infrà cap. 12. ubi qualitèr ſit de hæreſi ſuſpectus Sortilegus.

7 Secundum pactum expreſſum vehementèr arguit Sortilegum de Apoſtaſia; Dæmon enim nullum habet alium finem, cum homini ſervit, niſi ſubvertere eum à fide catholica, abnegando Deum, & ejus Sacramenta; Ità omnes cum *Delrio lib. 2. q. 4. Farin. q. 20. num. 77. & q. 181. num. 54. Carena nu. 137. Direct. p. 2. q. 43. num 7.*

8 Tertiæ, ille, qui uſus fuit Sortilegio, quòd ſciebat eſſe diabolicum, non eſt Reus pacti expreſſi, ſed tantùm taciti, quia ignorantia, aut ſcientia pacti non poteſt diverſificare illud, ſed tale remanet, quale eſt ex natura ſua; hæc enim diverſitas non pendet à voluntate, neque intellectu hominis, ſed ineſt pacto ex conditione ſortilegii: hinc colligitur reſponſio ad tertiam ob datam

reſpon-

reſponſionem quartæ ſub nomine tertiæ.

9 Igitùr nemo poteſt excludere pactum à ſortilegio, dum vult uti illo, nam proteſtatio eſt contraria facto, dum facit illud, quod antecedentèr dixit nolle facere; hæc enim noleitas facto ipſo deſtruitur; non enim eſt in poteſtate hominis excludere illud pactum, quod rei ineſt ex voluntate Dœmonis, quam nullus homo reprimere poteſt. Dum ergò quis vult uti medio, intendit quoque illud pactum connexum ex imperio Diaboli; ergò illud non excludit niſi verbalitèr. Poteſt ergò dari caſus, quòd quis velit materiale ſortilegii, formalitèr excludendo pactum, ſed illud intendendo virtualitèr per uſum medii, cum ineſt pactum. *Ità Bonac. p. 3. num. 4. Leſſius lib. 2. cap. 43. num. 52. Sanch. lib. 2. cap. 38. num. 4. Suarez cap. 9. num. 17. Carena num. 20.*

10 Quintæ, pactum tacitum ex ſe non manifeſtat ſortilegium hæreticale, ſed relinquit illud in ſuo eſſe ſimplici, ideſt, per pactum tacitum ſortilegium non ſapit manifeſtè hæreſim, ſed tantùm occultè, nam ſolùm factum hæreticale, ut expreſſa invocatio Dœmonis, aut abuſus rerum ſacrarum, indicant in ſortilegio manifeſtè hæreſim, occultam verò tantùm, quandò contingunt ſinè illis, ut latiùs probo infrà ſub cap. 8.

11 Sextæ demùm reſpondetur, ſortilegium cum pacto expreſſo non differre ſpecie à ſortilegio facto ex pacto tacito, in genere moris, & in foro conſcientiæ, quia ſpecificantur ab eadem Dœmonis invocatione, quæ iniquam cum eo ſocietatem dicit, modò expreſſa, modò tacita. Conſtat autem taciti, & expreſſi eandem eſſe ſpeciem, & virtutem, ex vulgatis juribus. Confirmatur, quia invocatio Dœmonis, ſivè tacita, ſivè expreſſa, eſt idem cultus Dœmoni indebitè tributus. *Ità Caſtropal. p. 3. tract. 17. diſp. 1. p. 3. ntm. 10. Carena num. 22.* Dico in genere moris, & pro foro conſcientiæ, quia in hoc Tribunali multùm differunt, & diverſimodè judicantur ſortilegia ex pacto tantùm tacito, ut patebit infrà præſertim cap. 8.

CAPUT

# CAPUT IV.

## De Divinatione, & Aſtrologia.

1 HÆc eſt prima ſpecies ſortilegii, quæ definitur inordinata prædictio futurorum contingentium ope Dœmonis. Ità omnes *cum D. Thoma* 2. 2. *q.* 95. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *Suar. tom* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 7. *Caſtropal. p.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 1. *p.* 3. *Sayr. in Clavi lib.* 4. *cap.* 5. *Azor. p.* 1. *lib.* 9 *cap.* 12. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 5. *Salelles lib.* 1. *Reg* 114. *Floronus p.* 2. *caſu* 1. §. 1. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 10. *q.* 4. *Bonac. p.* 3. *Perbantus tom.* 3 *v. Divinatio, Poſnant. lib.* 3. *cap.* 8. *concl.* 2. *&* 4. *& alii omnes.*

2 Divinatio autem dicitur à divinando, quaſi actus divinationis à ſolo Deo procedere deberet, quia ipſe ſolus certò ſcit futura contingentia, juxtà illud 2. Paralip. 6. 30. *Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum*: tamen etiam intellectus creatus hominis, & Angeli quandam poteſt habere de illis conjecturam, ſed nequaquàm certitudinem, quia hæc ſoli Deo eſt reſervata.

3 Dixi 1. Quòd eſt inordinata prædictio; oritur enim iſta prædictio ex duplici capite, ratione cujus nuncupatur inordinata. *Primò*, ex curioſitate ipſius hominis, qui prætendit ſcire ea, quæ ad eum non ſpectant, cum ejus cognitionem excedant, undè eam quærere eſt actus vitioſus, & inordinatus curioſitatis, quæ ſecundùm D. Aug. cum temperantia pugnat *cap.* 21. *de mor. exceſs.* & omnis indoctus curioſus eſt, ex eodem *in lib. de mirab. Sacræ Scripturæ*. *Secundò*, ex adjutorio Dœmonis divinatio dicitur inordinata, ex quo vocatur actus ſuperſtitioſus, dum, quod eſt proprium ſcire futura contingentia, Sortilegus ſe ſubmittit Diabolo, ac ſi ut Deus ſciret certò futura contingentia, quorum tamen cognitionem non habet.

4 Dixi 2. Futurorum contingentium, quæ ſcilicèt potiſſimum pendent à libero arbitrio hominũ, à quo poſſunt, & non poſſunt procedere, quia volũtas circà ea ſe habere poteſt indifferentèr, quã cum ab eis nemo tollere poſſit, præter Deum, impoſſibile eſt homini, & Angelo præſcire eorum futuros eventus, qui ab illis, & à Deo tantùm pendent in ſua productione contingenti ad eſſe, & non eſſe.

5 Dixi 3. Ope Dœmonis, quia Sortilegus utitur auxilio Diaboli ad præſcientiam futurorum, ad quorum prædictionem concurrit duplicitèr, vel invocatione expreſſa, dum cum Sortilego pactum facit cum fœnore prænuntiandi futura ipſi, vel invocatione tacita, dum medio utitur ad prædicendum, quod cupit ſcire. De utriſque dixi cap. præcedenti. Quare ſinè invocatione expreſſa, vel tacita in medio, non datur divinatio actus ſuperſtitioſus, qui denominatur ſic ab invocatione diabolica

diabolica expreſſa, ſeù tacita.

Dices, ſi Dœmon certò non ſcit futura contingentia, cur Sortilegi quærunt ab eo cognitionem futurorum, maximè cum ipſe homo, ex longa experientia rerum agibilium, & motuum hominum ſibi notorum, poſſit devenire in aliqualem notionem aliquorum futurorum.

℟. Primò, Dœmonem certò non ſcire ea futura contingentia, quia ſoli Deo reſervantur; Iſaia 41. 23. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.* Dominus dicit, quòd ſi quis poterit annuntiare, & prædicere futura, tunc ſciet, talitèr annuntiantem eſſe de numero Deorum, *ſciemus*, quaſi ab æterno non ſciat, volens inſinuare creaturis intellectualibus eſſe impoſſibile præſcire futura, ſicut eſt impoſſibile, quòd Deus in tempore incipiat ſcire aliquid, cum ab æterno ſit omnia ſciens poſſibilia, & futura. *Secundò*, licèt Dœmon certò non ſciat futura contingentia, tamen de illis poteſt habere cognitionem conjecturalem. Tùm quia maximam habet experientiam, & perfectiſſimam memoriam, quibus multa conjecturare poteſt. Tùm quia cauſas naturales, & vim earum perfectiſſimè cognoſcit, ac proindè in illis eventus prænuntiare probabilitèr poſſunt. Tùm quia paſſiones, & malas affectiones, & inclinationes naturales hominum cognoſcant; ergò ex eis hos, vel illos effectus procedere poſſe prænuntiare poteſt, ex mutatione cultus, ex opere aliquo exteriori, & ſimilibus, per quæ non ſolùm Diabolus, ſed etiam homo poteſt conjecturare, quid alter homo habeat in corde. Conveniunt omnes Theologi, quòd Dœmon poteſt habere aliquam cognitionem conjecturalem de futuris contingentibus, cum *D. Thoma p. 1. q. 57. art. 3. & 4. D. Aug. de divinat. Dæmonum cap. 3. Hieronymus Tamarit à Tavaria in ſuis florib. Theolog. q. 9. Beccan. de Angelis cap. 1. q. 10. Caſtropal. p. 3. num. 1. & alii communiter.*

7 Notandum autem eſt, quòd tot ſunt modi divinandi, quot ſunt ſigna, per quæ fit divinatio, de quibus *D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 3. Sanch. lib. 2. cap. 38. nu. 12. Mazuchel. diſp. 2. cap. 10. diffic. 3. Floronus p. 2. caſu 1. §. 1.* Acceperunt à S. Aug. relato *cap. Nec mirum* 14. 26 *q.* 5. ut autem diſtinctè procedamus, ſit.

SECTIO

# SECTIO PRIMA

## De diversis modis divinandi ex pacto Dœmonis expresso.

1 NOvem sunt modi, cum expresso Dœmonis pacto, divinandi sub hoc genere, quod vocatur Necromantia, enumerati à *Sanch. lib.* 2. *cap* 38. *num.* 12. & à præcitatis superiùs, qui sunt.

2 Præstigium est divinatio facta à Diabolo per varias apparitiones, qui oculos Sortilegorum in illis præstringit, se illorum aspectibus objiciens, ut doceat occulta. *Secundus*, dicitur divinatio per somnium, dum instructio Dœmonis per somnia operatur. *Tertius*, dicitur Necromantia, cum adhibitis sanguine, & certis carminibus, mortui videntur resurgere, & loqui. *Quartus*, Divinatio per Pithones, dum Dœmon per homines arreptitios docet. *Quintus*, Geomantia, docens per signa in corporibus terrestribus apparentia. *Sextus*, Hydromantia, per signa in aqua apparentia docens. *Septimus*, Aeromantia, divinatio per signa in aere apparentia. *Octavus*, Piromantia, docens per signa in igne apparentia. *Nonus*, Auspicium, quo Dœmon per signa apparentia in visceribus animalium sacrificatorum Dæmoni.

3 In his divinandi modis Dœmon solet invocari à Sortilegis, ut per unum, vel alterum ex illis signis doceat, quæ ventura sunt, undè quidam à Dœmone petiit, ut eum instrueret, quid ageret ejus uxor, Dœmon respondit, vide in speculo, accessit ad speculum, & in eo apparvit duplex figura, hominis, & mulieris inter se copulatorum. Nimia curiositas nocuit illi, & uxori, Dœmonium non debebat interrogare, & ideò quia fecit, quod non debebat, recepit, quod non oportebat, & malum malo adjunxit credendo Dœmoni, quod non debebat, quia Pater mendacii est, nunquàm veritatis, uxorem occidit.

4 Quandò Dœmon expresè invocatur ad sciendum futura, & Sortilegus auditur, si nihil aliud misceatur ab invocatione præter idolatriam, seù idoduliam, ex illa invocatione, & illicito modo divinandi, aliud vitium non incurrit, nisi curiositatis. Quòd si præterea cum Dœmone pactum faciat, tale erit peccatum, quale pactum, v. g negandi fidem Christi, vel nocendi alteri &c. & hæc omnia explicanda sunt in confessione. Ità omnes *cum Suar. tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superstit. cap* 8. *num.* 22. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 26.

5 Expressa autem Dœmonis invocatio in divinatione, inducit vehementem hæresis suspicionẽ, quòd Sortilegus crediderit, Dœmonem, uti suum benefactorem, esse dignum adoratione, & cultu divino. Sortilegium ergò cum Dœmonis invocatione est hæreticale, & Sortilegus est vehementèr suspectus de hæresi. Ità Zanardus de divinis præceptis *p.* 2. *cap.* 64. *verſ. Erit Sortilegus*, *Genuensis cap.* 18. *num.* 11. *ex illis*

*Carena*

*Carena p. 2. tit. 12. num. 28.* qui licèt loquantur de habentibus pactum expreſſum cum Dœmone, nihilominùs idem dicendum eſt de invocantibus tantùm illum, ſecutò effectu divinationis, præſumuntur enim credere licere petere cognitionem futurorum, ſoli Deo reſervatorum à Dœmone, qui ſinè aliquo proventu non vult reſpondere quærentibus illum.

# SECTIO SECUNDA

## De Divinationibus ex pacto tacito Dœmonis.

1 Dlvus *Thomas 2. 2. q. 95. art. 3. & cum eo Sanchez lib. 2. cap. 38. nu. 13.* divinationum, ex pacto tacito cum Dœmone, alias novem ſpecies enumerat, quarum *Prima* dicitur Genethlia, cum ex motu, & ſitu ſyderum cognitio quæritur. *Secunda* Augurium, cognitio ex vocibus animalium, & ſternutatione hominum. *Tertia* Auſpicium, divinatio ex volatu avium, & motu aliorum animalium. *Quarta* Omen ex hominum vocibus præter intentionem prolatis. *Quinta* Onirocritica ex ſomniis prædictio. *Sexta* Phiſiognomia, ex ſignis totius corporis prænuntiatio. *Septima* Spatulamantia ex ſignis Spatulæ. *Octava* Metopoſcopia ex fronte. *Nona* demùm Chyromantia ex ſignis manuum. Iſti modi divinandi habent ex parte ſigni hoc commune, quòd cognitio elicitur ex conſideratione alicujus diſpoſitionis, quæ exiſtit in rebus præſertim animatis.

2 Quoniam autem hujuſmodi ſigna ſunt naturalia ipſis rebus, ut ſunt motus aſtrorum, animalium, & eorum voces, garritus, volatus, & ſigna in corporibus, ideò Sortilegus non eget expreſſa invocatione ad prædicendum, ſicut indiget in modis Necromantiæ, cujus prænuntiatio habetur ex aliis ſignis, quæ non ſunt naturalia, & propria rebus, ac proindè neceſsè eſt, quòd fingatur à Dœmone, ideò in his actibus ſuperſtitioſis Dœmon intervenit ſolùm per tacitam invocationem, ſeù per pactum tacitum, & implicitum, ſivè ſciatur, ſivè non à Sortilego, hoc parùm refert, quia ineſt ſigno ex intentione Diabolica, adeò quòd utens ſigno, etiam cum proteſtatione excludendi pactum, & auxilium Dœmonis, adhuc dicitur ſuperſtitioſè divinare, quia facto ipſo deſtruit proteſtationem, dum eo ſigno utitur, ut dixi *cap. 3. ſect. 2. num. 5.*

De prima ſpecie, quæ nuncupatur Aſtrologia, dicam ſub ſect. 3. & 5. quæ eſt de Divinatione per ſomnia, agam ſub ſect. 5. de reliquis tractatum ſubjiciam.

3 Divinatio, hoc eſt, cognitio, ſeù conjectura facta ex cantu, voce, garritu, ſeù motu animalium terreſtrium, volatilium, ſeù aquatilium, non eſt ſuperſtitioſa, ut pronoſticatio pluviæ, tempeſtatis, ſerenitatis; horum enim effectuũ illa ſunt vera ſigna ex influxu cœleſtium.

leſtium. *Ità D. Thomas* 2. 2. *q.* 95. *art.* 7. *Azor. p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 15. *fine*, *Leſſius lib.* 2. *cap.* 45. *nu* 45. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *nu.* 38. Si verò quis ex illis intendat præcedere bonam, vel malam fortunam, mortem, dignitatem, &c. Sortilegus eſt, quia hæc non pendent ex influxibus Cœleſtium, ſicut pluviæ, ſerenitates &c. Ità *Azor. cap.* 22. *q. Un. Sanch. nu.* 42. *Floronus p.* 2. *caſu* 1. §. 1. *nu.* 29.

4 Cognitionem quoque conjecturalem habere poſſumus ſinè vitio ſuperſtitionis, ex ſignis hominis pendentibus ex conſtellationibus, quæ inclinant ad iram, bellum, ad invidiam &c. ſed ut plurimùm hæc ſigna ſunt fallacia. Ità *Cajet.* 2. 2. *qu.* 95. *art.* 7 *Valentia ibidem diſp.* 6 *q.* 12 *p* 3 § *Similitèr*, & §. *Eadem ratione*, *Sanch. n.* 39.

5 Superſtitioſum eſt ex quibuſdam caſu homini accidentibus, prædicere aliquid boni, vel mali, cum fortuitò acciderit, & nullum habeat influxum in eventum, & *Azor. Sanch n* 42. exemplificant in occurſu animalium, funeris, ex ſternutatione, ex ruptione corrigiæ, ex amiſſione alicujus rei &c.

6 Phyſionomia, quæ eſt ex ſignis totius corporis humani præcognitio, quoad ſigna frontis vocatur Methopoſcopia, quo autem ad ſigna manuũ dicitur Chyromantia, quo verò ad ſigna Spatularum in humeris vocatur Spatulamantia, dividitur in naturalem, & Aſtrologicam. Illa eſt cognitio conjecturalis, quæ habetur ex habitudine, & proportione membrorum, ſignis frontis, manuum, & aliarum partium corporis humani, ex quorum conſideratione prænuntiatur affectus animi, ingenium, indoles, corporis temperies, bona, aut mala valetudo. Hæc autem cognitio cum ſit naturalis, nullum de ſe patitur vitium ſuperſtitionis, ſed admittitur ejus uſus licitus, quandò res futura certò non prædicitur, ſed tantùm ſub dubio, & conjecturalitèr præcognoſcitur. *Ità Leſſius lib.* 2. *cap.* 43 *num.* 45. *Delrius lib.* 4. *cap* 3. *q.* 5. *Azor. p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 16. *fine*, *ex illis Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 44 *Floronus par* 2. *caſu* 1 §. 1. *num.* 39.

7 Si quis verò ex eiſdem ſignis corporis humani prædicit, talem futurum eſſe divitem, fœlicem, Sacerdotem, prælatum, bonam ducturam uxorem, & ſimilia, pendentia potiùs à libero arbitrio, quàm aliundè ſuperſtitioſus eſt divinator, quæ Sortilegus prædicere non poteſt, niſi ex pacto tacito Dœmonis, quia hujuſmodi eventus nullam habent connexionem cum illis ſignis, niſi ex diabolico pacto. Ità omnes cum *Navar. cap.* 11. *num* 31. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 47. *Simanch. de cathol. inſtit. tit.* 21. *num.* 18. *Caſtropal. p.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 1 *p.* 7 *n* 4. *Salelles Reg.* 118. *num.* 165 & 166. Itaque Phyſiognomia naturalis licita eſt, in quantùm inveſtigantur per eã propẽliones, inclinationes, paſſiones, temperamenta, & complexiones cum ſuis effectibus naturalitèr dependentibus ab illis, aliter præcognitiones futurorum contingentium ad eam non ſpectant, quia non ſunt naturales effectus, ſed liberi effectus, qui non niſi per ſigna diabolica inveſtigari poſſunt.

8 Divinans ſupradictis modis vitioſis ex pacto tacito Dœmonis, præſumitur tantùm levitèr ſuſpectus de fide, ratione pacti implicitι

citi cum Dœmone, modò aliud non miſceatur in actu ſuperſtitioſo divinationis; ſi enim divinator abutatur Sacris, pro ſuſpecto vehementèr de hæreſi habendus eſt.

# SECTIO TERTIA

## De Divinatione per Aſtrologiam.

1 HAnc divinationis ſpeciem in præcedenti ſub prima ſpecie vocavimus Genethliacam, de qua hìc agendum eſt, & genericè definitur cognitio ex contemplatione aſtrorum, quæ dividitur in Aſtrologiam naturalem, & judiciariam.

2 Naturalis eſt cognitio habita ex contemplatione ſitus, curſus, conjunctionis, & motus aſtrorum, ex quibus quis venit in cognitionem effectuum naturalium, v. g. Eccliplis lunæ, pluviarum, imbrium, ventorum &c. Hæc eſt licita, quia hujuſmodi effectus naturales dependent ab aſtris, quamvis hujuſmodi effectus, qui non ſunt ità neceſſarii, excepta eclipſi, non ità certò poſſunt prædici, quia pendent à multis aliis cauſis, quæ nobis ſunt ignotæ, à quibus poſſunt impediri, undè potiùs conjecturæ, quàm cognitiones vocandæ ſunt. *Ità ex Cajetano* 2.2 *q.* 95. *art.* 5. *in fine*, qui conjectationes temperamenti, & inclinationum, quæ ex aſpectu aſtrorum deſumuntur, ſpectato nativitatis puncto, ait, vix nomen conjecturæ habere; & *Suarez tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 9. vocat non cognitionem, ſed ſuſpicionem. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 29. *Leſ. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 6. *Salell. Reg.* 115. *n.* 89. *Caren. p.* 2. *tit.* 12. *n.* 71. Quia videtur impoſſibile ſcire conjunctionem nativitatis cum aſtris, in eodem puncto contingentem, quia quàm citiſſimè variantur aſtrorũ facies, & ſitus ex rapidiſſimo Cœli motu. Naturalis igitùr Aſtrologia, quoad hominis temperamentum, & aliorum accidentium cognitionem ſatis obſcuram, & incertam nobis tribuit, ideò de illa curandum non multùm eſt.

3 Ea autem ratione materiæ, circà quam verſari poteſt intellectus humanus, dividitur in Medicam, Nauticam, & Agriculturam, quas Sixtus V. in ſua Bulla 17. incip. *Cœli, & terræ*, excipit à prohibitione facta contrà Aſtrologiam judiciariam, de qua agendum eſt.

4 Judiciaria igitùr Aſtrologia eſt divinatio prædicens effectus pendentes à libero arbitrio, & alios eventus fortuitos, tàm futuros, quàm præſentes, & præteritos. Conſiſtit autem hęc in prędicendo revolutiones Civitatum, Regnorum &c. in faciendis nativitatibus hominum, ut ſciant, quid ſibi accidere poterit, in electione mediorum ad intelligendũ, quid ſit utilitèr agendum, vel omittendum. Ex quo eam dividunt in triplicem ſpeciem, ſcilicèt revolutionis, nativitatis, & electionis. Ità omnes ex *Delrio lib.* 4 *cap.* 3. *q.* 1. *Sanch. lib.* 2. *c.* 38. *n* 27. *Mazuch diſp.* 2 *ca.* 10. *n.* 44. *Salell. Reg.* 115. *n.* 99.

Quæres quo jure Aſtrologia judiciaria ſit prohibita?

5 R. Jure divino, humano, civili, & Eccleſiaſtico. De divino patet, ſicut & de Eccleſiaſtico, ex præcitata Bulla Sixti V. in qua plures Sacræ Scripturæ auctoritates contrà Aſtrologos referuntur, ubi hujuſmodi delictum graviſſimum, ob pactum tacitum cum Dœmone, ſubjicitur Tribunali S. Inquiſitionis. Jure quoque civili prohibetur *l.* 2. 5. *&* 7. *C. de Maledicis l. Manichæos C. de Epiſcopali audient. Ità omnes cum Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 30. *Suar. cap.* 11. *num.* 13. *Salelles Reg.* 115. *num.* 92.

6 Dubitabis, an liceat ex tenuiſſima conjectura prædicere futuros eventus pendentes à libero arbitrio, ut per aſtra divinare matrimonium, filios, dignitatem, mortem &c. Nota autem, quòd hæc divinatio ſpectari poteſt tripliciter. *Primò*, ut dicit certam cognitionem. *Secundò*, ut dicit cognitionem probabilem. *Tertiò*, ut dicit ſolùm conjecturam, quæ eſt debilis, & incerta cognitio, & valdè obſcura.

7 R. Jure antiquo ſolùm prohibebatur divinatio ex certa cognitione, & etiam probabili, non verò ex conjectura; modò verò eſt etiam interdictum, per dictam Bullam Sixti V. prædicere per tenuiſſimam cognitionem.

8 Primum, quòd ante Bullam Sixti V. prohibebatur prædictio futurorum per cognitionem ſcientificam, ſeù probabilem tantùm, docent cum *D. Thoma* 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. *in corpore*, *ibi Cajet. Valentia*, *Toletus*, *cum aliis Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 32. *&* 33. dum dicunt eſſe actum ſuperſtitioſum certò prædicere futura, ſub termino autem certitudinis venire non poteſt conjectura, quæ nullam certitudinem dicit.

9 Secundum, quòd interdicatur in Bulla Sixti V. conjecturare futura, conſtat ex ejus verbis: *Facientes judicia, aut nativitates hominum, &c. aliquid eventuum affirmare audentes, etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur.* Non ſolùm certò affirmantes, ſed etiam non certò, ſed tantùm conjecturantes, prohibentur divinare per aſtra, nam ſicut certitudo habet locum in cognitione tùm ſcientifica, & probabili ſuo modo, & non extrà has cognitiones naturales, ità illius negatio includitur in cognitione conjecturali, quæ omnem negat certitudinem; ergò mens Pontificis in hac Bulla eſt prohibere Aſtrologiam, quæ habetur non ſolùm per cognitionem certam, ſed etiam per incertam, & conje-

10 cturalem. Hæc autem prohibitio refertur ad utrunque horum, quia hic modus divinandi per conjecturas eſt valdè perniciosus Reipublicæ Chriſtianæ, & expoſitus multis periculis. Neque enim nativitatem quærentes, contenti ſunt cognitione dubia, & conjecturali, ſed petunt certam, & ad minus probabilem, undè niſi hæc conjecturatio eſſet prohibita, ab ea facilè deveniretur ad cognitionem certam, quam conſtat prohiberi, undè cum illa ſit certa via ad hanc, utrunque prohibetur, nam quandocunque interdicitur aliquid, cenſentur prohibita ea omnia, per quæ pervenitur ad illud *l. Oratio ff. de ſponſal. l. Eos, fine, C. de Uſur. Gloſ. v. Ex eo quod. cap. Prætereà* 5. *de offic. deleg.* Ità docet Sanch. *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 34. *cum Salas* 1. 2 *q.* 9. *art.*

9. *art.* 5. *tract.* 5. *diſp.* 2. *ſect.* 3. *num.*
11 36. & putat eſſe peccatum mortale ob gravem prohibitionem, *ſect.* 8. *num.* 80. *Trulenchus lib.* 2. *Decalogi cap.* 10. *dub.* 4. *nu.* 2. *Lupus lib.* 18. *diſt.* 3. *diff.* 7. *Peyrin. ad conſtit.* 9. *Pauli V. §.* 2. *n.* 24. *Compend. Bullar. ad hanc Bullam Schol.* 1. *Homobon. p.* 1. *de exam. tract.* 6. *cap.* 5. *quæſt.* 22. *Bonac. diſp.* 2. *in Bulla q.* 2. *p.* 38. *nu.* 5. & alii apud ipſos cum *Salelles Reg.* 115. *num.* 108. *Hurtadus Minimus p.* 1. *tract.* 5 *cap.* 4. *reſol.* 8.

12 Contrarium, quòd Bulla Sixti V. habeat locum ſolùm in foro externo, ac proindè quicquid licitum erat antè prohibitionem, etiam nunc licere in foro conſcientiæ, excluſo ſcandalo, docent *Suarez cap.* 11. *num.* 30. *Valentia* 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 12. *p.* 3. *Delrius lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 3. *Naldus v. Aſtrologus num.* 4. *Moleſius part.* 1. *ſummæ tract.* 11. *cap.* 7. *num.* 120. *Raphael della Torre in* 2. 2. *qu.* 95. *artic.* 5. *diſp.* 2. *quos citat Diana p.* 1. *tract.* 15. *reſol.* 58. & hanc putat probabiliorem *Carena p.* 2. *tit.* 12. *n.* 66. ea ratione, quia in foro externo, Aſtrologi præſumuntur per hujuſmodi cognitionem conjecturalem occultare malitiam divinationis. Sed prior opinio tenenda eſt, non ſolùm quia tutior, ſed etiam quia reverà in utroque foro prohibitio facta fuit; nec hìc locum habet præſumptio, quia divinatio non ſolùm in ratione judicii interdicitur, ſed etiam in ratione conjecturæ, quia utrunque ex ſe malum eſt, majus quidem aſſervativè divinare, quam conjecturalitèr; utraque enim cognitio eſt divinatio, quæ ex ſua malitia intrinſeca cum ſit interdicta, lex hujuſmodi Sixti V. non fundatur in præſumptione, cum nihil licitum, aut indifferens dari poſſit in hac arte divinationis, ſed in veritate ipſa, ut hoc vitium divinandi extirpetur.

13 Inventum fuit hoc effugium favore eorum, qui nativitates faciunt, prætendentes per hoc ſuum exercitium non peccare, dum non certò, ſed tantùm conjecturalitèr prædicunt futura, & cum paſſim fiant nativitates, nonnulli ajunt, Bullam, aut receptam non fuiſſe, aut initio receptam abjiſſe in deſvetudinem.

14 Quare Urbanus VIII. in ſua 113. incip. Inſcrutabilis, præfatam Sixti Bullam approbavit, & innovavit contrà Aſtrologos judiciarios, qui de Statu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeù vita Romani Pontificis, aut ejus conſanguineorum judicia facere etiam non certa, & eos, qui illos conſulere præſumpſerint. Ubi fertur excommunicatio latæ ſententiæ, & mors contrà conſulentes Aſtrologos, præcognitiones retinentes, dantes, oſtendentes, illis utentes, paritèr facientes, vel ab aliis factas retinentes, dantes, oſtendentes, aut eas improbantes ſcriptis, vel verbis tractantes. Cum privatione beneficiorum, dignitatum, ac officiorum Eccleſiaſticorum, cum inhabilitate ad illa obtinenda.

15 Ea autem Aſtrologia, per quam myſteria fidei noſtræ judicantur, eſt omninò jure Naturæ prohibita, & damnata, quia à ſolo Dei decreto illa omninò pendent. Ità omnes cum *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 31. *Molfes. tract.* 11. *cap.* 7. *num.* 115. *Carena p.* 2. *tit.* 12. *nu.* 67. De genitura Chriſti ex aſtris figuras compoſuerunt Diony-

Dionyſius Abbas Romanus, Petrus de Aliaco, Nicolaus Cuſanus S. R. E. Cardinales: habet etiam duas figuras Lucas Gauricus Epiſcopus Cruitatenſis in ſuo Kalendario fol. 25. Habebant iſti oculos clauſos ignorantes, has cognitiones eſſe vanas, & ſuperſtitioſas, poſt quorum tempora Noſtri facti ſunt eruditiores.

16 In homine duo ſpectari poſſunt per Aſtrologiam, temperamentum corporis, & inclinatio ad bonum, & malum. Utrunq; licitè prædici poteſt ex contemplatione aſtrorum, quia ea duo ab illis pendent, ſed diverſum erit judicium, nam aſtra directè agunt in corpus, & per corpus indirectè, & remotè in Animam, ac proindè infirmior eſt cognitio, quæ habetur ex aſtris reſpectu animæ, quàm corporis prędictio tẽperamenti: Non eſt ergò prohibitũ divinare temperamentum ex influxu aſtrorum, cum illud ab his dependeat, imò nec ſuperſtitioſum eſt prędicere inclinationem hominis malam, aut bonam, quòd ſcilicet inclinet in patientiam, modeſtiam, in rixam, ad Venerem, ad guloſitatem &c. Tamen non licet prędicere in individuo aſſerendo, tale futurum eſſe furem, ſodomitam, concubinam, adulteram, quia aſtra licèt inclinent, non tamen agunt ad hęc vitia, qua ratione Aſtrologia ſit ſuperſtitioſa de jure reprobata. *Ita Raphael della Torre, & ex eo Carena p. 2. tit. 12. num. 38.* Homo igitur quilibet naſcitur ſub 18 conſtellationibus aſtrorum ratione temperamenti, & inclinationis, reſpectu primi aſtra, ut cauſæ, in illud directè influunt, quia corpus naturale eis ſubditur, tamquam effectus ſuæ cauſæ; reſpectu verò ſecundi, aſtra influunt in ipſum corpus talem, & talem inclinationem in actu tantùm primo, adeò quòd tales inclinationes non exeunt in actum, & effectum ſuum dependenter ab aſtris, quia hæc ulteriùs vim non habent in effectus illorum, ſed tantùm initio genituræ, quaſi communicando corpori eas inclinationes, earum verò exercitium, & effectus omninò dependent ab aſtris, juxtà illud: *Sapiens dominabitur aſtris.* Non ergò Anima in ſuis operationibus dependet ab aſtris, aliter libera non eſſet.

17 Super Bulla Sixti V. olim mihi propoſita fuerunt quatuor dubia. *Primum*, an in ea cenſeantur prohibitæ etiam ſimplices ſupputationes nativitatum cum ſuis directionibus, abſq; tamen ulla prædictione alicujus futuri eventus? *Secundum*, an pariter cenſeantur prohibitæ obſervationes aſtrologicæ, ſive judicia de eventibus jam præteritis cum adnotatione, ex qua Planetarum occurſu dicti eventus provenire potuerint? *Tertium*, utrum ſimiliter prohibita cenſeatur retentio nativitatum, ex calculatione prædictorum, ſine aliquo judicio de futuris eventibus, vel cum annotatione tantùmodo eventuum jam præteritorum, ſive genituræ ſint de perſonis adhuc viventibus, ſive olim vita functis. *Quartum*, utrum petere ab Aſtrologo fieri aliquam nativitatem, ut inſpiciatur in ea, an adſit aliquid boni, ſit illicitum? 19

Ad primũ reſpondeo, illas ſupputationes cũ ſuis directionibus, abſq; ulla prædictione eſſe ex Bulla prohibitas. Probatur ex verbis Bullæ: *Facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus affirmare*

*mare audent*. Nativitates autem hominum, quandoque fiunt, & non perficiuntur; ergò ſubduntur Bullæ, dum in ea fit mentio de nativitatibus, & de judiciis, quibus divinatio Aſtrologica abſolvitur. Id forſan meliùs deducitur ex aliis verbis: Quivè hujuſmodi illicitas divinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt. Quales ſunt formantes figuram ſinè concluſione. Confirmatur, quia prohibito uno, cenſentur prohibita ea omnia, per quæ ad illud pervenitur, *l. Oratio ff. de ſponſal.* ſed Bulla prohibet prædictionem, ergò & ſupputationem cum ſuis directionibus, per quam pervenitur ad prædictionem interdictam, quæ ſequitur tamquàm concluſio ex ſuis præmiſſis. Tùm quia prohibito conſequenti, intelligitur prohibitum antecedens, à quo neceſſariò pendet conſequens, *l. Eos, C. de Uſur. l. Pupillus §. Sed ſi per interpoſitam, ff. de actor. Tutor.* Certum autem eſt conſequens eſſe prohibitum, & illud neceſſariò dependere ab illo antecedente; ergò & hoc prohibitum eſt; Quare ridiculum videtur formare figuram, & nihil ex ea concludere, cum nullus petat formationem, ſed ejus concluſionem, & prædictionem.

19 Ad ſecundum reſpondetur, interdici quoque judicia, & obſervationes circà eventus jam præteritos, quia hoc eſt facere ſuperſtitiones, & ſortilegia ibidem prohibita, nam obſervatio factæ nativitatis poſtulat eandem cognitionem, ſi non tantùm laborem, in conſiderante illam, qua uſus fuit illius auctor; ergò pro eodem accipiuntur factio, & refectio nativitatis; utrunque enim eſt opus intellectus. Confirmatur, quia in hoc caſu habetur cognitio judicativa perfectæ nativitatis ex illis ſupputationibus, directionibus, & prædictionibus non ſecùs, ac ſi facta fuiſſet nativitas de effectu venturo, & ex ea tantùm didicit refector, quantùm primus prænuntiator.

20 Ad tertium reſpondetur, non eſſe prohibitam retentionem nativitatis, quia Bulla hoc non exprimit, ſicut facit alia Urbani VIII. prohibentis retentionem judiciorum, factorum contrà Statum Reipublicæ Chriſtianę &c. de qua ſuprà ſub num. 14.

21 Ad quartum, eſt illicitum id petere, quia ſicut Aſtrologus id ſcire non poteſt, niſi mediantibus cauſis, in quibus Dæmon operatur cognitionem futuri eventus, ità neque ſinè peccato curioſus petere poteſt hujus cognitionem per modum aſtrologicum, interveniente pacto Dæmonis tacito; non enim ſunt facienda mala, ut indè veniant bona.

An, & quomodò Aſtrologus judiciarius ſit ſuſpectus de hæreſi?

22 R. Eſt ſuſpectus de hæreſi, quia præſumitur ſibi licere uti auxilio Dæmonis ad ea, quæ ſcire ad eum non pertinent; ſolùm verò levitèr, quia ex pacto tacito Dæmonis ſinè abuſu Sacramentorum, vel rerum ſacrarum, infertur ſolùm levis ſuſpicio, niſi inquirat ſecreta cordis, quæ ſoli Deo nota ſunt; dicam infrà cap. 8.

SECTIO

# SECTIO QUARTA

## De Divinatione per Sortes.

1 SOrtilegium in ſpecie dictum à ſortibus legendis, conſiſtit in eo, ut ejus eventu conſiderato, aliquid fiat, aut cognoſcatur. Ità omnes cum D. *Thoma* 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *Toletus lib.* 4. *cap.* 15. *nu.* 3. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *nu.* 56. *Bonac. p.* 3. *nu.* 12. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 10. *num.* 58. *Salelles Reg.* 117. *num.* 131.

2 Tres ſunt ejus ſpecies, ſeù modi divinandi, Divinatoria, Conſultoria, & Electoria, ſeù Diviſoria. Unaquæque explicanda eſt.

3 Divinatoriæ ſortes ſunt illæ, quibus homo aliquo medio utitur Diabolico ad aliquid ſciendum, ut ſi taxilli, cartæ, &c. decidant, divinant proſperum, vel adverſum eventum. Si in urna reponantur plura nomina ad ſciendum furem, qui cenſetur ille, cujus nomen educitur. Aperitio libri in materia gaudiola, aut triſti &c.

4 Hæc divinationis ſpecies eſt ſuperſtitioſa, quia cum illud medium non ſit cauſa productiva cognitionis illius, quod quæritur, cum quo nullam habet connexionem, nec dependentiam, inferendum eſt, in ea cognitione immiſceri tacitam Dœmonis invocationem. Ità omnes ex *D. Thoma* 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 88. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 10. *num.* 60. *Floron. p.* 2. *caſu* 1. § 1. *num.* 14. *Bonac. p.* 3. *n.* 15. *Caſtropal. p.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 1. *p.* 5. *n.* 13. *Salelles Reg.* 17. *num.* 149.

5 Qui hoc modo utitur ſortibus, reddit ſe ſuſpectum de hæreſi levitèr, quandò non abutitur in illis aliqua re ſacra, quia tacita invocatio Dœmonis arguit tantùm levem hæreſis ſuſpicionem.

6 Conſultoria eſt illa, qua ſortes mittuntur ad indagandam divinam veritatem ad ſciendum, quid agendum, vel non agendum; Hæc quandoque eſt illicita, quia Deus non vult, ſuam voluntatem indagari à nobis per ſortes, ſed per Sanctorum, Eccleſiæ, & virorum prudentum doctrinam. Hæc autem non eſt actus ſuperſtitioſus, licèt aliquandò ſit tentatio contrà Deum, vel ſacrilegium, adhibita in electionibus Eccleſiaſticis, & modo indebito. Ità præcit. cum *Sanchez num.* 85. *ad* 88. Quare non ſpectat ad noſtrum Tribunal.

7 Diviſoria demùm eſt illa, qua mittuntur ſortes ad aliquid dividendum. Hæc de ſe non eſt mala, niſi ubi eſt prohibita, dummodò fiat ſinè læſione juſtitiæ partium, & ſinè uſu rerum ſacrarum, & modò ex eis eventus non ſpectetur ab aſtris, vel à Dœmone, quia actus tunc eſſet ſuperſtitioſus.

8 Quare, qui in his pro medio uteretur libro Evangeliorum, aut quid aliud ſacrum adhiberet, diceretur agere ſuperſtitiosè, ſeù potiùs ſacrilegè. Caſum non putarem ſubjectum noſtro officio, quia effectus diviſionis pendet immediatè abutentibus ſortibus,

qui

qui determinant, futurũ rei eventum contingere huic, vel illi, v. g. qui primus extrahetur ex urna, lucrabitur talem rem.

9 Dixi, niſi ubi eſt prohibitio, ut in Eccleſiaſticis officiis diſtribuendis, quæ per electionem diſtribuenda ſunt, non per ſortes, ut decernitur cap. fin. de ſortileg. ubi Barboſa citat Doctores de hac re agentes, *Sanch. lib. 2. cap. 38. num. 57. ad 85 Mazuchel. diſp. 2. cap. 10 num 64. Caſtropal. p. 6. Suar. tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 12.* Quoniam hìc non contingit tacita Dœmonis invocatio, nec ad noſtrum ſpectat inſtitutum, omittimus.

# SECTIO QUINTA

## De Divinatione per Somnia.

1 DIvinatio per ſomnia tunc eſt ſuperſtitioſa, cum à Dœmone expectatur evẽtus per ſomnium, ut quandò quis à Dœmone deſiderat per ſomnium edoceri de loco Theſauri, qualem mulierem ſit ducturus in uxorem. Id eſt peccatum mortale reddens perſonam ſuſpectam ad minus levitèr de hæreſi, dum opem à Dœmone poſtulat. Ità *D. Thom. 2. 2. qu. 95. art. 6. Sanch. lib. 2. cap. 38. num. 53. Mazuchel. diſp. 2. cap. 10. nu. 31. Caſtropal. p. 3. tract. 17. diſp. 1. de ſuperſtit. par. 5.*

2 Notandum autem eſt *primò*, nullum eſſe peccatum ex ſomniis colligere temperaturam, mores, & affectiones ſui corporis, quia ſomnia habent virtutem naturalem ad ea indicanda, undè Medici ſolent de his interrogare infirmos, ut cognoſcant quali morbo laborent. *Secundò*, licèt obſervare ſomnia, quæ nos conturbabant, quærendo, à quibuſnam cauſis provenire poſſint. *Tertiò*, credere ſomniis non eſt grave peccatum, timendo aliquod adverſum, vel ſperando aliquid proſperum. Ità præcitati *Sanch. n. 25. Leſſ. lib. 2. cap. 43. n. 54. ex illis Caſtrop. p. 5. n. 7.*

3 Occurrit mihi caſus de ſomniis. Quidam Religioſus per multum tempus pluribus noctibus ſomniabat, ſe à conventu, ubi libentèr morabatur, receſſiſſe de mandato ſuorum Superiorum, tandem indè diſcedens, pervenit cum obedientia ad ſecundum Conventum, ubi poſt aliquot menſes varias perſecutiones paſſus eſt, poſt quas cum quadam die memoriæ occurriſſent prædicta ſomnia de receſſu à priori Conventu, cæpit contemplari ea ſomnia, dicendo, ea fuerunt cauſa prænuntiativa tot tribulationum, ea ratione, quia quandò illi accidebant illa ſomnia, multùm contriſtabatur de illo receſſu, & interdùm dum erat expergefactus, ignorabat, an eſſet in priori Conventu, an in alio, qui quoad ſomnium locus erat ignotus. Exiſtimabat ergò hæc ſomnia de receſſu à priori Conventu, prædicere eas perſecutiones, quas paſſus fuerat in ſecundo Conventu, deveniendo in cognitionem cauſæ, quam antecedentèr ignorabat, per notitiam effectus perſecutionis.

Iterùm in alio Conventu moram contrahens, cæpit eodem

modo ſomniare, ſe reliquiſſe Conventum, ubi quiete vivebat, & in hujuſmodi ſomniis tanto afficiebatur dolore, & triſtitia, ut ejus Anima videbatur ſeparari à corpore, & ſomniabat tunc adire certum conventum, ſed ſtatim inde reverti ad Cellam prioris Monaſterii. Ceſſavit ſomnium, & inde poſtmodum à Superioribus translatus fuit ad illum ſecundum conventum, ad quem in ſomniis videbatur accedere, ubi varias paſſus fuit tribulationes, uſque ad propinationem veneni, ſed non præparati, unde coactus fuit inde recedere.

Addamus tertium. Dum Superior electus viſitabat Religionem, ſomniavit, ſe relinquendo cæptam viſitationem, neſcio quo fine rediiſſe ad Conventum ſuæ Patriæ, recogitando id in ſomniis, dixiſſe cras redibo ad perficiendam viſitationem. Conventus autem patriæ remotiſſimus erat ab illis Conventibus, quos viſitabat. Paulò poſt accepit literas, quibus vocabatur ad reddendam rationem Superioribus ſuis vilicationis ſuæ. Obedivit, & reddita ratione bonæ viſitationis, dimiſſus fuit ad proſequendum munus ſuum. Quid indicat hoc ſomnium ad Conventum à Conventu cum redditione ad illum, à quo receſſerat, ad perficiendum officium ſuum? niſi vocationem factam à Superioribus ſuis ad inſtantiam malignorum, cujus, innocentia cognita, remiſſus fuit ad expediendam viſitationem, & Capitulum Provinciale.

4 Nunquid ex hujuſmodi experientia, ſomniator iſte ſinè peccato deinceps poterit obſervare, & credere ſomniis, quòd ſcilicèt ſibi aliquid mali ſit eventurum? Utique, quia hìc nullum video actum ſuperſtitioſum, cum nihil ex hac credulitate, & obſervatione prænuntietur, ſed intendit tantùm in futurum providere ſibi in his ſomniis tàm moleſtis, quod non eſt peccatum ex 2. Notabili.

Ab effectu perſecutionum arguere cauſam in illis ſomniis, nullum eſt malum, cum nihil aſſignari poſſit pro immiſſione illorum ſomniorum, niſi quòd Anima ſibi ſubobſcurè prænuntiabat futurum malum in genere. Poſita ergò experientia, non eſt illicitum ex hujuſmodi ſomniis frequentèr occurrentibus, & animum turbantibus, aliquid mali conjicere, & credere eſſe eventurum.

# SECTIO SEXTA

## De ſuperſtitioſa inventione Theſauri, Furti, Rerum perditarum, & ſimilium.

1 QUamvis divinatio propriè referatur ad futura occulta, quæ à nobis ſciri non poſſunt, niſi per divinam diſpoſitionem, cum ſit reverà prædictio futurorum, nihilominùs inventio rerum præteritarum, ſeù præſentium, præſefert neſcio quid divinationis, ideò de ea hìc oportet agere, præmittendo aliqua de theſauris.

2 Theſauri nomine venit non ſolùm

ſolùm pecunia, ſed etiam quæcunque alia res pretioſa, cujus Dominus ignoratur, ex antiqua abſconditione illius, cujus memoria non extat. *l. Un. C. de Theſauris.*

3 Theſaurus autem inventus in proprio fundo, eſt illius domini, cujus eſt fundus. Inventus verò in alieno fundo caſu, eſt inventoris partim, & medius domini fundi. Ex induſtria verò inventus, eſt ſolius patroni fundi, ſoluto labore inventori, niſi aliter cum eo convenerit, ratio eſt, quia fundi patronus habet illius dominium, juxtà illud Matthæi 13. *Simile eſt Regnum Cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit, præ gaudio vadit, & emit agrum illum.* Ità expreſsè *inſtit. de rerum diviſ. §. Theſauros, Clarus C. de Theſauris. Vide Bonac. de reſtit. diſp. 1. q. 3. p. 6.* Procedit, ſivè fundus ſit Privati, ſivè Principis, aut Eccleſiæ. Ratio autem, cur ex induſtria quærens in alieno fundo theſaurum non facit ſuum, nec dividit, eſt, quia nemo laborare poteſt in alieno fundo, ſinè licentia domini, ideò meretur illum perdere, qui ſibi uſurpat alienam ſervitutem.

4 Inventus theſaurus arte magica, pertinet ad Fiſcum, quoad eam partem, quæ aliàs eſſet inventoris, quam tamen ſibi retinere poteſt antè ſententiam, altera verò dimidia pars danda eſt patrono fundi. Ità ex prædicta lege colligitur cuncta *Gloſ. v. Arte. Leſſius lib. 2. cap. 5. num. 66. Bonac. num. 6.*

5 Qui quærit theſaurum per artem magicam, peccat mortaliter, quia rem agit ſuperſtitioſam ope Dœmonis, ſicut & ille, qui per aſtrolabium, quod eſt inſtrumentum colligendi motus aſtrorum, inveſtigat auctorem furti, *c. 2. de ſortileg.* vel per cribrum, de quo *Delrius lib. 4. qu. 2. ſect. 4. num. 9.* Idem dicendum ſimilitèr de illis, qui pro inveniendis deperditis recurrunt ad media vana, & ſuperſtitioſa, dum deberent ea repetere à Deo, vel Sanctis ejus, præſertim à S. Antonio de Padua, qui ſpeciales facit gratias ſuis devotis inveniendi ea, quæ perdiderant. De prædictis inventionibus ſuperſtitioſis agunt *Suar. lib. 2. tom. 1. de Relig. cap. 11. num. 27. Sanch. lib. 2. cap. 38. num. 36. Rodriq. in ſumma p. 1. cap. 7. nu. 4.*

6 Inventores hujuſmodi rerum occultarum mediis illicitis, quæ nullam habent connexionem cum inventione illarum, ſunt ſuſpecti de hæreſi, quia ope Dœmonis illas inveniunt, ſolùm levitèr ex pacto Dœmonis tacito, ſi aliud non admiſceatur, præter inſtrumenta profana Aſtrolabii, Cribri, feſtucarum, &c.

7 Ars inveniendi aquas ſub terra latentes, mediantibus nonnullis virgulis amigdalinis, ſaliceis, vel ſanguinuleis, non eſt ſuperſtitioſa, quia hi effectus viribus naturæ fieri poſſunt, ob qualitates ab aqua in virgulas impreſſas, ſeù ob ſympathiam virgæ in manu hominis cum aqua; non i eſt ergò ſuperſtitioſa, quia nitt ur viribus naturæ. Ità *Bonac. p. 4. de ſuperſt. n 14. Sanch. lib. 2. c. 38. n. 37.*

8 Ars fabricandi Alchymiam, quamvis non ſit de ſe mala, tamen ei ineſſe poteſt aliquis actus ſuperſtitioſus, propter avaritiam, qua homines tempus conſumant in inveſtigatione auri, & argenti, quæ hactenùs nemo adinvenit,

quia ignoratur modus perveniendi ad ejus veram cognitionem, undè tale desiderium habentes, & quidem vehementissimum, facilè possunt Dœmonem invocare in præceptorem. De hac re agunt *Delrius lib.* 1. *cap.* 5. *q.* 3. ubi ait, verum aurum fabricatum sinè ope Dœmonis pertinere ad magìam naturalem, falsum autem aurum apparens verum, spectat ad Magiam Præstrigiatricem, & Dœmoniacam, si ope Dœmonis fabricatum fuit. Esse impossibile fieri, multis probat Vericellus tract. 7.

9 Cribro utuntur mulierculæ ad inveniendum furem, nam cribrum supponunt forcipi, binis digitis forcipem comprehendentes, elevant cribrum, prolatis nonnullis verbis, subjiciunt nomina eorum, quos suspicantur fures rei ablatæ, & ille judicatur Reus furti, quo nominato, cribrum movetur, aut trepidat. Ità Delrius *lib.* 4. *q.* 2. *sect.* 3. *num.* 9. Si miscetur hìc aliquod sacrum, sortilegium est hæresim sapiens, ac proindè eo usus est vehementèr suspectus de hæresi, aliàs solùm levitèr. Debet autem constare de abusu rei sacræ, alitèr solùm præsumitur abusus, undè nec vehementèr de hæresi suspectus censendus est, quia præsumptio non generat præsumptionem.

10 Cum sortilegia aliquandò sint cum rebus sacris conjuncta, aliquandò non, dubitatur, an, quandò non constat in processu de abusu rerum, vel verborum sacrorum, sed tantùm de ipso sortilegio, tunc censendum sit hæreticale, an tantùm simplex, & sinè abusu talium?

11 R. Ut sortilegium judicetur hæreticale, & pro tali puniatur Sortilegus, necessè est, quòd probata sit qualitas abusus, super qua judex facit considerationem, ut notavi de Blasphemia casu 33. nu. 14. juribus allegatis. Neque sufficit, quòd probatum sit sortilegium, v.g. mulierculam movisse cribrum, quasi tunc acquiratur judici præsumptio abusus rerum sacrarum in motione cribri, quia usus sacrorum necessariò non sequitur motum cribri, cum potuerit esse, quòd usus fuerit verbis profanis, vel alia re, ut forcipe &c. Quare cum qualitas usus sit dubia, ac proindè ignota, favendum est Reo in dubiis, & obscuris, ac proindè qualitas abusus non est imputanda Sortilego, sed illius sortilegium interpretandum est fuisse simplex.

CAPUT

# CAPUT V.

## De Magìa.

1 MAgìam conſtituimus ſecundam ſpeciem ſortilegii cap. 2. num. 9. de qua modo agendum eſt. Non loquor de Magìa naturali, qua homo facit aliqua admiratione digna, mediantibus cauſis naturalibus, quibus artificiosè utitur ad faciendas res mirabiles, non excedentes naturæ vires ipſius hominis, ſed de Magìa ſuperſtitioſa.

2 Magìa ſuperſtitioſa eſt inordinata poteſtas faciendi res mirabiles, quæ excedunt vires naturæ ope Dœmonis. Ità omnes, *Bonac. p. 5. num. 4 Leſſius lib. 2. cap. 44. num. 2. Baſſeus v. Magìa. Mazuchel. diſp. 2. cap. 10. num. 98. Caſtropal. p. 3. tract. 17. diſp. 1. part. 8. num. 2. Direct. p. 3. com. 26. v. Prudentèr*, *Lupus lib. 17. diſt. 1. & alii communitèr apud citatos*. Eſt autem peccatum mortale ex genere ſuo, cùm ſit actus ab homine factus cum invocatione Dœmonis, ſi non expreſſa, ſaltem tacita, & paruitas materiæ non datur, ubi de invocatione Diaboli agitur. Ità omnes præcitati.

3 Differt Magìa à divinatione, quia hæc conſiſtit in cognitione rerum occultarum, illa verò in operatione rerum mirabilium, ratione cujus mirationis differt etiam à vana obſervantia ſanitatis &c.

4 Proteſtatio nolendi adhibere illud medium, prout Diabolicum eſt, in faciendo aliquid mirabile, non excuſat proteſtantem, quia factum ipſum illi adverſatur, ut dixi *præced. cap. ſect. 2. num. 2.* Ità docent *Philiarch. tom. 1. de offic. Sacerd. part. 2. lib. 3. cap. 11. Verſ. Quarta Concluſio, Sanch. lib. 2. cap. 40. num. 25. ex illis Caſtropal par. 8. num. 3.* Neque ignorantia craſſa, & ſupina, utique ignorantia alia, & inadvertentia; ac bona fides reſpectu eorum, qui ignorant Dœmonis pactum ineſſe talibus ſignis, & mediis. Ità præcitati.

5 Excuſari autem poteſt ille, qui non ad faciendum opus mirum, ſed ad oſtendendum illud procedere à Dœmone, utitur ſigno in nomine Domini, excludendo pactum Diaboli, ut fecit Cajetanus v. Incantatio, qui ſecundùm eam intentionem protulit quædam verba, & annulus ſtetit immobilis, *ex Sanch. lib. 2. cap. 40. num. 25.*

6 Jocus, curioſitas, & animi levitas, excuſant facientes hujuſmodi res à peccato mortali, *Sanch. lib. 2. cap. 40. n. 25.* quod non placet, *Caſtrop n. 4. nec Hurtad. ex Minimis tr. 5. de delictis generantibus ſuſpicionẽ in fide c. 2. reſol 7. Moron. reſp. 95. n. 140.* quia amicitia cum Diabolo, ſivè tacitè, ſivè expreſsè haberi non poteſt ſinè peccato mortali. Iterùm infrà cap. 7.

7 Mirabilia autem, quæ per artem magicam fiunt, ſunt hujus generis, aſportare hominem, vel rem aliam ab uno loco ad aliũ breviſſimo

vissimo tempore, quamvis loca ab invicem sint remotissima. Facere conventum cum Strigis, incantare Serpentes, mutare faciem alicujus faciendo apparere aliam, caput hominis fingendo caput Asini, decipiendo visum adstantium, &c. Fingendo resuscitare homines, qui apparent secundùm figuram illorum, qui erant anteà mortui; non enim Dœmon defunctum resuscitare potest, cum sit opus solius Dei, *ex dictis cap. 3. sect. 1. num. 9.*

8 Difficultas est in discernendo effectus superstitiosos à naturalibus, ideò pro eorum cognitione pono sequentes regulas. *Prima* est, quòd tunc effectus censendus est superstitiosus, quandò signum, seù medium adhibitum est inutile ad producendum talem effectum, cum quo nullam habet connexionem; tunc enim Diabolus in eo medio operatur, & effectus secutus dicitur superstitiosus. *Secunda* est ex medio operandi, ut si in instanti operetur effectum, quem homo ex se tàm citò producere non potest, at cum repentè curatur equus, homo &c. requirens tempus, nisi constet esse miraculum. *Tertia* si præter medium aliquid aliud adhibeatur, v. g. aliqua res sacra. In his, & similibus effectus probatur superstitiosus. Ità *Sanch. lib. 2. cap. 40. num. 8. Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 101. & 102.*

9 In dubio autem an effectus proveniat à causa naturali, an à medio Diabolico? Censendum est provenire à causa naturali, nisi manifestè constet, illum effectum excedere vires causæ naturalis. Ratio illius est, quia causæ naturales habent multos effectus nobis licèt ignotos, non ideò tamen illis denegandi sunt. Ratio verò istius est, quia si effectus excedit vires causæ naturalis, non potest ab ea procedere, ac proindè, vel Deus, vel Dœmon sunt causa talis effectus, si est bonus, causa tribui potest Deo, si agens bonæ vitæ, & famæ est, sin autem effectus est malus, vel indifferens, aut curiosus, est superstitiosus à Dęmone. *Ità Sanch. l. 2. c. 40. n. 44. Mazuch. disp. 2. c. 10. n. 102.* Hinc est, quòd inventio aquæ per virgulas, censenda est naturalis, non superstitiosa, cum illis virgulis possit inesse hæc virtus, & sympathia, ut dixi præced. sect. & notat *ex Bonac. Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 99.*

10 Conveniunt omnes magicam artem continere in se suspicionem hæresis, cum non fiat sinè invocatione Dœmonis, *Farin. q. 181. de hæresi num. 36. Pegna p. 2. q. 43. §. Ex his apparet. Alios citat Alberghin. cap. 18. sect. 30. §. IV. n. 4.* dicentes, quòd ut hæretici habendi sunt, hoc est, suspecti de hæresi præsumendi sunt; & quidem vehementèr, si constat de invocatione expressa Dœmonis, aut levitèr; propter pactum tacitum, nisi adsit abusus rerum sacrarum, quia tunc sunt vehementèr suspecti.

CAPUT

# CAPUT VI.

## De Maleficiis, Strigis, & Lamiis.

MAleficium eſt ars ſuperſtitioſa nocendi aliis, opera Dœmoniis. Ità *Toletus lib. 4. c. 16. Sayr. lib. 4. cap. 6. n. 23. Floronus caſu 1. §. 4. Mazucb. diſp. 2. cap. 10. num. 103. Salelles Reg. 122. num. 264. Albergbin. cap. 18. ſect. 3. §. VII.* & alii omnes. Eſt autem peccatum mortale ex genere ſuo, & ratione pacti cum Dœmone, & ratione nocumenti in perſona, & rebus, cum obligatione reſarciendi damna illata, ut omnes aſſerunt. Dividitur autem in Veneficum, & Amatorium, de quibus ſingillatim agendum.

## SECTIO PRIMA

### De Venefico Malefico.

1 VEneficium eſt id, quo Dœmon nocet alicui in perſona, vel in rebus ad inſtantiam Malefici, v. g. occidendo, cauſando infirmitates, dolores, ſterilitatem in fœmina, impedimentum in viro, ne copula conjugali utatur, & ſimilia præſtando contrà perſonam. In rebus contingit maleficium, excitando tempeſtates, grandines, ventum, & ejuſmodi, per quæ deſtruuntur ædificia, ſegetes, arbores, animalia, &c.

2 Notandum autem eſt, quòd Dęmon aliquandò nocet homini, nullo inſtigante, dum illum vexat exiſtens in ejus corpore, qui & Energumenus, hoc eſt, obſeſſus à Dœmone vocatur. In hoc nulla eſt ſuperſtitio, quia Dęmon non operatur ad inſtantiam alicujus hominis; quod tamen aliquandò accidit, & tunc actus ſuperſtioſus eſt, cum acciderit ad inſtantiã alicujus hominis invocantis Dœmonem.

3 Diabolus autem non ſolet nocere homini, niſi invocans utatur aliquo ſigno, tamquàm conditione, ſinè qua Dœmon non vult nocere. Signa autem ſunt ejus generis, nam Malefici, & Strigæ componunt aliquas imagines ex cera, ſeù ex alia materia, quas dum tangunt, pungunt, aut ad ignem paulatim liquefaciunt, Dœmon vexat perſonam, quæ ſentit, & patitur infirmitates, dolores, vomitus, & alias inquietudines. Inſanabiles autem ſunt hæ infirmitates remediis humanis, quia Dœmon talia nociva applicat, quæ Medicus ignorando, non poteſt arte medicinæ deſtruere tales morbos, nec infirmum reducere ad optatam ſanitatem. Tollere ergò has infirmi-

tates

tates ſolus Dœmon poteſt, qui novit remedia illis contraria, & ipſe Maleficus deſtructione ſigni; Regularitèr enim Dœmon tandiù vexat maleficiatum, quandiù durat ſignum ex pacto cum Dœmone inito, eo igitùr ſublato, ceſſat infirmitas. Quòd ſi aliquando in lecto maleficiati inveniuntur ſigna, & ligaturæ, quæ deſtruuntur, & comburuntur, & non ceſſat infirmitas, hujus cauſa eſt, aut quia diſſolutio maleficii non fuit facta à Malefico, aut quia adeſt aliquod aliud ſignum nondùm deſtructum, aut quia Dœmon non vult ceſſare à vexatione, niſi ad inſtantiam ejus, qui petiit maleficium. Non ſolùm rebus ſignatis, ſed etiam verbis ſignant maleficia; Diabolus enim petit unum ex duobus, ſinè quibus non nocet homini.

4 Tria ergò neceſſaria ſunt ad complementum maleficii. *Primò* invocatio Dœmonis expreſſa, vel tacita, quæ virtualitèr continetur tamquàm pactum in illo ſigno, quod Dœmon præſcripſit alicui. *Secundò* requiritur aliquod ſignum conſiſtens in rebus, vel verbis juxtà dicta. *Tertiò* operatio Dœmonis, qui ad poſitionem ſigni nocet perſonæ, vel rebus ejus.

5 Sciendum autem eſt, quòd hujuſmodi ſignum, ſivè ſit reale, ſivè verbale, debet eſſe vanum, inefficax, ſeù inutile ad nocendum, alitèr movimentum non dicitur maleficium ſuperſtitioſum, ſed naturale, impertinens ad præſentem materiam, ut ſi quis veneno, gladio, fuſte, &c. hominem occideret, remediis naturalibus mulierem redderet ſterilem. Hi, & ſimiles effectus ſunt naturales, quia procedunt à cauſis, & ſignis naturalibus, conjunctis cum pacto ad productionem talium effectuum, in quibus Dæmon nullam habet partem. Signa autem, quæ adhibentur à Maleficis, manifeſtè apparent inutilia, & vana: nam imago puncta quomodò poteſt producere dolores in perſona vexata, cum nullam proportionem, & virtutem agendi habeat in paſſum; dum enim non operatur dolores in Malefico, qui eam præſentem habet, & in manibus, quomodò poteſt immittere dolores in paſſum, à quo diſtat? Argumentum igitùr certum habetur, aliquam aliam cauſam nobis occultam nocere vexato, & hæc aliud non eſt, quàm Dœmon operans ad poſitionem ſigni inſtantis Malefici. Et quamvis Deus infirmitates mittere poſſit, cùm ſint malum pœnæ, non culpæ, id tamen non præſumitur, nec probari poteſt, niſi revelaverit, ideò quandò conſtat, cauſam non eſſe naturalem, ſed vanam, & inefficacem ad productionem talis effectus, concludendum eſt, maleficium eſſe ſuperſtitioſum.

6 In dubio autem an ſignum ſit cauſa naturalis, aut ſuperſtitioſa? Reſolvendum eſt, eſſe naturalem, ad evitandum delictum, quod non præſumitur, niſi probetur, *l. meritò* 51. *ff. pro Socio cap.* 2. *de reg. jur.* Præſertim cum à nobis ignorentur virtutes mirabiles, quas habent cauſæ naturales, quæ producunt quoſdam effectus, quos humana ratio credit eſſe potius miracula, quàm effectus naturales *S. Aug. lib.* 14. *de Civit. Dei ca.* 24. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 44. *ex illis Caſtropal. p.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 1. *p.* 10. *n.* 2.

Vene-

7 Venefici, qui probantur invocaſſe Dœmonem expreſsè in maleficiis, ſunt vehementèr ſuſpecti de hæreſi, quandù verò invocatio eſt tacita, ſunt tantùm de levi ſuſpecti, niſi in ea fuerit abuſus Sacramentorum, vel rerum ſacrarum, quia in tali caſu ſunt ſuſpecti vehementèr. Ità Alphonſus de Caſtro *lib.* 1. *de juſta hæret. pun. cap.* 15. *ad finem*, *Zanardus p.* 2. *cap.* 134. *verſ. ſextò. ex illis Albergbin. cap.* 18. *ſect.* 3. §. *VII.*

# SECTIO SECUNDA

## De Maleficio Amatorio.

1 HOc maleficii genus vocant Philtrum, ideſt, Pharma, cùm conciliet amorem alienum, quod contingere poteſt tribus modis, cibo, potione, & verbis, quibus Dœmonis auxilio Maleficus procurat trahere perſonam ad ſui amorem impudicum. Delrius latè *lib.* 3. *q.* 3. *Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 48. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 10. *num.* 104. *Salell. Reg.* 122. *num.* 283. *ubi citat S. Bonaventuram in* 4. *diſt.* 34.

2 Maleficus reconcilians ſibi amorem alterius, expreſſa Dœmonis invocatione, eſt vehementèr de hæreſi ſuſpectus, ſi tantùm ex pacto tacito, in cibo, potu, vel verbis, erit ſolùm de levi ſuſpectus, niſi admiſcuerit Sacramenta, ſeù res ſacras, quia tunc ſuſpicio eſt vehemens. Ità *Simanch. de inſtit. cathol. tit.* 31. *Rubr. de divinat. nu.* 13. *Menoch. lib.* 5. *præſumpt.* 7. *num.* 2. *Farin. q.* 181. *num.* 81. *ex illis Albergbin. c.* 18. *ſect.* 3. §. *VIII. Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 48.

3 Dices, nullo modo videri ſuſpectum de hæreſi, qui dat potionem ſinè abuſu rerum ſacrarum, quia proprium eſt Dœmonis tentare ad libidinem, & ſi ad id invocetur non deprecativè, ſed imperando, non videtur ſortilegium, quia Dœmon præſtat, quod ad eum pertinet.

4 R. Talem actum eſſe ſuperſtitioſum ratione illius ſigni, cibi, ſeù potus porrecti, in quo eſt virtualitèr pactum tacitum Dœmonis, nec illud imperium impedit, quin actus exeat ſuperſtitioſus; Tùm quia illud imperium habet potiùs rationem obſequii, & ſervitutis, quàm dominii, & poteſtatis in Dœmonem, qui ſe ſubjicit non neceſſitate, ſed voluntate. Tùm quia ex pacto actus ſatis recipit denominationem ſortilegii. Ità aliis allegatis *Farin. q.* 181. *num.* 88. *Albergbin. cap.* 18. *ſect.* 3. §. *VIII. num.* 6. Nec prodeſt dicere, quòd Dœmonis proprium ſit tentare, quia etiam ejus proprium eſt inſidiare homini, & illi nocere & tamen Veneficium non perdit rationem ſortilegii. Et licèt *Pegna cum aliis apud Farin. citatum num.* 87. dicat, pocula amatoria, ſinè expreſſa invocatione Dœmonis, & ſinè abuſu rerum ſacrarum, non eſſe hæreticalia, non indè tamen infertur, maleficium non eſſe ſuſpectum de hæreſi levitèr, ſed tantùm, quòd non ſapit manifeſtè hæreſim, ſicut poculum mixtum hoſtia v. g. conſecrata.

# SECTIO TERTIA

## De Dissolutione Maleficiorum.

1 DOminus noster præcepit Moysi in Exodo 22. 18. *Maleficos non patieris vivere*. Quid dicemus de ipso maleficio, nunquid tolerandum est, an dissolvendum? Certè necessarium est illud destruere, ut nobis exemplum dedit ipsemet Deus Micheæ 5. 11. *Auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te*. Ad quod Scotus in 4. dist. 34. inquit sub §. Et ex hoc: *Non enim solùm licet, sed est meritorium destruere opera Diaboli, nec in hoc est aliqua infidelitas, quia destruens non acquiescit operibus malignis, sed credit Dæmonem posse, & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis signi imponet finem tali vexationi*. Ecce quòd operatio Diaboli voluntariè dependet ab illo signo, quo destructo, cessat Dæmon à molestia, & vexatione. Maleficus igitùr, & alius sciens, ubi est signum maleficii, debet illud destruere, ut à nocumento eximat vexatum, unicuique enim Deus mandavit de proximo suo Eccl. 17. 12. destructio enim signi non est mala, sed bona de se, & utilis ei, cui nocebat; igitùr ut opus bonum faciendum est, ut vexatus curetur. Ità omnes cum Lessio *lib* 2. *cap.* 44. *nu.* 36. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 18. *Mazuchel. disp.* 2. *cap.* 10. *num.* 115. *Suar. cap.* 17. *num.* 9. *Castropal. p.* 3 *tract.* 17. *disp.* 1. *p.* 11. Ubi quòd non est solùm licitum, imò obligatorium destruere signa maleficiorum. Quæ maleficiorum destructio licitè facienda est, & non ope Dœmonis, quia grave peccatum est maleficio maleficium solvere, quod fieri contingit, vel Dœmonis invocatione expressa, vel tacita, unum signum per aliud destruendo, quod nullo modo licet, cum utrunque auxilio Dœmonis accidat, & non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona secundùm Apostolum ad Roman. 3. 8.

2 Quòd maleficium maleficio solvi non possit, tradunt omnes cum *Suarez cap.* 18. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 41. *Lessius lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 35. *Castropal. p.* 2. *Bonac. p.* 5. *num.* 7 *Mazuchel. disp.* 2. *cap.* 10. *n.* 106. *Farin. quæst.* 181. *nu.* 33. *Lupus lib.* 20. *dist.* 7. *diffic.* 1. nullus contradicet sanæ mentis.

3 Nonnullæ difficultates occurrunt. *Prima*, an licitum sit petere à Dœmone solutionem maleficii, ut sanetur ægrotus, saltem per modum imperii, sicut facit Exorcista? *Secunda*, an liceat tollere signum eo fine, ut Diabolus cesset à vexatione? Exemplum sit in Malefico, qui duobus modis pacisci potest cum Dœmone, primò, quòd Dæmon ad positionem signi noceat, & quod cesset à nocumento, tali signo destructo, quasi sciat duo pacta saltem partialia. Dubiũ ergò est, an liceat dissolvere, secundum quasi pactum, ut Diabolus cesset à vexatione? *Tertia*, an licitum sit petere destructionem maleficii à Mago, quod potest illud licitè, & illicitè tollere? *Quarta*, an Maleficus pro suo libito possit facere cessare nocumentum?

Primæ

4 Primæ reſpondetur, non licere petere à Dœmone etiam imperando deſtructionem maleficii, ob rationes adductas, nam intrinſecè malum eſt habere amicitiam, & ſocietatem cum Diabolo. Ità omnes cum *Suar. cap.* 18. *num.* 6. *Sanch. lib.* 3. *cap.* 41. *num.* 3. *Bonac. p.* 5. *num.* 5. Si non poſſum petere diſſolutionem à Venefico per aliud maleficium, multò minus mihi licitum erit petere à Dœmone.

Exorciſta autem, ex officio ſibi à Deo tributo, imperare poteſt Diabolo, ut ceſſet à vexatione, cum ſit miniſter Dei; non autem Maleficus, cum careat ea poteſtate, & non poſſit cogere Dœmonem, ſicut facit Exorciſta.

5 Secundæ reſpondetur, tolli poſſe tale ſignum, licèt habeat adjunctam eam circunſtantiam, quia bonum eſt procurare ſanitatem, infirmo, & deſtructio ſigni non eſt novum pactum cum Dœmone, ſed antiqui ablatio; ergò tunc non dicitur invocare Dœmonem, ſed conſulere ægroto, ut recuperet ſanitatem. Ità *Sayr. lib.* 4. *cap.* 6. *fine*, *Sanch. lib.* 2. *cap.* 41 *num.* 19. *Suar. cap.* 17. *num.* 9. *Caſtropal. p.* 11. *num.* 8. *Mazuchell. diſp.* 2. *cap.* 10. *num.* 115.

6 Tertiæ reſpondetur, licere petere diſſolutionem maleficii à parato, licèt petens ſciat, ipſum illud diſſoluturum eſſe alio maleficio, quod potuiſſet modo licito deſtruere, quia petitur à Malefico res licita, à quo licitè præſtari poteſt, undè ſi illicitè operetur, ſibi imputet, quia poterat benè agere, & nolvit. Confirmatur, quia licet petere mutuum ab uſurario, & ab infideli juramentum, quamvis nec uſurarius velit gratis mutuum dare, nec infidelis jurare niſi per falſos Deos. Ità *Sanch. lib.* 2. *cap.* 41. *nu.* 13. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 46. *Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 10. *num.* 110. *Caſtropal. p.* 12. *num.* 4. Alii negant licere, quos vide apud prædictos, & *Bonac. p.* 5. *num.* 5 qui reſpondet illis duobus exemplis de uſurario, & infideli, dicendo mutuum non eſſe intrinſecè malum, ſed licitum, conſequenter illud petens petit rem licitam, licèt uſurarius ſua malitia velit uſuram committere. Ad exemplum de juramento infidelis reſpondet, licere petere, quia quamvis ſciat, infidelem juraturum eſſe per falſos Deos, tamen rem petit, quæ licitè fieri poteſt, petens verò maleficium, petit rem intrinſecè malam, imò ſicut non licet petere juramentum per falſos Deos, ità neque maleficium.

7 Reſponſio *Bonacinæ* ſupponit, petentem diſſolutionem maleficii quærere rem intrinſecè malam, quod tamen falſum eſt, nam non petitur directè maleficium ad diſſolvendum aliud maleficium, ſed petitur deſtructio maleficii, quæ cum poſſit licitè fieri, & nihil aliud intendat petens, ideò non dicitur cooperari maleficio ejus, ſed conſulere vexato, cui procurat ſanitatem per remedium licitum, quod ſufficit, ne dicatur operari maleficio, dum beneficium intendit, non maleficium.

8 Quartæ reſpondetur, remoto, ſeù deſtructo ſigno, Diabolum ceſſare à vexatione, tùm quia non operatur niſi dependenter

à signo ; ergò cessat , eo destructo; Tùm quia operatur in gratia Malefici; ergò tantùm, quantùm ille vult. Demùm Deus regulariter non permittit, Dœmonem vexare maleficiatum, nisi ex vi pacti cum malefico, & posito signo ; ergò in arbitrio erit Malefici facere, vel non facere cessare vexationem. Vide Suar. *cap.* 17. *num.* 15. *& ex illo Castropal. p.* 11. *in fine*.

# SECTIO QUARTA

## De Strigis, & Lamiis.

1 DE Strigis sermo habendus est, quia solent incumbere maleficiis magis, quàm masculi. Dicuntur autem Striges à voluere appellata Strix , Strigis, quæ de nocte stridet , & pueris nocet, teste Ovid. 6. Fastor. his carminibus.

*Sunt avidæ volucres, non quæ Phyneia mensis*
*Guttura fraudabant , sed genus indè trahunt,*
*Grande caput, stantes oculi rostra apta rapinæ,*
*Canities pennis , unguibus hamus inest.*
*Nocte volant , pueroſque petunt nutricis egentes,*
*Et vitiant cunis corpora rapta suis,*
*Capere dicuntur lactentia viscera rostris:*
*Et plenum poto sanguine guttur habent.*
*Est illis Strigibus nomen , sed nominis hujus*
*Causa , quod horrenda stridere nocte solent.*

Ex his igitùr carminibus nominis, & artis derivationem habent Strigæ , quæ instar hujus avis nocent Dœmonis auxilio infantibus in cunis, imò & juvenes, ac adultos variis ægritudinibus, & doloribus cruciant.

2 Lamiæ verò ab Antiquis mulieres esse putabantur , sivè veriùs Dœmonum quædam phantasmata , quæ, formosarum mulierum specie assumpta, pueros paritèr, & juvenes blanditiis allectos fallebant,& voraces credebantur, de quibus Horat. *Heu pransæ Lamiæ puerũ vivum extrabat alvo.* Calepin. Passeratii. Ideò Strigæ , & Incantatrices meritò appellantur Lamiæ, ex eo quod pueros variis afficiunt infirmitatibus, *Lupus lib.* 20. *dist.* 6. *art.* 1. vocat quoddam animal ità crudele , quod etiàm proprios filios occidat.

3 Cur autem mulieres magis, quàm homines strigilmum exerceant? *Lupus præcit. difficult.* 1. *art.* 4. refert plures causas, ex quibus unam refero, nimirùm, quia mulieres sunt procliviores ad malum, & Diabolo magis credunt, quàm homines, ideò ab illo facilius decipiuntur, & inducuntur ad perpetranda mala hæc , quandoque ex ira , aut odio, quod habent ergà proximum.

4 Lamiæ autem cum Diabolo ineunt pacta, & professionem coram ipso solemnem, vel privatam, renuntiando Baptismum , & renegando Deum, Christum, Mariam Virginem , & Fidem catholicam, solemnitèr quidem in præ-

sentia

ſentia aliarum Strigarum, vel privatè ſolùm coram ipſo Dæmone in aſſumpto corpore. Hinc eſt, quòd reputantur Apoſtatæ, idolatræ, & hæreticæ. Ità Bernardin. Comenſis de Strigis *num.* 12. *Locatus v. Lamiæ, ex illis Alberghin. cap.* 18. *ſect.* 3. §. 9. *Delrius lib.* 5. *ſect.* 16. *verſ. Primum eſt Apoſtaſia, Souſa lib.* 1. *cap.* 57. *nu.* 16. *Farin. q.* 181. *num.* 22. *qui num.* 46. *ait*, has eſſe vehementèr ſuſpectas de hæreſi. Tu intellige, id poſtremum eſſe verum, quandò in ſuis incantationibus immiſcuerunt Sacramenta, ſeù alias res ſacras; non autem ſi aliis mediis profanis uſæ fuerunt, quia ſolùm cenſentur levitèr ſuſpectæ, ex pacto tacito. Rarò autem inveniuntur Lamiæ, quæ expreſſam faciant profeſſionem coram Dæmone, ſed ſignis, & remediis ab aliis acceptis utuntur ad meleficium contrà quoſcunque, ex quibus, cum arguatur pactum tacitum, præſumuntur ſuſpectæ ſolùm levitèr.

An ſit verum, quod Strigæ, & homines à Dæmonibus ferantur ad convivia in partes remotiſſimas brevi tempore?

5 R. Affirmativè, quia id non excedit ejus poteſtatem; movetur enim ipſe Dæmon de loco ad locum velociſſimè, & in aſſumptis corporibus operatur multa, ut docent omnes Theologi in tractatu de Angelis; ergò poteſt Strigas de uno loco ad alium transferre. Extant hujus exempla, apud *Alphonſ de Caſtro lib.* 1. *de juſta hæret. cap.* 16. *Delrium lib.* 2. *q.* 16. & ità aſſerunt omnes *cum S. Bonav. in* 3. *diſt.* 19. *Abulenſis in cap.* 4. *Matthæi qu.* 47. *Fagund. in primum Decalogi cap.* 41. *num.* 9. *Suar. cap.* 16. *num.* 8.

# SECTIO QUINTA

## Qualitèr probandum homicidium ex Maleficio.

1 ANtequàm judex deveniat ad aliquem actum judicialem contrà aliquem particularem, debet prius conſtare de corpore delicti, ut dicitur l. 1. §. *Item illud ſciendum eſt, niſi conſtet, aliquem eſſe occiſum, non haberi de familiæ quæſtionem. Liquere igitùr debet ſcelere interemptum, ut Senatusconſulto locus ſit. Quæſtionem autem ſic accipimus, non tormenta tantùm, ſed omnem inquiſitionem, & defenſionem mortis. ff. ad Senatusconſultum Syllanianum.* Citari igitùr, nec examinari poteſt, multò minùs torqueri, aut condemnari denuntiatus homicida, niſi priùs conſtet de homicidio facto, quod dicitur corpus delicti. Ità omnes cum *Claro q.* 4. *Farinac. q.* 2. *Guazin. defenſ.* 4. in terminis noſtris *Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 173. Aliter citatio, examen, tortura, & ſententia nullius ſunt momenti, ut communis eſt omnium ſententia apud præcitatos, cum *Guazino num.* 5. *& ſeq.* quia probatio delicti eſt unum de ſubſtantialibus judicii, ſinè quo hoc conſiſtere non poteſt. In quo caſu ſi dubitaretur probabilitèr de fuga inquiſiti, poſſet capi, aut adſtringi ſub fidejuſſione de ſe præſentando. *Ità Farin. q.* 27. *num.* 125.

*Clarus*

*tarus q. 4. num. 3. ex illis Guazin. defens. 4 nu. 7. & 8.* & omnes alii apud præcitatos.

In homicidio per Veneficum superstitiosè commisso, duo spectantur, ipsum homicidium, & ejus qualitas, nimirùm, quòd provenerit ex maleficio Diabolico; est enim in nostro Tribunali delictum qualificatum; non enim judicatur homicidium, ut est iniqua, & violenta separatio animæ à corpore humano, hoc enim judicium spectat ad forum laicum, vel Episcopalem, sed prout sui causam destructivam habet ab aliquo actu superstitioso auxilio Dæmonis, qui mortem operatur ad positionem signi factam à Malefico, ex quo veneficus simul cum Diabolo dicitur homicida superstitiosus. Igitùr constituto de corpore delicti, subsequentèr proban-
da est qualitas superstitionis, nimirùm homicidium proveniſſe à maleficio Dæmonis, alitèr nihil probatum dicitur in hoc foro; allegata igitùr qualitas maximè hìc probanda est, antequàm procedatur ad ulteriora, *l. non ignorat 9. C. de jis, qui accus.* quia Judex S. Inquisitionis suam intentionem magis fundatam habet in hac qualitate, quàm in ejus subjecto, quod est homicidium, quod ad eum non pertinet, nisi sit factum per maleficium superstitiosum.

4 Supponendum est autem, maleficium esse difficilis probationis, quia Strigæ, & Lamiæ, dum arte Dæmonis utuntur, hæc præstant occultissimè, ne ab aliquo videantur, & propalentur. Ità *Farin. q 2. num. 26. Delrius lib. 5. sect. 16. ex illis Carena p. 2. tit. 12. nu. 174.* Quare hoc delictum maleficii sufficit probare per indicia, quia per hæc probatio habetur pro plena in criminibus occultis, inquiunt præcitati.

5 Indicia autem, per quæ homicidium, & infirmitas ex maleficio proveniunt, sunt *primò* signa, & instrumenta apud Maleficum reperta, quæ faciunt inditium ad torturam, ut respondit Sacra Congregatio hujus officii, apud *Genuens. cap. 18. num. 13.* præsumitur enim retinere hæc instrumenta, & libellos, in quibus exprimuntur hujusmodi sortilegia, ut eis utantur. Instrumenta autem Magica Sagarum sunt olla plena ossibus defunctorum, hostiis, imaginibus cœreis acu transfixis. *Torreblanca lib. 5. de Magia cap. 17. num. 36. Carena par. 2. tit. 12. num. 194. Secundò* allocutio cum Dœmone, est evidens signum maleficii ex allegatis *à Carena num. 195. Tertiò* si Lamia probetur tetigisse inimicum suum, qui statim mortuus est, vel infirmitate notabili fuit oppressus. Hæc mihi videntur potiora signa, per quæ judex potest devenire ad torturam, quando Sagus, & Lamia sunt malæ famæ in hoc genere; Scio alios cum *Carena p. 2. tit. 12. num. 201.* sustinere indicia per se singulariter spectata, non sufficere ad torturam, sed quoniam alia plura recensent, quæ reverà sunt remotissima, & communia aliis delictis, crederem multum probabiliter, ex prædictis judicem posse devenire ad capturam, alitèr rarissimè contrà istas ageretur, & nihilominùs experientia notum est, multos huiusmodi infirmitatibus vexari, & medicos nulla agnoscere remedia ad curandos his infirmitatibus laborantes; Inferendum igitùr est, ope Dæmo-

nis

nis homines, & infantes detineri his doloribus.

6 Præter hæc ad probationem maleficii infirmitatis, & ſubſequentis mortis ex maleficio, requiritur atteſtatio Medici periti, qui teſtetur eam mortem provenire ex maleficio, & ab extrinſeco, non ex aliqua cauſa naturali, adducendo rationem, quia mille, ut ità dicam, remediis non potuit morbum expellere. Et debet eſſe ille idem Medicus, qui curam habuit de infirmo, & non alter, qui dicitur ignorare infirmitatem, de qua nullam habuit cognitionem. Ex Lucerna *Inquiſit. in fine de Strigis num.* 14. §. 7 *Ità dicimus*, *Carena nu.* 173. Ubi etiam fides optimi Exorciſtæ adhiberi poteſt ad idem probandum. Puto autem fidem hujuſmodi facientem, debere jurare, ſe id credere probabilitèr, ut in judicio valeat. Exorciſtæ autem tractantes de hac re ſunt *Samarinus p.* 1. *Sacerdotalis à cap.* 3. *Zacharia Vicecomes in complemento Exorciſtæ p.* 1. *doctr.* 5. *Medicus Cerancus lib.* 3. *de morbis veneficis cap.* 13. *citati à Salell. Reg.* 123. *num.* 327. *Vide Farin. q.* 2. *de probatione veneni*.

An autem Maleficus, & Lamia homicidium qualificatum perpetrantes, ſint tradendi Curiæ ſæculari, ſicut dimittuntur hæretici impœnitentes, & relapſi?

8 Olim communis erat opinio, ne traderentur, aliter irregularitatem non evitarent tradentes, quia nullum extabat jus canonicum id præcipiens, *Farin. qu.* 20. *num.* 105. *Diana p.* 4. *reſol.* 10. *tract.* 7. *Albergbin. cap* 18. *ſect.* 3. §. 9. Nunc vero per legem novam editam à Gregorio XV. in ſua 46. incip. *Omnipotentis Dei*, *conſtito*, *quòd aliquis pactum fecerit cum Diabolo*, *& à fide apoſtatando*, *maleficiis*, *ſeu ſortilegiis*, *unam*, *vel plures perſonas ità læſerit*, *ut ex maleficio*, *ſeù ſortilegio mors ſecuta ſit*, *etiam pro primo lapſu Curiæ ſæculari tradatur*.

Hanc Bullam infrà ſub capit. 14. explico, propoſitis nonnullis difficultatibus cum ſuis reſponſionibus, ideò de ea hìc nihil dicendum eſt.

CAPUT

# CAPUT VII.

## De Vana Obſervantia.

1 ULtimam ſpeciem ſuperſtitionis appellavimus vanam obſervantiam, de qua nunc agendum eſt.

2 Vana obſervantia definitur ſuperſtitio, per quam adhibentur media inutilia ad faciendum, vel omittendum aliquid, ad quod illa media nullam habent virtutẽ, nec à Deo, nec à natura, ideò quod fit, dicitur fieri ope Dœmonis, qui illa inſtrumenta, ſeù ſigna, & media proponit Sortilego, decipiendo illum, dum putat illud medium habere talem virtutem producendi effectum. Ità ex *D. Th.* 2. 2. *q.* 96. *art.* 1. *& 2. Bonacina p.* 4. *num.* 3. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 40. *initio Caſtropal. part.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 1. *part.* 8. *Suar. tom.* 1. *de Relig. Mazuchel. diſp.* 2. *cap.* 10. *à nu.* 75. *Alberghinus cap.* 18. *ſect.* 3. Vana autem obſervantia differt à prædictis ſpeciebus ſuperſtitionis; à divinatione quidem, quia hæc refertur tantùm ad prænuntiandum, per vanam obſervantiam Sortilegus intendit opus aliquod in ſe non malum; Magìa reſpicit res mirabiles, quas Sortilegus quærit à Dœmone, vanus verò obſervator de illis non curat, dum petit aliquid ſibi utile, vel proximo modo illicito; demùm Maleficus malum à Dœmone poſtulat, quod non intendit ille, dum applicat medium ad effectum utilem ſibi, vel aliis.

3 Vana obſervantia non contingit ſinè Dœmonis invocatione expreſſa, aut tacita, quod eſt commune omnibus ſuperſtitionis ſpeciebus, nam cùm ſignum, ſeù inſtrumentum, aut medium, quo utitur Sortilegus ad divinandum, maleficandum, & ad conſequendum aliquid per vanam obſervantiam, ſit inutile, & inefficax ad producendum effectum à Sortilego intentum, hinc ſequitur, quòd Dœmon auxilium præſtat ad effectùm ſuperſtitioſum; imò ipſemet Diabolus per ſe operatur opus intentum à Sortilego.

4 Sed cur Dœmon ſolo verbo, & opere ſuo ipſe non ſervit homini Sortilego, dum ab eodem petit hoc, vel illud ſignum, ſi hæc præſtare poteſt per ſe ipſum?

5 Aſſigno ſequentes cauſas. *Prima*, ut ſciat Dœmonem operari pro ipſa mediante illo materiali ſigno. *Secunda*, ut decipiat hominem, dum credit, illud medium habere illam virtutem, quam reverà non habet; undè multi non uterentur illis mediis, ſi crederent eſſe inutilia, undè viri timoratæ conſcientiæ edocti, Diabolum operari ad poſitionem illorum mediorum, ceſſant ab illis. *Tertia*, Dœmon eſt invidus rerum ſacrarum, maximè Sacramentorum, undè conatur Chriſtum imitari, quaſi per illa media intendat inſtitutionem aliquorum Sacramentorum, ideſt rerum occultarum, occultando in eis virtutem

tutem, quam non habent ad producendos effectus à Sortilego petitos; Sicut Chriſtus per Sacramenta nobis infert gratiam, ità Dœmon per hæc ſua ſigna inutilia fingit Sortilegis præſtare, quod petunt in præjudicium animarum ſuarum.

6 Vana obſervantia ex genere ſuo eſt peccatum mortale, quia ea contingit cum invocatione ad minus tacita Dœmonis, cum quo hanc habere amicitiam, & ſocietatem etiam virtualem, eſt graviſſimum peccatum, ut docent omnes præcitati.

7 Excuſatur à peccato mortali, *primò*, ſi ignorantèr hæc faciat, non putans, Dœmonem in his partem habere. *Secundò*, bona fides in his ſe ingerens, cum de ſe ſint aut bona, aut indifferentia. *Tertiò* joco, vel curioſitate hæc agens, dummodò nihil ſacri miſceatur profanis. *Quartò*, ex parvitate materiæ, ut ſi quis annulum ſemel faciat movere, ut docent *Valentia q. 13. p. 3. Sanch. lib. 2. cap. 40. nu. 13. & 25.* Intellige dummodò nullum intercedat pactum Dœmonis expreſſum. *Caſtropal. p. 8. num 4. cum aliis Diana p 4. tract 5. de parv. materiæ, reſol. 29* agentes ex curioſitate, vel joco non excuſantur à mortali, propter tacitam Dœmonis invocationem; & reverà ſi advertunt antecedentèr ad pactum etiam tacitum, & nihilominùs vanè obſervent, non videntur excuſandi, quia interprætativè volunt Dœmonis invo-

8 cationem. Sed nihilominùs obſervandum eſt, quòd aliud eſt divinatio, aliud magìa, aliud vana obſervantia; in hac enim videtur poſſe dari parvitatem materiæ, cum minus turpe ſit experiri ſonitum annuli, quàm divinare per ſomnia, & minus per feſtucas ſortibus quærere furem, quàm per cribrum, & minus quærere ſanitatem per orationem *Pater noſter*, ter dictam, in qua, ut ter dicta, ſperatur ſanitas; nemo enim in illo trino numero putat eſſe virtutem ſanandi, ſed in oratione Dominica, undè nec ſuperſtitio eſt.

9 Quatuor autem ſunt ſpecies vanæ obſervantiæ. Ars notoria, Obſervantia ſanitatum, & uſus Brevium, & Obſervatio eventuum dierum fauſtorum, aut infauſtorum.

# SECTIO PRIMA

## De Arte Notoria.

ARs Notoria eſt vana obſervantia, per quam homo per certa media inefficacia putat ſe conſequi ſcientiam, ſinè ſtudio, & labore, vel etiam aliquo labore, & quia media ſunt inefficacia, & inutilia, ideò Dœmon in illis operatur ex pacto expreſſo, vel tacito in-

illo medio, seù signo contento. Ità *Bonac. p. 4. num. 5. Mazuchel. disp. 2. cap. 10. num. 79. Alberghin. cap. 18. sect. 3. §. 1. Castropal. p. 3. tract. 17. disp. 1. p. 8. num. 6. ex D. Thoma 2. 2. qu. 96. art. 1. Salelles Reg. 120. num. 210.*

2 Media autem, quibus superstitiosi utuntur, sunt orationes, jejunia, verborum prolationes cum certo earum numero, vel circunstantia loci, situs &c. inspectio figurarum, & similium, quæ nullam habent ex se virtutem infundendi scientiam, quam ideò Diabolus ex se docet hominem ad illum decipiendum. Ità præcitati.

3 Id autem ex genere suo est peccatum mortale, quia non contingit sinè aliqua Dœmonis invocatione saltem tacita, in eo medio virtualitèr contenta, & quia Dœmoni attribuitur, quod soli Deo convenit, nempè infundere scientiam sinè labore ipsius cupientis scire, & ideò est mortale peccatum.

4 An habens hanc scientiam à Dœmone infusam, possit ea uti pro suo libito?

5 R. Omnes uti posse, quandocunque conservatio, & usus non pendeant à Diabolo, quia ejus usus est de se bonus. Ità *Bonac. num. 6. Mazuch. num. 79. Sanch. lib. 2. cap. 42. n. 20. Suar. cap. 17. num. 1. & 2.*

6 Hìc pertinet scientia dicta Cabala, qua homo, Diabolo operante, didicit multa occulta ab omnibus damnata, de qua *Faber disp. 1. cap. 11. Lupus ex ipso lib. 15. dist. 1. diffic. 2.*

Superstitiosus etiam diceretur, qui ad laborem suum, pro acquirendis scientiis, uteretur illis mediis, cùm spe augendi memoriam, & acumen intellectus, nam miscendo hæc media inutilia cum proprio labore, totum inficit opus, illudque reddit superstitiosum. Ità *Suar. cap. 25. num. 7. & ex eo Alberghin. capit. 18. sect. 3. §. 1. fine.*

7 Qui potionem sumeret conflatam ex diversis herbis, & aliis ingredientibus, nullo interveniente signo, ad augendam, & conservandam memoriam, non est Reus vanæ observantiæ, quia præsumuntur media proportionata ad eum finem, ad quem accipiuntur, in herbis enim, & lapidibus stat tota virtus.

8 Qui autem utitur *mediis* inutilibus ad acquirendam scientiam, quæ scit, vel dubitat esse diabolica, est vehementèr suspectus de hæresi, si in illis adhibeat rem sacram, aliter est tantùm levitèr, propter tacitam Dœmonis invocationem; si verò expressè invocaret ad hæc lucranda, esset vehementèr suspectus de hæresi.

SECTIO

# SECTIO SECUNDA

## De Vana Obſervantia ob Sanitatem.

1 COntingit hoc genus vanæ ſuperſtitionis, quandò homo ſibi, vel aliis animalibus procurat ſanitatem, mediantibus nonnullis rebus, aut verbis, quæ de ſe ſanitatem dare non poſſunt, undè ope Dœmonis ſanitas dicitur acquiri. Ut ſi quis dolorem dentium ſanet oratione aliqua Eccleſiæ ter, aut quinquies repetita, admiſſis aliis rebus, vel verbis, vel recitata tali hora, tali ſitu, ut orientem verſus ab occidente avertendo, hæ ſiquidem circunſtantiæ reddunt orationem ſuſpectam de vana obſervantia.

2 Media autem hujuſmodi, ſeù remedia ſanandi, conſiſtunt in rebus, ſeù verbis quibuſdam, ut mox patebit, quorum inefficacia cognoſcitur multis modis. *Primò*, ſi ea adhibeantur cum certis circunſtantiis numeri, loci, & temporis, atque ſitus. *Secundò*, ſi verba ſint ignota in ſua ſignificatione, ſeù ſint Sacræ Scripturæ, quia non conſtat, his Deum dediſſe talem virtutem ſanandi, niſi illis, quæ à Sacerdotibus recitantur ſuper ægrotos, & in confectione Sacramentorum. *Tertiò*, certis ſignis, & crucibus factis ſuper Hoſtia, imaginibus, membrana Virgine &c. *Quartò*, quandò venus, ſeù aliud malum medetur modo inuſitato, ut cum medicamentum ponitur in loco diſtanti ab infirmo; non enim videtur per ſe operari ſecundùm doctrinam Philoſophi, quia agens non operatur in diſtans ſubjectum paſſum. Ità *Sanch. lib. 2. cap. 40. n. 22. Mazuchel. diſp 2. cap. 10. nu. 80. ad 93. Bonac. p. 4. tract. 7. ad 10.* & alii communitèr.

3 Qui omnes aſſerunt, vanam hujuſmodi obſervantiam ad conſequendam ſanitatem, ad eam conſervandam, ad evitandam mortem &c. eſſe ex genere ſuo peccatum mortale, cum in ea partem habeat Diabolus, ſi non expreſsè, ſaltem tacitè. Excuſat autem ignorantia, inadvertentia, & bona fides, juxtà dicta initio hujus capitis ſub num. 7. Ità præcitati *cum Sanch lib. 2. cap. 40. num. 13. & 25. Bonac. p. 4. num 23. Leſſius lib. 2. cap. 44. dub. 4. Navar. cap. 11. num 24.*

4 Animalia quoque ſimilibus mediis ſuperſtitiosè curantur, & à malis præſervantur, undè ne evadant rabioſi, imponunt illis hoc nomen *Tarrone*, quod derivatur à flumine Tarri inter Parmam, & Burgum S. Domnini, vel à Thare patre Abraham *Geneſ.* 11. 27. vel à Thara Regis Aſſueri eunuchus, *Eſther* 12. 1. de medicatione morſus canis plura *Sanchez lib. 2. cap. 40. à num. 45. Bonac. p. 4. num. 20. Mazuchel. diſp. 2. cap. 10. num. 84. & alii apud citatos.*

5 Nonnulla dubia proponenda ſunt ſuper hujuſmodi medicamentis, & reſolvenda. *Primum*, in dubio medii, & remedii an habeat aſſertam virtutem, quid reſolvendum? *Secundum*, an in colligendis herbis cum certis orationibus

adsit vana observantia? *Tertium*, an numerus orationum, & crucium arguat vanam observantiam? *Quartum*, an judicandi sint superstitiosi aliqui homines, qui de tali familia medentur nonnullis infirmitatibus? *Quintum*, an modus medendi, applicando remedium petiis, lignis distantibus à vulnerato homine, gladio, seù alio animali, sit superstitiosus? Quidam enim brevissimo tempore sanant vulnera, applicato pulvere, seù alio remedio, & unguento petiis lineis sanguine vulnerati aspersis.

6 Primò, an effectus sanitatis perveniat à causa naturali, an superstitiosa, resolvendum est pro naturali, quia in dubio delictum non præsumitur, ut dictum fuit etiam in præcedentibus *cap. 5. nu. 9. Ità Sanch. lib. 2. cap. 40. nu. 44.*

7 Secundò, non est superstitio recitare orationes aliquas, dum hærbæ colliguntur, nisi aliqua vana misceantur, quandò orationes maximè diriguntur ad honorem Dei, & Sanctorum ejus. Ratio est, quia orationes, & cætera bona opera, non solùm prosunt ad salutem animæ, sed etiam ad sanitatem corporis, ut omnes docent cum *S. Thom. p. 3. q. 89. art. 6. ad 3.* ergò licitè recitari possunt ad obtinendam sanitatem. Ità omnes cum *Azor. p. 1. lib. 9. cap. 26. q. 7. cum S. Thoma 2. 2. q. 95. art. 4. Sanch. lib. 2. cap. 40. n. 33. ex illis Bonac. p. 4. nu. 15. Hurtadus Minimus part. 1. tract. 5. cap. 6. resol. 44. num. 546. expressè cap. 3. 26. q. 5.*

8 Tertiò, numerus orationum, & crucium de se non videtur arguere actum superstitiosum, nisi aliud admisceatur, quia Ecclesia sicut præscribit numerum orationum, & crucium in divinis officiis, & in sacrificiis, sinè ulla superstitione, ità eodem numero videtur posse uti, qui sanat morbos, cum talis numerus orationum, & crucium referatur ad honorem Dei, qui obsecratur pro salute infirmi. Nec obstat, quia ab Ecclesia ea instituta sint ad honorem Dei, non ad sanitatem inducendam. Respondetur enim per hunc finem non defraudari honorem Dei, qui in illis orationibus obsecratur pro infirmis. Confirmatur ex devotione, qua fideles recurrunt ad Sanctos, qui creduntur curare infirmitates ex divina dispensatione, nam Sanctus Firmus dicitur esse super omnes infirmitates, Sanctus Rochus super pestilentiam, Sancta Lucia super oculos &c. recurrentes ad hos Sanctos multiplicatis orationibus, sacrosanctis signis devotè agunt, non superstitiosè, ideò hìc nulla est vana superstitio.

9 Quartò non sunt judicandi superstitiosi nonnulli homines ex tali familia descendentes, qui habent virtutem sanandi quasdam infirmitates, quandò nihil impertinens admiscent, sed tantùm signo crucis, aut oratione, seù herbis medentur. Ratio est, quia potest esse, quòd Deus tali familiæ dederit gratiam gratis datam ad conferendam sanitatem, nam gratia sanitatum sinè dubio datur, de fide credendum, *ex 1. ad Corinth. 12. 9. Alii gratia sanitatum datur*. Deus enim non est otiosus in his gratiis, quæ etiam hominibus malis ab eo conferuntur in utilitatem fidelium; ergò credendum est reperiri hujusmodi gratiam in aliquibus hominibus;

Deus

Deus enim liberalis eſt, non avarus in conferendis beneficiis etiam pro ſalute corporum. Deindè hos Eccleſia tolerat,& permittit, quia ex modo ſanandi nullum reperit in eis actum ſuperſtitioſum, & in dubio ſtandum eſt favore ſanantis, ex dictis in reſponſione ad primum dubium. Confirmatur exẽplo Regis Francorum, qui à Deo hanc hæreditariam gratiam habet, ſanandi ſcilicèt ſtrumas, hoc eſt ſcrufulas circà collum, his verbis: *Io ti tocco, e Dio ti ſana*. Deus ergò operatur ſanitatem petente Rege illo tactu, tamquàm conditione, ſinè qua non ſanaret. Vide *Lupum lib. 15. diſt. 2. art. 1. non diſſentiunt Azor. p. 1. lib. 8. cap. 25. q. 2. Sanch. lib. 2. cap. 40. num. 47. Delrius lib. 4. cap. 3. q. 4. Suar. cap. 15. num. 25 ex illis Bonac. p. 4. num. 20. Mazuchel. diſp. 2. cap. 10. num. 84.* De hac tractat cum variis limitationibus *Caſtropal. p. 3. tract. 17. diſp. 1. p. 10. à nu. 13.*

10 Quintò de medicamine non applicato immediatè vulneri, communis opinio tenet eſſe actum ſuperſtitioſum. Tùm quia agentia naturalia agunt per contactum formalem, & quantitativum immediatum juncta cum paſſo, ſaltem virtualitèr, inducendo ſcilicèt ſuam vim in medium, in quod ejus virtus demùm trãſit, & operatur in ſubjectum paſſum, ſed hoc medicamentum ex aſſertione utentium illo, operatur in qualibet diſtantia, etiam medio tali interpoſito, quod non poſſit diſponi, & per illud tranſire virtus medicaminis ad producendum ſuum effectum; ergò non provenit à natura, ſed ab arte diabolica. Tùm quia effectus ſanitatis non procedit ſpecialitèr à Deo, cui non debemus tribuere miracula, niſi de jis conſtet, ex *Sanch. lib. 2. cap. 40. num. 44.* nec ab Angelo bono, qui nulla ratione invocatur à medicante, neque ab ipſa petia, aut remedio, cum non probentur habere talem virtutẽ, quam nec probat conjunctio ſanguinis vulnerati cum illa petia, quia ſi in ſanguine vulnerati ea eſſet virtus, traheret ad ſe effectũ remedii, ſicut ergò ſanguis in vulnere exiſtens non poteſt agere in petiam, aut remedium diſtans, ità neque ambo conjuncti agere poſſunt in paſſum vulneratum ab eis diſtans. Hæc,& alia dicit *Bonac. p 4. num. 18. ex eo Mazuchel. diſp 2. c. 10. n 83.*

11 Adverſarii opponunt Scotum, qui *in 4. diſt. 44 q. 2. ad 3. princ. & in 2. diſt 9. q 2. C.* ait, paſſum poſſe pati ab agente in diſtans, nullatenùs agente in medium, cujus ſententiam mirificè proſequitur *Meldulenſis diſp. 7 in Phyſicam q. 4. art. 3. à num. 58.* Quare ex hoc videtur ſequi, hoc remedium ſanandi hominem vulneratum non eſſe ſuperſtitioſum, quamvis agat in diſtans, cum naturalitèr agens ità operari poſſit ſecundùm Scotũ.

12 R. Ommiſſa pro nunc opinione Scoti, adhuc hunc modum ſanandi eſſe ſuperſtitioſum, quia inſolita, ut talis medicatio reputatur, cum non fiat applicatione ad paſſum ſecundùm regulas Medicorum, arguunt falſitatem ex *Grilenz conſ. 170. per cap. Quod ſuper, de fide inſtr. cap Cum teneantur 6. de præbend.* undè & præſeferunt aliquid fraudis, *Navar. conſ. 4. de offic. ordin. num. 8.* & magnam ſuſpicionem ingerunt *Moditius lib. 2. § Principum placita dubit. 210. num. 5.* quare nec ſunt credenda,

*Navar.*

*Navar. conſ.* 1. *de præſumpt.* ergò modus iſte medicandi inſolitus accipi non poteſt in bonam partem, quòd remedium illud non applicatum habeat virtutem naturalem ad ſanandum.

13 Qui curant ſanitates per media inefficacia rerum, vel verborum, ſivè profanorum, ſivè ſacrorum, vel medicamine petiæ ſunt de hæreſi ſuſpecti levitèr, niſi abutantur rebus ſacris, quia tunc eſſent vehementèr ſuſpecti, ſicut & quandò expreſsè invocant Dæmonem ad dandam ſanitatem. Ità quòd ſint ſuſpecti de hæreſi, indefinitè docet Hurtadus *p.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *reſol.* 43. *num.* 527. Limito tamen in miſcentibus orationes, quæ cum ſint proficuæ ad ſanitatem acquirendam, ſicut & aqua benedicta, ad honorem Dei hæc præſcita non inducunt ſuſpicionem hæreſis, niſi quandò rebus, ſeù verbis profanis adjunguntur, quaſi ab his ſit virtus ſanandi, non ab illis. De aqua benedicta ad ſanitatem corporis,

14 *Clemens lib.* 8. *conſtit. ca.* 19. inquit. *Tribue ei Domine vim ſanandi, & expellendi morbum*, apud dictum *Hurtadum reſol.* 45. *num.* 567.

15 An ſequens ſpirituale remedium ſit ſuperſtitioſum? Devoti Immaculatæ Conceptionis Mariæ Virginis, ægrotantibus quovis genere infirmitatis, dant cum potione, ſeù cibo, aut medicina, Verſiculum hunc: *In Conceptione tua Virgo immaculata fuiſti: Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti*: ſcriptum ſuper Hoſtia non conſecrata, aut alio pane ſubtili accomodato, ità quòd ſuper eum ſcribi poſſit, omnibus benedictis, comendando B. V. Infirmum, qui devotè ſumit, affectando ſanitatem ex pio affectu, & fide, quam habet ad hoc ſacroſanctum myſterium ejus Immaculatæ Conceptionis. Nulla autem alia res, aut ſignum adhibetur, quod poſſit ſapere hæreſim, & ſuperſtitionis ſuſpicionem.

16 R. In hoc ſpirituali remedio ad augendam devotionem, & fidem, quòd Maria concepta fuerit ſinè peccato originali, nullum apparet ſortilegium, aut ſuperſtitio aliqua, nec alius actus illicitus.

17 Probatur primò, quia ſortilegium eſt illud, quo quis utitur mediis diabolicis ad aliquid conſequendum, ex allegatis *a Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 2. ſupradicta autem Oratio deſcripta in pane ſubtili cartaceo, ab infirmo ſumpta, nullo modo eſt medium diabolicum, ſed pium, & divinum; nam medium ex eo dicitur diabolicum, quia cùm in ſe nullam habeat virtutem operandi effectum, per quem aſſumitur, Diabolus in eo occultè operans, tribuit illi nomen medii, & inſtrumenti diabolici, ex judicio virorum prudentum, ſed in hac oratione Dæmon nullo modo operatur, ſed Beata Virgo, intuitu ſuæ puriſſimæ Conceptionis ex affectu infirmi, facit gratiam; ergò nihil ſuperſtitioſum continet.

18 Modò probandum, quòd Orationes, ex meritis Sanctorum, nobis impetrant non ſolùm ſalutem Animæ, ſed etiam ſanitatem corporis, & hoc de fide probatur, & docent omnes Theologi cum D. Thoma *p.* 3. *q.* 89. *art.* 6. *ad* 3. ubi bona opera, inter quæ Orationes vocantur, & numerantur, quandò non proſunt ad vitam

æter-

æternam, uti facta in peccato mortali, proſunt tamen ad proſequenda bona corporis, & alia temporalia.

19 Non ſolùm autem orationes, quæ ſunt primum Sacramentale, ſed reliqua quoque, v. g. aqua benedicta, conferunt ad ſanitatem corporis, & non tantùm pro Anima, teſte S. Clemente *lib. 8. conſt. Apoſtol. cap. 29.* ubi inquit: *Tribuere ei*, ideſt, Aquæ benedictæ. *Domine vim ſanandi, & expellendi morbum.* Quod clariùs legitur orationibus ipſius in fine in Miſſalis. *Bellarm. lib. 3. de cultu Sanct. c. 7.* loquens de benedictione aquæ, olei, & aliarum rerum, contrà hæreticos, probat, eas rectè, & benè benedici à Sacerdotibus, & eſſe utiles ad curandos infirmos, §. *Tertiò*, ubi ait, quòd licèt non operetur infallibilitèr hujuſmodi effectus ſanitatis, ſicut Sacramenta, nihilominùs ex precibus Eccleſiæ, & utenſium devotione proſunt, & §. *Probatur*, oſtendit non eſſe Negromantiam, neque quid ſuperſtitioſum, ut volunt hæretici, adhibere aquam, & cæteras res benedictas, quæ ſunt ſigna divinæ virtutis ad producendos effectus ſupernaturales. Prætereà oratio Dominica confert non ſolùm animæ, ſed & corpori medetur; per ipſam enim orans petit remiſſionem peccatorum, & liberari à quocunque malo tàm animæ, quàm corporis, & panem petimus quotidianum non ſolùm ſpiritualem Euchariſtiæ ad nutriendam animam, ſed etiam panem terrenum, & triticeum ad refocillandum corpus, ut ex S. S. Patribus docet D. Thom. 2. 2. *q. 83. art. 9.* Idem quoque clarum eſt, ex oratione B. V. *Concede nos famulos perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere.* Licet ergò per orationes petere ſanitatem corporis, ac proindè hìc nullus apparet actus ſuperſtitionis.

20 Hoc autem ſpirituale remedium ex tribus ſacramentalibus conſtat, Oratione, Aqua benedicta, & Pane ex ea benedicto. Sacramentalia autem ex communi Theologorum apud *Bonacin. q. 6. de Pœnit ſect. 2. p. 2.* reducuntur ad ſex capita contenta in hoc exametro: *Orans, Tingit, Edens, Confeſſio, Dans, Benedicens.* ſub tribus primis continetur noſtrum ſpirituale remedium. Conſequenter infertur eſſe totum ſpirituale, licitum, honeſtum, & utile infirmis, quibus ſanitatẽ corporis poteſt operari ex meritis B. M. Virginis, relatione ſemper habita ad illud ſingulare privilegium immaculatæ Conceptionis, reſpectu cujus fiunt homines ſani.

21 Probatur tertiò, quia experientia docet, multos ex devotione Immaculatæ Conceptionis præfato remedio ſanitatem, variis infirmitatibus depulſis, recuperaſſe, ut refert F. Thomas Galiardus profeſſione Capucinus Concionator, in ſuo libro infert. *Il Diamante, Maria Vergine concetta ſenza peccato originale*, impreſſo Maſſanæ anno 1652. ubi quamplures refert gratias ſanitatum, collatas infirmis ex ſumptione dictæ Orationis. Quod Deus non permiſiſſet, ſi in aliquo ſui illud remedium eſſet ſuperſtitioſum

22 Dices, hoc remedium eſſe ſuperſtitioſum, quia exercetur per abuſum ſacramentalium, Orationis ſcilicèt, & panis benedicti,

quæ

quæ ſunt res ſacræ. Nam tunc quis dicitur abuti re ſacra, quandò eam adhibet ad alium finem, ad quem non fuit inſtituta. Patet autem, orationes eſſe inſtitutas, ut devotè recitentur ad implorandum divinum auxilium in neceſſitatibus animæ, & corporis; non autem ut manducentur; neque enim Ezech. 3. 1. *Comede volumen iſtud*, comedit illum librum plenum divinis verbis. *Comede*; ideſt, lege, recita, & diſce, ut videaris prædicare populo Iſrael, quæ in eo continentur. Orationes igitùr debent recitari, non manducari contrà earum naturam, & inſtitutum. Paritèr licèt panis ex ſua natura ſit manducabilis, & manducetur ad ſuſtentationem corporis; Hoſtia tamen non eſt inſtituta ad profanam manducationem, ſed ad Sacramentalem tantùm, cum ſit materia, ex qua conficiendum eſt Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum per ejus converſionem in Corpus Chriſti, non debet ergò infirmus eo abuti ad eum finem, ad quem non fuit panis iſte inſtitutus, ergò.

23

24 R. Nullum eſſe hìc abuſum rerum ſacratum, nam ea Hoſtia ſpectatur non ut materia Sacramenti, ſed ut ſubjectum orationis ſcriptæ loco cartæ, nam homo ſivè ſanus, ſivè infirmus abhorret manducationem cartæ, ideò oratio ſcribitur ſuper Hoſtia, aut alio pane attenuato in formam cartæ, ut experientia patet apud medicinarios, qui pilulas, & alia non liquida, pane ſubtili involuta, tradunt infirmis deglutienda, ne ſentiant in palato amaritudinem. Non eſt hic abuſus: ergò Hoſtiæ benedictæ, quæ uti Sacramentale prodeſſe poteſt infirmo, juxtà ſuperiùs

25 dicta. Carens hoſtiolis profanis ad ſigillandum, non dicitur abuti utens hoſtiolis Sacriſtiæ ſaltem, quòd uſus talis ſit ſuperſtitioſus, multò minùs utens ad hunc bonum finem depellendi infirmitatem. Et licèt orationes devotæ recitentur ad obtinenda à Deo beneficia animæ, & corporis, non inconvenit tamen aliquandò eas comedere ſcriptas in pane, quia tunc ſortiuntur naturam panis benedicti, ex devotione manducabilis. Noſtra autem oratio priùs recitatur à devoto, poſteà ex devotione manducatur cum pane benedicto per infirmum; majorem enim fidem adhibet illi ex hoc materiali actu: ad obtinendam enim gratiam à Deo, fides omninò neceſſaria eſt, quod Deus, & Beata Virgo gratiam facere poſſint.

SECTIO

# SECTIO TERTIA

## An uſus Brevium ſit ſuperſtitioſus?

1 BReve dicitur à brevitate, & parvitate rei exiguæ, quæ eſt fruſtulum panni, tamquàm burſulæ continentis, & conſervantis arculam benedictam, ſeù ſacram, ut parum Agnus Dei, alicujus Sancti fruſtulum, reliquiæ, orationem, & quid ſimile benedictum, quod ordinariè collo appenſum devotionis gratia portatur pro incolumitate perſonæ, ut à malis præſervetur, & morbos depellat.

Hæc autem Brevia, ut licitè portari poſſint, requiruntur ſex conditiones.

2 *Prima*, quòd nihil falſi contineant contrà fidem, & Eccleſiam catholicam, atque Sacram Scripturam. *Secunda*, in eis nihil inveniatur, quod contineat invocationem Dœmonis. *Tertia*, ne ſcribantur in eis aliqua nomina ignota, neve alii caracteres, præter Crucem Domini. *Quarta*, ne cum verbis ſacris, & orationibus miſceantur, & inſerantur alia verba vana, alterando orationes. *Quinta*, ne ſpes habeatur in modo, ſeù figura ſcribendi, aut ligandi, & componendi rem benedictam in Burſula, neque in qualitate, & quantitate cartæ, in qua reliquia, aut oratio ſcribitur, aut involvitur. *Sexta* demùm, quòd in illis non exprimantur ſimilia verba, quòd, qui hæc portabit, vel recitabit orationes, non morietur mala morte, non occidetur à ſuo inimico, non morietur in peccato, in bello, in itinere, videbit Sanctam Urſulam, vel aliam Sanctam in morte ſua &c. Has ſex recenſet *Mazuchel. diſp. 2. cap. 10. nu. 97.* quinque in illis ſex incluſas refert *Bonac. p. 4. nu. 11.* quatuor ex illis *Pegna in comment. ad Ambroſium de Vignate de hæreſi qu. 4. num 49. verſ. Sed qui portat Brevia*. Apud Alberghin. *cap. 18. ſect 3 §. 3. num. 2. Sayr. lib. 4. cap. 6. numer. 6. ad 9.* Defectu unius ex ſupradictis circunſtantiis, Brevia non ſunt licita, cum contineant tunc actum ſuperſtitioſum, ideò rejicienda ſunt, & non ampliùs portanda, cognita ſuperſtitione.

3 Colligitur primò contrà primam conditionem, tunc Breve eſſe ſuperſtitioſum, quandò continet reliquiam ignotam, de cujus legitimitate dubitatur. Similiter ſi oratio miſcetur falſis, & alteratur oratio, etiamſi inſerta ſint vera, quia oratio, ſivè Dominica, ſivè Angelica, aut Pſalmus adulteratur, & mutatur, ac ſi per ſe non ſit bona ad id, quod ſperatur à Domino.

4 Colligitur ſecundò ex ſecunda, ſi Breve contineat aliquid in honorem Dœmonis, penitùs illud eſſe pernicioſum, & ſuperſtitioſum.

5 Colligitur tertiò, Breve eſſe ſuperſtitioſum continens nomina ignota, ſivè dicantur Dei, ſivè Angelorum, quæ non exprimuntur in Scriptura Sacra, aut non habentur

6 ex Sanctis Patribus ; Nomina Angelorum ſunt tantùm tria de fide tenenda, expreſſa in Sacra Scriptura, Michael, Gabriel, & Raphael. Aliorum Sanctorum Angelorum nomina ex probatis auctoritatibus habentur, quæ ſunt quatuor, Eromiel, Uriel, Saniel, & Azael, relata ab Hurtado *p. 1. ſuarum moralium, Reſolut. tract. 5. cap. 5. reſol. 71. num. 1780. qui præced. num.* dixerat, Angelum B. Joannis de Cruce Cuſtodem appellatum Laurielem, ſibi à Deo revelatum, ex Petro Navarro in ejus vita lib. 2. Nomen Uriel legitimum eſt, cum in *lib. 4. reperiatur Eſdræ cap. 41.* & licèt liber non numeretur inter Canonicos, tamen eſt magnæ auctoritatis, cum annexum fuerit ſacris juſſu Sixti V. in nova Bibliæ recognitione, & de eo fit mentio in officio ſacro S. Gabrielis Archangeli in Breviario Franciſcano, pro eodem eſt Nicolaus Serarius Jeſuita citatus à Delrio *lib. 1. in fine cap. 4.* Nec obſtat Zacharias Summus Pontifex, qui in Concilio II. Romano, contrà Adelbertum Hæreticum definivit, tria tantùm eſſe nomina bonorum Angelorum, Michael, Gabriel, & Raphael, de quo præcitati Delrius, & Hurtadus. Quia loquitur de illis Angelis, qui noti ſunt ex fide Catholica, reprobando tamquàm ſuperſtitioſa nomina hæc, Raguel, Tubuel, Adinus, Tubuas, Sabaoc, & Sinuel, quæ vocat ſacrilega, & nomina Dœmoniorum, quæ Adelbertus invocabat in ſui auxilium. Lucas Tauricus Geophonenſis Epiſcopus Civitatenſis in ſuo Kalendario Eccleſiaſtico, ab ipſo ſupputato juſſu Julii II. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Venetiis impreſſo 1552. fol. 17. & 18. ex Abramo inſigni Aſtronomo, recenſet nomina ſeptem Angelorum, quos vocat ductores ſeptem Planetarum, qui ſunt Caphtiel ducens Saturnum, Satquiel Jovem, Samael Martem, Raphael Solem, Anael Venerem, Michael Mercurium, & Gabriel Lunam. Hæc nomina à nullo damnata, quod ſciam, non credo, nec puto ſuperſtitioſa, quia Cœli moventur ex intelligentiis ſecundùm Philoſophos, & unumquodque Cœlum, etiam Planetæ moventur à proprio Angelo illis à Deo deſtinato, de qua re non eſt dubitandum, ut docent omnes Theologi *cum Scoto in 2. diſt. 2. qu. 6. & diſt. 14. q. 1. & in 4. diſt. 48. qu. 2. N. apud Meldulenſem de Cœlo diſp. 2. q. 4. art. 3. num. 147.* quòd quilibet Planeta habeat proprium ductorem; *Sigiſm. Serbellon. in ſua Philoſophia Ticinenſi tom. 2. qu. 4. de motu cœleſti artic. 2. numer. 23.* Quia tamen relationem habent cum Planetis, non ſunt miſcenda cum rebus benedictis, & ſacris, quæ ſinè illis diſponunt fideles ad cultum Divinum, & à Deo ſperandam incolumitatem corporis.

7 Alberghinus noſter *cap. 18. ſæpè citatus ſect. 3. §. 3. nu. 7. refert. ex Cornelio de lapide cap. 1. in Apocal.* quòd B. Amædeo revelata fuerunt nomina ſeptem Angelorum, qui adſtant coram Deo, quibus Panormi eſt dedicata Eccleſia, cum eorum nominibus inſculptis hoc modo: *Michael Victoriojus; Gabriel Nuntius; Raphael Medicus; Uriel fortis ſocius; Jehudiel Remunerator; Barachiel Adjutor; Schal-*

*Schalthiel Orator*. Quæ etiam ſunt in Sacello Didaci de Haedo, Archiepiſcopi Panormitani ejuſdem Cathedralis, ubi defunctus anno 1608. requieſcit in pace, ſecundùm Rocchum Pirrum fol. 195. notitiæ Panormitanæ. Nomina igitùr revelata in Sacra Scriptura, & præfatis Beatis Joanne de Cruce, & Amædeo, tenenda ſunt, reliqua Planetis appropriata forſan inventione illius Aſtronomi, relinquenda ſunt; nam nomina Angelis imponere eſt folius Dei, non hominum, qui progenitorum nomina ſuis tantùm filiis imponunt.

8 Colligitur quartò ex quarta conditione, non eſſe miſcenda verba profana, & vana orationibus, quia peccatum eſt miſcere ſacris profana, ne quis arguat, quod per orationem à Deo ſperatur, per vana colloquia obtineri, quæ nihilominùs nullius ſunt efficaciæ, niſi quòd bonam orationem reddant inutilem. Undè Lama *apud Albergbin. capit.* 18. *ſect.* 3. § 3. *numer.* 8. dixit, ſuperſtitioſum eſſe hoc ſignum crucis: *In nomine Patris Balthaſſar, & Filii Gaſpar &c. Sanch. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 23. ait, quòd non eſt ſuperſtitio, quandò perſona illis utens ſcit, talia verba vana eſſe inutilia, nec conferre utilitatem, ſed eſſe culpam vanitatis. Non placet, nam hæc culpa non poteſt eſſe niſi ſub genere ſuperſtitionis vanæ, maximè quia oratio à Deo, vel ab Eccleſia inſtituta variatur, & conjungitur cum verbis profanis, & inutilibus, cum aliquali injuria ſpiritualis orationis.

9 Colligitur quintò, circunſtantia modi, figuræ, qualitatis Breve efficit ſuperſtitioſum, quia hujuſmodi circunſtantiæ, nihil proſunt ad finem intentum, ac proindè arguunt tacitum pactum cum Dœmone, & diminuunt de virtute rei benedictæ, ſeù ſacræ, ut ſi oratio ſcribatur in carta pergamena, non papyracea, quæ ſit talis quantitatis, & figuræ, rubea, non alba, ſit ſcripta à puero, vel puella Virgine, 10 non à viro, vel quòd Breve ſit tringulare, ſeù quadratum, non rotundum, aut in figura cordis, ut ſolet conſtrui, &c. Vide Delrium *lib.* 1. *capit.* 4. *quæſt.* 4. *Sanchez lib.* 2. *capit.* 40. *numer.* 26. *Fagundez in primum Decalogi capit.* 37. *numer.* 12. *quos pro ſe citat Albergbinus cap.* 18. *ſection.* 3. § 3 *numer.* 1.

11 Demùm ex ſexta colligitur, Brevia continentia certitudinem non moriendi malâ morte, non interficiendi ab inimico, Sanctam Urſulam apparituram in morte, non viſurum Dœmonem in actu mortis, eſſe ſuperſtitioſa, ac proindè rejicienda. Ità Sanchez *lib.* 2. *capit.* 40. *numer.* 20. *Albergbin. capit.* 18. *ſection.* 3. §. 3. *numer.* 3. *Bonacin. part.* 4. *numer.* 10. & alii communitèr. Legebantur olim hæ ſecuritates aſſertæ in certis Officiis Beatæ Mariæ Virginis antè correctionem Breviarii, ſublatæ poſtmodùm, ne fideles deciperentur, ſicut anteà.

12 Hæc Brevia geſtantes, quæ nullam circunſtantiam ſuperſtitionis continent, non peccant, quia nihil mali de ſe arguunt, aliter cenſentur ſuſpecti de hæreſi levitèr, ſi in eis reperitur aliquid ſuperſtitioſum, propter tacitum Dœmonis pactum, juxtà dicta præcedenti ſectione.

13 Hurtadus *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *reſol.* 71. quærit, an poſſit imponi nomen alicui Angelo bono, ut ab eo adoretur ſaltem privato honore, ut vocando Solithiel, qui movet Solem, Ariethiel, qui movet Arietem? R. Non licere nomen imponere, quia ſecundùm Apoſtolum 1. *ad Timoth.* 6. 20. Novitates prohibentur ibi: *Profanas vocum novitates.* Nominis impoſitio ſiquidem non videtur neceſſaria, cum nominari poſſint ſub nomine Angeli, vel intelligentiæ moventis tale Cœlum. Non placet, quia cum de Angelis conſtet, eos Cœlum movere, non verò Dœmones, novitas non videtur inducere aliquam deceptionem in fide, cum novum hoc nomen non ſit profa-
14 num, quod tantùm ab Apoſtolo prohibetur; licet ergò nomen imponere, non auctoritativè, ſed ad uſum proprium ad evitandas circumlocutiones, nec in adoratione poteſt ſubeſſe periculum idolatriæ, cùm certum ſit de fide, omnes Angelos bonos eſſe adorandos cultu Duliæ ſaltem privato. Et quòd Apoſtolus prohibeat ſolùm novitates vocum tantummodò profanarum, præterquamquòd ipſe declarat ſe ipſum, id docet *D. Auguſtinus tract* 99. *in Joannem citatum à Novarino loco præcitato Sancti Pauli, num.* 1394.

# SECTIO QUARTA

## De Vana Obſervantia eventuum, & dierum fauſtorum, & infauſtorum.

1 Est hoc quoddam genus ſuperſtitionis, quo ex conſideratione alicujus eventus homo deliberat agere aliquid, vel non agere, & ſi eventus eſt bonus, agit, ſi malus, deſiſtit, & non agit; & dies obſervati in bonum vocantur fauſti, in malum verò appellantur infauſti. Pro declaratione produco exempla *ex Carena part.* 2. *tit.* 12. §. 13. *à num.* 123. Dies infauſti reputabantur apud Judæos dies Lunæ, quia eo die
2 natus erat Cain; Apud Athenienſes dies Martis, apud Medios dies Mercurii, apud Friges diem Jovis, apud Trojanos dies Veneris, & apud Perſas dies Sabbathi, *ex Alexandro ab Alexandro lib.* 4. *dierum genialium cap.* 20 Campanella in ſua Aſtrologia judiciaria, dicit, quòd habebat pro infauſtis ſibi dies Martis, & Veneris, quibus diebus fuit ſepties tortus.

3 Hæc autem vana obſervatio dierum ab omnibus Catholicis rejicitur, cum ſit reprobata à

Sancto

Sancto Paulo ad Galatas 10. 4. *Dies obſervatis, & tempora, & menſes, & annos, timeo vos, ne fortè ſinè cauſa laboraverim in vobis.* D. Joannes Chryſoſtomus homil. 23. contrà obſervatores Novilun. interprætatur de obſervationibus ſuperſtitioſis, inquit autem: *Dies enim*
4 *bonus, & malus eſt, non ſua quadam, & propria natura; nihil enim dies à die differt, ſed noſtra, vel diligentia, vel ignavia, ſi juſtitiam feceris, bonus tibi dies erit, ſin peccatum deſignaveris, malis, & ſuppliciis plenus.* Sic accidit Campanellæ, qui, quia malus erat, dies Martis, & Veneris fecit malos, non quia mali ſint, ſed quia ipſe impius erat peccator; A D. Auguſtino damnatur relato cap. *Non obſervetis* 16. 26. *quæſt.* 7. *& cap. ſeq. Non æſtimet* 17. *& à cæteris Theologis cum D. Thoma* 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 3. *Suarez de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *capit.* 2. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 40. *numer.* 15. *&* 16. qui dicto *num.* 15. ait eſſe peccatum mortale, à quo excuſantur, ſi fiat tantùm ex quodam timore, ut certò illis non credant.

5 Iſti autem Obſervatores tamquàm ſuperſtitioſi non evadunt ſuſpicionem hæreſis levem, cùm in eorum dierum obſervatione partem habeat Dœmon. Undè Hurtadus *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *reſol.* 38. hoc delictum connumerat inter ea, quæ generant ſuſpicionem hæreſis.

SECTIO

# CAPUT VIII.

## An omne Sortilegium ſit hæreticale?

1 

Oncluſio eſt affirmativa, quòd omne ſortilegium eſt hæreticale, quia nullum ſortilegium fit, in quo Dæmon partem ſuam non habeat, ut colligitur ex allatis à Gratiano per totam *q.* 5. *cauſæ* 26. *nam cap. Epiſcopi* 12. id clarè dicitur: *Studeant, ut perniciosam, & à Diabolo inventam ſortilegam, & magicam artem ex parœchiis ſuis penitùs traducant*. Item paulò infrà. *A Diabolo captivi tenentur, qui, relicto Creatore ſuo, Diaboli ſuffragia quærunt*. & propè finem habet hæc: *Qui talia, & his ſimilia credit, fidem perdit, & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non eſt ejus, ſed illius, in quem credit, ideſt Diaboli*. Hæc ex Concilio Anquirenſi, ſeù Ancyrano. Ex ſortilegiis ergò Eccleſia, quandò ei non conſtat ex probatione teſtium, aut confeſſione Sortilegi abnegata fides, præſumitur in eis infidelitas, & hæreſis, quia, qui credit Diabolo, fidem perdidit. S. Auguſt. relatus cap. Nec mirum 14. 26. q 5. *In quibus omnibus*, ſcilicèt ſortilegiis, *ars Dæmonum eſt, ex quadam peſtifera ſocietate hominum, & Angelorum malorum exorta*. Nullus ergò dubitare debet, quin omne ſortilegium ad minus includat aliquam hæreſis ſuſpicionem, quandò non conſtat de formali hæreſis contrà fidem, ex quo ſortilegium nuncupatur hæreticale, non hæreſis.

2 Confirmatur ex reſponſo, quod dedit Papa Alexander IV. Inquiſitori Fratrum Minorum Anno 1258. per ſuam Bullam incip. *Quod ſuper nonnullis extenſam* apud *Direct. Inquiſit. fol.* 24. *relatam in cap. Accuſatus* 8. §. *Sanè, de hæret. in* 6. ubi dicto Inquiſitori quærenti, an poſſet cognoſcere de omni ſortilegio? Reſpondit, quòd judicaret tantùm ſapientia manifeſtè hæreſim, ex quo reſponſo clarè infertur aliqua ſortilegia reperiri, quæ non ſapiunt manifeſtè hæreſim, ſed ſolùm occultè; ſi enim aliqua ſapiunt manifeſtam hæreſim, alia ſunt, quæ eam non ſapiunt, ſed tantùm occultam; ergò omne ſortilegium ſapit hæreſim, vel manifeſtam, vel occultam.

3 Nec prædictis obſtant Doctores, dum ſortilegium ſecant in hæreticale, quod vocant qualificatum, & non hæreticale, ſeù ſimplex, & non qualificatum à Directorio *p.* 2. *q* 42. *num.* 2. vocatum merum ſortilegium, exemplificando in ſortilegiis Chyromantiæ, & feſtucarum, ad differentiam alterius contracti ad hæreſes, ut colere Dæmonem cultu latriæ, ſeù Duliæ, rebaptizare puerum &c. quæ ſortilegia dicunt

ſapere

ſapere manifeſtam hęreſim; Hanc diſtinctionem ſortilegiorum hæreticalium ſecuti ſunt cæteri omnes *cum Farin. q.* 181. *num.* 2. *Alberghin. cap.* 18. *ſect.* 2. *Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 23. vocat hanc diſtinctionem vulgatiſſimam. Non obſtant (inquam), quia per ſortilegia non hæreticalia ſunt intelligendi, quòd manifeſtè non ſapiunt hæreſim, non tamen excludendo omninò ad minus ſuſpicionem hæreſis, quæ originem trahit ab invocatione tacita, quæ ineſt in ſortilegiis carentibus facto hæreticali, *Carena num.* 246. *Diana p.* 4. *tract* 7. *reſol.* 10. §. *Clarè igitur*. Reſtat videre, quænam ſortilegia ſapiant manifeſtè hæreſim, & quæ tantùm illam ſapiunt occultè, hæc nos vocabimus ſimplicia, illa hæreticalia ex facto indicante hæreſim.

5 Sortilegium hæreticale hæreſim manifeſtè ſapiens eſt illud, in quo apparet factum hæreticale mixtum ex invocatione expreſſa Dœmonis, ſeù cultu latriæ, aut duliæ, ſeù ex rebus ſacris; nam invocatio Dœmonis expreſſa, & abuſus rerum ſacrarum hæreſim manifeſtant, & ſortilegium de ea reddunt ſuſpectum, nam à judice prudentèr præſumitur, ſortilegum credere eſſe licitam Dœmonis invocationem, & ejus uti opera, & abuti Sacramentis, & cæteris rebus ſacris. Sortilegium verò hæreticale, ſed hæreſim manifeſtè non ſapiens, ſed tantùm occultè, eſt illud, quod prædictis caret, ſcilicèt expreſſa Dœmonis invocatione, cultu, & abuſu rerum ſacrarum. Sed deveniamus ad modos, quibus cognoſcitur ſortilegium hæreticale manifeſtam hæreſim ſapiens, ut deindè notitia habeatur de aliis hæreticalibus occultam tantùm hæreſim ſapientibus.

6 Primò, illud ſortilegium ſapit manifeſtè hæreſim, in quo Dœmon invocatur expreſsè etiam cum ſola invocatione, ſinè alio cultu, à fortiori cum cultu, ſivè invocatio fiat deprecativo modo, ſivè modo imperativo. Sivè petatur effectus excedens ejus vires, ſivè non; & æqualis ſuis juribus, qualiſcunque ſit effectus, etiam bonus.

7 Primum de expreſſa invocatione ſinè aliis patet, quia prohibetur à D. Paulo 1. ad Corinth. 10. ſocietas cum Dœmoniis: *Nolo vos fieri ſocios Dœmoniorum*. Invocatio autem fieri non poteſt ſinè ſocietate, ut notum eſt, & utrunque arguit manifeſtam hæreſim contrà fidem; neque enim Diabolus opem præſtat homini gratis, ſed ſemper cum fœnore ſuo, & præjudicio ejus, qui cum eo amicitiam contrahit. A fortiori ſortilegium ſapit manifeſtè hæreſim, cum ei adhibetur cultus latriæ, aut duliæ, quæ ſolùm Deo, & Sanctis ejus competit. Ità de ſola invocatione, vel conſilio, ſivè alio cultu allegati *à Farin. q.* 181. *num.* 73. §. *Verùm, & probari cap.* 3. *ſect.* 2. cum cultu latriæ, vel duliæ, *Genuens. cap.* 18. *num.* 11. *Carena. p.* 2. *tit.* 12. *num.* 28. *Alberghinus cap.* 18. *ſect.* 2. *num.* 4. *Azor. lib.* 9. *cap.* 26. *q.* 4. Vide novem modos *ſub cap.* 4. *ſect.* 1. 2. in quibus Dœmon expreſsè invocatur.

8 Secundum, non ſolùm deprecando, ſed etiam imperando committitur ſortilegium hæreticale, probatur; Tùm quia homini

cum

cum Dæmone omnis amicitia, & familiaritas, uti hæresim inducens, est prohibita ex auctoritate S. Pauli superiùs adducta. Tùm quia ea invocatio imperatiua est simulata, & reverè deprecativa, nam Dæmon allicit hominem per illud imperium, auxiliando ei voluntariè, ut ipsum decipiat, & præcipitet in hæresim, juxtà dicta superiùs cap. 2. num. 12. Ità citati à Diana *p. 4. tract. 7. resol. 10. Vers. His tamen*, *Alberghin. cap. 18. sect. 3. §. 8. num. 6. Salelles Reg. 124. num. 340.* contrà quamplures citatos à Carena *p. 2. tit. 12. num. 61.* asserentes non esse sortilegium hæreticale, hoc est, sapiens manifestè hæresim, quandò præcisè invocatur modo imperativo, in jis, quæ Dæmon naturalitèr facere, aut scire potest, secluſis rebus sacris, quia sola invocatio cultus est. His autem respondi loco citato cap. 3. sect. 2. ubi ipsamet invocatio vetus est latriæ.

9 Tertium, quòd sortilegium sit hæreticale manifestè, licet petitum non excedat vires Diaboli, probatur, quia qualitas hæc non specificatur à modo petendi, sed ab ipsamet invocatione, & prohibita societate, & familiaritate cum Dæmone in omnibus prohibita; debemus enim in omnibus recurrere ad Deum tanquam Supremum Dominum, & non ad Dæmones, dando eis honorem, quem soli Deo, & ejus Sanctis tribuere debemus. Procedit, sivè id fiat deprecativè, ut omnes concedunt, quia deprecatio est cultus, sivè imperativè, quia imperium est simulatum, & virtualis deprecatio. Ità præcitati mox contrà quamplures apud *Carenam p. 2. num. 59. ad 64.* asserentes sortilegium per invocationem expressam Dæmonis ad ea, quæ ipse Dæmon naturalitèr facere, aut scire potest, non esse hæreticale, seù non sapere manifestè hæresim.

10 Quartum, sortilegium esse hæreticale, licèt Dæmon invocetur ad consequendum aliquid bonum, ut sanitatem, thesaurum, rem deperditam &c. probatur, ex eadem communi ratione, quia ipsamet invocatio expressa de se manifestat hæresim, cum ipsa sit formalitèr cultus idolatriæ, ac proindè hæresim indicans; sanitas enim, & cætera corpori utilia à Deo petenda sunt, non verò à Dæmone.

11 Colligitur ex dictis, indubitatum esse sortilegium ex invocatione, seù pacto expresso factum, esse manifestè hæreticale, consequentèr sortilegium esse tale, in quo Dæmon vocatur Sanctus, Beatus, Deus, & similibus titulis, qui soli Deo, aut Sanctis ejus conveniunt, exhibendo eidem omnes illos actus latriæ, seù duliæ, quæ soli Deo, & Sanctis competunt, ut omnes præcitati asserunt cum Joanne Francisco de Leone *in Thes. fori Eccles. p. 3. cap. 36. num. 10. Carena p. 2. tit. 12. num. 26.* quia per hujusmodi titulos, & actus defertur Dæmoni cultus, qui est proprius Dei, & Sanctorum ejus, undè manifestant in sortilegio hæresim.

12 Advertendum præterea est, quòd ex pacto etiam tacito manifestum fit sortilegium hæreticale, quandò scilicèt sortilegium etiam non mixtum rebus sacris fit ad obtinendum effectum, qui à solo Deo præstari potest, ut

resurgere

reſurgere mortuos, dare viſum cœcis, revelare ſecreta cordiũ, & alia futura contingentia, habentia indeterminatam cauſam in libera hominum voluntate, quia cùm hæc à ſolo Deo præſtari poſſint, Sortilegus præſumitur credere, Dœmonem eſſe omnipotentem, undè ſimiles effectus manifeſtant hæreſim. Confirmatur, quia ſi in effectibus non excedentibus vires Dœmonis, manifeſtatur hæreſis, ut dictum fuit ſuprà, à fortiori in his, quæ excedunt vires Creaturæ, ex allegatis *à Farin. q.* 181. *num.* 5. *Carena p.* 2. *tit.* 12 *num.* 24.

13 Secundò, illud ſortilegium eſt hæreticale manifeſtè, in quo Sortilegus abutitur aliquo Sacramento, nam hæreſis manifeſtatur per abuſum Sacramenti; abutens enim Sacramento, præſumitur credere eſſe licitum illud adhibere ad quodcumque vanum, & illicitum uſum, quod eſt abuti Sacramentis; id autem eſt manifeſta hæreſis, cum de fide conſtet, Sacramenta inſtituta fuiſſe ad ſalutem animarum, non verò ad effectus malos, turpes, aut indifferentes. De abuſu Sacramentorum dixi latè caſu 54. de Blaſphemia *à numer.* 70. *&* 71. Ità præcitati cum *Farinac. quæſt.* 181. *num.* 19. *Leone part.* 3. *num.* 9. *Albergbino cap.* 18. *ſect.* 2. *num.* 9. *Pegna part.* 2. *comment.* 67. *§. Jam illa quoque. Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 23. *Salelles Reg.* 124. *num.* 343. *Diana part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 10. *verſ. Ideò.* Diſcurrendum eſt per ſingula Sacramenta.

14 Sortilegium hæreticale ex abuſu Sacramentorum committitur ex abuſu Sacramenti Baptiſmi, *Primò*, cum baptizatur aliquid irrationale, & non baptizabile, quodcunque illud ſit. Ità *Farin. quæſt.* 181. *num.* 25. *Carena num.* 25. *Albergbin. cap.* 18. *ſect.* 2. *§* 1. *num.* 10. *Pegna § Poſtremò.* Committitur *ſecundò* rebaptizando jam validè baptizatum; præſumitur enim credere, Sacramentum Baptiſmi eſſe reiterabile, contrà *Can.* 9. *ſeſſ.* 7. de tribus Sacramentis non reiterandis, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine. Ità præcitati *Farinac. num.* 23. *Carena num.* 25. cum aliis. Idem dic de abuſu aliorum duorum, ut ſi quis bis confirmaret, vel ordinaret. Item ſi confirmaret, vel ordinaret Aſinum, lapidem, magnetem, occham &c. ad obtinendum aliquem effectum illicitum, vel licitum. *Tertiò* committitur cum abuſu Olei Sancti, quod adhibetur in confectione præfatorum Sacramentorum Ità *Farin. n.* 21. *Caren. n.* 23. Committitur *quartò* abutendo aqua baptiſmali, reſervata in Baptiſterio, item ſale exorcizato in Cathechiſmo baptizandi.

15 Ex abuſu Sacramenti Euchariſtiæ manifeſtatur ſortilegium eſſe hæreticale. *Primò*, quòd fit cum Hoſtia, licèt non conſecrata, nec ſuper ea fit celebrata Miſſa aliqua. Ratio eſt, quia Hoſtia quæcumque ordinatur ad conficiendum hoc Sacramentum, ad quod tantùm inſtituta eſt, & per accidens eſt, quòd manducetur profano modo, aut per eam ſigillentur literæ; ergò adhibens eam ad ſortilegium, præſumitur malè ſentire de hoc Sacramento, quod ſinè illa confici non poteſt. Cur utitur Hoſtia, & non alio

commestibili ad sortilegium? Nisi quia hæc ordinatur ad Sacrificium. Alia ratio est, quia continet in se imaginem Christi, & uti res sacra ex imagine manifestat in Sortilego hæresim eorum, qui contemnunt sacras imagines dignas veneratione, non abusu ad illicita. Imagines esse res sacras dixi casu 23. *de Blasphem. num.* 12. *&* 13. *&* *casu* 28. *num.* 29. Si Hostia ante celebrationem, & consecrationem arguit, sortilegium continere manifestam hæresim, à fortiori Hostia, super qua fuit tantùm celebratum, *Zanardus par.* 2. *cap.* 64. *vers. Imò teneo*, *Scaccia lib.* 1. *de judic. cap.* 12. §. *Sortilegus*, *Carena num.* 53. *&* 54. *Salelles num.* 346. *Diana part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. §. *Sed ego*. Alii petunt Hostiam consecratam, aliter nolunt sortilegium esse hæreticale. Sed manifesta est hæresis ex ipsa Hostia qualitercunque qualificata, nam Hostia, ut Hostia, ordinatur tantùm ad Sacramentum.

16 Manifestatur secundò sortilegium hæreticale ex abusu vini, & aquæ in urceolis relictorum à Sacerdote post celebrationem, nam aqua est benedicta, ut patet ex Rubrica Missalis; benedicitur enim in ampulla, & cum vino dicitur quid Sacramentale, ex notatis sub casu 28. *de blasphem. num.* 11. Prætereà vinum in urceolo præparatum, est materia ad conficiendum Sacramentum simul cum Hostia, ac proindè illud vocandum est quid sacrum, dum est pars Sacramentalis; Panis enim, & vinum transubstantiantur virtute consecrationis in Corpus, & Sanguinem Christi, & licèt Panis, hoc est, Hostia in Pyxidola, & vinum in ampulla non sint materia in actu, sicut in Calice vinum, & super corporale panis, sunt tamen in potentia proxima ad idem, quia ad aliud deservire non debent, nisi ad Sacrificium, ideò tamquàm res sacræ sunt habendæ, & magis, quàm vestes sacerdotales, quæ dicuntur res sacræ inducentes per earum abusum sortilegium hæreticale, ut dicunt omnes cum *Delrio lib. lib.* 5. *sect.* 16. *vers. Sacerdos Celebrans*, *ex eo Albergbinus cap.* 18. *sect.* 2. §. 1. *num.* 7.

Consequentèr si abusus vestium Sacerdotalium manifestat sortilegium hæreticale, à fortiori Hostia, & vinum præparata, quæ sunt materia Sacramenti Eucharistiæ transiens per consecrationem. Et ad id faciunt ea, quæ habet *Caren. p.* 2. *tit.* 12. *nu.* 37. ubi quòd forma verborum consecrationis mixta sortilegio, illud manifestat hæreticale: demùm abusus illius Sacramenti cum sortilegio est manifestissimè hæreticale, & qui tale committit enormissimè sortilegium, traditur Curiæ seculari, *Farin. q.* 181. *nu.* 19. §. *Verùm.*

17 Manifestatur tertiò sortilegium hæreticale à Sacerdote celebrante Missas Defunctorum pro vivis, ut citiùs moriantur, vel aliquod aliud periculum incurrant, quasi Missa fuerit instituta ad malum operandum expressè *cap. Quicumque* 13. 26. *qu.* 5. *Delrius lib.* 5. *sect.* 16. *vers. Sacerdos celebrans*. *Alberghin. cap.* 18. *sect.* 2. §. 1. *num.* 11.

18 Manifestatur quartò, si quis abutatur prima lotione corporalium, & purificatoriorum; pariter rasura, seù lotione, aut combustione, causata

ex

ex Hoſtia, aut Sanguine Chriſti, qui caſu ceciderunt; hæc enim, & ſimilia referuntur proximè ad Sacramentum, in ordine ad quod vocantur Sacramentalia, & res ſacræ.

19 In aliis quoque Sacramentis abuſus manifeſtat ſortilegium hæreticale, quandò Sortilegus abutitur materiis ſingulorum Ordinum, quorum inſtrumenta tangit ordinatus. Item abutens non ſolùm Oleo Sancto in Extrema Unctione, verùm etiam pane, & bombace, ſeù alia re, quibus Sacerdos ungens infirmum, digitos oleo linitos abſtergit, & lavat. Item abutens annulo ſponſalitio, quia eſt benedictus.

20 Tertiò, ſortilegium dicitur manifeſtè ſapere hæreſim, quandò admixtum fuit Sacramentalibus, quia Sortilegus præſumitur credere, licitum eſſe Sacramentalia miſcere in actibus ſuperſtitioſis, quæ tamen ab Eccleſia probantur inſtituta pro ſalute Fidelium, & non ad profanos, & illicitos uſus. Ità omnes cum Genuenſ *cap.* 18. *num.* 11. *Diana part.* 4 *tract.* 7. *reſol.* 10. *verſ. Idcò dico*, *Carena part.* 2. *tit.* 12. *numer.* 23. & 27. *Alberghin. cap.* 18. *ſect.* 2. *num.* 2. *Salelles Reg.* 124. *nu.* 343.

21 Sacramentalia autem reducuntur ad ſex, quæ hoc verſu continentur. *Orans*, *Tingens*, *Edens*, *Confeſſio*, *Dans*, *Benedicens*: Explicavi ſub caſu 28. à n. 11. Vide ibidem, & ad propoſitum noſtrum addo ſequentia.

22 *Orans* ſub hoc primo comprehenditur Pater noſter, & omnes aliæ orationes ab Eccleſia inſtitutæ, quibus abutens in ſortilegiis committit ſortilegium, manifeſtè hæreſim ſapiens. *Farin. quæſt.* 181. *num.* 49 *Genuenſ. cap* 18. *num.* 11. *Albergbin. cap.* 18 *ſect.* 2. *num.* 2. *Carena num.* 23. *Azor. lib.* 9. *cap.* 26. *quæſt.* 4. *Salelles Reg.* 124 *num* 343. *Diana part* 4. *tract.* 8 *reſol.* 14.

23 *Tingens* ſignificat Aquam Sanctam, cujus abuſus manifeſtat ſortilegium hæreticale. *Ità Pegna part.* 2 *Direct com* 67. *verſ. Jam illa quoque Genuenſ cap.* 18. *n.* 11. *Farin q.* 181. *n.* 22. *Salelles nu.* 343. *De Leone p.* 3. *num* 9 *cap* 5.

24 *Edens* ſignificat materiam Sacramenti Euchariſtiæ, Panem benedictum, & quodcumque aliud comeſtibile benedictum, quibus abutens in ſortilegiis perpetrat ſortilegium hæreticale; Panis ex Sacrificio more Græcorum diſtributus, eſt benedictus, inducens manifeſtam hæreſim in Sortilego eo utente, quia cum cæteris comeſtibilitas benedictis eſt quid Sacramentale.

25 *Confeſſio*, ſignificat *Confiteor*, de quo in divinis officiis, & partem quoque Sacramenti Pœnitentiæ, qui his abutitur in ſortilegiis præſumitur malè ſentire de hac oratione inſtituta pro remiſſione diſpoſitiva peccatorum, ac proindè manifeſtare in ſortilegiis hæreſim, quia abutitur hoc Sacramentali. Hoc ſortilegium contingere poteſt duobus modis, primò recitando ſuper re ipſum *Confiteor*, ſecundò miſcendo illud ſcriptum cũ re profana, utroque modo perpetratur ſortilegium hæreticale. Idẽ puto, ſi carta, in qua ſcripta ſunt peccata ad modum Confeſſionis, miſceatur cum alia re, nam tanquã quid Sacramentale refertur ad Sacramentum Pœnitentiæ, quaſi licitum ſit abuti hoc Sacramento.

26 *Dans* refertur ad quodcumque Opus Misericordiæ, tùm corporalis, tùm spiritualis, quatuordecim; Spiritualia septem. Docere ignorantes: Corrigere peccatores: Consilio juvare indigentes: Consolare afflictos: Pati fortiter injurias: Remittere offensas: Orare pro vivis, & defunctis. Septem temporalia sunt: Pascere esurientes: Potare sitientes: Colligere hospites: Operire nudos; Visitare infirmos, & carceratos: Redimere captivos, & sepellire mortuos. Qui igitùr facit unum ex his super re sortilega, miscendo unum cum alio, saltem intentionalitèr, Reus est sortilegii hæreticalis manifestati per abusum hujusmodi operum, quæ à Deo nobis sunt tradita in bonum animæ, & coporis, non verò ut ea misceantur cum illicitis, & turpibus.

27 *Benedicens* significat benedictionem solemnem, quæ datur ab Episcopis, & Abbatibus in divinis officiis, & etiam à Sacerdotibus, dum benedicunt oleum, panem, &c. His enim rebus benedictis abutens, committit sortilegium hæreticale, quia præsumitur credere benedictiones non dari, aut deservire ad quodcumque etiam inutile. De rebus benedictis indicantibus sortilegium hæreticale, *Farin. q.* 181. *num.* 22. *Pegna p.* 2. *com.* 67. *§. Hinc censeo*, *Genuens. cap.* 18. *num* 11. *Salelles num.* 343. *De Leone part.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. *Azor. lib.* 9. *cap.* 26. *q.* 4. *Carena num.* 23.

28 Quartò sortilegium manifestè sapit hæresim, quandò illi miscentur sacræ orationes, seù verba, & versiculi Psalmorum, & quicquid continetur in Sacra Biblia, Missalibus, & Breviariis, quia hæc omnia dicuntur verba, & orationes sacræ, cum à Deo sint, & ab Ecclesia ad salutem Animæ, & corporis, & non ad illicita, & turpia perpetranda. Ut si sortilegium componatur ex aliquo versiculo Psalmi, Pater noster, Ave Maria, Salve Regina, Iste Confessor Domini colentes. Item miscendo nomina Deus, Jesus Dominus, Christus, Maria, Michael, & cæterorum Angelorum sivè bonorum, sivè malorum, Adonai, &c. manifestant enim sortilegium hæreticale, quia abutens prædictis, censetur à viris prudentibus malè sentire de orationibus, & sanctis nominibus venerandis, & non contemnendis. Ità omnes cum *Pegna p.* 2. *com.* 67. *§. Hinc censeo*. *Farin. qu.* 181. *num.* 49. *De Leone p.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. *Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 23. *Salelles num.* 343. *Januarius de casib. reserv. resol.* 14. *nu.* 8. *Diana p* 4. *tract.* 8. *resol.* 14. *Hurtadus ex Minimis p.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *resol.* 43. sortilegia ex Psalmis vocat Ensalmos, & eorum compositores Ensalmatores in Hispania; Sunt etiam sortilegia hæreticalia, quæ fiunt ex aliis orationibus à personis devotis, & privatis inventis in honorem Dei, & Sanctorum, ideò nemo illis abuti debet, quia facit injuriam Deo, & Sanctis.

29 Observandum hìc est, quòd recitans orationes, ut suprà, nihil profanum continentes, nec turpe, sed eo modo, quo institutæ sunt, sivè semel, sivè pluries pro impetranda infirmo sanitate, vel ad bonum alium finem, pro obtinenda gratia licita, tàm pro anima, quàm pro corpore, non

est

eſt ſuperſtitioſus, ut probavi *cap. 7. ſect. 2. num. 7. & 8.* neque proindè Sortilegus, qui ſemper ſuperſtitioſus eſt. In colligēdis quoque herbis medicinalibus, licet intermiſcere orationes, ut mediante Dei auxilio, ſuum benè operentur effectum in ſanandis infirmis. Ità *cap. non liceat 3. 26. quæſt. 5.*

26 Quintò, ſortilegium manifeſtatur hæreticale, quod conficitur ex ſigno Crucis, vel ex imaginibus Dei, & Sanctorum, quia Crux eſt ſignum ſacrum Paſſionis Chriſti, vocatur ſancta, ſacroſancta digna veneratione latriæ. Imagines quoque Sanctorum, licèt non ſint benedictæ, ſunt ſacræ, & venerabiles cultu duliæ, vel latriæ, aut hyperduliæ, juxtà quod veneratur perſona, quam repræſentant, de fide credendum, *Trident. ſeſſ. 25. de Relig. & Venerat. Sanctor. De adoratione Imaginum Dei, & Sanctorum licita, Bellarm. lib. 2. cap. 12. de imagin. Sanct Bernardinus Pujol de Sacro Adorat. cultu diſp. 3. ſect. 6.* Qui ergò in ſortilegiis abutitur ſigno Crucis, aut ſacris imaginibus, committit manifeſtam hæreſim in eiſdem, quia præſumitur credere, eſſe licitum Cruce, & Imaginibus ſacris uti ad turpia, & vana, ac proindè non eſſe dignas veneratione, prout verè ſunt dignæ magno honore, & reverentia. *Ità Carena num. 28. de baptizantib.* imagines; Imagines autem quæ non ſunt Sanctorum, non arguunt manifeſtè hæreſim in ſortilegio, ut dicam infrà. Salelles *nu. 343.* ubi de ſigno Crucis.

27 Sextò, tunc ſortilegium manifeſtatur hæreticale, quandò conficitur ex Reliquiis Sanctorum, & Agnus Dei; ſunt enim res ſacræ, & Agnus benedicti, ut notavi caſu 28. de blaſphem. nu. 17. Ità de Reliquiis, & Agnus Dei *Pegna p. 2. com. 68. § Rurſus id quoque, Souſa lib. 1. cap. 57 nu. 9. Farin. q. 20. à num 82. qu. 181. num. 22. Carena num. 38. ad 48.* ubi ſuppoſito de fide tamquàm certo, quòd Papa errare non poſſit in Canonizatione Sanctorum, dicit, illud eſſe ſortilegium hæreticale, in quo miſcetur nomen Sancti ſub conditione, ſi Sanctus eſt, nam quod certum eſt de fide, ſub dubio ponit, ex quo ſe ſuſpectum facit de hæreſi, ut inſinuat num 47. Dic tu, id verum eſſe, ſivè dubitet, ſivè credat ſanctitatem; nimirùm eſſe ſortilegium hæreticale, non ſolùm ex mixtione nominis talis Sancti ſinè dubitatione, ſed etiam ex oppoſita conditione, quæ nihil ponit ineſſe, ſed nomen Sancti relinquit in ſuo eſſe reali ſanctitatis ad effectum ſortilegii Quamvis autem Reliquia non eſſet vera alicujus Sancti, ſeù Beati, adhuc ſortilegium eſſet, quia ſub nomine Sancti illud fecit, quod ſufficit, ut dicatur hæreticale.

28 Septimò, illud dicitur ſortilegiū hæreticale manifeſtè ſapiens hæreſim, quod fit in cæteris rebus deſtinatis ad miniſterium altaris, & divini officii, cujuſmodi ſunt Calix, Patena, Purificatorium, Corporale, Velum, Burſa, Veſtes Sacerdotales, Pixis, Tabernaculum, Candelabra, Candelæ, Cæreus Paſchalis, Campanæ &c. de quibus egi caſu 28. de blaſphemia, his abutens in ſortilegiis præſumitur manifeſtè hæreticus, qui videtur malè ſentire de miniſterio altaris, & ritibus in eo ſervandis

vandis contrà determinationem Ecclesiæ. Ità *Delrius lib. 5. sect. 16. Vers. Sacerdos Celebrans*, *Alberghin. cap. 18. sect. 2. §. 1. num. 7. Farin. quæst. 20. num. 85.* Quare si quis poculum amatorium præberet in Calice mulieri, committeret sortilegium hæreticale, cujus verus usus est inservire tantùm in ministerio altaris. Quid si nondùm esset consecratus? Crederem adhuc sortilegium esse hæreticale, quia ex electione potiùs hujus vasis, quàm alterius, præsumitur eo abuti, tamquàm ordinato ad sacrum ministerium, & sic videtur malè sentire de Sacrificio Altaris, cui facit injuriam in abusu Calicis.

33 Octavò, etiam in sortilegiis ad sanitatem manifestatur hæresis, cum Sortilegus abutitur rebus sacris, quia sacra profanis non sunt miscenda, quasi sint capacia profanitatis, imò ut illis inservientia faciunt esse deterioris conditionis, quod credere est hæreticum, quare Sortilegum manifestè indicant suspectum de hæresi. Ità *Carena part. 2. tit. 12. à num. 30. ad 38.* Vide alios apud Dianam *part. 4. tract. 3. resol. 62. & tract. 8. resol. 122.*

34 de Enfalmatoribus, qui scilicèt curant infirmitates cum mixtione orationum. Dico cum mixtione orationum, quia legere super infirmos orationes ab Ecclesia institutas, vel non reprobatas, pium opus est, & hìc Parmæ multùm in usu est recurrere ad Sacerdotes, qui super infirmos legunt nonnullas preces, & orationes, per quas Deus rogatur ad conferendam sanitatem. Dixi suprà *cap. 7. section. 2. numer. 7. & 8.*

35 Nonò, illud sortilegium est manifestè hæreticale, per quod Dœmon tenetur alligatus in vase, annulo, quia id arguit expressam invocationem, familiaritatem, & amicitiam cum Dœmone. Ità *Farin. quæst. 181. num. 28. ex eo Alberghinus cap. 18. sect. 2. §. 1. num. 12. Sousa lib. 1. cap. 57. num. 15.*

36 Colligitur ex his, quemcunque actum cultus causa sortilegiorum tributum Diabolo, sivè per simplicem invocationem expressam, sivè consilium, auxilium, fumigationem, genuflexionem &c. arguere manifestam hæresim in sortilegio; & paritèr mixtionem, & abusum rerum sacrarum in eis manifestare hæresim, ut patet ex præcedentibus, ex quibus sequitur sortilegium hæreticale ex duobus capitibus sapere manifestè hæresim, ex invocatione expressa Dœmonis, & abusu rerum sacrarum, quorum defectu sortilegium dicitur simplex, dum ex illis non componitur, ex quo manifestè sapit hæresim, licèt dicatur & ipsum hæreticale.

37 Sortilegium igitùr hæreticale simplex est illud, cui non miscetur expressa invocatio Dœmonis, neque abusus alicujus rei sacræ, Sacramentorum, Sacramentalium, & similium, de de quibus suprà, & ideò vocatur simplex, non qualificatum, nec sapiens manifestè hæresim, sed tantùm occultè. Dicitur autem hæreticale ex pacto tacito Dœmonis, cujus societas ex invocatione etiam tacita sinè dubio arguit hæresim, & cum sinè hujusmodi invocatione

tione, & pacto tacito, & implicito, non contingat eſſe ſortilegium etiam ſimplex, ideò vocatur & ipſum hæreticale. Oportet autem referre êxempla ſortilegiorum ſimplicium.

Primò, illud dicitur merum ſortilegium ſimplex, quo quis divinat per artem Chyromantiæ ex lineamentis manuum, vel ex inæqualitate feſtucarum inveſtigat aliquid. Ità Eymericus *p. 2. Direct. qu. 42. num. 2.* Uſus autem feſtucarum non eſt ſuperſtitioſus, quandò feſtucator ſe declarat, qui extrahet v. g. longiorem, primò capiet partem, quia tunc ſors non contingit arte Dœmonis, ſed declaratione hominis, nec Dœmon facit capere, ſed caſu evenit, quare uſus feſtucarum erit ſortilegium, quandò ordinatur ad ſciendum aliquod occultum. Sors ergò diviſoria eſt licita, excepta in electionibus, juxtà omnes ſecundùm Sanchez *lib. 2. cap. 38. num. 57. & dixi cap. 4. ſect. 4.*

39 Secundò, ſortilegium ex imaginibus cœreis, vel alterius materiæ profanis factis pro maleficio, divinatione, aut alio fine, eſt ſimplex. *Farinac. quæſt. 181. num. 83.*

40 Tertiò, ſortilegium medicandi cum petia non applicata vulneri, eſt ſimplex, quia in eo latet pactum Dœmonis implicitum. Dixi *cap. 7. ſect. 2. num. 10. Carena part. 2. tit. 12. numer. 28.*

41 Quartò, mederi cum oſſibus mortuorum, eſt ſortilegium ſimplex, quia ea non ſunt benedicta, nam benedictio, quæ datur ſuper cadaver ſepulturæ tradendum, ex Rituali Pauli V. non cadit ſuper illud, cum de profano non fiat ſacrum, quia ſpecialitèr non deputatur ad cultum Divinum, nec proximè, nec remotè, ſed benedictio refertur ad ſalutem Animæ; Non ſunt ergò benedicta illa oſſa, inquit *Carena*, quia non ſunt Sacramentale, aliàs ſortilegium factum cum Capillis mulieris, eſſet manifeſtè hæreticale, quia in baptiſmate, & confirmatione ejus corpus fuit bendictum, & inunctum.

42 Quintò, ſortilegium ex nominibus, & ſignis ignotis eſt ſimplex, & id prohibetur *Levit. 19. 28. neque figuras aliquas, aut Stigmata facietis vobis. Ità Direct. part. 2. quæſt. 42. numer. 2. Pegnæ com. 68. Verſ. Per caracteres. Farinac. quæſt. 181. numer. 30. Carena num 55.* Ubi ait, hæc nomina Gob, Giber, Gabir, & Gadeber eſſe nomina Dœmoniorum. De nominibus bonorum Angelorum dixi cap. *7. ſect. 3. à num 6. ad 14.*

43 Sextò, obſervatio dierum fauſtorum, & infauſtorum, eſt ſortilegium ſimplex, de quibus *cap. 7. ſect. 4. dixi.*

44 Septimò, Aſtrologia judiciaria eſt ſortilegium ſimplex non manifeſtans hæreſim, cum ſit formalitèr cognitio futurorum per Aſtronomiam, & ideò Sixtus V. eam ſubjecit judicio Inquiſitorum, qui anteà judicebant tantùm de ſortilegiis ſapientibus manifeſtè hæreſim, *ex capit. Accuſatus 8. §. Sanè, de hæret. in 6.* ut notavi etiam initio hujus capitis. Ità Farin. *quæſt. 181. numer. 52.* dum dicit, eam divinationem contingere

ex

ex pacto tacito Dœmonis, & *num.* 59. ubi ait, artem Aſtrologiæ non exerceri niſi cum occulta Dœmonis ſocietate; nec in his Aſtrologi miſcent ſacra, quia putant divinare ex ſola aſtrorum cognitione, ſinè pacto Dœmonis implicito, quod tamen omninò erroneum eſt, cùm certum ſit, in Aſtrologia etiam iudiciaria Dœmonem ſuam habere partem.

45 Octavò, ſortilegium contrà copulam coniugalem eſt ſimplex, quandò non miſcetur rebus, vel verbis ſacris, *Farin. quæſt.* 181. *num.* 50. Manifeſtam ſapit hæreſim, quandò factum fuit cum annulo ſponſali benedicto, vel in ipſo tempore celebrationis matrimonii, vel dum Miſſa celebratur pro benedictione Sponſorum, quia tunc, cum ſortilegium referatur in iniuriam ſacramenti hoc abutendo, conſtat de manifeſta hæreſi. Ecce quomodò Sortilegus abutitur Sacramento Matrimonii. Vide *cap.* 54 *.de Blaſphemia num.* 71. Maleficium hoc ſolvitur à Strigis alio maleficio, dum faciunt ſponſum urinare intrà annulum ſponſalem, & ſic abyſſus abyſſum invocat.

Nonò retuli novem modos divinandi, in quibus Dœmon tacitè invocatur *cap.* 4. *ſect.* 2. Item ſortilegium divinandi per ſortes, de quibus ibidem *ſect.* 4. *per ſomnia ſection.* 5. eſt ſimplex.

CAPUT

# CAPUT IX.

## Quomodò probentur Sortilegia?

1 TRibus modis probatur crimen ſortilegii, confeſſione ipſius Rei, de qua latè dixi caſu 52. depoſitione teſtiũ, de quibus latè à caſu 39. ad 50. & legitima indiciorum probatione, de quibus actum eſt ſub caſu 53. Dictis locis præcitatis, quæ faciunt etiam ad præſentem materiam de ſortilegiis, addam pauca, quæ ſunt magis ſpecialia ad probationem hujus criminis, præſertim de indiciis, nam de confeſſione, & depoſitione teſtium idem ſervandum eſt in probatione ſortilegiorum, quod diximus de blaſphemis locis prælibatis.

2 Præſuppono ex ſupradictis ſub *cap 6. ſect* 5. de probatione Malecidii, debere conſtare de corpore delicti, quandò ſortilegium illud poſt ſe relinquit, antequam ulteriùs procedatur. Quoniam autem ſortilegium eſt de numero illorum delictorum, quæ ſunt difficilis probationis, quia clàm, & in occulto ſolet perpetrari, ideò ſi per teſtes de viſu, vel auditu ſortilegii crimen non poteſt probari, recurritur ad indicia, tùm communia, tùm propria 3 hujus delicti.

Inſtrumenta autem probantia ſortilegium, cujus dicuntur inditia, ſunt libri continentes modum fabricandi illa Clavicula Salomonis, Opera Petri de Abano, Pentocula, & ſimilia, quibus Sortilegi utuntnr ad ſortilegendum. Hæc autem indicium faciunt ad torturam, aliud enim indicare non valent probabiliter, niſi uſum ad ſortilegia, cum alium finem non habeant, præter hunc, quem ex ſe indicant; Procedit, licèt nullum aliud extet indicium. Ità *Genuens. cap.* 18. *num.* 13. *ex eo Carena p.* 2. *tit.* 12. *num* 177. Nam ſicut inſtrumenta cudendi monetam, ſunt indicium ad torturam ejus, apud quem fuerunt reperta, ex Franco *decis.* 440. *Riccio p.* 2. *decis.* 43. *Giurba cons.* 85. *nu.* 26. *apud Carenam;* Ità inſtrumenta ſortilegendi ſunt indicium torturandi eum, apud quem inventa fuerunt, dum mentem iudicis ità arctant, ut nihil aliud prudenter arguere poſſit, niſi quod illis uſus fuit ad eum effectum, ad quem fuerunt inſtituta.

4 Secundum indicium ſit aliquod ſignum, & ſtigma, quo alius ſignatus fuit in aliqua parte corporis, vel à Diabolo, vel per ſententiam iudicis. Ità *Binsfeld in l. fin. C. de malef. verſ.* 14. *cum aliis Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 182. Ille vocat levè indicium, *Delrius verò lib.* 5. *ſect.* 4. *num.* 28. *reiicit.* Cum iſtis ſtandum eſt, quandò ſignum eſt naturale, ſi verò artificiale inflictum pro ſimili crimine, ſine dubio facit ad torturam, quia ſemel malus in eodem genere mali, ſemper præſumitur malus.

5 Tertium indicium eſt va

repertum plenum hoſtiis, membris humanis, cœreis imaginibus. Ità *Torreblanca lib.* 5. *de Magìa cap.* 17. *numer.* 36. cum aliis Carena *num.* 194. Puto & hoc facere per ſe indicium ad torturam, cum alium finem non præſeferant, niſi ſortilegium.

6. Quartum, expoliatio Cadaverum in furca eſt indicium ad torturam contrà Sortilegum, nam his uti ſolent præſertim ad maleficia. Ità *Torreblanca lib.* 2. *de Magìa cap.* 36. *Carena num.* 196. Niſi allegaret ſpoliator ſuam paupertatem, & extremam neceſſitatem ad ſe cooperiendum veſtibus ſuſpenſi in furca, nam debilitaret indicium, ſi conſtaret de ejus quaſi extrema neceſſitate.

7 Quintum, collectio herbarum ſub nomine Felicis, qua utuntur malefici, facit indicium, collectarum in nocte S. Joannis Baptiſtæ, ex *Torreblanca lib.* 5. *de Magìa cap.* 17. *n.* 25. *Caren. n.* 196.

8 Sextum eſt, quandò quis ſe offert ad docendum alios incantationes, *Ludovicus Gilbauſen in arbore judic. crim. cap.* 6. *par.* 7. *ſect.* 2. *n.* 103. *Carena n.* 197.

9 Septimum, ſi ex tactu Sagæ ſubitò tactus moriatur, vel morbo incipiat vexari, quod cùm non poſſit tribui cauſæ naturali, quæ in tempore operatur, referendum eſt in Magum auxilio Dœmonis operantem. Ità *Joannes Zanger. de tortura cap.* 2. *num.* 100. *verſ. Eodem modo. Faber in codice Fabriano de malefic lib.* 9. *Delfin.* 2. *verſ Sed ſi quod plerũq; Caren n* 168.

10 Octavum indicium eſt mala fama Sortilegi, præſertim Maleficarum, & Sagarum, contrà quas eſt publica fama, quòd maleficia faciant. Sed illud ſolùm non ſufficere aſſerunt *Torreblanca lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 1. *& ſeq. Gilbauſen in Arbore judic. cap.* 6. *p.* 7. *ſect.* 2. *num.* 106. *verſ. Verum fama, Caſtropal. p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *p.* 16. §. 5. *num.* 2. *ex illis Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 202. nam eſt inditium valdè remotum, quod facilè propagatur contrà Sagas ob odium hominum contrà hujuſmodi Lamias, & Strigas, undè rumor poteſt eſſe fallax. De fama vide dicta *caſu* 53. *de blaſphem. à num.* 32. *ad* 45. *& caſu* 54. *num.* 19.

11 Nonum indicium eſt ſocietas in crimine. De ſocio criminis dixi *caſu* 53. *à num.* 71. *ad* 81. *& caſu* 54. *num.* 17.

12 Teſtimonium igitùr duarum Magarum, quæ deponunt ſe vidiſſe in conventu cum aliis Sagis, & Lamiis, perſonam denuntiatam, facit inditium ad torturam, ſi aliud non obſtat, quàm crimen ſocietatis, ut probavi *caſu* 53. *à num.* 75. Ità de duobus Sagis *Binsfeld. de confeſſ. Sagar. memb.* 2. *concl.* 6. *dub.* 2. *Delrius lib.* 5. *Append.* 2. *q* 8. *Valentia diſp.* 6 *q* 13. *p.* 4. § 3. *Pegna p.* 3. *Direct. com.* 110. *verſ. Si tamen duo. Contrarium ex Farin. q.* 185. *nu.* 153. §. *Quamvis, docet Carena p* 2. *tit.* 12. *nu.* 226. ea ratione, quia licèt quandoq; Sagæ reverà reperiantur in conventu cũ aliis, nihilominùs quandoque decipiuntur, & non ſunt in conventu, ubi putant ſe eſſe; ergò ex hac illatione colligi non poteſt ſufficiens,

13 & certum inditium ad torturam, quæ debent eſſe certa, & non dubia, neque æquivoca ex traditis *à Farin. q.* 37. *à num.* 6. Hìc duo ſpectantur: realis translatio perſonarum ad conventum, & præſentia realis perſonæ denuntiatæ, quæ reverà eſſe poſſunt ſine illuſio-

illuſione Dæmonis, & de hac veritate ſibi naturaliter nota, teſtari poſſunt, & ſic indicium non eſt dubium, nec æquivocum, cum ex diverſis circunſtantiis loci, temporis, locutionis, perſonarum &c. poſſint devenire in cognitionem ſe non eſſe phantaſmata, nec morari tunc in domo propria, ſed reverà eſſe alibi.

14 Audio tamen practicari contrarium, quòd ſcilicèt nulla fides adhibetur Sagis ſociis, dum præcisè deponunt, ſe ſciam vidiſſe in Conventu, niſi dicant de his, quæ viderunt antecedentèr circà præparationem ad eundum ad Conventum, undè nec ex earum depoſitionibus poteſt citari, & examinari. Ità *Simanch. de cathol. tit. 37. de Lamiis num. 14. Scaccia lib. 1. cap. 82. numer. 10. Caſtropal. p. 1. tract. 4. diſp. 8 p. 16. § 5. numer. 2. Diana part. 4. tract. 6. reſol. 30. cum aliis Carena num. 127.*

15 An dictum Dæmonis, & Energumeni faciant aliquale indicium contrà denuntiatum? R. Negativè, quia Dæmon loquendo per ſe, vel per Energumenum veritatem loqui non creditur, cum dicatur, & ſit pater mendacii, *ut dixi caſu 54. num. 61.*

16 An ſanguis fluens è cadavere defuncti ex maleficio, ſit inditium ſufficiens contrà Maleficum? R. Negativè juxtà dicta *caſu 53. num 82. & caſu 54. num. 25. Vide Carenam p. 2. tit. 12 § 22. à num. 186.*

17 Jactans ſe feciſſe ſortilegium, facit ſe Reum torturæ; confeſſio enim extrajudicialis eſt inditium ad torturam, ut probavi *caſu 53. num 31.* quia facit ſemiplenam probationem ſecundùm Pegnam *par. 3. com 110. verſ. Ergò præter. Giurba conſ. 87. num. 20. Carena num 259.*

18 Demùm negans uſum ſortilegii, probati per inſtrumentum repertum apud denuntiatum, torturandus eſt, quia contrà eum præſumitur uſus ex retentione inſtrumenti ſortilegi. Uſus autem videtur propriè conſiſtere in effectu, ad quem ordinatur, ut ſi traxit mulierem, ſi offenſus non fuit armis inimici, ſi movet cribrum &c. Præparatoria præcedunt unum, ut ſi dixit orationes ſuper cartulam ſacrilegam, ſi baptizavit magnetem, vel aliquid aliud, ſi fecit celebrare Miſſam ſuper cartulam, vel aliam rem, & poſteà uſus fuit.

# CAPUT X.

## De Citatione, & Examine Sortilegorum.

1  Ullus Sortilegus citandus eſt ad reſpõdendum, niſi prius fuerit denuntiatus, quod eſt commune omnibus Reis; undè antequam carceretur, Sortilegium denuntiatum, ſi aliquod ſignum, ſeù veſtigium poſt ſe reliquit, debet conſtare quoad corporis delictum, & per indicia probatum, ſaltem ut poſſit torturæ ſubjici, quandò interrogatus negaret delictum, de quo ſemiplenè ad minus conſtat, ne injuria fiat denuntiato. Id ſervatur in omnibus Tribunalibus, etiam in hoc. Vide Maſinium in ſuo Arſenali *par.* 7. *fol.* 175. *Carenam part.* 2. *tit.* 12. *num.* 205. & 206.

2 Probato ſortilegio ſufficientèr ſaltem in ordine ad torturam, carceratur perſona denuntiata, & ſtatim fit perquiſitio in ejus domo cum omni fidelitate, & diligentia, ſcribendo ea omnia, quæ faciunt: non ſolùm pro Fiſco contrà Reum, ſed etiam pro Reo contrà Fiſcum, ut juſtitiæ æquitas ſervetur, id notatur à Maſinio *cit. fol.* 176. *Carena num.* 207.

3 De probatione homicidii ex maleficio, dixi ſuprà *capit.* 6. *ſection.* 3. illuc remitto Lectorem.

CAPUT

# CAPUT XI.

## De Tortura Sortilegis danda.

1 PEtrus Binsfeldius, de confeſſione Maleficiorum, & Sagarum *membr.* 2. *concl.* 6. dicit apud *Carenam part.* 2. *tit.* 12. *nu.* 218. quòd Judex debet eſſe promptior ad torturam contrà Sortilegos, quia id generale eſt in omnibus delictis enormibus, & difficilis probationis, Doctores allegat Giurba *conſ.* 91. initio; in duobus autem caſibus Reus Sortilegus negans uſum ſortilegii, quod fuit ſemiplenè probatum, torturæ ſubjiciendus eſt ad eruendam ab eo veritatem, & ſuper intentione.

2 Reus igitùr de Sortilegio, negans ejus uſum, torturæ ſubjicitur, quia, ex quo Judex eſt benè informatus de hoc crimine ſemiprobato, legitimè arbitratur, eum eſſe mendacem, ideò jus habet torquendi illum, ut veritatem fateatur. Modus autem torturæ regulatur à qualitate indiciorum, quæ probant delictum ſortilegii. Ità *Genuenſ. cap.* 18. *numer.* 13. *& capit.* 68. *numer.* 12. *Verſ. Item ſervatur. Carena part.* 2. *tit.* 12. *numer.* 219. Vide *præced. capite num.* 18.

3 Tortura autem extendenda eſt etiam ſuper complicibus, cùm ſit ſortilegium unum ex criminibus exceptis *ex l. fin. C. de Malefic. & Matem.* Debet ergò Judex interrogare Reum ſuper complicibus, an aliquem habuerit ſocium in crimine confeſſo, vel convicto, neminem in particulari nominando. Ità *Farinac. quæſt.* 42. *num.* 67. *Binsfeld citat. Delrius lib* 5. *ſect.* 3. *Verſ. Secundum indicium; Genuenſis cap.* 18. *num.* 13. *& cap.* 68. *num.* 12. *§ Item ſervatur; Carena num.* 220. *&* 221. Quid ſi fateatur delictum, & neget complices, nunquid ſpecialitèr ſuper illis torquendus eſt?

4 R. Utique, ſi conſtat, illos habuiſſe in uſu ſortilegii; non enim eſt major ratio torquendi ſuper delicto, & non ſuper complicibus, quandò utrunque eſt æquè probatum in ordine ad torturam. Si verò nihil conſtat de complicibus, non eſt ulteriùs procedendum.

5 De Tortura Reis negantibus danda, dixi latiùs cap. 54. & de indiciis ad eam inferendam præter dicta hìc cap. 9. quamplura tradidi caſu 53. de Blaſphem.

6 Secundus caſus eſt, cum torquetur ſuper intentione. Certum enim eſt ex dictis ſuprà, præſertim ſub cap. 8. in omni ſortilegio dari ſuſpicionem hæreſis, propter invocationem, ſivè expreſſam, ſivè tacitam Dœmonis, propterea quandocumque Sortilegus eſt,

vel

vel confeſſus de hoc delicto, vel convictus, interrogandus eſt à Judice ſuper intentione, an ſcilicèt malè ſenſerit de fide, videlicèt, an crediderit licitum eſſe amicitiam habere cum Dœmone, petere ab eo auxilium, conſilium, adorare illum, an poſſit cogere voluntatem, an reſuſcitare mortuos &c. juxtà exigentiam ſortilegii; quòd ſi neget pravam intentionem, reſpondendo catholicè, adhuc nihilominùs torquendus eſt, cum Judex ſuam intentionem juridicè fundatam habeat, quòd hæreticè, non catholicè ſenſerit, ideò eam Judicis intentionem per torturam ex parte purgare debet. Ità *Zanardus part. 2. cap. 94. de tortura in cauſis fidei numer. 14. Genuenſ. capit. 18. num. 13. cap. 68. num. 12. Carena num. 225.* De Tortura ſuper intentione dixi *ſub caſu 54. quæſt. 29. num. 37.*

7 In duobus ergò caſibus datur Sortilegis tortura, primò, quandò negant delictum ſemiprobatum, ſecundò ſuper intentione, quandò jam plenè conſtat de delicto. Remanet difficultas, an, conſtito plenè de delicto, interrogandus ſit, an habeat pactum expreſſum cum Dœmone, ſeù an cum eo allocutus fuerit: & ſi neget, torturandus ſit?

8 R. Quandò ſortilegium non ſolet fieri niſi per pactum expreſſum, juxtà dicta cap. 4. ſection. 1. tunc Sortilegus convictus, vel confeſſus de ſortilegio probabiliter convicto, cum pacto expreſſo Dœmonis, interrogatus negans pactum, torquendus eſt, quia ſortilegio hujuſmodi conſtante, Judex acquirit jus torquendi illum, quem præſumit mendacem, dum talia ſortilegia non fiunt, niſi ex pacto expreſſo. Super pacto tacito non eſt interrogandus, quia ſequitur ad ipſum Sortilegium, nec ſpecialem malitiam inſinuat, ſicut pactum expreſſum, quod non contingit, niſi apoſtatando à Fide, ideò Judex ſpecialiter ſuper hoc procedit. De hac Apoſtaſia ex pacto expreſſo *Farinac. quæſt. 20. num. 77. Delrius lib. 2. quæſt. 4. cum illis Carena part. 2. tit. 12. numer. 137.*

9 Energumenus autem Sortilegus non torquetur, nec Saga prægnans ex dictis *caſu 54. num. 40. 47. & 48.*

Dubitatur verò, an tortura danda ſit Sortilego levitèr tantùm ſuſpecto de hæreſi, ſicut datur ſuſpecto vehementèr?

10 R. Negativè, quia per abjurationem ſufficienter illam ſuſpicionem purgat, ut probavi *caſu 54. quæſtion. 30. numer. 40.*

Quæres, an Sortilegium inventum apud Sortilegum, vel de ejus inventione apud ipſum convinctus, torturari poſſit circà ejus uſum, quandò negat illo ſe uſum fuiſſe.

11 R. Sortilegia (loquor de hæreticalibus) ſunt in duplici differentia. Alia ſunt experimentia virtutem ex ſola portatione v. gr. *Chi portarà addoſſo queſt' Orazione, non potrà eſſer offeſo da alcuno.* Alia præter portationem petunt lectionem, ſeù

ſeù recitationem, aut deglutionem, ſeù manducationem, v. g. *Chi mangierà queſt' Orazione, ſu la corda non confeſſarà*. In primo caſu videtur eſſe locus torturæ, quia portatio videtur de ſe inferre uſum, nihilominùs, ſi caſus non occurrit, quia à nemine fuit aggreſſus, non apparet uſus. In ſecundo caſu torturandus eſt, ſi ſcit legere ob rationem, quam adduxi *caſu* 54. *de Blaſphem. quæſt.* 32. *num.* 42. Reus autem debet probare ſe neſcire legere, quod comprobatur, ſi conſtat eum feciſſe legere literas ad ſe miſſas, vel aliquem librum, ut ſi quæſivit alias ab aliquo, quinam liber eſt iſte, aut ſi fecit pro ſe ſcribere, vel legere. Quandò extat apud ipſum carta manducanda, ſufficienter probatur non uſus illius ſecreti, dum carta cum oratione integra, & illæſa manet. In his caſibus non eſt torquendus, quia neſcientia, & manducatio probatæ per ipſum, arguunt non uſum.

CAPUT

# CAPUT XII.

## An, & qualitèr Sortilegus ſit ſuſpectus de hæreſi, & de ejus Abjuratione?

1 EX hactenùs dictis manifeſtè conſtat, in omni Sortilegio dari ſuſpicionem hæreſis, incertum verò eſt, an Sortilegus ſit vehementèr, an levitèr ſuſpectus de hæreſi, ideò Conſultores conſiderare debent qualitatem perſonæ, & circunſtantias delicti, ex quarum ſpeculatione ſuſpicio augetur, vel minuitur, ut docuit *Pegna p. 2. com. 8. verſ. Poſtremò unum hoc, & part. ead. com. 3. Genuenſ. cap. 18. num. 12. ex illis Carena p. 2. tit. 12. num. 241.* Conſultor autem ea ſolet colligere ex Summario ſibi tranſmiſſo, in quo qualitas perſonæ denuntiatæ, & circunſtantiæ delicti exponuntur.

2 Suſpicio autem hæreſis, quoad ſuum gradum judicandum, ſemper ſupponit probationem delicti, ex quo ipſa oritur, quandocunque ergò ſupponitur delictum probatum, vel quia Reus confeſſus eſt, vel convictus de crimine ſortilegii, Judices à Conſultoribus quærunt gradum ſuſpicionis, an Reus ſcilicèt ſit vehementèr, vel levitèr ſuſpectus de hæreſi. Supponitur ergò delictum probatum, non præſumptum, quia præſumptio non oritur ex alia præſumptione, ſed ex delicto conſtante, & certo, ut probavi *caſu 55. num. 8.*

3 Quandò egi de ſpeciebus ſuperſtitionis, & ſortilegii, in ſingulis capitibus, & eorum ſectionibus dixi, quænam ſortilegia arguant ſuſpicionem hæreſis vehementem, vel levem; hìc verò tradam quaſdam regulas generales ad diſcernendos Sortilegos vehementèr ſuſpectos de hæreſi, à ſuſpectis ſolùm levitèr.

4 Regula prima ſit. Qui probatur ſortilegium feciſſe cum expreſſa invocatione Dœmonis, eſt ſuſpectus vehementèr de hæreſi, quia ea invocatio ſapit manifeſtè hæreſim, juxtà dicta ſub *cap. 8. à num. 5. ad 35.* Itaque ille dicitur ſuſpectus vehementèr de hæreſi, qui probatur feciſſe ſortilegium manifeſtè ſapiens hæreſim. Patet autem ibidem illa ſortilegia ſapere manifeſtè hæreſim, quæ admixtam habent expreſſam Dœmonis invocationem, ſeù ejus pactum expreſſum. Item qui conficit ſortilegium ex rebus ſacris; nimirùm Sacramentis, Sacramentalibus, & aliis, de quibus latè ibidem. Vehemens ergò ſuſpicio in his colligitur ex pacto Dœmonis expreſſo, vel ex abuſu ſacrorum. Sortilegia ergò hæreſim ſapientia, inducunt vehementem ſuſpicionem contrà Sortilegum. Ità *Alphonſ. de Caſtro lib. 1. cap. 15. verſ. Ut autem hoc apertiùs Carena part. 2. tit. 12.*

num.

*num.* 242. *Genuenſ. cap.* 18. *num.* 11. *Zanard. part.* 2. *cap.* 64. *verſ. Tertiò ſortilegium. Diana part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 10. §. *Ideò dico.* Procedit regula, ſivè invocatio ſit ſinè cultu, ſivè cum cultu; nam ſuprà probatum fuit cap. 2. num. 11. invocationem Dœmonis ut ſic, eſſe actum honoris, etiam ſi verbis imperativis id fiat, ut ibidem probavi, & *cap.* 3. *ſect.* 3. *n.* 3. & *cap.* 8. *n* 8. Ità *Simanch. de catbol. inſtit. tit.* 21. *num.* 13. *cum aliis Diana cit. verſ. His tamen.*

5 Regula ſecunda eſt, ſortilegium proveniens ex pacto tacito Dœmonis ſinè abuſu rerum ſacrarum, cum ſit quidem hæreticale, ſed occultum, facit Reum ſuſpectum tantùm de levi, propter eam occultationem. Ità ſupracitati cum *Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 246. *Zanardus part.* 2. *cap.* 134. *verſ De levi verò.* Exempla habes ſortilegiorum ſimplicium hæreticalium ſub *cap.* 8. *à numer.* 36. uſque ad finem, ubi de Aſtrologo judiciario dixi eſſe ſuſpectum levitèr, ut notat etiam *Carena num.* 246. *verſ. Quia Aſtrologi, qui. num.* 254. ſubdit ex Zanardo, Aſtrologum, qui ſolùm dixit, aſtra inclinare, non eſſe cogendum ad abjurandum, quia hìc nulla videtur eſſe ſuſpicio erroris. Nihilominùs, quia per illud ſe reddidit ſuſpectum, interrogandus benè eſt ſuper credulitate, an credat aſtra poſſe immediatè in voluntatem; id enim aſſerere hæreticum eſt.

6 De abjuratione aliquid dicendum? Regula autem ſequens ſtatuitur: Suſpectus de hæreſi vehementèr, de vehementi quoque debet abjurare, de levi verò tenetur ad abjurandum de levi, quia à quantitate ſuſpicionis regulatur modus abjurationis. Ità præcitati. De abjuratione dixi latè ſub caſu 57. de Blaſphemia.

7 *Zanardus part.* 2. *capit.* 64. *verſ. Huic difficultati*, ait, ſuſpectos levitèr non eſſe cogendos ad abjurandum, cum ea ſuſpicio tolli poſſit per levem torturam, quæ dari debet ad purgandam eam ſuſpicionem. Probat, quia ſortilegium non hæreticale, non eſt factum de ſe hæreticum; ergò non inducit ſuſpicionem hæreſis, deindè licèt pactum tacitum Dœmonis reddat Sortilegum de hæreſi ſuſpectum levitèr, quia tamen ea ſuſpicio eſt remota, ideò per torturam tollitur.

8 Reſpondetur ad primum, omninò falſum eſſe dari ſortilegium non hæreticale, quia initio capit. 8. probavi omne ſortilegium eſſe hæreticale, & ſapere hæreſim ſi non manifeſtè, ſaltem occultè; ut ſunt illa, in quibus eſt pactum tacitum ſinè abuſu rerum ſacrarum. Ad ſecundum argumentum, nego pactum tacitum arguere ſuſpicionem remotam, cum illam regularitèr inducat, non poteſt non eſſe proxima, ſicut ejus cauſa. Deindè ſivè remota, ſivè proxima, melius conſulitur cauſa fidei indicendo Sortilego abjurationem, quia eſt actus corroborativus fidei, quàm imponendo torturam, quæ eſt tormentum præcisè corporale ad veritatem eruendam. Genuenſ. cum Carena *nu.* 253.

§. *Et licèt*, ait, practicari abjurationem, non torturam in Curia Neapolitana ab Urbe edocta. *Diana part. 4. tract. 7. resol. 10. vers. Huic difficultati*, ait secundùm stylum Inquisitionis Romanæ torqueri levitèr suspectos, & præterea abjurare; In Hispania non torquentur, sed tantùm abjurant.

An Sortilegium ad effectum illicitum urgeat suspicionem majorem hæresis, quàm factum ad effectum licitum? v. gr. ad inveniendum thesaurum, rem perditam, sanitatem &c.

9 Respondetur affirmativè, quia effectus licitus nulla ratione influit in suspicionem, cum res licita non nisi licitum arguere valeat. Effectus verò malus non nisi malam suspicionem inferre potest, ideò magis unum urget, quàm aliud. Confirmatur ex illo Sacri Evangelii Matth. 7. 17. *Omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit*. Magis ergò urget effectus illicitus in suspicionem hæresis, quàm bonus, seù indifferens.

CAPUT

# CAPUT XIII.

## De Sortilegio imperfecto.

1 Sortilegium imperfectum voco illud, quod ex pluribus partibus compositum, non absolvitur per omnes, sed tantùm inchoatur, v. g. Quis vult invenire furtum, præparat phialam aqua plenam, puerum tenentem candelam benedictam in manu accensam, verba proferenda sunt: *Angele Albe*, *Angele Sancte*, *&c.* Ex his quatuor perficitur, & completur sortilegium hoc, de quo *Barbatia lib. 1. conſ. 55. Decianus lib. 1. conſ. 55. Decianus lib. 5 cap. 17. Carena p. 2. tit. 12. num. 27. Farin. qu.* 2 *181. nu. 15.* est sapiens manifestè hæresim, cùm sit compositum ex invocatione expressa Dœmonis culti ut Sancti; dum enim proprio nomine non vocatur, præsumitur mali invocatio; prætereà adest abusus candelæ benedictæ, & accensæ, qua præsumitur honorari ille Angelus ignotus, nempè Dœmon.

3 In hoc capite igitùr quæritur, quid agendum cum denuntiato, contrà quem constat cæptum fuisse sortilegium præparatione phialæ, & candelæ, sed verba non fuerunt prolata? Dubitatur namque, an sortilegium ex ea parte, qua fuit inchoatum, sit indicium, quòd illud perfecerit, ac proindè sufficiens ad torturam, si denuntiatus neget illius complementum?

4 R. Affirmativè, quia, ut probatum fuit sub *cap. 9 num. 3.* si instrumenta faciendi sortilegia inventa apud aliquem, sunt indicia sufficientia ad torturandum eum, apud quem inventa sunt, si neget usum illorum, à fortiori una pars ejusdem sortilegii inchoati erit indicium, quòd Sortilegus aliam partem perfecerit; plus enim urget exercitium, quàm simplex inventio sinè exercitio. Confirmatur, quia connexa judicantur per ea, seù connectuntur, *Decius in cap. Quantò, de judic. num. 8.* eorum enim idem est judicium, cùm reputentur, 5 idem *Barb. Axiom. 51.* & principiata solent finiri, *arg cap. 1. 31. q. 2.* ibi, *quod cæptum est, perficere voluerit.* Urget ergò inchoatum executionem compleri. Ità *Carena p. 2. tit. 12. n. 232.*

# CAPUT XIV.

## De Pœnis contrà Sortilegos?

1 COntrà Sortilegos jure communi nulla reperitur cẽsura latæ ſententiæ, inquiunt Doctores cum Silveſtro *v. Superſtitio qu. ult. Alenſis 2 p. q. 164 nu. 5. Leſſius lib. 2 cap. 43 num. 29. Suar. tom. 1. de relig. cap. 19. de ſuperſt. num. 5. & 6. Bonac. de cenſ. in particulari diſp. 2. q. 2. part 38. nu. 22. Barb. ad cap. Si quis ariolos 26. q. 5. nu. 5.* quos pro ſe citat Theſaurus Societatis Jeſu *de pœnis Eccleſ. p. 2. v. Superſtitio num. 4.* qui tres caſus excipit, in quibus incurritur excommunicatio.

2 Primus ratione hæreſis adjunctæ; tunc enim Sortilegus, non qua Sortilegus, ſed quatenùs hæreticus eſt excommunicatus, ſicut cæteri hæretici in Bulla Cœnæ Domini.

3 Secundus eſt excommunicatus ſcientèr legens, ſeù retinens ſcripta, opera, tractatus, vel cartas aſtrologiæ judiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, & aliarum hujus generis divinationum, vel artis magicæ, aut in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, vel incantationes, nulli tamen reſervatur. Ità *Quaranta v libri, Bonac. ſuper Bullam Cœnæ diſp 1. q. 2. p. 4. num. 4. ex illis Theſaurus num. 4. § Secundus eſt. ex Bulla Sixti V. contrà Aſtrologos § 2. & 4.* ubi de cenſuris in Indice librorum prohibitorum; Excommunicatio autem in Indice fertur his verbis: *Quòd ſi quis libros hæreticorum, vel cujuſvis auctoris ſcripta hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque probibita legerit, ſivè habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat.* Scripta Aſtrologica veniunt ſub illis verbis: *ob falſi dogmatis ſuſpicionem*, nam doctrina de Aſtrologia judiciaria eſt falſum dogma.

4 Sed nunquid Rei ſunt hujus excommunicationis facientes aliquem actum Aſtrologiæ, nti nativitatem amici memoritèr ſinè libris?

Reſpondetur non, quia Index afficit excommunicatione ſolùm habentes, & legentes libros; non autem exercentes hanc artem; pœnæ enim tenent ſuos auctores, & non alios, de quibus non fit mentio in lege pœnali; certum autem eſt aliud eſſe retinere, ſeù legere, aliud facere.

5 Tertius caſus excommunicationis, cum aliis pœnis latis ab Urbano VIII. per ſuam Bullam 113. incip. *Inſcrutabilis*, ſub his verbis: *Omnibus, & quibuſcumque laicis, cujuſcumque ſexus, conditionis, ſtatus, gradus, qualitatis, & dignitatis Marchionalis, vel Ducalis exiſtentibus, qui de Statu Reipublicæ Chriſtianæ, vel*

6

*vel Sedis Apoſtolicæ, ſivè de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ejuſque uſque ad tertium gradum inclusivè Conſanguineorum, Mathematicos, Ariolos, Aruſpices, Vaticinatoresve nuncupatos, vel alios Aſtrologiam judiciariam exercentes, ſeù alios quomodolibet profitentes de cætero conſulverint, ſeù deſuper eorum judicia, pronoſtica, prædictiones, ſeù præcognitiones etiam ſibi oblatas receperint, illiſve quomodolibet uſi fuerint, vel illas penès ſe ſcientèr retinuerint, aut alicui oſtenderint. Nec non eiſdem Mathematicis, Ariolis, Aruſpicibus, Vaticinatoribus, ſivè aliis Aſtrologiam judiciariam, ſeù quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profiteri, qui judicia, pronoſtica, ſivè præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſſis, etiam ſi id certò non ſe affirmare proteſtentur, fecerint, ſivè à ſe, ſivè ab aliis jam facta, aut factos impoſterùm penès ſe ſimilitèr retinuerint, vel alicui dederint, ſeù oſtenderint, aut de jis quomodò etiam improbando ſcripto, vel verbis tractaverint, nedum excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ſed etiam uti læſæ majeſtatis Reis ultimi ſuplicii, ac confiſcationis omnium bonorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac devolutionis quarumcumque Civitatum, Caſtrorum, & locorum juriſdictionalium, & feudalium.*

6 *Clericis quoque, & Præsbyteris, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, tàm Sæcularibus, quam cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, ſeù Inſtituti, vel Militiarum quaruncumque etiam Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, aliiſque quomodolibet exemptis, ac Nobis, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectis Regularibus utriuſque ſexus, ultrà prædictas, etiam privationis beneficiorum, dignitatum, ac officiorum Eccleſiaſticorum, etiam Monaſteriorum, Prioratuum, Præceptoriarum, ac aliorum quarumcumque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa impoſterùm obtinenda. Ità quòd perſonæ Eccleſiaſticæ, prævia illarum degradatione, Curiæ ſæculari tradantur puniendæ. In Epiſcopali verò, Archiepiſcopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia etiam Superiori Eccleſiaſtica, vel mundana, quantumvis ſublimi excellente, & ſpeciali nota etiam ſuprema conſtitutas dignitate, eaſdem excommunicationis, ac privationis etiam regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum, quantumvis ampliſſimarum, & Patriarchali majorum, ac officiorum ſuorum, & inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrendas Apoſtolicæ auctoritate tenore præſentium inſligimus, & imponimus.*

7 Prohibentur ergò hìc judicia aſtrologica ſuper Statu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſivè ſuper vita, aut morte Romani Pontificis, ſeù conſanguineorum ejus uſque ad tertium gradum inclusivè, ſub pœna excommunicationis &c. latæ contrà ipſos Aſtrologos judicia hujuſmodi facientes, etiam ſolùm conjecturalitèr ea à ſe facta, vel ab aliis retinentes, & illis utentes, aut aliis oſtendentes.

Diffi-

8 Difficultates nonnullæ proponendæ ſunt, & reſolvendæ. *Prima*, an excommunicatio ſit reſervata. *Secunda*, an Pœnæ contrà Sæculares afficiant Reges, & Imperatorem, ac alios majores, quàm Duces? *Tertia*, an pœnæ contrà Eccleſiaſticos afficiant etiã Cardinales? *Quarta*, an Affines veniant hìc ſub nomine conſangnineorum Papæ? *Quinta*, an maleficium faciens in perſonam Papæ, ſeù conſanguineorum Reus ſit ejus Bullæ? *Sexta*, an pœnæ mortis, excommunicationis, & confiſcationis, ſint etiam contrà Eccleſiaſticos? *Septima*, an diſpoſitio hujus Bullæ faciat tantùm pro foro externo? *Octava*, an comprehendat facientes nativitates Papæ, vel ejus conſanguineorum? cùm prohibeatur ſolùm judicium vitæ, & mortis, quæ nativitatem ſequuntur. *Nona*, an Aſtrologus contrà hanc Bullam ſit vehementèr ſuſpectus de hæreſi?

9 Primæ reſpondetur, Excommunicationem in Bulla hac non reſervari; *Theſaurus* autem notat, fuiſſe reſervatam in Brevi Reformationis Sacræ Pœnitentiariæ, contrà inquirentes per medi. in ea Bulla expreſſa: quoad alios verò in eadem comprehenſos, non fuit reſervata abſolutio in eodem Brevi, ut refert *v. Superſtitio num.* 4. *§. Nota ſecundò.*

10 Secundæ, afficit ſolos Duces, non alios majores, quia ibi major dignitas expreſſa eſt *Ducales*, proindè afficit Duces, & alios minores in dignitate Laicali, non verò majores, proindè excluduntur Archiduces, Reges, & Imperator, item Magnus Dux Florentiæ propter notam illam ſpecialem.

11 Tertiæ. Quamvis Cardinales hoc nomine non exprimantur propter quandam modeſtiam, tamen ſub aliis verbis continentur, nempè ſub illis verbis: *Aut quacumque alia etiam Superiori Eccleſiaſtica, vel mundana, quantumvis ſublimi, & excellenti, & ſpeciali nota digni, etiam ſuprema conſtituti dignitate*. Poſtquàm enim nominavit dignitates Ordinarias, etiam Patriarchalem, ſubjunxit prælibatas majores, ſuperiores, & ſupremas, quæ non poſſunt eſſe niſi dignitates Cardinalitiæ, quæ in Eccleſia Dei ſunt ſupremæ, & ſuper alias, excepto Papatu, cum & ipſi ſuper alios poſſint ad hæc transferri ad ulteriora, cùm dignitas Cardinalatus ſit proxima diſpoſitio ad Papatum.

12 Quartæ, Affines non comprehenduntur ſub hac Bulla contrà Aſtrologos, quia diverſi ſunt à conſanguineis, ut notum eſt. Ità dicit Theſaurus *v. Superſtitio numer.* 4. *§. Nota, quòd, ſecundùm Joan. Andr. in capit. Sciunt cuncti, de elect. in 6. Speculat. tit. de Reſer. præſent. §. Ratione autem impetrantis Verſ. Quid de collateribus*, aſſerentes, in pœnalibus ſub nomine conſanguineorum non venire Affines.

13 Quintæ, faciens maleficium in perſonam Papæ, aut ejus conſanguineorum, non eſt Reus hujus Bullæ, quæ præcisè afficit meros Aſtrologos, & eos conſulentes; refertur ergò ad judicia, & præcognitiones, non ad maleficia.

Sextæ

14 Sextæ, Eccleſiaſtici verò etiam dignificati infrà Epiſcopatum, ſunt & ipſi excommunicati, tradendi Curiæ ſæculari ultrà confiſcationem bonorum, & privationem officiorum cum inhabilitate. Epiſcopali verò dignitate, ac majore præditi præter excommunicationem incurrunt privationem regiminis, & adminiſtrationis ſuarum Eccleſiarum, beneficiorum, & dignitatum, cum inhabilitate. Non verò cofiſcationem bonorum, nec traduntur Curiæ ſæculari; propter illorum venerandam dignitatem ordinis. Nulla fit mentio de reſervatione.

15 Septimæ, præſens Bulla tranſgreſſores afficit in utroque foro, quia modus prædicens contrà Eccleſiæ Paſtorem eſt valdè perniciosus, ut docet *Sanch. apud Salelles Reg. 115. num. 108.* ubi nominat hanc Bullam.

16 Octavæ, comprehendit facientes nativitates Papæ, ſeù ejus conſanguineorum, propter hoc enim potiſſimùm emanavit Bulla; Nativitates enim regulariter indicant totum curſum vitæ prognoſticati· Undè Hurtadus Minimus *p. 1. tract. 5 cap. 5. reſol. 37. fine*, ait, prohiberi nativitates etiam præcisè de inclinatione, & temperamento ſtabili, vel debili, & non tantùm de eventibus futuris liberis, & ità dicendum, quia hæc cognitio eſt via antecedens ad futuros eventus, & dirigitur ad limites vitæ, & mortis.

17 Nonæ, demùm reſpondetur, tranſgreſſorem hujus Bullæ Aſtrologum non eſſe ſuſpectum de hæreſi vehementèr, niſi ſuo judicio miſcuerit invocationem Dæmonis expreſſam, aut abuſum rerum ſacrarum, juxtà dicta cap. 12. num. 5.

18 Contrà Sortilegum maleficum occiſorem, inflixit pœnam mortis Gregorius XV. in ſua 46 incip. *Omnipotentis Dei*, ejus tenoris qui ſequitur. *Mandamus, ut conſtito, quòd aliquis pactum cum Dæmone fecerit, & à fide apoſtatando, maleficiis, ſivè ſortilegiis, unam, vel plures perſonas ità læſerit, ut ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam pro primo lapſu, Curiæ ſæculari tradatur, debitis pœnis puniendus. Qui verò ſimilitèr apoſtatando, pactum cum Diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, ſivè ſortilegium commiſerit, ex quo licèt mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, ſivè animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, ſivè perpetuis carceribus in Sancto Inquiſitionis Officio, ubi illud exiſtit, fabricandis, mancipari debeat. Qui verò ſimilium delinquentium notitiam habuerint, eos Epiſcopo, vel Inquiſitori denuntiare teneantur.*

19 Difficultates nonnullæ occurrunt ſuper hac Bulla. *Prima*, quot requiruntur conditiones, ut Maleficus necator tradatur Curiæ ſæculari morte puniendus? *Secunda*, an ex ſolis indiciis indubitatis tamen condemnari poſſit ad mortem? *Tertia*, an mandans ſit Reus mortis, ſicut qui fecit hoſtile ſortilegium? *Quarta*, an attentans maleficium mortiferum ſit Reus mortis? *Quinta*, an quandò conſtat de maleficio, & febre maligna ſubſequente, Sortilegus ſit Reus hujus Bullæ?

20 Primæ reſpondetur, ut quis

traditur

tradatur Curiæ sæculari morte plectendus, quatuor sunt probanda. *Primò*, debet constare de corpore delicti, nimirùm hominem esse mortuum. *Secundò*, quòd mors evenerit ex sortilegio, seù maleficio; nam agitur hìc de homicidio præcisè qualificato ex maleficio diabolico. *Tertiò*, debet constare de pacto expresso cum Dœmone. *Quartò*, quòd sic pacisçens defecerit à fide.

21 Suboritur hìc difficultas, an, probato sortilegio, intelligantur probata pactum expressum, & apostasia à fide. Credo, quòd non, quia sortilegium mortiferum potest fieri etiam ex pacto tacito, quandò quis ab alio homine instructus fuit ad necandum hominem, bonum esse tale secretum, nihil dicendo de ejus auctore, an fuerit Dœmon, quare cùm sortilegium hostile non habeat necessariam connexionem cum pacto expresso, nec cum apostasia, utrumque singularitèr probandum est. Constito autem de homicidio qualificato, judex habet jus legitimum torturandi Maleficum super pactum expressum, & apostasiam, quæ præsumuntur præcessisse sortilegium necatorium. Sed probato pacto cum Dœmone expresso, nunquid censetur probata apostasia? Non, quia pactum contingere potest sinè illa, licèt rarò, ideò Judex tunc habet pro se urgentissimum indicium, quod ex pacto expresso constante apostataverit à fide, ideò torturæ subjiciendus est. Vide *capit.* 3. *sect.* 2. *&* 3. de pactis cum Dœmone, & de illius invocatione.

22 Secundæ respondetur, Maleficus necator ex solis indiciis indubitatis condemnari potest ad mortem à supremo Tribunali, non verò ab aliis inferioribus. Quamvis enim textus hujus Bullæ loquatur indistinctè, & generalitèr per verba, *Ut constito*, quæ indicant quamlibet constantiam delicti, sivè per confessionem ipsius Rei, sivè per convictionem testium de visu delicti, sivè per indicia indubitata, quæ ità animum judicis arctant, & necessitant ad credendum delictum, ut quasi nequeat oppositum sentire; nihilominùs cum agatur de pœna mortis, quæ est ultimum terribilium, qua major sinè dubio inveniri non potest, ab omnibus judicibus non videtur inferenda, sed tantùm à Supremis, à quibus lex ipsa pœnalis dependet. Ità in terminis istis *Carena p. 2. tit. 12. num.* 264. ubi ait, Inquisitores debere istis imponere pœnas extraordinarias, quandò delictum clarè probatum non fuit, sed tantùm per indicia. Hanc autem responsionem colligit ex Doctoribus asserentibus, neminem ex solis indiciis, licèt indubitatis, condemnari ad mortem, nisi à Supremis Judicibus, non pro quolibet delicto quamvis gravissimo, sed tantùm respectu illorum, qui sunt difficilis probationis, inter quæ numeratur sortilegium, ut dixi *cap. 6. sect. 5. num.* 4. ab inferioribus verò plecti pœnis arbitrariis. Ità *Facbin. lib.* 1. *contr. jur. cap.* 29. *Cævalos in suis commun. q.* 337. *Joannes Matthiexz Jun. in Repet. cap. Afferte mihi gladium* 2. *de præsumpt. num.* 95. *ubi Barbosa num.* 7. *plures refert*, *Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 261. *ubi numer.* 263. refert alias auctoritates, probando eam distinctionem de supremis judici-

judicibus, quamvis præcitati cum *Farin. q.* 86. *num.* 110. *& Guazin. defenſ.* 33. *cap.* 14. *num.* 14. dicant, neminem eſſe condemnandum ad mortem ex indiciis indubitatis; varias tamen limitationes vide apud illos, nobis autem ſufficit ſcire, quòd Inquiſitoribus non licet tradere maleficum necatorem Curiæ ſeculari ex ſolis indiciis indubitatis.

23 Tertia difficultas diluitur, dicendo ſolùm necatorem, non verò mandantem fieri ſortilegium hoſtile, eſſe Reum pœnarum hujus Bullæ, quia in pœnalibus legibus latis contrà facientem, ut eſt præſens Bulla, ibi: *Qui pactum fecerit, læſerit*, non comprehenditur mandans, quia hic verè non dicitur facere, ſed tantùm jubere, & mandare, ut in
24 materia excommunicationis docent omnes cum Megalio *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 14. *Bonac. q.* 1. *p.* 6. *Theſaurus de pœnis p.* 1. *cap.* 10. §. *ſed quod de aliis pœnis*, *Farin. q.* 135. *num.* 96. *& ſequitur. Carena p.* 2. *tit.* 12 *num.* 267. intel-
25 lige, quando lex loquitur in perſonam, ut præſens Bulla, ſi verò loquatur in rem, afficit non ſolùm mandatarium perpetrantem delictum, ſed etiam mandantem illud, quia commune delictum utriuſq; dicitur, de qua diſtinctione legis loquentis in perſonam, ſeù rem, *Farin. q.* 135. *num.* 142. *& ſequent.*

26 Quartæ difficultati de attentante reſpondetur, propinantem venenum, ſeù pulverem ſortilegam dantem bibere, non eſſe Reum hujus Bullæ quo ad mortem, quia exigit expreſsè mortem ex maleficio, ut poſſit tradi Curiæ ſæculari. Ità *Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 290. qui quæſtionem, an puniendus ſit ultimo ſupplitio attentans delictum, ſicut ſi illud perfeciſſet? Attentatio autem delicti ſpectatur tripliciter. *Primò* attentatione cogitationis inchoatur delictum, qua ratione attentans non punitur niſi à ſolo Deo, quia cogitationis pœnam nemo patitur, ſcilicet ab homine *l.* 18. ff. *de pœnis relata cap.* 11. *diſt. de Pœnit.* Attentatio *ſecundò* fit per medium remotum, ut præparando neceſſaria ad mortem, tractatum faciendo &c. *Tertiò* fit attentario per medium proximum, quando propinatur venenum, vel ſortilegium, ſed non ſequitur mors. Aliquandò ſic attentans propinatione veneni, aut pulveris, punitur morte, interdùm non, juxtà diverſas circunſtantias, quæ occurrunt. Vide *Carenam à num.* 273. *ad* 294. *Farin. q.* 124. *Guazin. defens.* 33. *cap.* 24. qui rem fusè tractant.

27 Quintæ dico, veneficum eſſe Reum hujus Bullæ, quia cum febri ſortilegium, à quo ipſa eſt, influit in mortem, non minus, quàm ipſa febris originem trahens ab ipſo ſortilegio. Et facit Regula; cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati *l. & ſi* 9. *ff. ad legem Iul. de Adulter.* Confirmatur, quia inter duas cauſas concurrentes ad eundem effectum, magis attenditur ea, quæ eſt potentior, quàm minus potens; clarum autem eſt, eſſe cauſam mortis potentiorem ſortilegium, quàm febris maligna; ergò potius mors tribuenda eſt illi, quàm febri.

28 *Carena p.* 2. *tit.* 12. *num.* 257. ſentit oppoſitum, nimirum illum ſortilegum non eſſe Reum hujus Bullæ, quia mors tribuenda eſt

febri, uti cauſæ proximiori, non ſortilegio, quod eſt cauſa remotior, ad quod adducit Textum *l. Huic ſcripturæ. §. Si ſervus ff. ad leg. Aquil.* ubi conſtabat ſervum lætaliter vulneratũ,& poſt vulnus ſupervenit naufragiũ,& ibi dicitur,quòd nõ poteſt agi de occiſo cõtrà vulnerantẽ, quia ſervus præſumitur mortuus ex naufragio cauſa proxima.

29 Confirmat hoc ex duabus deciſ. 220. & 239. *Cavalerii*, ubi narratur, quod fuerat conſervata ſocietas ſuper periculo vitæ cujuſdam fœminæ, excepto caſu partus, mulier quinto menſe correpta fuit febre maligna cum morbillis, & die 13 critica fecit abortum cum effuſione magna ſanguinis, & poſt ſeptem horas mortua eſt. Rota decidit, quòd mulier mortua eſt ex abortu, uti ex cauſa proximiori, & quamvis dicat, quòd febris potuerit eſſe cauſa abortus, quia ut dicit Zachias in ſuis Quæſt. Medicolegal. *tit. 4. q. 4. num. 85.* febris acuta ſolet partum interimere, attamen Rota ait, quòd de hoc non eſt curandum, quia febris eſt cauſa æquivoca abortus; igitùr idem erit concludendum in caſu hoc, quòd ſcilicèt mors intelligitur cauſata à febre acuta, & maligna, cum ex ea, ut plurimùm, mors ſoleat ſubſequi, non ex maleficio, quod non probatur fuiſſe cauſâ febris, & illius cauſa eſſe non poteſt, niſi æquivoca. Hæc Carena.

30 Ad id impugnandum ſufficit probare, quod diximus, nimirùm ſortilegiũ de ſe influere in febrim, & ſimul cum illa cauſare mortem, conſequentèr ſortilegium non eſſe cauſam æquivocam, & incertam, ſed certam, & per ſe cauſantem febrim; probatur, quia Sortilegus hoſtilis vocatur veneficus, eò quòd per venenum necat homines, undè *Grillandus apud Delrium lib. 5. ſect. 2. verſ. Grillandus*, agnoſcit duos modos veneficandi, unum per intùs, dando cibum, vel potionem, vel per extra, ungendo corpora dormientium, cujus unctionis tanta vis eſt, ut virtus penetrando, vadit ad pœnetralia cordis maleficiati, & cauſat ingentes dolores, diſtemprando humores, generat mortem, quæ evenit ex antecedenti morbo, & infirmitate cauſata à 31 veneficio diabolico; venenum autem ex ſua natura cauſat febrim, cum generet intemperiem in toto corpore, corrumpendo diſpoſitiones vitæ, & tandem ſtatuito tempore cor invadens, mortem infert maleficiato *Mercurial. lib. 1. de venenis ca. 10. & 11.* venenum ergò diabolicum non eſt cauſa æquivoca, ſed certa de ſe productiva febris, & morbi ad inducendã mortem, neq; enim venenum ſtatim, & immediatè ſinè mora vadit ad cor, ſed paulatìm accedit diſpoſitiones vitæ, alterando, & inducendo ad pugnam contrà vitam.

An exemplum de ſervo vulnerato quidem, ſed mortuo ex naufragio, dico eſſe diſparem rationem, quia manifeſtum eſt, mortem eveniſſe tantùm ex naufragio, ideò nõ tenetur patronus vulnerans de homicidio, ſed tantùm de vulnere.

32 Sortilegus verò, qui mortem intendebat per ſuum veneficiũ diabolicũ, Reus eſt ſortilegii hoſtilis includentis febrim. Ex quo utroq; tanquàm cauſis unitis ſecuta fuit mors ſortilega. Mors ſervi poterat ſequi ex vulnere, prævenit naufragium, ex quo ſolo ſecuta fuit. Mors verò ex maleficio nõ poterat ſequi ex ſortilegio ſinè febri ex alteratione diſponente ad mortẽ, ideò mors in maleficiato ab utroq; cauſatur, non ſic in ſervo ſubmerſo in aquis, quæ illum ſuffocaverunt.

Ad

33 Ad confirmationem dico, ex quo febris acuta non fuit cauſa neceſſaria abortus, ſed tantùm æquivoca, quia aliundè potuit provenire, patet diſcrimen, quia potatum venenum, ſeù unctio diabolica de ſe diſtemperavit quatuor qualitatum concordiam, & ſic ad mortem reducitur maleficiatus, abortus verò non neceſſariò à præcedenti febri ortum habuit, ideò dicitur habere cauſam æquivocam, & dubiam; febris verò ex ſortilegio cauſam per ſe univocam, & certam. Demùm mors in abortiente provenit non ab abortu, quia abortus eſt cauſa æquivoca mortis, cum abortus contingat, ut plurimùm, ſinè morte prægnantis, cauſa verò certa mortis fuit illa febris acuta, ità
34 in caſu noſtro mors accipitur à priori cauſa, nempè ſortilegii, quæ non dicitur remota, ſed proxima, licèt alia cauſa ſequatur, cum qua cum operetur, ambæ appellandæ ſunt proxima concauſa ad productionem unius effectus.

35 Sortilegi ergò necatores hominum, etiam pro prima vice, traduntur Curiæ ſæculari. Alii verò, qui ſuo ſortilegio cauſarunt infirmitates, aut impotentiam generandi, vel damnum notabile in animalibus, vel fructibus perpetuis carceribus mancipantur, ſi id fecerint cum pacto expreſſo cum Dœmone, & apoſtaſia, ut patet ex verbis dictæ Bullæ, *Carena n.* 257. §. *Si verò.*

36 Pœnæ contrà alios Sortilegos ſunt arbitrariæ ad triremes per quinquenium, vel ſeptenium, *Zanardus p.* 1. *cap.* 5. *verſ. Quintò, & cap.* 64. §. *Ideò adverte. Delrius lib.* 5. *cap.* 16. *Carena num.* 257. §. *Si verò.*

37 Mulieres imò, & viri fuſtigantur, & mittuntur in exilium etiam perpetuum cum onere, ut ſe præſentent Inquiſitoribus loci, ubi exulant. Carcerantur quoque quod melius eſt, ne vagantes extrà inficiant in aliis Civitatibus, & locis ſuo pravo exemplo alios.

38 Qui autem perpetrarunt ſortilegia ſimplicia, pœnitentiis ſalutaribus, & aliquandò carcerantur per aliquot menſes, vel alia publica pœnitentia corripiuntur. *Ità Genuenſ. cap.* 68. *nu.* 8. *Zanard. p.* 2. *cap.* 134. *verſ. Tertiò differunt. Carena num.* 258.

39 Infamis non eſt Sortilegus hæreticalis, niſi poſt condemnationem, *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 9. *Suar. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 3. *&* 13. *Filiuc. tract.* 24. *n.* 197. conſequentèr irregulares cum aliis *Theſau. v. Superſtitio, num.* 5.

40 Sortilegus, & Mathematicus non tenentur reſtituere lucra, niſi finxerint ſe præſtare, quod ſciebant, ſe non poſſe facere decipiendo proximum. *Ità P. Navar. lib.* 2. *cap.* 2. *nu.* 113. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 96. *Layman. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 8. *Per l. Item, apud §. Si quis Aſtrologus ff. de injur. ubi Gloſa v. Non poteſt, ex Theſauro v. Superſtitio ad finem.*

# CAPUT XIII.

## De Judicibus Sortilegiorum.

1 CErtum eſt, Epiſcopum, & Inquiſitores eſſe Conjudices contrà Sortilegos, non ſolùm quandò eorũ crimen ſortilegii ſapit manifeſtè hæreſim, ſed etiam quandò non ſapit manifeſtè hæreſim, ſed tantùm occultè, quòd alii dicunt eſſe legitimos judices non ſolùm ſortilegiorum hæreticalium, ſed etiam ſimplicium, in quibus ſcilicèt Dœmon expreſsè non invocatur, nec in eis miſcentur res ſacræ.

2 Nam quoad ſortilegia manifeſtè hæreſim ſapientia, id decrevit primò Alexander IV. pro Minimorum Inquiſitoribus in partibus Italiæ, Bullam incip. *Quod ſuper*, extendit Vadingus *tom. 2. ad annum* 1258. quo data fuit, *ſub num. VIII.* regiſtratam in jure communi ſub *tit. de hæret. in 6. cap. Accuſatus* 8. §. *Sanè*.

3 Quo verò ad ſortilegia ſimplicia, quæ antè Sixtum V. erant mixti fori, ideſt, fori laicalis, & Epiſcopalis, ab ipſo ſubjecta fuerunt Epiſcopis, & Inquiſitoribus, ut videri poteſt in ejus Bulla 17. incip. *Cœli, & Terræ* § 3. Hæc cum de ſe planè conſtent, carent difficultate.

4 Dubitari tamen poteſt, an per hanc conceſſionem à Sixto V. factam, intelligantur excludi, & privari laici judices, quibus competebat jus cognoſcendi ſortilegia ſimplicia?

5 Verior ſententia eſt, per conceſſionem factam à Sixto V. anno Domini 1585. Nonis Januarii, Epiſcopis, & Inquiſitoribus, excluſos fuiſſe laicos judices, qui non poſſunt judicium ferre ſuper ſortilegia etiam ſimplicia, quia in his quoque arguitur ſuſpicio hæreſis, cum omne ſortilegium ſapiat hæreſim, vel manifeſtè, vel occultè, ut probavi cap. 8. *Ità citati à Diana part. 4. tract. 7. reſol. 10. initio*, *Carena part. 2. tit. 12. num. 147.*

6 Iſta ratio quòd ad ſortilegia ſimplicia ſapiant hæreſim ſaltem occultè, ac proindè ea Sixtus V. ſubjecerit Sancto Tribunali, videtur plus probare, quàm velit, quia ex ea ſequitur, anteà laicos non potuiſſe ſe intromittere in cognitione horum ſortilegiorum, quia cauſas fidei, vel ejuſdem ſuſpicionis judices laici cognoſcere non poſſunt, cum ſint merè ſpirituales; igitùr dicendum eſt, aut laicos judices fuiſſe uſurpatores hujus criminis, aut ſi fuerunt veri judices, ſortilegium ſimplex omnem excludere hæreſis ſuſpicionem; neutrum autem ſuſtineri poteſt, quia laici fuerunt competentes judices, ut omnes aſſerunt; ergò etiam nunc: verum quoque eſt, ſortilegia ſimplicia includere ſuſpicionem hæreſim.

7 R. Reverà nunc excludi judices laicos ob Bullam Sixti, qui hoc crimen ſortilegii etiam ſimplicis

plicis, ut eſt Aſtrologia judiciaria, omninò ſubjecit huic Tribunali privativè ad laicos. Nec objectio quicquam probat in contrarium, quia ſi Papa toleravit judices laicos in cauſa ſortilegiorum ſimplicium, non indè ſequitur, quòd velit eoſdem tolerare, cum in judicio ſortilegiorum ſimplicium quæratur ſuper intentione, & cogantur Rei abjurare, meritò carta hæc ſolis Eccleſiaſticis judicibus ſuppoſita fuit, quia quærere ſuper intentione, & abjurationem imponere ſpectat ad ſolos Eccleſiaſticos, cum ſint duo articuli merè ſpirituales.

8 Procedunt prædicta etiam in caſu dubio, an ſit ſortilegium hæreſim ſapiens, quia id decidere ſpectat ad Inquiſitorem ex *l. Titia ff. ſolut. matrim. Carena nu.* 148. Meo autem judicio, quandò conſtat, factum eſſe ſortilegium, clarum etiam eſt illud ſapere hæreſim ex ſupradictis.

9 Colligitur ex dictis, Reum inventum cum ſortilegiis apud judicem ſæcularem ab eo interrogari non poſſe, nec puniri in crimine ſortilegii, ſed illum eſſe conſignandum Inquiſitori, ut faciat cauſam, qua expedita, debet illum conſignare judici laico, ut poſſit ſuam cauſam proſequi. Vide citatos *à Carena à num.* 148. *ad* 157.

An Inquiſitores teneantur ſubminiſtrare ſcripturas, & indicia judici laico? Et è contrà Laicus Inquiſitori?

10 R. Laicus tenetur ſcripturas, & informationes petitas dare Inquiſitori, non verò hic illi, quia major non ſubjicitur minori. *Ità Maſinius p.* 10. *Aſſert.* 35. *Molina, & Seſſe apud Carenam par.* 2. *tit.* 12. *numer.* 168. *&* 169.

11 In quocunque autem ſortilegio judicando, ac proindè contrà Strigas, & Lamias, Inquiſitor cum Epiſcopo ſimul procedit, nam Sixtus V. loquitur copulativè. *Tàm Epiſcopi, quàm Inquiſitores diligentiùs inquirant, & procedant.* Illæ enim dictiones, *tàm*, & *quàm*, tribuunt facultatem æqualem utrique copulativè. *l. Sanctimus C. de Teſtam. Surd. conſ.* 217. *num.* 16. Per hoc cenſetur derogatum Bullæ Adriani VI. qui indulſit, ut ſoli Inquiſitores procederent contrà Lamias. *Vide Carenam num.* 170.

12 Sed occurrit dubitatio contrà prædicta, quia Sixtus V. non ſubjecit judicibus hujus Tribunalis omnia ſortilegia, ſed tantùm illa, quæ ſunt de Aſtrologia judiciaria; nam Bulla intitulatur contrà exercentes artem Aſtrologiæ judiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, libroſque legentes, vel tenentes; ergò alia ſortilegia, per quæ non divinatur, remanent, ut prius, mixti fori, conſequentèr ſortilegia inveniendi occulta, vel perdita, & vanæ obſervantiæ non pertinent ad Inquiſitores, quandò non ſapiunt manifeſtè hæreſim.

13 Objectio quidem urget, nihilominùs, quamvis Bulla emanaverit contrà divinatores principalitèr, Legislator univerſalitèr loquendo, comprehendit omnes ſpecies ſuperſtitionis, & ſortilegiorum etiam extrà divinationem, ut colligi poteſt ex illis verbis: *Quive hujuſmodi illicitas divinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, & veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera.* Licèt autem hæc omnia vocabula reſtringantur

gantur ad divinationem, ut quis poſſet non inſipientèr reſpondere, tamen ſcribentes poſt Bullam Sixti V. omnes aſſerunt, quæcumque ſortilegia etiam ſimplicia ſpectare modò ad Inquiſitores cum Epiſcopis, excluſis laicis judicibus, & ſunt Scortia, Azorius, Joſeph Seſſe, Torreblanca, Sanchez, Raphael de Turre, Nalius, Zanardus, quos citat *Diana p. 4. tract. 7. reſol.* 10.

14 Dices iterùm favore judicum laicorum, cum ſortilegium ſimplex non ſubjiciatur abjurationi, ſed per torturam evaneſcat quoad ſuſpicionem hæreſis, nihil prohibet, quin judex laicus poſſit punire Sortilegum ſuper ſortilegio ſimplici, quod abjurandum non eſt, ex ſua levitate ſuſpicionis hæreſis, quæ per torturam purgatur ſinè abjuratione, ut dicit *Zanardus par. 2. cap. 64. §. Huic difficultati.*

15 Sed ex ſupradictis patet opinionem Zanardi eſſe ſingularem, nèc habere ſufficientem probabilitatis rationem, quia patet ex *cap. Accuſatus 8. initio de hæret. in 6.* levitèr ſuſpectum de hæreſi abjurare, & ità ſervant omnia Tribunalia Italiæ, quæ ſequuntur Supremum Univerſalis Romanæ Inquiſitionis, quæ levitèr ſuſpectos torquet, & cogit abjurare, ut teſtatur *Diana p. 4. tract. 7. reſol.* 10. §. *Huic difficultati.* Ulteriùs concedamus, levitèr ſuſpectum non cogi ad abjurandum, ſed ſolùm ad torturam: nonnè reddit eadem difficultas, quòd laicus ſe intromittit in cauſis fidei, nam alio fine non torquet Sortilegum, niſi ut reverà ſciat, an ſit hæreticus, poſita ea ſuſpicione, ſuper qua fundatur ipſe judex ad torquendum ſortilegium.

CAPUT

# CAPUT XVI.

## An Sortilegi ſint denuntiandi?

1 CErtiſſimum eſt, omnes Sortilegos eſſe denuntiandos, prout expreſsè præcipitur in Edicto Sancti Officii, cujus verba ſunt hæc.

2 *In qualunque modo eſpreſſamente, ò tacitamente babbino invocato, ò invochino il Demonio, ò gli babbino preſtato fede, ò preſtino honore, ò babbino havuto parte, ò ſi ſiano ingeriti, ò s' ingeriſcono in qualſivoglia eſperimento di Magìa, ò Negromantìa, Incanteſmi, ò altre ſimili ſuperſtitioſe azioni, & maſſime abuſo di coſe ſacre.*

De obligatione denuntiandi plura dixi *caſu* 38. *de Blaſphem.* illuc remitto Lectorem.

3 Cùm nullum detur ſortilegium ex dictis, in quo non habeat locum pactum expreſſum, vel tacitum, ideò Legislator ſortilegiis prœmiſit Dœmonis invocationem. Quarè *primò* denuntiandi ſunt, qui Dœmonem invocarunt expreſſè, vel tacitè. *Secundò*, qui præſtiterunt cultum illi, & honorem. Ex his duobus videtur inferri poſſe, dari invocationem ſinè cultu, contrà ea, quæ diximus ſub *cap.* 2. *num.* 11. & *cap.* 3. *ſect.* 2. textus enim hìc diſtinguit invocationem ab honore.

4 Sed reſpondetur, invocationem diabolicam ſemper includere cultum, & honorem, ſi non externum genuflexionis, thuriſicationis &c. ſaltem internum ex affectu erga Dœmonem, quod eſt ipſamet ſubmiſſio, & ſubjectio in petendo auxilium; quæcumque ergò invocatio hìc prohibetur, ſivè per ſubjectionem, & actum internum expreſſum per ipſam invocationem primo modo, ſivè per honorem externum ſecundo modo, utrunque denuntiandum eſt.

5 Circà ſortilegia denuntianda obſervandum eſt, quòd hìc ſubjiciuntur denuntiationi omnes ſpecies ſortilegiorum, ſivè cum pacto expreſſo, ſivè cum pacto tacito factæ; licèt enim textus exprimat tria nomina ſortilegiorum, Magìam, Necromantìam, & Incantationes, tamen poſteà ſubjungit: *ò altre ſimili ſuperſtitioſe azioni*, volens inſinuare, comprehendi omnes ſpecies ſortilegii, quas nos diximus *cap.* 2. *num.* 6. eſſe quatuor, Divinationem, Magìam, Maleficium, & vanam obſervantiam.

6 Sed quid important illa verba? *Habbino parte, ò ſi ſiano ingeriti.* Habere partem in ſortilegio, eſt eſſe participem in verbo, ſi docuit, vel in facto, ſi dedit aliquid ad ſortilegiandum. Ingerere verò ſe, eſt facere ſortilegium. Habere igitùr partem, eſt cum alio concurrere ad faciendum ſortilegium, ingerere verò, eſt per ſe illud facere, primum refertur ad complicem, ſecundum accipitur abſolu-

absolutè, & solitariè. Ingerere se in aliquo negotio, est illud agere sinè licentia, cum ad eum non spectet, undè reddit se suspectum in actione sibi prohibita *Glos. v. solicitasse*, *cap. Per Inquisitionem* 26. *de elect.* Eundem sensum habet verbum intromittere, ubi non vocatur, aut agere non licet.

7 Notanda sunt illa verba, *massime con abuso di cose sacre*. Illa dictio, *maximè*, non restringitur ad sortilegia sapientia manifestè hæresim, juxtà quod dixi *cap.* 8. *denuntiationem*, sed tantùm vult insinuare, quòd cum majori diligentia denuntiandi sunt Sortilegi cum abusu rerum sacrarum, quàm illi, qui ea faciunt sinè abusu propter irreverentiam contrà res sacras factam. Non excluduntur sortilegia ergò simplicia à denuntiatione, quia dictio *maximè* stat ampliativè, & argumentativè *Barb. dict. hac* 197. *num.* 5. *Rodriq. tom.* 2. *q* 100. *art.* 2. *§. Circà*, ait, implicare casum magis dubitabilem.

Quid, & quales sint res sacræ, dixi latè casu 28. de Blasphemia.

8 Nonnullæ difficultates sunt proponendæ, & explicandæ. *Prima*, an denuntianda sit malefica, quæ habet malum nomen, ad quam multi currunt, sed non constat, nisi de superstitionibus simplicibus, & curationibus infirmitatum? *Secunda*, an denuntianda sit persona, quæ bona fide, & ex simplicitate facit sortilegia etiam cum abusu rerum sacrarum, quæ non putat esse mala, sed potiùs bona? *Tertia*, an denuntiandi sint reperti cum libris, & aliis signis continentibus sortilegia, quamvis ignoretur, an experti fuerint sortilegium. *Quarta*, an denuntiandi levitèr tantùm suspecti.

9 Primæ respondetur affirmativè, quia ut ex dictis sub num. 5. omnes species sortilegii subjiciuntur, per hoc edictum, huic Tribunali. Ità docent *Genuens. cap.* 18. *num.* 14. *ex eo Carena par.* 2. *tit.* 9. *num.* 32.

10 Secundæ, persona simplex ignorans, & bona fide faciens sortilegia, quæ putat esse res bonas, est admonenda, & docenda de his; Quod si non acquiescat, sed prosequatur sortilegia, sinè dubio denuntianda est, quia malitiosè deinceps agit, & reddit se suspectam de hæresi. Ità præcitati.

11 Tertiæ respondendum est, esse denuntiandos, quia libri, & signa apud eos reperta, sunt manifestum indicium, quòd sortilegia fecerint, nam ex illis probatur, judicè acquirere jus torturandi denuntiatos, ut dixi *cap.* 9. *num.* 3. *Genuensis tamen cap* 18. *num.* 12. ait, quòd non omnes detinentes libros prohibitos, possunt dici suspecti de hæresi, sed quòd justus judex arbitrabitur; nulla enim est suspicio, si retinens est probatæ vitæ, sicut de furto reperto apud hominem bonæ famæ, dicit *Bald. cum Imola in l. fin. ff. de hæred. instit.* neque suspectus est, qui nescit legere, qui eos habuit cum hæreditate, vel mercibus mixtos, si consignavit superioribus. Per hæc eliditur præsumptio, sed qui retinet sinè his circunstantiis, denuntiandus est, quia retentio est efficax argumentum probandi usum, & experimentum, maximè si diù retinuit apud se. Vide *casum* 54. *num.* 43. *& casum* 55. *num.*

55. *num.* 25. Confirmatur ex ſequenti.

Quartæ reſpondetur, quòd denuntiandus eſt levitèr tantùm ſuſpectus de hæreſi, ex facto ſortilegio triplici, cùm non ſolùm Sortilegus ex Sortilegio ſapiente manifeſtè hæreſim, ſed etiam occultè, ſit denuntiandus ex tenore hujus Edicti.

# CAPUT XVII.

## An Cingaræ ſubdantur huic Officio?

IN Italia iſtæ Ægyptiæ non denuntiantur, nec ab Inquiſitoribus puniuntur, dantes, ut ajunt, bonam venturam, quia ab omnibus petuntur potiùs joco, & curioſitate, quàm ut illis credant; ſunt enim potiùs malæ venturæ, quia ſunt furatrices, quàm bonæ, ſeù malæ fortunæ annuntiatrices. *Ita Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 164. Undè de illis ulteriùs agendum non eſt.

# INDEX.

## RERUM MEMORABILIUM.


### A

*A Djuratio pertinet ad Exorciſtam cap.* 3. *ſect.* 2. *num.* 4. *prolatum à Sortilego eſt deprecativum* 37.

*Affines non veniunt ſub nomine conſanguineorum in pœnalibus* 14. 12.

*Agens poteſt agere in diſtans ſecundùm Scotum* 4. *ſect.* 2. *num.* 11.

*Agnus Dei abuſus manifeſtat bæreſim in ſortilegiis* 8. 30.

*Alchimiæ inventio non eſt ſuperſtitioſa* 4. *ſect.* 6. *num.* 8.

*Angelorum varia nomina, & quis eis nomen impoſuit* 7. *ſect.* 3. *nu.* 6. 7. *&* 14.

*Angele Sancte, Angele Albe* 13. 2.

*Anima à Dæmone cogi non poteſt, ſed tantùm inclinari* 3. *ſect.* 1. *num.* 4.

*Annulus ſponſalis ſortilegium reddit bæreticale* 8. 44.

*Antecedente probibito, & conſequente* 4. *ſect.* 3. 18.

*Aqua benedicta multas habet virtutes* 7. *ſect.* 2. *num.* 14. *&* 19. *manifeſtat bæreſim in ſortilegiis* 8. 22.

*Aqua cum vino in Urceolis manifeſtat bæreſim in ſortilegiis* 8. 15.

*Aquarum inventio per virgulas non eſt ſuperſtitio* 4. *ſect.* 6. *num.* 7.

*Ars notoria vana obſervantia* 7. *ſect.* 1.

*Aſtrologia quid, & quotuplex* 4. *ſect.* 3. *probibita jure naturæ, ut dicit certam cognitionem n.* 5. *eſt ſimplex ſortilegium* 8. 43. *eſt levitèr ſuſpectus de bæreſi* 12 5.

B

*Beatificatio, & Canonizatio quot modis fiat* 1. 10.

*Bibliæ ſacræ abuſus manifeſtat hæreſim in ſortilegiis* 8. 26.

*Brevia collo appenſa* 7. *ſect.* 3.

*Breviarii abuſus manifeſtat hæreſim in ſortilegiis* 8. 26.

C

*Calix utrunque notat teſtamentum* 3. *ſect.* 3. 14. *ejus abuſus manifeſtat hæreſim in ſortilegiis* 8. 31.

*Candelarum altaris abuſus* 8. 31.

*Cauſa agens per ſe, & directè, fortior alia agente indirectè* 4. *ſect.* 3. 16. *in dubio an ſit ſuperſtitioſa, an naturalis, reſolvitur naturalis* 5. 9. *cap.* 7. *ſect.* 2. 6. *cauſa potentior attenditur* 14. 27. *duæ cauſæ poſſunt dici æquè proximæ* 14. 34.

*Celebrans nondùm Sacerdos, facit actum ſuperſtitioſum ſubjectum Inquiſitori* 1. 14. *ſortilegium eſt celebrare miſſas mortuorum pro vivis, ut citiùs moriantur* 8. 16.

*Chiromantia ſortilegium ſimplex* 8. 37.

*Citatio ſortilegiorum quandò fiat* 10.

*Confeſſio extrajudicialis inditium ad torturam* 9. 17.

*Cognitio triplex, Certa, Probabilis, & Conjectatio* 4. *ſect.* 3. *n.* 6.

*Comedere volumen, eſt illud diſcere* 7. *ſect.* 2. *num.* 23.

*Corporalium abuſus manifeſtat hæreſim* 8. 17. & 31.

*Corpus delicti in primis probandum eſt* 6. *ſect.* 5. *num.* 1.

*Cribri ſortilegium cap.* 4. *ſect.* 6. *num.* 9.

*Crucis abuſus manifeſtat hæreſim in ſortilegiis* 8. 29.

*Cultus politicus, & civilis quid ſit* 3. *ſect.* 2. 24. *cur non datur Diabolo ibid. cultus exhibetur perſonæ ob ejus excellentiam* 25. *Cultus non eſt, ubi verum imperium, & objurgatio* 28.

*Curioſitas pugnat cum temperantia, curioſus eſt indoctus* 4. 3. *excuſat à certis actibus ſuperſtitioſis* 5. 6.

D

*Dæmonis invocatio quid, & quotuplex, cap.* 3. *ſect.* 2. *per totum. Dæmonis poteſtas, ad quæ ſe extendat, cap.* 3. *ſect.* 1. *de pactis cum Dæmone cap.* 3. *ſect.* 3.

*Dæmon de futuris contingentibus habet tantùm cognitionem conjecturalem* 4 6. *ejus proprium eſt tentare, ſed non cogere* 6. *ſect.* 3. *num.* 4. *cur petit ſignum, ut operetur ſortilegium* 6. *ſect.* 7. *num.* 4. *expreſſa Dæmonis invocatio facit, ſortilegium ſapere manifeſtam hæreſim* 8. 5. *ad* 12. *alligatus in vaſe ſortilegium hæreticale* 8. 34. *nomina Dæmonũ* 8 41.

*Dies fauſti, & infauſti* 7. *ſect.* 4. 1. *ejus ſpecies ex pacto expreſſo ſunt novem. Species divinationis ex pacto tacito ſect.* 2. *divinatio ex aſtris ſect.* 3. *per ſortes ſect.* 4.

*Dulia, non latria honorantur Sancti* 1. 12.

E

*Edictum S Officii quoad ſuperſtitionem explicatur* 16.

*Effectus naturales, & ſuperſtitioſi quomodò cognoſcantur* 5. 8.

*Epiſcopi cum Inquiſitoribus procedunt contrà omnes Sortilegos* 15.

*Exorciſta imperat Dæmoni ad exeundum ad non nocendum cap.* 3. *ſect.* 2. *nu.* 4. *rogare non poteſt, ut exeat nu.* 5.

F

*Feſtucarum uſus eſt ſortilegium ſimplex* 8. 37.

*Faris inventio ſuperſtitioſa per cribrum* 4. *ſect.* 6. *num.* 9.

G

*Gregorii XV. Bulla contrà Maleficos homicidiarios* 14. 18.

H

*Hæreſis ſuſpectus eſt diſcordans ab Eccleſia Romana* 1. 13. *qui diſcedit*

*dit à communi conversatione fidelium* 1. 13.
*Honor Latriæ, Duliæ, & Civilis* 3. *sect.* 3. 7.
*Hostia, super quam non fuit celebratum, manifestat hæresim in sortilegio* 8. 14. *&* 15. *duplex alia spiritualis, alia profana* 7. *sect.* 2. 24. *illis sigillare literas non est sortilegium* 25.

I

*IDolatria quid, & quomodò committatur* 1. 17. *ad* 22. *inest omnibus sortilegiis* 2. 7. *& tribus modis committitur* 2. 8.
*Idolum aliud est ab imagine* 1. 17.
*Imago aliud ab Idolo* 1. 17. *Sanctorum abusus manifestat hæresim in sortilegiis* 8. 29. *Imago circà profana sortilegium simplex* 8. 38.
*Indicia ad probanda sortilegia* 9. 2.
*Infirmis sanitas impetratur orationibus* 7. *sect.* 2. 7. 8. *&* 16. *non est sortilegium* 8. 33.
*Infamis non est Sortilegus* 14. 39.
*Ingerere se, quid importet* 16. 6.
*Inimicus inimico nisi reconciliato non benefacit* 3. *sect.* 2. 30.
*Inquisitores cum Episcopis procedunt contrà omnes Sortilegos* 15.
*Invocatio Dæmonis involvit cultum latriæ* 2. 11. *facta etiam per modum imperii* 2. 12. *cap.* 3. *sect.* 2. *Per se est actus bonoris* 18. *est à minori ad majorem* 19. *Invocatio inter homines non est cultus* 20. *qualitèr suspectus de hæresi* 29. *expressa arguit manifestè hæresim* 34.
*Inventio rerum occultarum superstitiosa* 4. *sect.* 6.
*Jocus non excusat à superstitione* 5. 6.

L

*LAmiæ quid sint* 6. *sect.* 4 2.
*Lex loquens in rem, & personam* 14. 25.
*Libri sortilegiorum probant sortilegium* 9. 3. *cap.* 16. 11. *& quandò ejus usum melius cap.* 11. *num.* 11.

M

*MAgia quid sit* 5.
*Maleficium quid* 6. *Duplex veneficium sect.* 1. *& Amatorium sect.* 2. *Maleficium solvendum, sed non alio maleficio sect.* 3. *quomodo probatur sect.* 5. *de pœnis occidentis maleficio* 14.
*Mandans sortilegium mortiferum, non est Reus pœnarum, facientes illud* 14. 23. *undè nec ligatur censuris latis contrà facientes* 24.
*Matrimonii abusus in sortilegio* 8. 44.
Maximè *est dictio implicatoria, & augmentativa* 16. 7.
*Mederi non applicato remedio sortilegium* 7. *sect.* 2. 10. *cap.* 8. 39.
*Medicus testatur de maleficio cum juramento* 6. *sect.* 5. 7.
*Miracula falsa non debent prædicari* 1. 7.
*Miscere sacra profanis non licet* 1. 6.
*Misericordiæ opera numerantur* 8. 25.
*Missalis abusus manifestat hæresim in sortilegio* 8. 27.
*Mortuos fingunt Magi resuscitare capite deorsum* 3. *sect.* 1. 5. *banc potestatem Dæmon non habet* 9. *& cap.* 5. 7.

N

*NAtivitates etiam conjecturales probibentur* 4. *sect.* 3. 9. *etiam præcedentes supputationes* 17.
*Nominibus sacris abutens, manifestat hæresim* 8. 27. *ignota arguunt simplex sortilegium* 41.

O

*OBservantia vana species superstitionis* 7.
*Observantia virtus est subditorum erga superiores* 3. *sect.* 2. 24.
*Orationes recitare in colligendis herbis nulla superstitio* 7. *sect.* 2. 7. *&* 8. *abutens manifestat hæresim* 8. 27. *orationes prosunt animæ, & corpori* 7. *sect.* 2. 18.
*Ossa mortuorum sortilegium simplex* 8. 40.

P

*Pactum cum Dœmone duplex 3. sect. 3. excludi non potest à sortilegio 9. expressum, & tacitum ejusdem speciei 11. expressum arguit manifestam hæresim 3. sect. 2. 34. tacitum levem 36.*

*Panis benedictus manifestat hæresim in sortilegio 8. 23.*

*Partem habere in sortilegiis 16. 6.*

*Pœnæ contrà Astrologos, & Sortilegos 14.*

*Pietas est filiorum in parentes 3. sect. 2. 14.*

*Principiata solent finiri ab eodem 13. 5.*

*Probatio sortilegiorum fit tribus modis 9. 1.*

*Prohibito uno, & ea, per quæ pervenitur ad illud 4. sect. 3. 18. prohibito consequente, & antecedente, ibid.*

*Protestatio, quòd non vult uti medio quo Diabolico, non relevat 3. sect. 2. 5. cap. 4. sect. 2. 2. cap. 5. num. 4.*

R

*Reliquiæ nondùm beatorum non venerantur 1. 8. 9. ubi Bulla explicatur. Abusus earum manifestat hæresim 8. 30.*

S

*Sacra profanis miscere non licet 1. 6.*

*Sacerdotalium vestium abusus manifestat hæresim 8. 31.*

*Sacramentorum abusus hæreticale sortilegium 8. 13. mutare eorum formas, & materias infert suspicionẽ hæresis 1. 13.*

*Sacramentalium abusus manifestat hæresim 8. 19. numerantur 8. 20. ad 27. prosunt animæ, & corpori 7. sect. 2. 19.*

*Samuel non à Saga, sed à Deo resuscitatus 3. sect. 1. 5.*

*Sanitas adjuvatur orationibus 8. 32.*

*Scongiurare ad aliquid malum est sortilegium 3. sect. 2. 37.*

*Signa, quibus abutitur Sortilegus, sunt in duplici differentia 4. sect. 2. 2.*

*Somnium pro divinatione 4. sect. 5.*

*Sortilegium quid, & quotuplex 2. ejus species sunt quinque 2. 6. conjunctum semper cum idolatria 2. 7. omne est hæreticale 8. simplex hæreticale ex pacto tacito 8. 4. quod simplex 36.*

*Sortilegium quomodò probetur 9. cæptum an habeatur pro finito 13. Sortilegium necativum semper causat febrim 14. 30. tur Dœmon adhibet in eo instrumentum 7. sect. 2. de ejus usu, quandò cognoscatur 11. 11. Probanda ejus qualitas, cap. 4. sect. 6. num. 11.*

*Sortilegus est petens à Dœmone, quod ejus vires non excedit 3. sect. 1. 12. sect. 2. de ejus suspicione 12.*

*Sortes quænam licitæ 4. sect. 4.*

*Strigæ quænam sint 6. sect. 4.*

*Superstitio quid, & quotuplex 1. ejus quinque species 1. 16.*

*Suspectus de hæresi omnis Sortilegus, & quomodò abjurat 12.*

T

*Tam, & quàm, æqualitèr copulant 15. 11.*

*Tempus centum annorum est longissimum 1. 11.*

*Thesaurus quid, & cujus sit, an superstitiosa inventio 4. sect. 6.*

*Tortura non datur ex indiciis æquivocis q. 13. de tortura danda Sortilegiis 11.*

V

*Vana observantia in sortilegiis 6. sect. 7.*

*Urbani VIII. Bulla contrà Astrologos 14. 5. & 6.*

*Veneficium, quod 6. sect. 1.*

*Venenum semper causat febrim 14. 31.*

*Vestes Sacerdotales ex abusu manifestant hæresim 8. 31.*

*Vinum, & panis præparata pro Sacrificio Missæ, manifestant hæresim in sortilegio 8. 15.*

REVERENDISSIMI

PATRIS

# FRANCISCI BORDONI

DE

# LEGATIS.

# LECTORI

DE

# BORDONI

# FRANCISCI

PATRIS

REVERENDISSIMI

# INDEX
## CAPITUM, ET QUÆSTIONUM
# DE LEGATIS.

Prior numerus dat Paginam, posterior dat Columnam.

## CAPUT PRIMUM.

### De Legatis in Genere.


*SUMMARIUM.* pag. 411. 1.

1 *Quid sit legatum? Et an pars testamenti.* 414. 1.
2 *Quotuplex sit legatum.* 414. 2.
3 *Quid sit legatum purum.* 414. 2.
4 *Quid sit legatum conditionale.* 414. 2.
5 *Quid sit legatum modale.* 415. 2.
6 *Quid sit legatum in diem.* 416. 2.
7 *Quid sit legatum perpetuum, & ad tempus.* 416. 2.
8 *Quid sit legatum annum.* 417. 1.
9 *Quid sit legatum Pium, & Profanum.* 417. 1.
10 *An legatarius immediatè succedat testatori.* 417. 1.
11 *An legatum sit capiendum de manu hæredis.* 417. 2.
12 *Quandonam acquiratur dominium legati.* 418. 1.
13 *Quandonam acquiratur dominium legati puri.* 418. 2.
14 *Quandonam acquiratur dominium in legatis conditionalibus.* 418. 2.
15 *Quandonam acquiratur dominium legati in diem.* 419. 1.
16 *Quandonam acquiratur dominium legati modalis.* 420. 1.
17 *An, & quando legatarius transmittat legatum ad suos hæredes.* 420. 1.
18 *Quo titulo dominium legati transeat in legatarium.* 420 2.
19 *An testator possit continuare possessionem rei relictæ in legatario, & in hærede.* 420. 2.
20 *An Falcidia, & Trebelliancia detrabatur ex legatis.* 422. 2.
21 *An Falcidia detrabatur ex causa pia instituta.* 422. 2.
22 *An qui adit hæreditatem dicatur contrahere cum legatariis.* 422. 2.
23 *An pignus, & hypothetica habeat locũ in legatis.* 423. 1.
24 *An legatarius uti possit Salviano.* 423. 1.
25 *An actione executiva possit petere legatum.* 423. 2.
26 *An possit præsumi legatum duplicatum in eadem dispositione.* 423. 2.
27 *Cuinam dandum sit legatum factum habentibus idem nomen.* 424. 2.
28 *An valeat legatum de rebus incertis.* 425. 1.
29 *Cujusnam sit electio speciei incertæ* 425. 2.
30 *An detur res minoris valoris in legatis.* 425. 2.
31 *De interpretatione mentis testatoris in legatis.* 427. 2.
32 *An testator magis diligat institutum, quàm legatarium.* 427. 2.
33 *An valeat legatum de re aliena.* 429. 1.
34 *An valeat legatum à debitore suo creditori.* 429. 2.
35 *An nomine vestium legatarum veniat cæsa, sed non suta.* 429. 2.
36 *Quid sit legatum alimentorum.* 429. 2.

37 *An valeat legatum omnium bonorum fructuum tantùm.* 430. 1.

38 *Quale sit legatum uxori factum relictæ usufructuariæ omniũ bonorũ.* 430. 1.

39 *An Usufructuarius legatarius possit cædere arbores.* 430. 1.

40 *An Usufructuarius omnium bonorum teneatur solvere debita testatoris.* 430 2.

41 *Ad quemnam spectet solvere legata.* 430. 2.

42 *An legatarius omnium fructuum teneatur ad tributa.* 430. 2.

43 *Quibus actionibus legatarius petat legatum.* 430. 2.

44 *A quo tempore legatarius incipiat habere jus ad fructus sui legati.* 431. 1.

45 *Cuinam pereat legatum, bæredi, an legatario.* 432. 1.

46 *An repudiari possit legatum.* 432. 1.

47 *An bæres teneatur ultrà vires solvere legata.* 432. 2.

48 *An legatum speciale deroget generali.* 432. 2.

49 *An valeãt legata incertis personis facta? Et quãdo eis acquirãtur.* 433. 1.

50 *An legatarius dicatur bæres respectu sui legati.* 433. 1.

51 *Quid commodi importet dos prælegata.* 434 2.

52 *An falsa demonstratio vitiet legatum.* 435 2.

53 *An pro Emphiteusi legata solvatur laudemium.* 435.

54 *An legatum centum dandum filiis N. sic dividendum.* 435. 2.

55 *An primo bærede non solvente teneantur successores.* 435. 2.

56 *An legatum singulo anno exequendum sit perpetuum.* 435. 2.


# CAPUT SECUNDUM.
## Quinam possint facere Legata?


*Caret Quæstionibus.* pag. 436. 1.


# CAPUT TERTIUM.
## De Capacibus Legatorum.

*SUMMARIUM.* pag. 437 1.


1 *An illegitimus sit capax legati.* 438. 1.

2 *An Concubina, & meretrix sint capaces legati.* 439. 1.

3 *An bannitus sit capax legati.* 439. 2.

4 *An Servus sit capax legati.* 439. 2.

5 *An deportatus, & relegatus.* 440. 1.

6 *An excommunicatus ratione censuræ sit capax legati.* 440. 1.

7 *An insecutor Cardinalis.* 440. 2.

8 *An hæretico relinqui possit legaeum.* 440. 2.

9 *An reus criminis læsę majestatis sit capax legati.* 442. 2.

10 *An usurario relinqui possit legatum.* 442. 2.

11 *An legatarius occidens suum testatorem perdat legatum.* 442. 2.

12 *An cõmunitas sit capax legati.* 443. 1.

13 *An quælibet Retigio sit capax legati.* 443. 1.

14 *An S. Franciscus fecerit suos alumnos incapaces legatorum.* 444. 1.

15 *An Religiosi singulariter spectati sint capaces legatorum.* 445. 2.

16 *An legata sub certis clausulis relicta Religiosis valeant.* 446. 1.

17 *An Novitius sit capax legati.* 446. 1.

18 *An Fratres Tertii Ordinis sint capaces legatorum.* 446. 1.

19 *An Sorores Tertiariæ viventes in propriis domibus sint capaces legati, si mo-*

*ſi monacabitur.* 447. 1.
20 *An legatum relictum nubenti debeatur profitenti* 447. 2.
21 *An legatum pro maritandis puellis incertis detur volentibus ingredi Religionem.* 449. 1.
22 *An legatum mille pro nuptiis detur profitenti, cui fuerant aſſignata tantùm quinque centum pro profeſſione.* 450. 1.
23 *An dicta pro Religioſis habeant locum in Clericis.* 450. 2.
24 *An Clericus legatarius acquirat legatum, ſi profiteatur.* 450. 2.
25 *An hoſpitale ſit capax legatorũ.* 451. 1.
26 *An legatum relictum pro ingreſſu acquiratur nubenti.* 451. 2.

# CAPUT QUARTUM.

## De Legatis piis.

*SUMMARIUM.* pag. 431. 2.

1 *Quid ſit legatum pium.* 452. 2.
2 *Qualis debeat eſſe Eccleſia, cui relinquitur legatum pium.* 452. 2.
3 *An relictum Monaſterio ſit piũ.* 452. 2.
4 *An relictum pio loco ſit pium.* 453. 1.
5 *An relictum Hoſpitali ſit pium.* 453. 1.
6 *An relictũ Confraternitatibus.* 453. 1.
7 *An relictum pauperibus ſit pium.* 453. 1.
8 *Quænam verba teſtatoris indicent legatum eſſe pium.* 453. 2.
9 *Qualis debeat eſſe pauper, ut legatum ei relictum dicatur pium.* 454. 1.
10 *Quinam veniant ſub nomine Pauperum.* 454. 2.
11 *An factum pauperibus incertis ſit diſtribuendum pauperioribus.* 454. 2.
12 *An in dubio loci veniant pauperes loci teſtatoris.* 454. 2.
13 *An carentibus conditionibus requiſitis liceat dare legatum.* 455. 1.
14 *An relictum incertis pauperibus dari poſſit loco pio.* 455. 1.
15 *An dari poſſit Monaſterio.* 455. 2.
16 *An pluribus diſtribuendum dari poſſit unitantùm pauperi.* 455. 2.
17 *An diſtributor poſſit ſe connumerare inter pauperes.* 455. 2.
18 *An Religioſus diſtributor poſſit ſe cum pauperibus connumerare.* 456. 1.
19 *In dubio legati profani, ſeù pii quid reſolvendum.* 456. 1.
20 *An favendum ſit magis legatariis, quàm hæredi.* 456. 1.
21 *An pia cauſa in generali probibitione contineatur.* 456. 1.
22 *An in legatis piis præſumi poſſit aliqua fraus.* 456. 1.
23 *An legatum proſepultura, & exequiis ſit pium.* 456. 2.
24 *An legatum relictum ſeminario ſit pium.* 456. 2.
25 *An relictum pro ſtudio ſit pium.* 456. 2.
26 *An relictum pro doctoratu ſit pium.* 456. 2.
27 *An legatum pro patrimonio Subdiaconi ſit pium.* 457. 1.
28 *An legatum pro lectura ſit pium.* 458. 2
29 *An legatum pro volente ſtudere ſit pium.* 457. 1
30 *An relictum pro alimentis ſit pium* 407. 2.
31 *An legatum librorum ſit pium.* 457. 2.
32 *An factum pro ſatisfactione creditorum ſit pium.* 457. 2.
33 *An legatum dotale ſit pium.* 457. 2.
34 *An virgo putata poſſit recipere, & retinere ſibi legatum.* 458. 1.
35 *An pauperem ſe fingens poſſit recipere eleemoſynam, & legatum.* 458. 1.
36 *An in legato pio dandum ſit majus, an minus.* 458. 1.
37 *An quarta debeatur.* 458. 2.
38 *An Falcidia detrahatur de legatis piis.* 458. 2.

*An*

39 *An bæreditate non adita, vel repudiata petatur legatum pium.* 454.2.
40 *An teſtamentum pium cancellatum præſumatur à teſtatore.* 459.1.
41 *An lex ſeù ſtatutũ civile diſponere poſſit contrà cauſam piam.* 459.1.
42 *An teſtamentum pium præſumatur habere clauſulam derogatoriã ſubſequentium teſtamentorum.* 459.1.
23 *An legatum Monaſterio factum, ut recipiat juvenem ſit pium, an ſimonia cum.* 459.1.
44 *An legatum meretrici factum, ut convertatur, ſit pium.* 459.2.
45 *An legatum libertatis ſit pium.* 459.2.
46 *An detur trãſactio in legatis.* 459.2.

# CAPUT QUINTUM.
## De Legatis ex teſtamento imperfecto.

*SUMMARIUM.* pag. 460.2.

1 *An legata ex teſtamento imperfecto defectu voluntatis valeant.* 462.1.
2 *An per clauſulam codicillarem ſanetur teſtamẽtum imperfectum.* 463.2.
3 *An debeãtur legata ex teſtamento, filiis exbæredatis, vel prætermiſſis.* 463.2.
4 *An facta in teſtamento incapacis teſtandi valeant.* 464.1.
5 *An fiſcus teneatur ſolvere legata.* 464.2.
6 *An quis poſſit decedere partim inteſtatus, & partim teſtatus.* 464.2.
7 *An debeantur legata, quando bæres alio titulo adit bæreditatem.* 455.1.
8 *An repudiata bæreditate debeantur legata.* 465.1.
9 *An bæreditate vacante, vel jacente debeantur legata.* 465.1.
10 *An revocato teſtamento cenſeantur revocata legata.* 465.1.
11 *An valeant legata inſtituti obligati reſtituere ſubſtituto.* 465.2.
12 *An valeant teſtamentum ſcriptum à Notario non matriculato.* 465.2.
13 *An defectus tertio in teſtamento faciat corrvere legata.* 459.1.
14 *An Cap.* cum eſſes *corrigat jus civile ſolum quoad numerum teſtium.* 470.1.
15 *An Cap. præfatum, &* Relatum *habeant locũ ubiq; terrarum.* 470.1.
16 *Quales debeãt eſſe teſtes præſentes teſtamẽto ſcripto à Parocbo.* 472.1.
17 *An in cap.* Cum eſſes *agatur de teſtamentis tam nuncupativis, quam ſcriptis.* 473.2.
18 *Quid veniat nomine Præſbiteri ſcribentis teſtamentum.* 473.1.
19 *An roget teſtamentum tantùm infirmi parochiani.* 473.2.
20 *An debeantur legata propbana in teſtamento ad formam utriuſque capitis cõditio ad pios cauſas* 473.2
21 *An defectu loci, & temporis vitietur legata.* 474.1.
22 *An ſolemne teſtamentum revocetur per minus ſolemne.* 474.2.
23 *An teſtes in teſtamento ſint neceſſarii quoad valorem, & quoad probationem.* 474.2.
24 *An teſtamentum ſolo ore factum obliget bæredes ad onera.* 475.1.
25 *An Cap.* Cum eſſes *locum babeat in codicillis.* 475.1.
26 *An valeant legata ſcripta in teſtamento nutu, interrogatione, ſeù alieno arbitrio condito.* 475.1.
27 *An teſtamenta ſcripta ad formam juris Canonici ſint examinanda, & recognoſcenda.* 475.1.
28 *Ad quem Judicem ſpectet boc examen, & recognitio.* 478.2.
29 *An Parochus poſſit ſcribere legatum ſibi, vel Eccleſiæ relictum.* 475.2.

CAPUT

# CAPUT SEXTUM.
## De Legatis Missarum.


SUMMARIUM pag. 475. 2.

1 An in Ecclesiis sit jus, & usus legatorum missarum. 478.2.
2 In quo consistat ratio legati missarum. 478.2.
3 Quid sit legatum simplex, conventionale, & in limine fundationis. 479.1.
4 Quid sit legatum missarum perpetuum, & ad tempus. 481.1.
5 Quotuplex sit Capellanìa. 481.2.
6 Quid sit Capellanìa Sacerdotalis? Et quomodo ei satisfiat. 483.2.
7 An Capellanus teneatur reficere missas omissas. 485.1.
8 An supplendæ sint missæ causa infirmitatis omissæ. 485.2.
9 An ex aliis impedimentis sint supplendæ. 486.1.
10 An celebrans per alium, & non per se, peccet. 486.2.
11 An detur vacatio in aliis missis. 487.1.
12 De missis ante triduum Paschatis, & in Natali. 487.1.
13 Quid veniat nomine: dierum festivorum. 487.1.
14 An Capellanus possit anticipatè celebrare. 487.2.
15 An non celebrans hora determinata peccet. 487.2.
16 Quæ causæ excusent à celebrando in Altari designato. 488.1.
17 An Episcopus, seù hæredes possint mutare Altare Capellano. 488.1.
18 An legata missarum transeant ab una ad aliam Ecclesiam. 488.2.
19 An transeant cum Religiosis. 489.1.
20 An non valens celebrare in Altari designato, teneatur alibi. 489.2.
21 An extrà celebrans teneatur ad aliquam restitutionem. 489.2.
22 An possit celebrare in Altari privilegiato, relicto designato. 490.1.
23 Quibus diebus possint celebrari missæ defunctorum. 490.2.
24 An celebrans missam currentem satisfaciat suo muneri. 491.2.
25 Quomodo sint celebrandæ missæ S. Gregorii. 492.1.
26 An licentia Superiorum sit necessaria pro recipiendis oneribus perpetuis missarum. 492.2.
27 An testator faciat actum meritorium, & satisfactorium, testando in mortali. 494.2.
28 An missarum obligatio præsumatur, ubi redditus sunt pingues. 494.2.


# CAPUT SEPTIMUM.
## De Altari Privilegiato.


SUMMARIUM. pag. 495.1.

1 Quid sit Altare privilegiatum. 498.2.
2 An infallibiliter producat suum effectum. 500.1.
3 An applicetur Sacrificium, & Indulgentia simul. 506.1.
4 An dividi possit Indulgentia, & Sacrificium. 506.2.
5 An satisfieri possit cum Megdalea in alio Altari. 506.2.
6 Ad quid teneatur non celebrans in privilegiato. 507.1.
7 An satisfiat celebratione missæ currentis. 507.2.
8 An lucrans Indulgentiam pro mortuis, debeat esse in gratia. 511.1.


9 An

9 *An ex parte defuncti requiratur aliqua disposítio.* 516. 1.
10 *An Altaria privilegiata prosint etiam vivis.* 516. 2.
11 *An dentur plura altaria privilegiata in eadem Ecclesia.* 517. 1.
12 *An transferãtur de loco ad locũ.* 518. 1.
13 *An mutato titulo Sancti expiret privilegium.* 519. 2.
14 *An numerus Sacerdotum sit de valore privilegii.* 519. 2.
15 *An sub eo numero veniant Superiores, & advenæ.* 521. 2.
16 *De Altaribus privilegiatis ad septennium.* 521. 2.
17 *An datum pro expeditione irritet concessum privilegium.* 522. 2.
18 *An liberetur infallibiliter anima, pro qua fuit celebratum.* 522. 2.
19 *An fiat communicatio Altarium privilegiatorum.* 524. 1.
20 *An saltẽ fiat ipsis Sacerdotibus.* 524. 1.
21 *An suspendantur Indulgentiæ eorum in anno sancto.* 526. 1.
22 *An suspendantur per Bullam Cruciatæ.* 526. 1.
23 *An sint revocata per Paulum V. revocantem omnes Indulgentias.* 526. 2.
24 *An plures animæ liberentur ex Altari privilegiato cum Megdalea.* 526. 2.
25 *An Altare privilegiatum obtentũ ante expletũ septennium, valeat.* 527. 1.
26 *Quomodo intelligenda sit Clausula* Volumus, *posita in Indulgentiis.* 527. 2.
27 *An Sacerdos petens duplex stipendium pro celebratione in Altari privilegiato committat simoniam.* 529. 2.


# CAPUT OCTAVUM.

## De remissione peccatorum per sacrificium Missæ.

*SUMMARIUM.* *pag.* 529. 2.


1 *An Sacrificium missæ incruentum sit ejusdem rationis cum primo cruento.* 532. 1.
2 *An remittat peccata mortalia.* 532. 2.
3 *An condonet venialia.* 532. 2.
4 *An missam audientibus augeat gratiam.* 533. 1.
5 *An Sacrificium sit efficax, & infallibiliter operetur.* 533. 1.
6 *An sit impetratorium bonorum temporalium.* 534. 1.
7 *An, & quomodo sit satisfactorium pro viventibus.* 534. 2.
8 *An, & quomodo sit satisfactorium pro Defunctis.* 536. 1.
9 *Quotuplex sit fructus Sacrificii missæ.* 536. 1.
10 *An valor Sacrificii missæ sit infinitus.* 539. 1.
11 *An missa pravi Sacerdotis tantùm prosit quãtùm boni? infrà* 14. 539. 2.
12 *An ad satisfaciendum sit necessaria gratia habitualis.* 539. 2.
13 *Quid sit opus mortuum, mortificatum, & mortiferum.* 545. 2.
14 *An missa improbi Sacerdotis prosit? suprà* 11. 546. 2.


# CAPUT NONUM.

## De applicatione Sacrificii Missæ.

*SUMMARIUM.* *pag.* 547. 1.


1 *Quid sit applicare alicui Sacrificium missæ.* 549. 1.
2 *An applicatio sit ex institutione Sacrificii.* 549. 1.
3 *Qualis intentio sufficiat ad applicationem.* 549. 2.
4 *Quandonam facienda sit applicatio per Sacerdotem.* 550. 1.
5 *An audientes missam simul applicent cum Sacerdote.* 550. 2.
6 *An applicatio fieri possit personæ vagæ.* 551. 1.
7 *An applicari possit primo eleemosynam daturo.* 551. 1.
8 *An perficiens missam mortui celebrantis possit applicare.* 551. 2.
9 *An applicatio remitti possit in Deum à cele-*

celebrante. 552. 1.
10 Quomodo novelli Sacerdotes cum Episcopo celebrantes applicent. 553. 2.
11 An applicatio semel facta revocari possit ad favorem alterius. 555. 1.
12 An valeat applicatio conditionata si non valet pro uno, valeat pro alio. 556. 2.
13 An valeat conditionata alio modo. 557. 1.
14 An applicatio, si non detur eleemosyna, transferri possit in alium. 557. 1.
15 An applicatio jam facta, ex causa sit transmissibilis ad alios. 557. 2.
16 An Superior possit præcipere suis celebrantibus applicationem juxtà suã voluntatem. 557. 2.
17 An hoc præceptum sit rigorosum comprehendens exemptionem. 558. 1.
18 An præcipere possit Superior, ut pro se, vel consanguineo applicent. 558. 2.
19 An possit apponere decretum irritans, applicando per seipsum. 558. 2.
20 An idem facere possit Episcopus respectu suorum. 563. 2.
21 An applicatio semel facta, transmissibilis sit in alium. 563. 2.
22 Qualiter peccet Sacerdos non applicando, ut debet. 563. 2.
23 An in dubio applicandum sit Sacrificium. 564. 1.
24 An novellus Sacerdos applicet pro suo libito tres illas missas sibi ab Episcopo impositas in ordinatione. 564. 2.
25 An missa Conventualis sit applicabilis. 561. 1.
26 An missa defunctorum initio cujuslibet mensis sit applicabilis pro libito celebrantis. 565. 2.
27 An in die defunctorum missa specialiter applicari possit. 565. 2.
28 An petenti missam possit applicari fructus generalissimus. 565. 2.
29 An accipiens scienter stipendiũ incõgruũ teneatur applicare pro illo. 565. 2.
30 Quale tempus dicatur modicum, intrà quod est celebrandum. 566. 1.

# CAPUT DECIMUM.
## De Stipendio Missarum.

SUMMARIUM. pag. 566. 2.

1 Stipendium quo titulo recipiatur à celebrante. 568. 1.
2 An interveniat in eo contractus Justitiæ. 571. 1.
3 An fidejussor peti possit. 571. 2.
4 An obligatio in forma Cameræ. 571. 2.
5 An conveniri possit morosus debitor. 571. 2.
6 An stipendium anticipatum exigi possit. 572. 1.
7 Ad quos spectet taxare stipendium. 572. 1.
8 An Ordinarius statuere possit, ut missæ dentur tali Ecclesiæ. 573. 2.
9 An ut majus stipendium detur certis Sacerdotibus. 573. 2.
10 An stipendium taxandum sit ad formã statuti. 574. 1.
11 An qui solebat dare duos Julios, præsumatur idẽ velle post mortẽ pro missa quotidiana ab eo relicta. 574. 1.
12 An hæres taxet stipendium, quod non determinavit testator. 574. 2.
13 An hæres teneatur supplere pro missis taxatis in eo, in quo deest, ex pecunia, seù fundo assignatis. 574. 2.
14 An hæres antiquum stipendium teneatur augere ad formam novi currentis. 575. 1.
15 An auctis fructibus sit augendus missarum numerus aliàs taxatus. 576. 1.
16 An Julius taxatus sit dandus juxtà

*incrementum* 576. 2.
17 *An Sacerdos aliquid ſtipendii poſſit ſibi retinere, reliquum dando alteri Sacerdoti, qui celebret.* 576. 2.
18 *An ratione induſtriæ aliò miſſas tranſferendo liceat ſibi aliquid retinere.* 577. 2.
19 *An aliquid retinere poſſit pro manutentione Sacriſtiæ.* 278. 1.
20 *Quale debeat eſſe Capitale ex quo colligitur ſtipendium.* 578. 2.
21 *In quibus bonis ſit illud implicandum.* 579. 2.
22 *An expendi poſſit in fabricatione Conventus, & reparatione domus.* 580. 1.
23 *An Capitale pingue totum ſit implicandum.* 580. 1.
24 *An Eccleſia ſubminiſtret Paramenta Capellano.* 580. 2.

# CAPUT UNDECIMUM.

## An unica miſſa ſatisfieri poſſit pluribus ſtipendiis? Ubi de Privilegiis revocatis.

*Caret quæſtionibus.* *pag.* 581. 1.

# CAPUT DUODECIMUM.

## De Capellaniis, & Capellanis.

*SUMMARIUM.* *pag.* 587. 2.

1 *Quid ſit Capellanìa.* 588. 2.
2 *Quotuplex ſit Capellanìa.* 588. 2.
3 *In dubio, an eccleſiaſtica, an laica cenſenda ſit.* 589. 1.
4 *An teſtator apponere poſſit, ne Epiſcopus in ea ſe ingerat.* 589. 1.
5 *An Capellanìa ſervire poſſit pro patrimonio.* 589. 1.
6 *An laicalis ab Epiſcopo converti poſſit in Eccleſiaſticam.* 599. 1.
7 *An conferantur perpetuò; vel revocabiliter.* 589. 2.
8 *An requirant reſidentiam in Capellano.* 589. 2.
9 *An Capellanus eligendus debeat eſſe Sacerdos.* 590. 1.
10 *An infirmus teneatur ſupplere miſſas.* 590. 1.
11 *An inſtitui poſſint in Eccleſiis Regularium.* 590. 1.
12 *Ad quem ſpectet nominare Capellanum.* 590. 2.
13 *An in dubio Capellanìa in Eccleſiis Regularibus ſit cenſenda regularis.* 591. 1.
14 *An, & quomodo Rector Beneficii celebrare poſſit in aliena Eccleſia.* 591. 2.

# CAPUT TERTIUMDECIMUM.

## De Legatis caducis, & nullis.

*SUMMARIUM.* *pag.* 592. 1.

1 *An nullitas, caducitas, & revocatio in teſtamentis, & legatis præſumatur.* 592. 2.
2 *An legatum nullum ſit ex invaliditate teſtamenti.* 593. 1.
3 *In quibus caſibus legatum fiat caducum.* 593. 1.
4 *An legata ex revocatione teſtamenti,*

*ti fiant nulla.* 594. 1.
5 *An legata pia etiam missarum scripta in testamento nullo, aut rupto, aut revocato, fiant invalida.* 594. 2.
6 *An legatum pium impossibile adimplendum evanescat scriptum in testamento subsistente.* 594. 2.
7 *Cujusnam fiant res legatæ in testamento nullo.* 595. 1.
8 *An prædicta habeant locum non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ.* 595. 1.
9 *An legatum repudiatum à legatario adimplendum sit ab hærede.* 595. 1.
10 *An legatum executum à testatore dicatur caducatum.* 595. 1.

# CAPUT QUARTUMDECIMUM.
## De Commutatione Legatorum.

*SUMMARIUM.* pag. 595. 2.

1 *Quisnam sit legitimus Superior in commutatione legatorum.* 596. 1.
2 *An ad eam requiratur legitima causa.* 597. 2.
3 *Quænam sint causæ in specie moventes ad commutationem.* 599. 1.
4 *An commutatio fieri possit in minus.* 599. 2.
5 *An requirendus sit consensus hæredis, & aliorum.* 599. 2.
6 *An Episcopus commutet legata suæ Ecclesiæ.* 600. 1.
7 *An commutet legata in Ecclesiis inferiorum.* 600. 1.
8 *An legatum missarum commutari possit in dotem puellæ.* 600. 2.

# CAPUT QUINTUMDECIMUM.
## De Reductione Missarum.

*SUMMARIUM.* pag. 600. 2

1 *Quid sit reductio missarum.* 602. 1.
2 *An Episcopus jure communi possit reducere missas.* 602. 2.
3 *An statim ac est electus possit id facere.* 602. 2.
4 *An eodem jure communi alii Prælati possint reducere missas.* 603. 1.
5 *An per Decretum Tridentini sublatum sit jus commune.* 603. 2.
6 *Quænam onera missarum in Tridentino sint reducibilia.* 604. 2.
7 *An hodiè onera missarum sint reducibilia.* 606. 1.
8 *An omnibus nunc sit sublatum jus commune, & Tridentini.* 606. 1.
9 *An reductio de omnibus fieri possit, si testator id expressit.* 606. 1.
10 *An anniversaria defunctorum sint reducibilia.* 606. 2.
11 *An anniversarium consistens solùm in Officio defunctorum sit reducibile, non obstante Decreto de celebr. missarum.* 606. 2.
12 *An missæ commutari possint in anniversaria, & è contrà.* 606. 2.
13 *An anniversarium converti possit in missam Conventualem.* 607. 2.
14 *An onera perpetua possint converti in temporalia.* 607. 2.
15 *An moderari quoad solemnitates, & alias circumstantias.* 607. 2.
16 *An reduci possit quotidiana carens obligatione applicationis.* 608. 2.
17 *Quomodo diversa legata in eodem testamento moderentur.* 608. 2.
18 *Quid veniat nomine Episcopi, Abbatis, & Generalis in Concilio.* 609. 1.
19 *An reductio facta extrà Synodum,*

& Capitulum valeat. 609. 1.
20 Quæ personæ in Synodo, seù Capitulo concurrant ad reducenda onera missarum. 609. 2.
21 An debeant petere consilium, & illud sequi. 607. 2.
22 An facultas reducendi missas restricta fuerit ad primam Synodum, & Capitulum facta post promulgationem Tridentini. 610. 1.
23 An onera missarum sint reducibilia apud quemcumque sint eorum stipendia. 610. 1.
24 Quænam causæ sint necessariæ ad reductionem faciendam. 610. 2.
25 An expensæ Sacristiæ attenuent stipendia, & redditus. 611. 1.
26 An expensæ factæ in lite sint causa reductionis missarum. 611. 1.
27 An paucitas Sacerdotum sit causa reductionis. 611. 1.
28 An causa incidens, & casualis. 611. 2.
29 An consuetudo in aliquibus Monasteriis non celebrandi quotidie sit causa reducendi missas. 611. 2.
30 An detur reductio in missis manualibus, & omissis. 611. 2.
31 An reductio detur, ubi continuò respondet justum stipendium. 611. 2.
32 An reductio sine causa facta valeat. 612. 1.
33 An fiat reductio ubi celebratio est dubia. 612. 1.
34 An delegabilis sit reductio. 612. 2.
35 An princeps laicus possit reducere missas. 613. 1.
36 An Episcopus habens privilegium possit reducere missas in Ecclesiis Regularium. 613. 1.
37 An Capellanus privata auctoritate minuat missas defectu tenuis stipendii. 613. 2.
38 An reductione missarum fiat dispensatio Thesauri Ecclesiæ. 614. 2.

# CAPUT SEXTUMDECIMUM.
## De Præscriptione Legatorum.

SUMMARIUM. pag. 615. 2.

1 Quid sit præscriptio, & quotuplex. 617. 2.
2 Quomodo differat ab Usucaptione, & consuetudine. 618. 2.
3 An sit quid odiosum. 618. 2.
4 An juramentum habeat locum in præscriptione. 619. 1.
5 An ejus materia procedat etiam in foro conscientiæ. 619. 1.
6 Quot conditiones ad eam requirantur. 619. 1.
7 Qualis possessio ad eam sit necessaria. 119. 1.
8 Quis probibeatur possidere, & præscribere. 620. 1.
9 Quænam res probibeantur præscribi. 620. 1.
10 An bona fides sit necessaria ad præscribendum. 622. 1.
11 An conscientia dubia impediat præscriptionem. 622. 1.
12 An error invincibilis juris clari tollat bonam fidem. 622. 2.
13 An idem error juris obscuri. 622. 2.
14 An ignorantia facti tollat bonam fidem. 623. 1.
15 An ignorantia juris licèt clari impediat usucaptionem fructuũ. 623. 1.
16 An mala fides testatoris noceat heredi. 623. 1.
17 An noceat legatario. 624. 1.
18 An mala fides respectu unius personæ, vel rei noceat respectu aliorum. 624. 1.
19 Quomodo præscriptio interrumpatur defectu bonæ fidei, & tituli. 624. 1.
20 Quid sit præscriptionem dormire.

re. 624. 1.
21 An bona fides necessaria sit in immemorabili. 624. 1.
22 An requiratur in præscriptione actionum, & obligationum. 624. 2.
23 An requiratur bona fides in præscriptione delictorum. 624. 2.
24 An requiratur respectu servitutis rusticanæ. 625. 1.
25 An emptum ab Ecclesia, non servatis requisitis præscribatur. 625. 1.
26 An titulus, & qualis requiratur ad præscribendum. 625. 1.
27 An bona fides sit magis necessaria, quàm titulus. 625. 2.
28 Quoti anni requirantur ad præscribendum res mobiles. 625. 2.
29 Quoti anni ad res immobiles privatorum. 626. 1.
30 Quoti anni ad immobiles contrà Ecclesiam. 626. 1.
31 Quoti anni contrà Ecclesiam Romanam. 626. 2.
32 Quoti anni contrà Monasteria 626. 2.
33 Quoti anni contra Hospitalia, & pia loca. 629. 2.
34 Quoti anni contrà legata pia, & profana extrà missas. 627. 1.
35 An legatum pium missarum præscribatur. 627. 2.
36 An hæres possit sibi præscribere legatũ contrà Capellanum. 628. 1.
37 An per ignorantiam præscribantur legata. 628. 1.
38 An minor numerus missarum præscribi possit contrà defunctum. 629. 1.
39 An major numerus præscribi possit contrà Capellanum pro defuncto. 629. 1.
40 An servitutes præscribantur, & quoti anni requirantur. 629. 2.
41 An officium, & jurisdictio præscribantur, & quot anni requirantur. 630. 1.
42 An beneficium præscribatur, & quot anni requirantur. 630. 1.
43 An jus patronatus, & quot anni requirantur. 630. 1.
44 An præscribantur actiones civiles, & debita, & quotum tempus sit necessarium. 630. 1.
45 An Principis bona præscribantur. 630. 1.
46 An feuda, & Emphiteuses præscribi possint. 631. 1.
47 An detur in facultativis. 631. 1.
48 Quomodo incipiat in negativis. 631. 2.
49 An currat contrà ignorantem. 631. 2.
50 An lex præscribatur. 631. 2.
51 Contrà quos præscriptio currat. 632. 2.
52 An inducatur contrà actum habentem decretum irritans. 632. 2.
53 An in præcedentia detur præscriptio. 633. 1.
54 An peccata præscribi possint. 633. 1.
55 An contrà Bullam Cœnæ detur præscriptio. 633. 2.
56 Qualis præsentia detur inter præscribentem, & præscriptum. 633. 2.
57 An tempus debeat currere de momento ad momentum. 633. 2.
58 An post lapsum temporis præscribens teneatur restituere præscriptum, si veniat in cognitionem fuisse alienum. 634. 1.
59 An præscriptio locum habeat in Pupillo, qui adivit hæreditatem ab intestato ignorans obligationem &c. 634. 1.

CAPUT.

# CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.
## De ceſſatione Legatorum.

*SUMMARIUM.* *pag.* 634.2.


1 *Quot modis ceſſet legatum miſſarum, vel alterius oneris.* 635.2.
2 *An deſtructione rei legatæ in totum, vel in partem ceſſet legatum.* 635. 2.
3 *An ceſſet obligatio miſſarum deſtructa domo, vel fundo, remanente tantùm area.* 636. 1.
4 *An peccunia, vel re diſtracta cum utilitate, loci pii ceſſet obligatio miſſarum.* 636. 1.
5 *An pecunia diſtracta ſint loci pii utilitate teneantur præſentes, & ſucceſſores ad onera.* 636. 2.
6 *An re pereunte ex culpa miniſtrorum loci pii, ceſſet obligatio.* 636. 2.
7 *An ceſſet obligatio ſi pecunia implicanda caſu pereat furto.* 637. 1.
8 *An evictione fundi ceſſet obligatio miſſarum.* 637. 1.
9 *An ſpatio centum annorum extinguatur obligatio miſſarum.* 637. 1.
10 *An legatum cum onere fabricandi Monaſterium ceſſet, ſi ſit inſufficiens.* 638. 1.
11 *An extinguatur legatum nolentis nubere, ſi poſteà pæniteat.* 638. 2.
12 *An deſtructo loco pio debeatur legatum.* 638. 2.
13 *An legatum relictum, cum fuerit Conſul, ceſſet, ſi Conſul ſit ante mortem teſtatoris.* 638. 2.
14 *An defectu conditionis ceſſet legatum.* 638. 2.
15 *An ceſſante modo, deficiat legatum.* 640. 1.
16 *An ceſſante cauſa, ceſſet legatũ.* 640. 2.
17 *An prædicta locum habeant in legatis piis.* 641. 1.
18 *An caſu, vel evictione fundo pereunte ceſſet obligatio celebrationis.* 641. 1.
19 *An liceat conventio, ut adminiſtrator loci pii recipiat in ſe onus faciendi celebrare, caſu pereunte fundo.* 641. 2.
20 *An pereunte fundo ex negligentia, ceſſet obligatio in ſucceſſoribus,* 641. 2.


# CAPUT DECIMUMOCTAVUM.
## De Amiſſione Legatorum ob nuptias.

*SUMMARIUM.* *pag.* 641.2.


1 *An non parens conditioni poſſit recipere legatum.* 643. 1.
2 *An reſtitutio legati fiat ante ſententiam per eum, qui non paruit.* 644. 1.
3 *An legatum relictum à quocumque cum conditione*: Si caſtè vixerit *perdatur unica fornicatione.* 644. 2.
4 *An quod dicitur de vidua intelligatur etiam de viduo.* 645. 1.
5 *An lucretur legatum*: Si caſtè vixerit *patiens oſcula &c.* 645. 2.
6 *An quæ per decennium caſtè vixit, ſi incipiat inhoneſtè vivere perdat legatum.* 645. 2.
7 *An perdat legatum* Caſtè vivendi *ſi nubat.* 645. 2.
8 *An perdat illud exercendo lenocinium.* 646. 2.
9 *An perdat illud*: Si in domo mea caſtè vixerit, *nubendo.* 646. 2.
10 *An perdat legatum*: Donec caſtè vixerit *ſi primis annis ſervat conditionem, & poſteà eam violat.*

*lat.* 647. 1.
11 *An perdat legatum*: Si vidualem vitam duxerit, *nubendo*. 647. 1.
12 *An perdat legatum fornicando relictum sub conditione servandi vitam vidualem, & non transeundi ad secunda vota*. 647. 2.
13 *An perdat legatum* Non nubendi *nubendo invalidè*. 647. 2.
14 *An perdat legatum* cum pervenerit ad viduitatem, *si fornicetur, vel nubat*. 648. 1.
15 *An perdat legatum cum conditione nubendi nobili, si nubat nobili ex privilegio*. 648. 2.
16 *An perdat legatum*: Si custodierit lectum meum, *nubendo*. 648. 2.
17 *An perdat legatum* Non nubendi *si non consumet*. 648. 2.
18 *An conditio non nubendi habeatur pro turpi*. 649. 1.
19 *An perdat legatum*: Si nubat, *profitendo in Religione*. 649. 1.
20 *An perdat legatum sub conditione nubendi Titio, si alteri nubat*. 649. 1.
21 *An perdat legatum nubendo extrà familiam, vel locum assignatum*. 649. 1.
22 *An perdat legatum*: Si non nupserit Titio, *nubendo illi, dum alium non invenit*. 649. 2.
23 *An perdat legatum dandum cum nupserit, si jam sit nupta*. 649. 2.
24 *An perdatur legatum divisim relictum nupturis, si alter eorum reiitiat nuptias*. 649. 2.
25 *An perdatur legatum, si moriatur arbiter futurarum nuptiarum*. 649. 2.
26 *An perdatur legatnm*: Si non nupserit, *adiuncto fideicommisso*. 649. 2.
27 *An perdatur legatum*: Si nupserit *moriente sponso ante consumationem matrimonii*. 650. 1
28 *An perdatur legatum* à *probibita nubere Titio, si alteri nubat* 650. 1.
29 *An legatum* Si nupserit *perdatur à recipiente sacros ordines*. 650. 1.
30 *An legatum perdat vidua*: Si manserit in viduitate, *profitendo in Religione*. 650. 1.
31 *An legatum*: Si manserit cum meis filiis, *perdatur transitu ad secundas nuptias*. 650. 1.
32 *An vidua perdat legatum habitationis si nubat*. 650. 2.
33 *An vidua perdat legatum*. Dum steterit in domo mea, *si nubat*. 650. 2.
34 *An perdat legatum jussus stare cum sua uxore, si hæc vidua transeat ad secunda vota*. 651. 1.
35 *An perdat legatum*: Si nubat Titio, *recusando nuptias*. 651. 1.
36 *An conditio*: Si non nupserit *excludat nuptias spirituales*. 651. 1.
37 *An conditio non nubendi sit turpis*. 651. 1.

# CAPUT DECIMUMNONUM.
## De Legatis Dotalibus.

*SUMMARIUM.* pag. 651. 2.

1 *An legatum dotale sit pium*. 652. 2.
2 *An latè illud sit interpretandum*. 953. 1.
3 *An sit purum, an conditionale*. 653. 1.
4 *An sit transmissibile ad hæredes*. 653. 1.
5 *An ætas ad lucrandum legatum dotale sufficiat si annus sit cæptus*. 653. 2.
6 *An maritata, cui octocentum data sunt in dotem, petere possit residuum*

*ex*

*ex mille legatis ab eodem.* 653.2.
7 *An dotationes expreſſæ in teſtamentis ſint legata.* 654. 1.
8 *An legatum pro maritandis Orphanis detur carentibus ſolo patre.* 654. 1.
9 *Quid operetur dos legata cauſa reſtitutionis.* 654.2.
10 *An legatum dari poſſit puellis ante tempus nuptiarum.* 654.2.
11 *An legatum dotale facta renuntiatione paternorum, impediat petitionem bonorum maternorum.* 655. 1.
12 *An legatum dotis factum ab extraneo relevet patrem à dotatione.* 655. 1.
13 *An legatum per importunas preces uxoris valeat.* 655.2.
14 *An relictum maritandis detur ingredientibus Religionem.* 655. 2.
15 *An liceat legatum majus pro nubentibus in ſæculo? An dandum ingredientibus, quibus minùs relictum fuit.* 655.2.
16 *An legatum dotis excedens taxam ordinariam dandum ſit totum ingredienti Monaſterium.* 655. 2.
17 *An mulier, quæ ſibi fecit dotẽ, nihilominus lucretur legatum.* 656. 1.
18 *An legatum*: Si non nupſerit, *excludat ſpirituales.* 656. 1.
19 *An prioritas nuptiarum an nativitatis attendatur in nuptiis, in cauſa pinguioris dotis.* 656. 1.
20 *An legatum dotis cauſa reſtitutionis majoris quantitatis debeatur.* 656. 2.
21 *An legatum pro maritandis puellis dari poſſit jam nuptis.* 656.2.
22 *Cuinam uxori ex pluribus debeatur legatum.* 657. 1.
23 *An legatum pro puellis dari poſſit jam nuptis ſine dote.* 657. 1.
24 *An legatum pro maritanda Titia, ei detur, ſi jam ſit nupta.* 657.1.
25 *Quomodo fiat compenſatio in dote cum legatis.* 657.2.

# CAPUT VIGESIMUM.
## De Cautione in Legatis præſtanda.

*SUMMARIUM.* *pag.* 658.2.

1 *An detur cautio pro conſequendis legatis.* 658.2.
2 *An cautio ſit præſtanda pro legatis, tùm profanis, tùm piis.* 659.2.
3 *An præſtanda ſit in legatis ſub conditione negativa tempore limitata.* 659.2.
4 *An locum habeat in hæreditatibus conſequendis.* 660.1.
5 *An in contractibus.* 660.1.
6 *An ſit præſtanda, ſi non petatur.* 660. 2.

CAPUT

# CAPUT PRIMUM
# DE LEGATIS
## IN GENERE.

### SUMMARIUM.

1 *Legatus in genere masculino est persona officialis, in neutro autem est res alicui relicta in testamento.*
2 *Legatum est donatio relicta à testatore, & præstanda ab hærede.*
3 *Genus in definitionibus exprimitur sinè ulla restrictione.*
4 *Legatum non est pars essentialis, nec integralis testamenti, in eo tamen fit regulariter.*
5 *Legatum multiplex, Purum, Conditionale, Modale, & in diem. Annuum perpetuum, vel ad tempus, profanum, & pium.*
6 *Purum, quod caret conditione, modo, & die, morte testatoris statim acquiritur legatario.*
7 *Conditionale, quod sub conditione relinquitur, vel de præsenti, vel de præterito,*
8 *vel de futuro, quæ propriè conditio est suspendens legatum, usque ad illius adventum.*
9 *Conditio de futuro triplex. Potestativa se tenens ex parte tantũ legatarii, Casvalis proveniens à casu, seù ab extraneo; & mixta ex legatario, & alia persona.*
10 *Conditio de futuro alia possibilis, quæ legato favet; alia impossibilis ex natura, vel ex facto, vel ex prohibitione, &*
11 *hæ impossibiles non vitiant legatum, sed habentur pro non scriptis.*
12 *Conditione purificata, legatum transit in purum, & statim acquiritur legatario.*
13 *Varia axiomata conditionum legatis adjunctarum, usque ad 31.*
31 *Modale dicitur, quod modum habet adjunctum, & in dubio præsumitur conditionale.*
32 *In dubio legatum censetur conditionale non modale.*
33 *Modale est, quandò onus sequitur acceptum legatum, conditionale, quandò onus præcedit legatum.*
34 *Cautio danda est pro exequendo onere, antequàm habeatur legatum.*
35 *Si non fiat opus præscriptum, legatum acceptum est restituendum, si hoc expressit testator, imò & si non expressit, modò adimpletio non fuerit facta impossibilis:*
36 *Missarum legata dicuntur modalia ex onere celebrandi.*
37 *Legatum in diem, in quo exprimitur tempus solutionis.*
38 *Legatum perpetuum quod est sinè limitatatione temporis.*
39 *In dubio censetur perpetuum.*
40 *Annuum, quod initio cujuslibet anni solvitur.*
41 *Pium, quod fit locis piis, aut pauperibus, aut pro anima.*
42 *Legatarius immediatè succedit testatori.*
43 *Ab intestato volens venire adhuc tenetur solvere legata.*
44 *Quia bona testatoris continuò remanent obligata.*
45 Recta via, *ideſt, nullo medio interposito.*
46 *Legatarius non plus juris acquisivit, quàm fuerit in testatore, aut hærede.*
47 *Testator legata dat legatariis, sicut hæreditatem hæredibus.*
48 *Legatum regulariter capitur de manu hæredis, nisi legatarius habeat à testa-*
49 *tore potestatem illud capiendi, maximè, quandò est de re certa, & quandò non est*
50 *solvenda falcidia, decretum Judicis non requiritur, quandò habet potestatem ca-*
51 *piendi à testatore; legatum acquiritur etiam ignoranti.*
52 *Acquiritur veriùs à morte testatoris, quandò est purum, non à die aditæ hæreditatis.*
53 *Purum ergò legatum acquiritur à morte testatoris.*
54 *Conditionale à conditione purificata.*
55 *Axiomata 14. pro adimpletione conditionis in legatis.*

56 *Legatum diei certi acquiritur à die mortis*
57 *testatoris; dies mortis relatus in legatarium facit legatum purum in hæredem conditionale.*
58 *Conditionale dat dominium, purificat à conditione.*
59 *Dies appositus favore legatarii facit legatum purum, & sic quæsitum à morte testatoris, aliàs est conditionale.*
60 *In dubio dies incertus habendus est pro modo, non pro conditione, ac proindè esse legotum purum. In dubio, an dies sit appositus favore legatarii, an hæredis? pro hærede, & proindè legatum esse conditionale.*
61 *Legati modalis dominium acquiritur à morte Testatoris.*
62 *Transmittitur legatum à legatario ad suos hæredes, quandocunque illius habuit dominium, antequàm moreretur.*
63 *Purum statim transmittitur*
64 *Conditionale purificata conditione, & non ante.*
65 *Legatum in diem certum transmittitur, antequàm cedat dies.*
66 *Transmittitur legatum incertæ diei appositæ favore legatarii, licèt legatarius moriatur antè aditam hæreditatem.*
67 *Non verò si dies sit apposita favore hæredis, si moriatur legatarius antè ad ventum diei, cum sit tunc conditionale.*
68 *Modale est transmissibile.*
69 *Legatum ad vitam non est transmissibile.*
70 *Ususfructus non est transmissibilis, nisi id exprimatur.*
71 *Dominium legati solo testamenti titulo legali transit in legatarium.*
72 *Possessione hæreditatis, & legatorum testator facto suo non potest continuare in illos, sed necessarium est proprium factum illorum.*
73 *Possessio acquiri non potest, nisi animo, & facto proprio.*
74 *Voluntas non datur in eo, qui caret anima.*
75 *Falcidia est detractio à legatis facta ab hærede, quandò ex hæreditate non habet 4. partem bonorum.*
76 *Falcidia detrabitur à legatis profanis,*
77 *nisi eam expressè probibuerit testator.*
78 *Ex re certa legata.*
79 *Legitima filiorum non admittit falcidiam.*
80 *Neque dos mulieris pauperis.*
81 *Neque ille, qui omisit inventarium, potest petere falcidiam.*
82 *Surripiens, & occultans de bonis hæreditatis, non potest petere.*
83 *Si integrè solvit legata, non potest petere falcidiam.*
84 *Non solvens legata infrà annum, non potest petere falcidiam.*
85 *Ex bonis prohibitis alienari non detrabitur.*
86 *Falcidia non detrabitur à legatis piis,*
87 *nisi mandaverit testator, quod non placet, quia ille non potest disponere contrà leges.*
88 *Si legata absorbeant totam hæreditatem, tunc detrabitur.*
89 *Trebellianica detrabitur ex fideicommissis universalibus per gravatum, falcidia ex solis legatis particularibus.*
90 *In legatis, & fideicommissis universalibus piis gravatus non detrabit Trebellianicam.*
91 *Falcidia detrahi potest ex legatis piis, quandò instituta fuit causa pia.*
92 *Hæres dicitur, adeundo hæreditatem, quasi contrabere cum legatariis.*
93 *Pignus res mobilis obligata creditori, immobilis hypotheca vocatur.*
94 *Locum habent in legatis pro securitate legatariorum, undè res liberæ te-*
95 *statoris hypothecatæ remanent prosolutione legatorum.*
96 *Legatarius potest uti Salviano pro suo legato.*
97 *Via executiva non exigitur legatum, sed ordinaria.*
98 *Legatum non præsumitur duplex in eadem dispositione.*
99 *Ex circunstantiis comparativis secernitur persona legataria, quandò non habent easdem omninò qualitates.*
100 *Ecclesiæ æquivocæ debetur legatum univocæ, hoc est, pauperiori.*
101 *Legatum directum Ecclesiæ, vel Monasterio, ubi sunt plura ejusdem nominis, debetur vel pauperiori, vel in qua habet sepulturam, vel parochiali &c.*
102 *Legatum de rebus incertis, vel exprimitur genere generalissimo, vel subalterno, vel infimo.*
103 *Legatum relictum sub genere generalissimo, vel subalterno, ut lego animal, nullum est, quia dare potest musca m.*
104 *Legatum generis infimi habens fines à natura determinatos valet, ut arbor, equus.*
105 *Si habet fines ab homine determinatos, ut arte facta valet, si est apud testatorem.*
106 *Si nullos habet fines, nec fuit demonstratum, valet legatum, ut legatum fundi rustici.*
107 *Electio legati non determinati spectat ad eum, ad quem verba referuntur.*
108 *Idem dicendum in alternativis, aliter electio spectat ad legatarium, nam in alternativis electio est debitoris; verificatur in contractibus.*
109 *Inter legatarios eligit priùs nominatus.*
110 *Minus in dubio solvere in legatis profanis.*

111 *Ma-*

111 *Majus verò in legatis piis.*
112 *Interpretatio triplex, legalis, judicialis, & doctrinalis, hæc in uſu eſt apud advocatos legatariorum.*
113 *Interpretatio non habet locum, ubi verba teſtatoris ſunt clara.*
114 *Voluntas, & mens teſtatoris latè eſt interpretanda.*
115 *Ad favorem hæredis maximè in legatis profanis.*
116 *Ad favorem legatarii, ſi apparet valde dilectus à teſtatore.*
117 *Quando dubitatur de exiſtentia legati, favendum legatario.*
118 *Ad favorem legatarii in legatis piis, quia favor eſt etiam teſtatoris.*
119 *Axiomata* 18. *pro interpretanda mente teſtatoris. ad* 136.
136 Si voluiſſet, expreſſiſſet. Teſtamentum non cantat, neque ego cantabo
137 *Diligit magis ſuos, quàm extraneos in le-*
138 *gatis profanis, in piis verò magis extraneos, non tamen filii ſunt exhæredandi*
139 *pro cauſa pia.*
140 *Legatum fit ex bonis non tantùm propriis, ſed etiam ex alienis cognitis, ut talibus,*
141 *& tunc tenet; non verò tenet profanum, ſi*
142 *ignorabat rem eſſe alienam; valet verò factum ſibi coniunctis, ſive ſciebat rem*
143 *eſſe ſuam, ſive ignorabat; valet quoque*
144 *legatum pium de re aliena, ſive ſciat teſtator rem eſſe alienam, ſive non.*
145 *Æſtimatio autem tradenda eſt, quando dominus non vult vendere rem ſuam.*
146 *Nec contrarium ſentit jus Canonicum.*
147 *Si legat rem, ſuper quam aliquod jus habebat, illud tantùm jus cenſetur legatum.*
148 *Onus probandi ſcientiam teſtatoris in profano, ſpectat ad legatarium.*
149 *Legatum de re debita factum creditori valet, & aliquando importat com-*
150 *penſationem aliquando non, juxtà con-*
151 *jecturas, quævis autem levis conjectura non excludit compenſationem.*
152 *Veſtium nomine etiam præciſæ nondum ſutæ veniunt.*
153 *Alimentorum nomine venit victus, veſtitus, habitatio, & medicinæ.*
154 *Valet legatum omnium bonorum, licèt inſtituatur hæres poſt ejus mortem.*
155 *Uxor uſufructuaria omnium bonorum habet tantum alimenta, non omnes fructus, niſi quando extraneus inſtituitur.*
156 *Uſufructuarius non poteſt cædere arbores, niſi cæduas.*
157 *Uſufructuarius omnium bonorum ſimul cum hærede ſolvit debita teſtatoris.*
158 *Hæres ſolvit legatum ſemel ſolvendum, uſufructuarius annuum.*
159 *Legatarius ſolvit onera etiam extraordinaria collectarum.*
160 *Actionibus tribus petitur legatum, actione teſtamentaria, vel vindicatione rei, vel hypothecaria.*
161 *Fructus rei frugiferæ debentur ſimul*
162 *cum legato, infrugiferæ verò à die li-*
163 *tis conteſtatæ, quando legatum fuit purum; aliàs à purificata conditione.*
164 *Mora unicuique nociva, nec intelligitur, ubi nulla præceſſit petitio.*
165 *Legatum de re certa perit, legatario ef-*
166 *fecto domino; de re indeterminata, vel in mora perit hæredi.*
167 *Repudiari poteſt legatum ſtatim poſt*
168 *mortem teſtatoris, ſive ſit purum, ſive non.*
169 *Repudiatum, cenſetur ac ſi nunquam fuiſſet factum.*
170 *Eccleſia poteſt repudiare legatum ſibi factum.*
171 *Repudiare eſt non acquirere id, quod delatum eſt nondum incorporatum inter bona ejus, qui repudiat. Alienare verò eſt incorporatum extrahere à corpore alienorum bonorum.*
172 *Repudiatio legati pupillaris eſt alienatio, ſed impropriè.*
173 *Repudiatio fit à Prælato ſine ſolemnitate.*
174 *Prælatus in acquirendis Eccleſiæ ſolus præjudicare poteſt, non in aquiſitis.*
175 *Ultra vires hæreditatis hæres in foro conſcientiæ ad nihil tenetur; cogitur tamen in foro externo, ſi præſumatur (cum ſcilicet non confecit inventarium, vel ſurripuit aliquid) habuiſſe aliud.*
176 *Legatum ſpeciale derogat generali.*
177 *Legata profana incertis perſonis facta ſunt nulla.*
178 *Valent verò, ſi ſint pia.*
179 *Quamvis ſint incerta etiam quo ad rem.*
180 *Acquiruntur à puncto electionis perſonæ.*
181 *Legatarius dicitur quaſi hæres.*
182 *Exceſſus dotis ex errore non venit ſub dote.*
183 *Dos legata debetur poſt mortem legantis, niſi poſt annum, ſi ſit in mobilibus.*
184 *Referens falſum non attenditur, ſed relatum verum.*
185 *Errantis nulla voluntas, nullus conſenſus.*
186 *Error nulli debet nocere, neque mutare ſubſtantiam rei.*
187 *Calculi error ſemper emendari poteſt.*
188 *Aſſerta quantitas ex pompa non attenditur.*
189 *Inſtrumentis lux veritatis aſſiſtit, & faciunt rem certam.*
190 *l. Cum ſcriptum* 7. *ff. de dote per leg. & inſtit. de legatis §. ſed ſi uxor, explicantur.*
191 *Cauſa falſa demonſtrans non vitiat legatum.*
192 Reſtituere *importat redditionem accepti.*

193 *Demonſtratio in qualitate falſa non vitiat legatum.*

194 *Demonſtratio eſt ſignum appoſitum à teſtatore ad notificandam rem legatam, vel perſonam, cui legatur.*

195 *De legato autem certò conſtare debet, ut per eam non vitietur.*

196 *Error ergò in circunſtantia Perſonæ,*

197 *aut rei, non vitiat legatum, niſi circunſtantia ſit legati productiva, ut legavi centum Petro, qui eſt meus nepos.*

198 *Vel niſi tranſeat in conditionem, ut lego tibi centum: ſi es meus nepos.*

199 *Error in demonſtratione qualitatis rei legatæ contingit tribus modis, primò, ſi res nullibi reperitur, vitiatur; ſecundò, ſi reperitur alibi, tenet; tertiò, ſi ex parte reperitur, tenet legatum ex ea parte.*

200 *Bartolus ait vitiari ex duabus orationibus expreſſum, ſic: lego tibi centum, & volo, ut dentur tibi ex tali capſa. Valet verò, ſi unica oratione exprimatur. Lego centũ, quæ ſunt in capſa tali.*

201 *Demonſtratio productiva legati falſa vitiat, non verò ſi illud præcisè tantùm demonſtrat jam exiſtens.*

202 *Dos non poteſt vitiari à demonſtratione falſa in quantitate, ſed ſolus exceſſus vitiatur.*

203 *Laudemiũ datur pro Emphiteuſi legata.*

204 *Legatum relictum pluribus dividitur inter legatarios.*

205 *Primo hærede non ſolvente, tenentur ejus ſucceſſores.*

206 *Legatum de ſingulo anno exequendum eſt perpetuum.*

1 NOmen *Legati* ſumitur duplicitèr. *Primò* perſonalitèr in genere maſculino, ſecundùm quod dicimus Legatum e.g. Cardinalem miſſum à latere Pontificis ad gubernandam aliquam Provinciam, & de hoc non loquimur. *Secundò* realitèr pro aliqua re à teſtatore relicta in ſuo ultimo teſtamento; & in hoc ſenſu, hìc agendum eſt de legatis, in quo ſenſu veniunt etiam ſervi, cum ſint res, quæ legari poſſunt. Dixi *pro aliqua re*, quia verbum *Lego* ſi referatur ad univerſitatem bonorum, tunc legatum non eſt, ſed reſtitutio, *Doct. in cap. Raynaldus* 18. *de teſtam.*

Quæres 1. Quid ſit legatum? & an ſit pars teſtamenti?

2 ℟. Ad primum. Triplicem aſſignari definitionem. Prima ex l. Legatum 119 ff. de legat: 1. ſub his verbis: *Legatum eſt delibatio hæreditatis, qua teſtator ex eo, quod univerſum hæredis foret, alicui quid collatum velit.* Verbum *delibatio* ſignificat diminutionem bonorum hæreditatis, ex qua detrahitur legatum dandum ab hærede legatario. Secunda *ex l. legatum* 37 ff *de legat* 2. *Legatum eſt quędam donatio teſtamento relicta.* Demùm tertiam ex illis tradit inſtit. de legat. ſic. *Legatum eſt donatio quædam à teſtatore relicta ab hærede præſtanda.*

3 Non benè additum fuit illud verbũ *quædam*, quia in definitionibus, genus, ut eſt *donatio* non eſt reſtringendum, ex quo facit definitum convenire cum aliis participantibus idem genus; ſicut non licet definire, quod homo ſit quoddam animal, ſed ſimplicitèr, quod eſt animal, nam quoddam animal non eſt genus, ſed ſpecies, aut individuũ ſub genere contentũ.

4 ℟. Ad ſecundum, legatum non eſt pars eſſentialis, nec integralis teſtamenti, quia ſatis notum eſt, teſtamenta ſubſiſtere eſſentialitèr, & integralitèr ſinè legatis; non enim omnes teſtatores, dum inſtituunt, legant. ità omnes cum *Mar. Socino in Rubr. de legat. 1. num. 19. Graſſus q. 2. de legat.* qui cum aliis dicit, eſſe partem accidentalem, & acceſſoriam teſtamentis, ſi in illis exprimatur, *Crotus de teſtam. num. 6. Craveta ibid. n* 16. Vide *Paſqual. q.* 986. *nu.* 3. qui ab his parùm differt.

Quæres 2. Quotuplex ſit legatum?

5 ℟. Multis modis dividitur. *Primò* in ordine ad modum illud faciendi, & quadruplex eſt, Purum, ſeù abſolutum, Conditionale, Modale, & in diem. *Secundò* in ordine ad tempus, & aliud eſt annuum, quod dividitur in perpetuum, & ad tempus, quod ſingulis annis ſolvitur, aliud eſt, quod ſemel ſolvitur. *Tertiò* in ordine ad finem, & quibus fit, & aliud eſt Profanum, aliud Pium. De ſingulis agendum.

Quæres 3. Quid ſit legatum Purum?

6 ℟. Eſt illud, quod caret conditione, modo, & die, cujus natura eſt, ut poſt mortẽ teſtatoris ſtatim acquiratur legatario, cui debetur ab hærede. Idem autem eſt, quod vocatur Abſolutum, quia abſolvitur à cõditione, modo, & die, cum quibus ex quo non eſt compoſitũ, appellatur etiam Simplex. Quandoq; legatum purum fit pœnale, cũ ſcilicèt legatario adjungitur aliquod onus, quo non impleto, privatur legato, *Rot p.* 9 *dec.* 201 *n* 4. quãdoq; in re eſt purũ, licèt illis expreſsũ juxtà inferiùs dicenda.

Quæres 4. Quid ſit legatũ Conditionale?

7 ℟. Eſt illud, quod ſub conditione relictũ fuit. Triplex autem eſt conditio in ordine

8 ad tempus *Prima* dicitur de præterito; ut, *Lego tibi centum, ſi eſt mortuus tuus pater. Secunda* de præſenti; *Lego tibi banc domum, ſi nullam habes.* Si ambæ veræ ſunt, legatarius lucratur, ſi falſæ, nihil acquirit, *l cũ in ſecundo* 16 *ff. de injuſto rupto l conditio* 100 *ff. de verb. ſig.* Demũ *Tertia* de futuro, conditio propriè dicta, quę ſuſpendit ſubſiſtentiam

tiam legati, donec purificetur; ut, *lego tibi centum, ſi duxeris Bertam*. Tuum non eſt legatum, niſi contracto matrimonio; ità omnes *cum Angelo v. legatum* 1. *n.* 51. *Silv. n.* 2. *Tabiena n.* 48. *de Lugo diſp.* 24. *de Juſt. nu.* 243. Vide *cap.* 17. *q.* 13. ubi de dictionibus importantibus conditionem.

9 Pro intelligentia ſciendum eſt, quòd conditio de futuro triplex eſt. Poteſtativa, cujus eventus pendet à legatario; ut, *Lego tibi centum, ſi ibis Venetias*. Cauſalis eſt illa, cujus eventus pendet à legatario; ut, *Lego tibi centum, ſi Navis venerit ex Indiis*. Mixta eſt illa, cujus eventus partim pendet à legatario, partim non; ut, *lego tibi centum, ſi duxeris Bertam in uxorem*. Ità *de Lugo diſp* 24. *n.* 224. *Layman lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 10 *n.* 10. *Caſtrop. par.* 7. *de juſt. tr.* 32. *diſp.* 1. *p.* 7. *n.* 6. *Sanch. lib.* 2. *c.* 14. *n.* 13.

10 Conditio paritèr de futuro reſpectu actus eſt duplex. Una poſſibilis, ut patet in exemplis allatis, quæ proindè ex ſua poſſibilitate, & honeſtate magis favet exiſtentiæ legati, quàm quod ei abſit ex capite ſuæ bonitatis. Altera impoſſibilis, quæ ſcilicèt non poteſt deduci in actum, ſaltem moralitèr, & hujus generis conditiones ſunt in triplici differentia. Aliæ ſunt natura impoſſibiles; ut, quòd filius ſit major patre. Aliæ ſunt tales de facto; ut, ſi tetigeris cœlum digito; ſi in triduo refeceris domum. Aliæ dicuntur impoſſibiles de jure, quia prohibentur, & ſunt turpes; ut, ſi peccaveris, ſi percuties, ſi duxeris conſanguineam ſinè diſpenſatione &c. *Caſtrop. cit. n.* 3.

11 Legatum igitùr factum ſub aliqua ex dictis conditionibus futuris impoſſibilibus non vitiatur, ſed ſubſiſtit, & valet, quia ſimiles conditiones habentur pro non adjectis. Ità *l. ſi quis* 6. *l. quæ ſub conditione* 8. *ff. de condit. inſtit. l. Obtinuit* 3. *ff. de cond. & dem.* Et ratio eſt, quia impertinens non debet vitiare, quod de ſe natum eſt eſſe. Ità docent *Sanch. lib.* 7. *cap.* 17. *nu.* 2. *de Lugo diſp.* 22. *n.* 370. *Caſtrop. diſp.* 1. *p.* 7. *nu.* 4. Dixi *de conditionibus futuris*, quia præterita conditio, licèt turpis, non vitiat legatum, quia non inducit peccatum, ſed illud ſupponit, undè tenet hoc legatum conditionatum. *Lego centum Petro*, ſi anno præterito habuit filium illegitimum, *de Lugo n.* 373. ubi quòd nec vitiat matrimonium ſecundùm *D. Thomam in* 4. *diſt.* 29. *q. Un. ar.* 3. *q* 3. *Sanch lib.* 5. *diſp.* 15. *n.* 5.

12 Purificata conditione, legatum ſtatim tranſit in abſolutum, & purum, quia conditio, quæ evanuit per adventum effectus expreſſi in teſtamento, non ampliùs poteſt tenere legatū in ſuſpenſo, dū illa non eſt.

Super legatis conditionalibus aliqua obſervo in ſequentibus, quæ faciunt ad intelligentiam dictorum.

13 Ex conditione impoſſibili putata poſſibili à teſtatore, adhuc vitiatur legatum, *l. Servo* 58. *ff. de cond. indeb.* intellige de præterito, quia ille ſervus putabatur manumiſſus, & non erat.

14 Turpia legata pro non ſcriptis habentur, *l. Turpia* 57 *ff. de leg.* 1.

15 Si conditio poteſtativa deficit per caſum, legatum non perimitur, *l. Turpia* 57. *§. ſed, & ſi ff. de leg.* 1.

16 Legatum debetur, licèt modus per caſum deficiat, *l. ſi Titio* 95. *ff. de legat.* 1.

17 Conditio adjecta in inſtitutione, non videtur repetita in legato eidem alio gradu relicto, *l. Ab omnibus* 107. *§. in teſtamento ff. de legat.* 1.

18 Si non ſtat per legatarium, conditio videtur adimpleta, *l. Titia* 35. *§ ſi ea ff. de legat.* 2.

19 Legatum antè adventum diei, vel conditionis non poteſt repudiari, *l. ſi ità* 46. *§. Si ſub ff. de legat.* 2.

20 Cauſa falſa non vitiat legatum, *l. ſi ità* 12. *ff. de cond. & demonſt.* ſi de corpore conſtat. *l. demonſtratio* 17. *eod.* niſi conditionalitèr ſit expreſſum, *l. ead. §. quod autem ff. eod.*

21 Conditio, quæ tacitè ineſt, expreſſa non facit legatum conditionale, niſi teſtator aliter voluerit, *l. in conditionibus* 19. *§. Hæc ſcriptura ff. de cond. & demonſtr.*

22 Legatario mortuo, pendente conditione, legatum extinguitur, *l. Interdicit* 58. *ff. de cond. & demonſtr.*

23 Morte gravati non extinguitur legatum conditionale, *l. Legato* 64 *ff. de cond. & demonſt.*

24 Conditio de futuro, quæ implicat aliquod præteritum, vel præſens, ſi eſt impoſſibilis, vitiat, ſecùs ſi eſt poſſibilis, & deficiat, *l. cum tale* 71. *§. Falſum ff. de cond. & demoſtr.*

25 Conditio de præterito, & præſenti falſa non ſuſpendit, ſed vitiat legatum, *l. Eas cauſas* 79. *ff. de cond. & demonſtr.*

26 Conditio de futuro poſſibilis ſuſpendit, donec ſit impleta, *l. Eas cauſas* 79. *ff. de cond. & demonſtr.*

27 Si legatum conferatur in mortem hæredis, eſt conditionale, ſecùs ſi in mortem legatarii, *l ſi cum* 4. *ff. Quandò dies legat.*

28 Conditio adjecta inſtitutioni non videtur adjecta legato præcedenti, *l. Filiusfamilias* 27. *ff. Quandò dies.* Vide *ſuprà nu.* 17.

29 Conditio impoſſibilis de jure non vitiat legatum, ſed ipſa vitiatur, & rejicitur, *l. Ab adminiſtratione* 8. *C. de legat.*

30 Sufficit pro obtinendo legato, quòd conditio in momento temporis ſit adimpleta, *l. cum uxori* 4. *C. de legat.* intellige, niſi habeat tractum ſucceſſivum, ut ſtudium, *Gratian. cap.* 217. *num* 84.

Quæres 5. Quid ſit legatum modale?

31 R. Eſt illud, cui additur modus importans gravamen, & onus exequendum à legatario. *Cod. de don. quæ ſub modo. Gloſ. V. conditione cap. Verùm* 4 *de condit. ubi Canon.*

*non Castropal. par. 7. de just. tract. 32. disp. 1. p. 8. num. 2. de Lugo disp. 24. num. 245.*

32 Quoniam autem modus magnam habet affinitatem cum conditione, in dubio, si ex verbis legati non potest discerni modus à conditione, præsumendum est, legatum esse conditionale, non modale, *ex l. ff. testatore* 108. *ff. de cond. & dem. Molina lib. 2. de primog. cap. 2. num. 62. alter Molin. tract. 2. de just. disp. 208. Castropal. disp. 1. p. 8. num. 2. Anton. Gomes tom. 2. Var. cap. 12. num. 72. de Lugo disp. 24. num. 246.* Alii dicunt præsumendum esse modale cum *Pasqual. q. 1082. num. 2.*

33 Facilis tamen est discretio inter utrunque; nam si testator vult, ut onus exequatur, antequam habeatur legatum, certè est illud conditionale; ut *lego tibi mille ea lege, pacto, & conditione, si duxeris in uxorem filiam meam*. Nam hìc legatum datur post matrimonium contractum, ac proinde est conditionale tale legatum. Si verò vult, ut prius habeatur legatum, & deinde fiat opus impositum, legatum est modale; *ut lego mille tibi, ut mihi ædifices sepulchrum, ut mihi celebres tot missas &c.* Ex his enim manifestum est, opus esse faciendum ex pecuniis legatis, ergo prius est solvendum legatum, & postea onus exequendum, & ita docent præcitati.

34 Legatum autem modale peti non potest, nisi caveatur de modo adimplendo, promittendo opus iniunctum à testatore. *l. si tibi* 19. *ff. de legat. 3.* Modus autem non suspendit, nec legati substantiam vitiat, sed differt, donec sit præstita cautio de modo implendo, *l. eas causas* 79. *ff. de cond. & dem.* Legatarius autem non cogitur subire onus adiectum à testatore, nisi soluto legato cum cautione. *l. Eum, cui* 8. *ff. de fideicom. libertat.* Revocato autem legato, censetur revocatum onus adiectum. *l. Pamphilo* 37. *§. duas ff. de legat. 3.* imò si legatarius non exequatur opus à testatore impositum, privatur legato sibi soluto, *l. Liberto* 21. *§. Lucius ff. de annuis leg.* Legato finito, finitur etiam onus adiectum, nisi mens testatoris aliter appareat, *l. Stichus* 20. *§. Titia ff. de alim. & cibar. legat.*

35 Quando testator, vel donator relinquit legatum cum onere faciendi aliquid Ecclesiæ, expressa pæna revocationis, si non fiat, tunc legatarius non potest sibi retinere legatũ, ut expressè colligitur *ex cap. Verùm. 4. de condit.* Si vero nulla fiat mentio revocationis, putant remanere posse legatum piũ apud Ecclesiam, quia censetur factum in honorem Dei, & salutem animæ *Ita Castropal. p. 8. n. 8. Barb. ad citatũ cap. n. 2. de lunga disp. 24. n. 249 qui ex Medina de reb restit. q. 24.* notat, id verum esse, nisi aliud cõstet de mente testatoris, id tamen mihi durũ videtur, quia expressa voluntas testatoris est, ut illud fiat, ergo si non fiat, legatum restituendum est, *arg. l. 1. ff. de condict. ob caus. cap. 5. de donat. inter vir.*

In casu verò, quo non possit impleri onus legato impositum ex aliqua legitima causa, vel quia erat onus in potestate tertii, qui noluit, vel mortuus est, non revocatur, quia hæc impossibilitas censetur, ac si ab initio fuisset, quæ non vitiat, *ex l. 1. C. de donat. sub modo, Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 4. Castropal. p. 8. n. 9.* Legata ergo pia Ecclesiæ, vel locis piis non perduntur, si ex impotentia non potest fieri opus, debet nihilominus converti in aliud pium opus, ut dicam suo loco.

36 Colligitur hinc, legata, quæ constant ex oneribus missarum, dici modalia, unde eis applicanda sunt, quæ diximus in genere de legatis modalibus, excepto eo, quod non satisfacientes suo muneri, tenẽtur restituere eleemosinam receptam, ut latiùs dicam suo loco. Vide citatos à *Pasq. q. 1082. num. 1.*

Quæres 6. Quid sit legatum in diem.

37 R. Est illud, in cujus dispositione assignatur tempus, & dies, quo solvendum est, *ex leg. ff. quando dies legati cedit.* Ubi *l. 4.* si legatum confertur in mortem hæredis, est conditionale, secus si in mortem legatarii. Conditio tacita ex testamento procedens, impedit diem legatorum cedere, secus si extrinsecus veniat, *l. quod purè 6. ead.* Tempus certæ ætatis adiectum causa legatarii, diem facit, non conditionem, *l. Firmio 26. §. cum ab hæredibus ff. quando dies legati.* Legatum ante adventum diei, vel conditionis, non potest repudiari, *l. si ita 46. §. si sub ff. de legat. 2.* Legatum in diem incertum non cedit nisi adveniente die incerto, & si interim decedat legatarius, non transmittitur, sed vadit ad substitutum, vel coniunctum, vel manet hæredi testatoris. *l. 1. §. sin autem C. de de caducis* tollendis.

Quæres 7. Quid sit legatum perpetuum, & ad tempus? Vide infra *q. 55.*

38 R. Legatum perpetuum est illud, quod relinquitur sine limitatione temporis. Ad tempus verò est illud, quod tempore præfinitur à testatore: illud autem censetur perpetuum, quod conceditur ad vitam hominis, & quousque vixerit, id enim non tollit rationem perpetui, cum vita hominis dicatur perpetuari usq; ad mentem, & vitam ejus, dum certam temporis mensurã non habet, intra quam sit victurus, *l. Sufficit 16. ff. de condict. indeb. Glos. V. Perpetuus cap fin. de resc. in 6.* rectè dicitur perpetuò vivere usq; dum moritur. A fortiori dicitur perpetuum, si relinquitur hæredibus hæredum, *Covar lib 3. Var. cap. 9. num. 10. Vers. quarto, fine, Ciarlin. cap. 143. num. 33. Vide Barb. bac. dict. 254.*

39 In dubio autẽ an legatum sit perpetuum, an ad tempus? Censendum est perpetuũ, dum non apparet cõditio restringens tempus. *Rota par. 4. tom. 3. resol. 563. initio.*

*tio*. Et ejus perpetuitas bene colligitur ex annuis ſolutionibus, quæ important ſucceſſionem interminatam.

Modò agendum eſt de legato annuo, quod eſt genus ad perpetuum, & ad tempus legata.

Quæres 8. Quid ſit legatum annuum?

40 R. Eſt illud, quod initio anni ſingulis annis ſolvitur, *l.* 1. *quando dies legat. l. ſi legatum* 3. *ff. de annuis legat.* Primo autem anno dicitur purum, in ſequentibus conditionale, ſi ſcilicet vixerit legatarius, *l. ſi in ſingulis* 4. *ff. de annuis leg.* Ubi quòd legatum differt ab uſufructu, nam ſi legatarius moriatur initio anni, relinquit legatum illius anni ſuo hæredi; *l. ff. vobis* 5. *ff. ead.* uſufructuarius verò nihil relinquit, licet fructus ſint maturi, & nondum collecti, quia ſunt proprietarii. *Seraph.* 1454.

Quæres 9. Quid ſit legatum Pium, & Profanum?

41 R. Pium eſt illud, quod relinquitur ad honorem Dei Eccleſiis, vel locis piis, aut pro animæ ſuffragio, vel pauperibus, ſeu religioſis, debet in eo relucere pietas, & amor Dei. Profanum, quod his caret. De legatis piis agam infrà in ſuo capite.

Quæres 10. An legatarius immediatè ſuccedat teſtatori, an hæredi? ideſt, an teſtator ſicut immediatè dat hæreditatem inſtituto, ita & immediatè det legatariis legata?

42 R. Legatarius immediatè ſuccedit teſtatori, non hæredi, qui à virtute teſtamenti acquirit jus ad legatum, non ex vi hæreditatis, quæ quandoque non auditur, & tamen legata debentur, cum ſcilicet eandem adit titulo inteſtati, *ex l. §. fin. &*
43 *l. Licet* 2. *ff. ſi quis omiſſa Cauſ. teſtam.* & licet *in l. ſi nemo* 9. *ff. de teſtam tutela*, dicatur: *Si nemo hæreditatem adierit, nihil valet ex iis, quæ teſtamento ſcripta ſunt, ſi verò unus ex pluribus hæredibus adierit, tutelæ ſtatim valent*. Tamen Bartolus ibidem num. 4. & 5. ait valere hodie relicta in teſtamento, quando hæres non adit hæreditatem prohibitus detrahere falcidiam, vel etiam quando unus eſt inſtitutus in certa parte. Confirmatur, quia bona teſtatoris immediatè remanent obligata, præſertim talis res numero relicta, unde dicitur recta via tranſire ad legatarium,
44 *l. Legatum* 28. *ff. de legat.* 2. *l. ff. Titio* 66. *ff. de furtis*. Ergo cum recta via legatum tranſeat ad legatarium, is immediatè ſuccedit teſtatori, non hæredi; hoc enim im-
45 portant illa verba *recta via* ideſt, nullo interpoſito medio. Ulteriùs legatarius, quando legatum non eſt ſubiectum falcidiæ, poteſt illud capere independenter à manu hæredis, ut mox probabo, ergo ſuccedit immediatè teſtatori defuncto. Hanc communem dicit *Craſſus q.* 70. *num.* 2. dum dicit, dominium legati tranſire immediatè in legatarium.

Contrariũ docet *Carã. in ſuo Theol. fund. num.* 1292. *Regula* 160. ubi, quòd defunctus omnia dat hæredi cum onere ſolvendi legata, ſecundùm Ulpianum, nam ſi fundus, qui legatur Petro à Franciſco, immediatè tranſiret ad Petrum, nunquam illum habuiſſet, aut poſſediſſet hæres, & malè Ulpianus diceret legatarium habere tantum jus, quantum hæres, ex eo enim retulerat verba ejus, quæ ſunt hæc:
46 *Abſurdum eſt plus juris habere eum, cui legatus eſt fundus, quàm hæredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viveret*. Et infra ſub *num.* 1308. *Reg.* 181. *ex l. ſi nemo*, de qua ſupra, probat inquiens ſanè, ſi legata immediatè à teſtatore darentur, tenerent, etiam ſi nemo hæreditatem adiiſſet, non enim penderent legatarii ab hærede, at quia dantur mediatè, & ab hærede accipienda ſunt, ſublato hærede in aere hærent &c.

47 R. Teſtatorem unicuique dare diſpoſitum, nempe bona nulli relicta, hæredi; aliis verò relicta, legatariis, quod patet ex ſtylo Notariorum, qui præmiſſis legatis ſic proferunt inſtitutionem: *In omnibus verò aliis ſuis bonis præter diſpoſita inſtituit &c.* Per hanc enim clauſulam excludun-tur alia bona, de quibus ſupra diſpoſitum fuit, *Fulgoſ. conſ.* 99. *Decius conſ.* 653. *num.* 5. *Socin Jun. conſ* 107. *num.* 47. *lib.* 3. *& conſ.* 89 *num* 9. *lib.* 4. *apud Theodoſ. Rubeum clauſ.* 417. Nec obſtat, quod ait *Paris lib.* 3. *conſ.* 54. *num.* 48. & ex eo *Seraphim. dec.* 83. eam clauſulam non operari, quòd hæres univerſalis non ſit etiam inſtitutus in legatis. Quia id verum eſt reſpectu legatorum ad tempus, & conditionalium, & indeterminatarum rerum, non verò reſpectu certorum relictorum, quæ immediatè tranſeunt in legatarium.

Itaque reſpondetur ad primum argumentum Caramuel. per hoc legatarium non habere plus juris hærede, dum habet ſolum jus ſibi competens dependenter à teſtatore, qui illis diviſit jura unicuique dando propria, & ſemper verum eſt dicere, quòd hæres habet plus juris, quàm legatarius, quia is eſt ſucceſſor particularis, ille verò univerſalis. Ad ſecundum patet ſupra, legatum non hærere in aere.

Quæres 11. An legatum ſit capiendum de manu hæredis.

48 R. Capiendum tunc eſt de manu hæredis, cum eſt de re indeterminata, & quando ſolvenda eſt falcidia, non verò ſi ſimul eſt hæres ejuſdem rei facultas propria manu capiendi illud.

Primùm, quòd ſit capiendum de manu hæredis, colligitur *ex inſtit. de legat. §.* Ubi dicitur, quòd præſtandum eſt ab hærede; ergo ab ejus manu capiendum, imò eo privatur, ſi propria auctoritate id capit, *l. non eſt dubium.* 5. *Cod. de legat. Gloſ. V. Petendo Cap. Raynaldus* 18. *de teſtam.* Ac proinde poſt aditam hæreditatem, *l. omnia* 32. *ff. de*

*legat.*

*legat. 2. Alex. lib. 7. conſ.* 198. *num.* 7. *Roman. conſ.* 428. *Gratian. cap.* 922. *num.* 28. Quia aditione hæreditatis magis confirmatur jus legatarii ad petendum, *Ripa in l. ſciendum ff. de legat. 1. num.* 18. *Covar. de teſtam. p.* 3. *num* 22. *Gomez Var. cap.* 4. *num.* 16. *Rota p.* 9. *dec.* 41. *num.* 16.

Secundum, quando eſt de re indeterminata, probatur, quia tunc hæres dicitur inſtitutus etiam in eo legato confuſo cum bonis hæreditatis, ideò ab eo petendum eſt, qui ſolus poteſt diſcernere alienum à ſuo.

49 Tertium, quando non eſt ſolvenda falcidia, probatur, quia in tantum petitur ab hærede, in quantum in eo habet intereſſe; ſed in hoc caſu nullũ habet intereſſe, ergo poteſt illud capere independenter ab hærede. Ita Legiſtæ *in l. 1. C. Quorum legat. Rota par.* 9 *dec.* 335. *num.* 11. *Ciarlin. cap. num.* 8. *Gratian. cap.* 87. *num.* 10. & ſic ante aditam hæreditatem *Covar. in cap. Raynaldus §.* 3. *num.* 11. Procedit ſivè legatum ſit pium, ſivè profanum, *ex citatis cum Capra conſ.* 3. *fine*, *Gomez. lib.* 1. *conſ.* 140. Quia nulla alia ratione petitur ab hærede, niſi ut poſſit detrahere ſibi falcidiam.

Quartum, quando ſimul eſt hæres, & legatarius, probatur, quia cum ſit hæres licèt particularis, non eget alio hærede, cum in tali caſu omninò ſint diſparati, & unus non ſubordinetur alteri, ſed ambo immediatè teſtatori. Ita *Alex. in l. quoties C. de hæred. inſtit. num.* 4. *Francb. dec.* 293. *num.* 4. *Rota par.* 9. *dec.* 152. *num.* 26.

50 Quintum, cum teſtator dat legatario poteſtatem capiendi legatum perſcriptum, probatur, quia quilibet rei ſuæ cùm ſit arbiter, & moderator, apponere poteſt, quod ſibi placet, *l. ſed, & ſi* 28. *§. conſuluit ff. de pet. hæred. l. in re mandata* 21. *C. mandati*. Teſtator enim liber omninò eſt ab hærede, à quo nullatenus dependet in conſtitutione ſui teſtamenti. Ita *Alex. in l. Nemo ff. de legat.* 1. *Jaſon. in l. Quoties C. de hæred. inſt. num.* 8 *Gratian. cap.* 47. *num.* 12. *Rota par.* 9. *dec.* 335 *num.* 10. Nonnulli dicunt tunc eſſe capiendum per decretum Judicis *cum Jaſone lib.* 4. *conſ.* 146. ſed id eſt tantùm de conſilio, *Gratian. cap.* 47. *num.* 18. *Surd. lib.* 2. *conſ.* 265. *fine*, *Rota cit. num.* 13.

Demùm praxis eſt ferè omnium, ut petatur ab hęrede, ex quo pręſtandum eſt ab illo tamquam executore, in hoc, voluntatis teſtatoris, qui illi confidit omnia ſua bona.

Quęres 12. Quandonam acquiratur dominiũ legati? Certũ eſt *primò*, non acquiri ante mortem teſtatoris, dum enim teſtamentũ non recipit vires, nec ſtabilitur niſi per mortẽ, inde fit, ut nec legatum ſubſiſtat, niſi poſt mortem legantis, ac proinde nõ poſſit acquiri ante illius exiſtentiã, acquiſitio enim ſupponit exiſtentiam rei acquirendæ, cùm non entis nullæ ſint qualitates, & effectus. *Secundò*, legatum acquiri non ſolùm habenti illius notitiam, ſed etiam ignoranti, *l. cum pater* 79. *§. Surdo ff. de legat.* 2. His uti certis ſuppoſitis circa

51 52 quęſtionem duæ ſunt opiniones. Prima, quòd legatario acquiratur dominium rei relictæ ab adita hæreditate, & non ante, *l. ſi tibi homo* 88. *§. cum ſervus ff. de legat.* 1. Secũda, quòd acquiratur à die mortis teſtatoris, ſicut enim confirmatur teſtamentũ, ita & legatum, cum ejus ſit pars, *l. A Titio* 66. *ff. de furtis.* Prior lex eſt Juliani imperatoris ab anno 361. Poſterior Martiani regnatoris ab anno 450. ergo hæc prevalere debet priori, *l. ſed* 28. *& l. fin. ff. de legib.*

Quæres 13. Quandonam acquiratur dominium legati puri relicti ſine die, modo, & conditione ipſi legatario?

53 R. A die mortis teſtatoris *ex l. A Titio* 66. *ff. de furt. l. Legatum* 82. *ff. de legat.* 2. *in* quibus locis dicitur, quòd recta via tranſit ad legatarium, tunc autem tranſit recta via, cùm nullum tempus eſt expectãdum ad ejus acquiſitionem præter mortem teſtatoris. Comparantur enim hæres, & legatarius in ea *l.* 82. *& l. in tempus* 62. *ff. de hæred. inſtit.* ſed hæres eſt dominus à morte teſtatoris, ergo & legatarius. Ita *Gofredus in l. Pater filium §. fundum de fideicom.* 3. *ibidem Alciatus, Bartol. lib.* 1. *conſ.* 76. *Alex. lib.* 1. *conſ.* 14. *num.* 4. *cum aliis Gratian. cap.* 136. *num.* 2 *Rota par.* 5. *tom.* 2. *dec.* 602. *num.* 17. Ubi dicit, quòd legatarius in ſuo legato poſt obitum ſolũ teſtantis plenum jus acquirit. Procedit, licèt res relicta ſit indeterminata, ex quo enim poſtmodum ſit determinanda ab hærede, non ſuſpendit dominium, ſed tantùm retardat determinationem, & traditionem rei faciendam per hæredem.

Quæres 14. Quandonam acquiratur dominium in legatis conditionalibus?

54 R. A purificatione conditionis, & non antè debentur *l. legata* 41. *ff. condit. & demonſtr. l.* 1. *§. ſin autem C. de caducis toliend.* imò pendente conditione legati hæres poteſt rem legatam unà cum fructibus revocare à legatario, cum nondum ſit ſua, *l. Omnia* 32. *§. Fundum ff. de legat.* 3. Eſt communis *Gratian. cap.* 250. *num.* 13. *Covar. lib.* 1. *Var. cap.* 9. *num.* 5. *Jaſon. in l.* 1. *ff. de legat.* 1. *num.* 115. ea ratione, quia cum conditio nihil ponat in eſſe *l. ſi quis* 8. *ff. ſi quis omiſſa cauſa l. Cedere* 113. *ff. de verb. ſignif.* non ponit legatum, ſub qua factum eſt, neque proinde dominium tribuit legatario, cum accidens non poſſit eſſe ſine ſuo ſubiecto, dum ergo pendet, nihil operatur, ſed ſolùm poſita ejus adimpletione, incipit exiſtere legatum, & dominium in legatario.

55 Pro cujus explicatione pono ſequentes regulas de cõditione, quantũ facit ad prę-

ſens

ſens negotium. Prima; conditio de præſenti, vel præterito non ſuſpendit, ſicut de futuro, *l. cum, ad præſens 37 ff. de reb. cred. l. conditio 100. ff. de verb. obligat. Inſtit. de verbor. obligat.* Ideò quæſtio præſens procedit de conditione de futuro, ex quo hæc ſola ſuſpendit. Secunda; habetur conditio pro impleta, quandò is, qui implere debet, impeditur facto ejus, qui ex implemento tenetur, *l. Dedi tibi 3. §. quamquam ff. de cond. cauſa data.* Tertia conditio poteſtativa, vel modus habentur pro completis, ſi non ſtetit per eum, qui implere debet, ſed per caſum, *l. quæ ſub conditione 8. §. quoties ff. de condit. inſtit. l. Titia 35. §. Si ea ff. de legat. 2.* Quarta; ſi conditio non poteſt impleri de jure, ſufficit, quòd impleatur de facto, *l. Mulier 20. §. Si quis ff. de condit. inſtit.* Quinta; expreſſio conditionis per eum modum, per quem ex neceſſitate ineſt, nihil operatur, *l. Hæc verba 3. ff. de legat. 1.* & ſic legatum non facit conditionale, *l. In conditionibus §. Hæc ſcriptura 19 ff. de jis, quibus ut indign.* Sexta; morte gravati non extinguitur legatum conditionale, *l. Legato 64. ff. de jis, quibus ut indign.* Septima; conditio de futuro poſſibilis ſuſpendit legatum, donec ſit adimpleta, *l. Eas cauſas 79 ff. de cond & dem.* non verò impoſſibilis, cum ea habeatur pro non adjecta ex dictis ſupra *num. 11.* ergò legatum ſub ea factum dicitur purum. Octava; conditio adjecta in inſtitutione, non videtur repetita in legato, *l. Ab omnibus 107. §. Cum quidam, de legat. 1. l. Filiumfamilias 27. ff. quandò dies legator.* Contrarium, *l Pater 17. §. Marito ff. de doli, & metus except.* Nona; conditio, quæ pendet ex poteſtate legatarii, & alterius, ſi ex facto alterius impediatur ſinè legatarii culpa, habetur pro impleta, *l. Mævia 13 ff. de annuis legat. l. 122. de reg. jur.* Decima; ſi conditio eſt poſſibilis ex parte, ſufficit ſi ei pareatur in eo, quod poſſibile eſt, *l. Qui dotem 13. ff. de dote prælegata.* Undecima; conditio impedita per tertium, habetur pro impleta, *l. ſi Titius 14. ff. de condit. & dem.* Duodecima; conditio poteſtativa facilis adimpleri, ſtatim debet impleri, cum poteſt, *l. Hæc conditio 29 ff. eod.* Decimatertia; conditio denotat nudum miniſteriũ, & debet impleri in forma ſpecifica, *l. Mævius 54. ff. eod. l. Qui hæredi 44. eod.* Decimaquarta; ſufficit, quòd conditio ſit adimpleta in momento, *l. cum uxori 4. C. quandò dies legat.* Ex his quamplures quæſtiones reſolvi poſſunt.

Quæres 15. Quandonam dominium legati in diem acquiratur legatario?

56 R. Si dies eſt certus, legatarius ſtatim poſt mortem teſtatoris, acquirit dominiũ ſui legati; ſi verò dies eſt incertus, cum legatum ſub eo factum, ſit conditionale, non acquiritur dominium à legatario, niſi die adveniente, quod verum eſt, quandò tempus adiectum fuit favore hæredis, qui legatum ſolvere debet, non verò favore legatarii, reſpectu cujus cenſetur purum. Sivè ſit purum, ſivè conditionale ſemper dies eſt expectanda pro ejus exactione, cum hæres non teneatur ſolvere antè diem præfixum.

Prima pars, quòd legatarius acquirat dominium legati in diem certum, ſtatim poſt mortem teſtatoris, probatur expreſsè, *l. Poſt diem 5. l. Si dies ff. quando dies legat. l. Sempronius 26 ff. de Uſufr. leg. Un §. cum igitur C. de caduc. toll. Molin. diſp. 205. Layman. lib. 3. ſect. 5. tract 4. cap 4. Caſtrop. diſp. 1. de juſt. p. 6. n. 2. de Lugo diſp. 24. n. 243.*

57 Secunda pars, quòd dies incertus faciat legatum conditionale, cujus dominium non acquiritur, niſi purificata conditione, probatur *ex l. Dies 74. ff. de cond & dem. l. Hæres meus 78. ff. ad leg. fal.* ubi dies mortis relatus in legatarium facit ejus legatũ purum, in hæredem verò facit conditionale, ea differentia, quia accidere poteſt, quòd hæres ſupervivat legatario, & ſic acquiratur ipſi hæredi; in priori verò caſu acquiritur neceſſariò legatario, qui neceſſariò mori debet, ut illud tranſmittat in ſuos hæredes, ne teſtator videatur illuſiſſe legatario. Dies autem conditionem facientes, exprimuntur ſimilibus verbis.

58 *Lego tibi centum, cùm eris Sacerdos, cum Petrus morietur, ſi nupſeris &c.* Legatarius in his non acquirit dominium, niſi purificata conditione, *ex l. Stipulatio 38. §. inter certam ff. de verb. obligat. l. 1. l. Quibus diebus 40 ff. de cond. & dem.* Ubi dicitur, quòd conditio appoſita in quacumque parte teſtamenti, reddit conditionale legatum. Eſt communis *cum Gomez tom. 2. Var. cap. 11. num. 21. Molina tom. 1. diſp. 205. Gutier. conſ. 17. num. 2. Caſtropal. diſp. 1. p. 6. num. 6. Gratian. cap 136. n. 32. 34. & 39.* Procedunt dicta, quandò tempus adjectum fuit favore hæredis, ut dicunt præcitati, *cum Paſqual. ad Franchum num. 453. Caſtropal. num. 7. de Lugo diſp. 24. num. 243. Layman. lib. 3. tract. 5. cap. 4. num. 2.*

59 Tertia pars, quandò dies apponitur favore legatarii, tunc dominiũ ab eo acquiritur ſtatim poſt mortem teſtatoris, probatur, *ex l. 3. 4. & 5. C. quandò dies legati.* Ratio eſt, quia tale legatum eſt purum, & dies incertus tantùm docet modum, quo ſolvendum eſt, admonendo hæredem de tẽpore, quo illud ſolvere debet, & non antè, cùm ergò ſupponatur exiſtentia legati, ad quod ſequitur ille modus ſolvendi, ſequitur adjectum tempus non eſſe de ſubſtantia legati, dum illud ſupponit; eſſentia enim rei rem non ſequitur, ſed ſuppoſita rem conſtituit. Ità præcitati Doctores.

60 In dubio autem an adjectus dies incertus ſit modus, vel conditio? Reſolvendũ eſſe modum, ac proindè legatum eſſe purum, *ità Caſtr. lib. 1. conſ. 125. Grammat. conſ. civili 46. n. 3. cum aliis Ciarl. c. 167. n. 10.* In dubio autem an dies ſit appoſitus in favo-

rem hæredis, an legatarii? Censendum in favorem hæredis, ac proinde legatum esse conditionale, *l. cum tempus* 17. *de reg. jur.* quia censetur adiectus potiùs causa differendæ solutionis, quàm limitandæ obligationis, *Bart. in l. Si stipuletur* 35. *ff. de verb. obligat. Rota par.* 2. *Divers. dec.* 11.

Quæres 16. Quandonam legatarius acquirat dominium legati modalis.

61 R. A die mortis testatoris, quia modus non suspendit substantiam legati, *l. cum ab ea* 41. *ff. de contr. empt.* non enim suspendit, uti conditio, *l. In re mandata C. Mandati.* sed tantùm differt illius solutionem, donec præstetur cautio de modo, seù onere adimplendo, *l. Eas causas* 79. *ff. de cond. & dem. Gomez. tom.* 1. *cap.* 12. *de legat. num.* 71. *Phanut. de Invent. p.* 6. *num.* 86. *Gabriel. lib.* 2. *conf.* 4. *num.* 11. *ex illis Gratian. cap.* 136. *num.* 19.

Quæres 17. An, & quando legatarius transmittat legatum ad suos hæredes?

62 R. Legatarius transmittit legatum ad suos hæredes, quandocunque ante suam mortem illius acquisivit dominium, licèt moriatur ante aditam hæreditatem, ac proinde ante illius captionem. Ratio est, quia ad transmissionem sufficit acquisitio solius dominii, modò legatum non sit ad vitam legatarii, sicut est, cùm legatur solùm usus, vel ususfructus, aut habitatio, in his enim transmissio locum non habet.

63 Quare primò; legatum purum transmittitur ad hæredes, *l. Un. §. libertatibus, fine C. de caduc. toll. l. Si post diem* 5 *ff. quando dies leg. Gratian. cap.* 136. *num.* 56. *Castropal. disp.* 1. *p.* 5. *num.* 14. *de Lugo disp.* 24. *num.* 238.

64 Secundò; legatum conditionale non transmittitur ad hæredes, quandò legatarius moritur ante purificationem conditionis, *l. Intercidit* 58. *ff. de iis, quibus ut indig. l. Titio. centum* 69. *§. Titio de cond. & dem. l. Un. §. Sin autem C. de caduc. tollend.* Est communis, *Ciarlin. cap.* 167. *num.* 2. *Anton. Gomez tom.* 1. *Variar. cap.* 11. *num.* 36. *Covar. q.* 39 *num.* 4. *Molin. disp.* 206. & 285. *ex illis Castropal. disp.* 1. *q.* 7. *num.* 8. *de Lugo disp.* 24. *num.* 243. Quandò autem conditio, quæ ex natura rei inesse exprimitur, non impedit transmissionem, cum non suspendat, *l. cum illud* 25. *§. Hæres ff. quando dies legati.*

65 Tertiò; legatum in diem certum transmissibile est ad hæredes legatarii defuncti etiam, antequam certus dies cedat; ideſt, veniat, *l. Si post diem* 5. *ff. quando dies legati, l. Un. §. cum igitur C. de caduc. legat.* Est communis *cum Gomez. tom.* 2. *Variar. cap.* 11. *num.* 17. *Castropal. disp.* 1. *p.* 6. *num.* 2. *de Lugo disp.* 24. *num.* 243.

66 Quartò; legatum in diem incertū favore legatarii est transmissibile, etiā si moriatur ante aditam hæreditatem legatarius, expressè, *l.* 3. 4 & 5. *C. Quando dies legati.* Quia dies non habet rationem conditionis, sed modi solvendi, supponens legati puri existentiam, ex dictis sub *num.* 59. Ita *de Lugo disp* 24 *num.* 243. *ubi citat Molinam, & Vasquez.*

67 Quintò; legatum in diem incertum favore hæredis non est transmissibile, si moriatur legatarius ante eventum diei, quia est conditionale ex dictis præced. quæsit. *sub num.* 57. quia legatum non transit nisi à die purificatæ conditionis, *Covar. lib.* 1. *Var. cap.* 9. *num.* 5. *Jason. in l.* 1. *ff. de legat.* 1. *num.* 115. *ex illis Gratian. cap.* 250 *num.* 13.

68 Sextò; legatum modale est transmissibile ad hæredes, quia conditio, non modus impedit transmissionem, *l. A testatore* 108. *ff. de cond & dem. Glos. V. hæredi, l. Si post diem* 5. *ff. quando dies legati, Gomez. tom.* 2. *Var. cap. num.* 71. *cum aliis, Gratian. cap.* 136. *num.* 19.

69 Septimò; legatum factum ad vitam legatarii non est transmissibile, sed revertitur ad hæredem testatoris, vel hæredes hæredis, quamvis mortui ante legatarium, est communis, *apud Gratian. cap.* 612. *num.* 4

70 Octavò; usufructus non transmittitur ad hæredes, nisi de hac transmissione hat expressa mentio, nominando eos, ad quos testator vult pervenire, *Instit. de usufructu §. Finitur, l.* 3 *§. fin. ff. quibus modis usufr. l stipulatio ista* 38. *§. Si quis ita ff. de verb. signif. l. Antiquitas* 14. *C. de usufr. & habitat.*

Quæres 18. Quomodò dominium rei legatæ transeat in legatarium, facto ne ipsius testatoris, an jure, an traditione facta per hæredem?

71 R. Rei relictæ dominium solo testamenti titulo legali transit ad legatarium absque ullo traditionis actu, *l. A Titio* 66. *ff. de furt.* & patet suprà *q.* 13. Undè hæc translatio dominii dicitur facta ministerio legis præfatæ. Ita omnes cum *Covar. in cap. Raynaldus §.* 1. *num.* 1. *Gomez. tom.* 1. *Variar. cap.* 12. *num.* 7. *cum aliis Castropal. disp. Un. de just. p.* 8. *num.* 5. *vers. Tertius.* Transfertur ergo dominium legati solo testamenti titulo, sic disponente lege, adeò quòd factum hæredis quoad hoc nihil operatur, qui dum legatum solvit legatario, supponit illum jam habere dominium rei legatæ, & solùm illi superesse possessionem, quam accipit de manu hæredis.

Quæres 19. An testator facto suo possit continuare possessionem rei relictæ in legatario, & in hærede?

72 R. Negativè, licèt enim solo testamēti titulo, ut mox dixi, sic lege disponēte, trāsferatur dominiū legati, & hæreditatis in legatarium, & hæredē, non tamen possessio, quæ non transit, nisi apprehendatur, *l. cum hæredes* 23 *ff de acquir poss.* quia ad acquirendā possessionē requiritur præter ani-

animum factum proprium legatarii, &
73 hæredis, *l. quoties* 20. *ff. de ſervit. aliis citatis*, *Rota par.* 1. *tom.* 1. *dec.* 35. *num.* 9. Ita quòd nec Judex concedere poteſt poſſeſſionē, niſi accedat factum propriū apprehenſionis per ſe, vel per alium, *Anton. Gomez. l.* 45. *Tauri num.* 54. *Molina diſp.* 13. *Leſſius cap.* 3 *num.* 46. *ex illis Caſtropal. diſp. Un. p.* 24. §. 2 *num.* 1. certum autem eſt, quòd teſtator poſt mortem non poteſt
74 animum ſuum transferre in ſucceſſionem, cum vita, & anima careat, in qua eſt radix voluntatis, *l.* 4. *ff. Locati*, *Cephal. lib.* 1. *conſ.* 30. *num.* 8. *eadem Rota num.* 3. Non poteſt ergo teſtator poſt mortem cōtinvare ſuam poſſeſſionem in hæredem, neque in legatarium, ſed cum ipſo ceſſat, unde ſucceſſoribns neceſſaria eſt propria apprehenſio, ex allegatis ibidem à Rota,
75 quæ rem fusè tracta.

Quæres 20 An ex legatis detrahatur falcidia? Falcidia eſt lex à Falcidio plebis Tribuno, qui legem fecit diminuentem legata, ne quis in teſtamento plus extraneis legare poſſit, quàm ut ſit quarta pars hæredibus data, ita quòd ſi in hæreditate non remanet quarta pars, ſuppletur ex legatis. Triplex autem eſt. Una debita jure naturæ competens legitimo hæredi. Secunda eſt debita jure inſtitutionis, quam inſtitutus petere poteſt, cum tota hæreditas eſt exhauſta; & has duas habere poteſt filius inſtitutus, *ex cap. Raynaldus de teſtam.* Tertia dicitur Trebellianica competens hæredi inſtituto, qui rogatus alteri reſtituere hæreditatem, ſibi retinere poteſt, *ex cap. Raynutius de teſtam.* Ita *ex cap. quædam* 6. *diſt. ibidem Gloſ.* Pro qua re vi-
76 de *de Lugo diſp.* 24. *num.* 298.

℟. Falcidia detrahitur ex legatis profanis, quando quarta pars hæreditatis non ſupereſt hæredi. Non verò detrahitur, quando teſtator eam diminutionem prohibuit, vel juſſit integrè ſolvi. Hæres privatur jure falcidiæ, quando monitus à Judice, intra annum non eſt executus voluntatem teſtatoris; item quando ſurripuit aliquid de bonis hæreditatis; non privatur verò, licèt non confecerit inventarium. Demùm falcidia non detrahitur à legatis piis.

Prima pars de detractione falcidiæ à legatis profanis conſtat, *ex tit. C. Ad legem Falcidiam*, *Inſtit. eod. tit. Canon. in cap. Raynaldus* 18. *de teſtam. de Lugo diſp.* 24. *num.* 298. Non detrahitur, ſi teſtator prohibeat, & velit legatum eſſe integrè ſolvendum, *Gratian. cap* 821. *num.* 7. *de Lugo diſp.* 24 *num.* 299. *Ciarlin. cap.* 140. *num* 25. ubi, quòd id facere poſteſt expreſsè, & tacitè. In dubio autem cenſetur non prohibita, *Marta de ſucceſſ. legal p* 4. *q.* 28 *art.* 3. *num.* 20. *Mangil. de imput. & detr. q.* 113. *num.* 21. *ex illis*, *Ciarl. cap.* 140. *num.* 27.

77 Dubitatur autē primò. An detrahi poſit contra expreſſam prohibitionem teſtatoris? ℟. Negativè, quia non licet contravenire expreſſæ voluntati teſtatoris, qui jure prohibere poteſt detractionem falcidiæ, dum ſcit valorem ſui patrimonii longè excedere, & remanere portionem ſuam, legatis integrè ſolutis. Expreſsè *Auth ſed cum teſtator*, *C. ad legem Falcid. Bolognet. hìc in Rubr. n.* 88. *Ferdin. Vaſquez de ſucceſſ. creat. §.* 8.
68 *num.* 1. *ex his Craſſus q.* 10 *de Falcidia.*

Dubitatur 2. An detrahatur ex re certa legata? ℟. ſic *ex l. Ex facto* 35. *verſ. Et ſi forte ff de hæred. inſtit.* quam communem, & indubitatam dicunt *Socin. jun. vol.* 1. *conſ.* 136 *num.* 6. *&* 7. *Franc. Mant. de coniect ult. vol lib.* 9. *tit.* 13. *num.* 10. *ex illis Craſſus q.* 5. *de Falcidia.* Ex eo enim, quod certa res legatur, non amittit rationem legati, ac proinde eſt capax defalcationis, cum falcidia competat omnibus legatis pro-
79 fanis, cujuſcumque ſint rei.

Dubitatur 3. An legitima filiorum patiatur falcidiam? ℟. Non *ex l. ſcimus* 36. *ff. inof. teſtam.* quia legitima nulli eſt ſubiecta gravamini, & ante omnia exceptis debitis, accipitur, ex quibus falcidia non detrahitur. ita ex *Vaſq. di-*
80 *ctus Craſſus q.* 6.

Dubitatur 4. An legatum dotale patiatur falcidiam. ℟. Non, ſi mulier ſit pauper, utique ſi dives, *Angel. in l. cum is §. ſimiliter*, *ff. de Cond indeb. gloſ. l. Tali ff. de jure dot.* communis opinio apud
81 *Boer dec.* 94 *num.* 2 *Craſſus q.* 7.

Dubitatur 5 An non conficiens inventarium detrahat falcidiam? ℟. Non, *Auth. ſed cum teſtator C de leg. Falcid.* communem dicit opinionem *Alex. in l. in ratione* 11. § *quòd vulgo*, *ff. ad legem Falcid cum aliis Craſſus q* 11 *de Lugo diſp.* 24 *num.* 300 *referendo ſe ad num.* 236 Rota *p.* 9. *deciſ.* 241 *num.* 31. *&* 32. multis ci-
82 tatis, negat privari falcidia.

Dubitatur 6. An ſuſcipiens de bonis hæreditatis privetur falcidia? ℟. ſic, *ex dicta Auth. ſed cum teſtator C ad legem Fal-*
83 *cid. de Lugo diſp.* 24 *num* 300.

Dubitatur 7 Si hæres integrè ſolvat legata, à quibus poterat jure detrahere falcidiam, an eam repetere poſſit? ℟. Non, *ex eadem Auth Gratian. cap.* 264. *n.* 11. *de Lugo diſp.* 24. *n.* 298 *verſ.* ſextus caſus.

84 Dubitatur 8. An monitus infrà annum legata non ſolvens, privetur beneficio falcidiæ? ℟. ſic, *ex eadem Auth ſed cum teſtator, de Lugo diſp.* 24. *num.* 300.

85 Dubitatur 9. An falcidia detrahatur ex bonis prohibitis alienari? ℟. non, *ex Auth. ſed & in ea C. eod.*

86 Secunda pars, quòd falcidia non detrahatur ex legatis piis, expreſſa eſt *in l. ſi quis* 37. *C. de epiſc. & cler.* relata *in C. ad legem Falc.* his verbis. *Similiter falcidia ceſ-*

*ſat in jis, quæ ad pias cauſas relicta ſunt*, ità omnes cum *Ciarl. cap.* 28. *num.* 10. *& cap.* 139. *Sperellus dec.* 153. *num.* 25. *Riccius par.* 1. *dec.* 221. *de Lugo diſp.* 24. *num* 298. *Lezana V. Legatum nu.* 29. *Rota part.* 9. *dec.* 329. *num.* 9.

87 Difficultas prima eſt, quid ſi teſtator mandavit detrahi falcidiam ex legatis piis? R. *Gloſ. in Auth. ſed cum teſtator l. ead.* quod deducitur, & communem vocat *Vaſquius apud Craſſum q.* 3. *nu* 7. Hoc non invenio ibi, nec puto verum, id poſſe fieri à teſtatore contradictam *Auth. ſimilitèr*. Neque enim teſtator facere poteſt, quòd leges non habeant locum in teſtamento ſuo, *l. teſtandi* 31. *ff. de teſtam. cap. Requiſiſti* 15 *de teſtam.*

88 Altera difficultas eſt, an ſi legata abſorbeant totum patrimonium, & hæreditatem, inſtitutus poſſit falcidiare legata pia? R. ſic, *ex Bartolo in dictam Auth. num* 5. *Tiraq. privil.* 26. *de pia cauſa Ferdin. Vaſq. de ſucceſſ progreſ lib* 3. §. 26 *num.* 44. *ex illis Craſſus q.* 3. *num.* 8. *latè Ciarl. cap* 139. *num.* 19. *verſ. verùm tamen*. quid ſi adſint etiam profana? ſi hæc non excedant, videntur ejuſdem juris.

Sed quid dicendum eſt de Trebellianica reſpectu legatorum, an hæc ex illis detrahenda.

89 Trebellianica differt à Falcidia in eo, quòd illa reſpicit legata, & fideicommiſſa univerſalia, refertur ad inſtitutum gravatum reſtituere poſt mortem. Falcidia verò ſolùm detrahitur à legatis particularibus. Ità *Alex. in l.* 12. *C. de teſtam. milit. Pariſ. vol.* 3. *conſ.* 43. *Craſſus q.* 3. *de Trebell.* Gravatus ergò reſtituere habet privilegium detrahendi Trebellianicam tit. *ad legem Trebell.* Quod illi conceditur, ne dicatur hæres ſolo nomine.

90 In legatis univerſalibus, & fideicommiſſis piis gravatus non detrahit Trebellianicam. Ità *Dynus in l.* 1. *§. in filii ff. ad Trebell. Bald in Auth. Similitèr, C. ad legem Falcid Angel conſ.* 41. *&* 59. *Corneus vol.* 1. *conſ.* 93. *Rom.* 239. *Calder. conſ.* 40 *de teſtam cum multis aliis Craſſus q.* 6 *de Trebell. Rota par.* 9. *dec.* 320. *num.* 9. *Ciarlin. cap.* 139. *per totum*. quam vocant communiorem, & veriorem.

Procedit primò etiam ſi ſint inſtituti primi filii, *Cagnol in l. Papinianus, §. Meminiſſe, num.* 18. *Craſſus num.* 2. Procedit 2. ſivè immediatè, ſivè mediatè per alium fiat reſtitutio, *Bald in l. Avia, §. Titio, ff. de cond. & demonſtr. Tiraquell. privil.* 26. Multò minùs detrahit, quandò non confecit inventarium. Ità *Jacobus de Aretio in dicta Auth ſimilitèr, cum aliis, contrà multos*, quos pro utraque parte citat *Craſſus q.* 7. *qui q.* 10. ait bona conſequentia ad falcidiam etiam ad Trebellianicam, quia valet conſequentia à falcidia ad Trebellianicam. Et negativa conſequentia valet à Trebellianica ad falcidiã.

Quæres 20. An falcidia detrahi poſſit ex legatis piis, quandò inſtituta fuit cauſa pia?

91 R. Poſſe, quia privilegiatus ſpecialitèr in aliqua cauſa non utitur privilegio contrà alium privilegiatum in genere, *Decius in cap. in præſentia, de probat. fol.* 23. *Ruin. lib.* 3. *conſ.* 89. *n.* 7. *Ciarlin. cap* 139. *n.* 27. ſed legatarius eſt privilegiatus in ſpecie, & inſtitutus in genere, ergò. Præterea, cauſa privilegiata præfertur alteri privilegiatæ, quandò agitur de damno vitando, non autem de lucro captando, *ex cap. Auditis, de præſcript. Bald in Auth. Perpetua Cod. de ſacroſ. Eccl. Anchar. conſ.* 36. *cum aliis idem Ciarlin. cap.* 139. *n.* 28. Hìc autem agitur per utrumque de lucro captando, *Covar. in Reg Poſſeſſor. §* 2. *n.* 4. *verſ. ex quibus*, conſequentèr in pari cauſa debet eſſe potior conditio poſſidentis hæredis, de cujus manibus legatarius debet ſuum legatum recipere. *Ciarlin.* loco citato utramque opinionem appellat communem, & hanc veriorem, à num. 39. videtur concordare, ut prævaleat cauſa, quæ eſt magis pia, e. g. celebratio miſſarum, ubi num. 36. quòd rationes pro falcidia extenduntur ad Trebellianicam.

Quæres 21. An qui adit hæreditatem, dicatur contrahere cum legatariis?

92 R. Hæres adeundo hæreditatem, ejus patrimonium unum efficitur cum illo defuncti, & quaſi contrahit cum legatariis, & fideicnmmiſſariis; acceptat enim gravamen conjunctum *hæreditati*. Ità *Theſaur. qu.* 66. *num* 4. *lib.* 2. *ex eo Rota part.* 5. *tom.* 1. *dec* 19. *num* 9. Undè hæres per aditionem hæreditatis remanet obligatus obligatione perſonali ad præſtationem legatorum, *ibidem dec.* 4. *num.* 3. Et eò magis cenſetur contrahere cum illis, quandò adit hæreditatem, non confecto inventario, *ex l. apud Julianum* 3. *§. fin. ff. quibus cauſis in poſſeſſ. Rota eadem deciſ.* 338. *numer.* 4.

Quæres 22. An pignus, ſeù hypotheca locum habeat in legatis?

93 Pro reſolutione præmitto, quòd pignus, ſeù hypotheca eſt res obligata pro debito creditori, qui ſibi per eam ſatisfacit, quandò debitor non ſolvit, apud quemcumque res inveniatur. Pignus, & hypotheca confunduntur, licèt pignus accipiatur pro re mobili, quæ pugno, & manu apprehenſa traditur creditori, undè pignus eſt ſemper res determinata, quæ traditur à debitore ſuo creditori. Hypotheca verò pro re immobili, quę non traditur creditori. *Inſtit. de action. §. item Serviamus, l. plebs* 237. *ff de verb. ſignif.* Hypotheca alia ſpecialis, alia generalis, quę dividitur in expreſſam conſiſtentẽ in conventione partium, vel in decreto judicis, per quod creditor mittitur in poſſeſſionem

nem bonorum debitoris, *l. non eſt mirum 26. ff. de pignor. act.* Et in tacitam, quæ contrahitur legis diſpoſitione in certis caſibus, *de quib. Molina diſp. 336. Leſſius lib. 2. cap. 28. dub. 6. de Lugo diſp. 20. ſect. 4. §. 1.* Vocatur legalis, alia conventionalis, & prætoria.

94 R. Omnes præfatæ hypothecæ poſſunt habere locum in legatis; clarùm enim eſt, hæredem per legatarium conveniri poſſe, ut legatarius fiat ſecurus de ſuo legato, & judex in hoc ſuum poteſt interponere decretum, ex dictis. De legali verò pignore, quod locum habeat in bonis teſtatoris expreſsè *l. 1. C. communia de legat.* Legatarius ergò ex hac lege habet ſibi obligata omnia teſtatoris libera tamen, & non obligata aliis, ſivè realitèr, ſivè perſonalitèr ab ipſo teſtatore antè mortem ſuã, undè legatarius à puncto mortis
95 habet pro ſuo legato obligata ſibi bona, quæ remanſerunt omninò libera, ità ut illa pro ſuo legato ſibi vindicare poſſit ad quemcumque pervenerint, ſivè gratis, ſivè cum onere poſt mortem teſtatoris. *De Lugo diſp. 20. num. 58. Clavaſius V. legatum num. 55. Tabiena num. 18. dec. 179. num. 8. & 10 tom. 2. dec. 438. num 3.* dicit, quòd licet hypothecaria actio an detur ad res ipſas legatas conſequendas, quæſtio dubia ſit, receptior tamen eſt affirmativa. Pro legatis igitùr competit hypotheca in bonis ſcilicèt teſtatoris; non autem hæredis, quod potiſſimum procedit, quandò ſuum confecit inventarium, *Merlin. dec. 212. num. 1. 2. & 3.*

Quæres 23. An legatarius petere poſſit Salvianum, ut conſequatur ſuum legatum?

96 R. Affirmativè, quia ex hypotheca legali infertur ad Salvianum, cùm ex ea fiat tranſitus ad tenutam bonorum teſtatoris, donec ſibi ſatisfaciat; Salvianum enim introductum fuit ad exemplum hypothecæ, *l. 1. C. de præcario, & Salviano, Rota p. 5. dec. 438. num. 2. Merlin. dec. 104. num. 4. Gabriel conſ. 46. num. 19 lib. 1. Surd. dec. 76. nu. 4.* iterùm *par. 5. dec. 541. num. 4.* Salvianum eſt utilius, & pinguius hypotheca, *Aret. § item Serviana inſtit. de act. num. 6. ex aliis Gratian. cap. 63. num. 41.* Etiam contrà tertium, *ex deciſ. Panphilii in Faventina legati 24. Novembr. 1589* contrà Surdum *lib. 2. conſ. 191. nu. 8.* qui illud non admittit contrà tertium, ſed tantùm contrà hæredes. *Ciarlinus cap. 28. num. 29.* etiam contrà tertium poſſeſſorem, *cum Marcheſ. de inter. Salv. par. 1. cap. 9. num. 2. Rota p. 3. diverſ. deciſ. 689. num. 4 Cyriacus par. 1. contr. 18. n. 23.*

Quæres 24. An legatario competat actio executiva pro conſequendo ſuum legatum?

97 R. *Rota p. 9. dec. 260. num. 1.* ait, ſecundùm opinionem tribunalis rotalis pro legatis non competit via executiva, & citat ad hoc Addentes ad Buratum *dec. 208. num. 12. Rota par. 5. deciſ. 229. num. 15. nu. 16.* ſolùm eſſe paratam, re jam judicata, *ex l. 1. & fin. C. de execut. rei vid.* Et non alitèr, *Merlin. dec. 104.*

Nihilominùs multi Doctores tenent oppoſitum, legatarios, non requirendo judicium ordinarium, poſſe à Judice petere, ut faciat præceptum hæredi, ut ſolvat, & ſic procedere via executiva. Ità *Angel. in Aut. illud quoque de hæred & falcid. ibi Gloſ. V. Decreto, num. 57. ex eo Marinus lib. 1. cap. 241. Reſolut. quotid. & lib. 2. cap. 8 Gratian. cap. 62. num. 16. Ciarlin. cap. 140. num. 29 qui num. 31 ait*, quòd ſi hæres eſt paratus de jure ſuo incontinenti docere, erit executioni ſuperſedendum, *ex Burſato lib. 3. conſ. 298. num. 11.* Undè melius eſt ſequi Rotam.

Quæres 25. An præſumi poſſit legatum duplicatum eſſe legatario?

98 R. Negativè in eodem teſtamento, in diverſis utique, vel in teſtamento, & codicillis, primum, & ſecundum colligitur *ex l. Planè 34. §. ſi eadem res ff. de legat. 1.* quia tunc conſtat planè de mente teſtatoris, alitèr non. Ità *Covar. de teſtam. par. 2. num. 21. fine, Rimin ſen. lib 2. conſ. 230. nu. 3. Laderchia conſ. 127. num 12. cum aliis Rota par 9. dec. 41 nu. 1.* Et ad id elidendum ſufficit quævis conjectura levis, *Bald. lib. 5. conſ. 163. num. 4. Gratian cap 327. n. 4.* imò ſufficit cauſam conjecturari poſſe, Ex eodem textu *l. Planè*, deducitur, eſſe duplicatum legatum, unum ex teſtamento, alterum ex codicillo, cùm legatarius habeat ſuam intentionem fundatam in diverſis diſpoſitionibus, modò legatum expreſſum in codicillis non referatur aliqua ratione ad teſtamentum, in ordine ad executionem legati relicti in teſtamento, *ex allatis à Paſqual. Centur. 4. q. 351.*

Quæres 26. Cuinam dandum ſit legatum factum habentibus idem nomen.

99 R. Si nullo modo poteſt diſcerni legatum fuiſſe factum uni, & alteri, tunc nullum eſt legatum, quia incertitudo perſonarum vitiat legatum, *l. cum ex pluribus 32. ff. de manum. teſtam. l. ſi ità 11. ff. de reb. dub l. duo ſunt Titii 30. ff. de teſtam. tutel.* quod tamen videtur rarò accidere poſſe, undè poſita diſcretione unius ab alio, cui non conveniunt qualitates expreſſæ à teſtatore, vel quæ conjecturari poſſunt de mente teſtatoris non competentes uni, ſed alteri tantùm, tunc ex illis certificatur, & determinatur perſona, cui dandum eſt legatum; nimirùm illi, cui conveniunt qualitates expreſſæ in teſtamento, & conjecturæ de mente teſtatoris, quia perſona non eſt ampliùs incerta. Quare ſi duo ſint ejuſdem nominis, & cognominis, & alter eorum ſit conſanguineus, vel affinis, vel amicus, & non alter, ille eſt legatarius.

cùm

cum certificetur ex illis qualitatibus, non enim verisimile est, quòd legaverit non consanguineo, excluso consanguineo; Charitas etiam exercenda est priùs in consanguineos, quàm in extraneos. Ità *Riccius part. 2. dec. 213. Rota part. 5. decis. 245.*

100 Colligitur ex his, legatum Ecclesiæ, seù Monasterio factum loci, ubi plures sunt Ecclesiæ, & Monasteria, non determinando, nec individuando loca hujusmodi pia, legatum dandum esse Ecclesiæ, seù Monasterio pauperiori, quia testator id velle præsumitur, cum censeatur volvisse meliori, & perfectiori modo consulere animæ suæ, dando, scilicèt, pauperiori loco, ex quo majus bonum Charitatis facit, subveniendo pauperiori loco, & magis consulit animæ suæ, cui correspondet major remissio pœnarum in Purgatorio, legando pauperiori loco, quàm alteri minus pauperi; legatarius ergò incertus determinatur per hanc conjecturam magis faventem animæ testatoris. Legatum ergò debetur pauperiori Ecclesiæ. Ità

101 *Genuens. cap. 57. in Addit. num. 14. & 15. Anton. Gomez. tom. 2. Var. cap. 11. num. 8. concl. 8 Michael Grassus professor Ordin. in Rostochiensi Accademia de legatis q. 64. nu. 5. ex illis Barbosa ad cap. indicante 4. de testamentis num. 5.* Sed quid dicendum, quandò utraque Ecclesia est Parochialis, in quibus solet recipere Sacramenta, & una sit pauperior altera, numquid debetur pauperiori? Videtur sic, ob rationem adductam, quia eam sinè dubio Ecclesiam determinasset legatariam. *Panorm. in hoc cap num. 4. Covar. in hoc cap. num. 2. cum aliis Barb. hic num. 6.* Dicunt, posse Episcopum gratificari Ecclesiæ, cui voluerit; nec obstat *cap. 2. de sepult. in 6.* de portionibus canonicis, quæ ex æquo dividuntur inter parochiales jure communi, non verò legatum, quod indivisibilitèr uni tantùm est dandum de mente testatoris. Puto autem hanc Episcopi electionem habere locum, ubi ambæ Ecclesiæ Parochiales sunt ex æquo pauperes, nam si una est altera pauperior, determinatur legatum pauperiori ex præfata ratione, quia testator præsumitur voluisse sibi meliori modo consulere. Quòd si duæ Ecclesiæ ejusdem nominis: una sit parochialis, alia non, videtur legasse parochiali, si ibi habet sepulturã, aliter alteri, ubi habet sepulturam, ad quam præsumitur habere majorem affectum, dum, ubi ejus cadaver sepellitur, anima majora suffragia percipiet. Quandò concurrunt duo monasteria virorum, & mulierum ejusdem nominis, ejusdem paupertatis, dandum est monialibus, secundùm *Socinum, Jasonem, Decium, & alios apud Costam in cap si pater, §. cum in bello n. 13. apud eundem Barbosã in fine.* Quia uberior videtur ejus Charitas apud Deum, attentis ejus virginibus sponsis.

Quæres 27. An, & quomodò legatum de rebus incertis, possit certificari, & determinari, ut non sit nullum, sed valeat?

102 Pro resolutione potest cum *Glosa ad l. legato 37. ff. de legat. 1.* assignari triplex genus. Generalissimum, quod non habet aliud genus supra se, ut res, substantia &c. Subalternum, quod illis subjicitur, ut corpus, animal, quę prædicantur de pluribus speciebus sibi subjectis. Et genus infimũ quod prędicatur de pluribus individuis, ut Homo, Equus, Arbor, Domus &c. hoc tertiũ genùs à Logicis appellatur *species.*

103 R. Primò, legatum expressum sub genere generalissimo, vel subalterno, nullũ est, ut si quis prætensor simile peteret legatum relictum sub his verbis: *legorem aliquam; lego quoddam animal.* Hæres videtur satisfacere, dando legatario, lapidem, & muscam, seù pediculum, quod est ridiculum; ergò & tale legatum. Ità omnes cum *Glos. super dictam legem, Bartol. Alex. Jason, Gomez tom. 2. Var. cap. 11. nu. 8. concl. 10. Crassus q. 61. de legat. num. 2.* Dices, videtur subsistere hoc legatum; *lego unum ex meis animalibus*, licèt sit de genere subalterno. Meo judicio subsistit, quia pronomen illud satis specificat legatum, & illud facit de genere eorum; quæ sunt in patrimonio testatoris, ità quòd nõ est ampliùs in potestate hęredis dare muscam, & illudere legatarium, cum musca non dicatur esse in patrimonio testatoris.

104 R. 2. Legatum in genere inferiori factũ, hoc est, de aliqua re in specie, *spectari* potest tribus modis. Primò, *quandò res legata* in specie habet fines *determinatos* à natura, ut homo, equus, arbor, tenet legatum, sivè res illa sit in patrimonio testatoris, sivè non. Ità *Doctores* cum *Glos. in dicta leg. Legato 37. ff. de legat. 1. Crass. cit. n 3.* 108

105 Secundò, quandò res legata in specie habet fines determinatos à facto hominis, ut domus, navis, & quodlibet aliud artefactum, valet legatum, si res *est* in patrimonio testatoris, aliter non valet *l. si domus 74. ff. de legat. 1. Bened. Capra Reg. 113. nu 25. Ant. Gomez tom. 2. Var. cap. 11. nu. 8. concl. 10 Crassus q. 61. nu. 4.*

106 Tertiò, quandò res legata non habet certos terminos, nec à natura, nec ab arte, & facto hominis, ut si quis fundum rusticum legat, nulla facta demonstratione, etiam in hoc casu valet legatum, ut colligunt Doctores super dictam *l. si domus*, quia non magis constituitur domus sub certis finibus, quàm fundus, ut patet, cum possessio distinguatur in plures agros suis confinibus terminatos. Ità *Gomez n. 8. Fernand. Vasq. de success. progress. lib. 3. §. 27 n. 35. Zasius in dicta l. legato 37. ff. de leg. 1. num. 1. Crassus q. 61. num. 6.* Contrà nonnullos alios. 109

Procedunt ergò prædicta, non solũ quandò legatur incertum de certis, ut lego unã

ex

ex meis domibus, equis, ſervis &c. ſed etiam incertum de incertis, *ex adductis ab eodem Craſſo num. 7.*

Quæres 28. In cujusnam arbitrio ſit eligere rem legatam in ſpecie, non determinatam in individuo?

107 R. Quando teſtator non conceſſit expreſsè electionem rei legatæ in ſpecie, in dubio electio competit illi, ad quem verba executiva legati directa fuerunt, & ſic habet electionem legatarius, ſi ad eum directa fuerunt, aliter hæres, ſi hunc reſpiciunt, *gloſ. v. vindicare l. Lucio 23. ff. de legat. 2. Ant. Gomez. tom. 2. cap. 11. num. 43. apud Craſſum q. 62. num. 2.* vocat communem.

Quòd ſi ad nullum direxit verba, & res legata fines habet à natura deſtinatos exiſtens in patrimonio teſtatoris, tunc legatarius eligit, quia is habet jus petendi illud quavis actione ſibi benè viſa. *Jaſon in l. legato 37. de legat. 1.* Si non habet in patrimonio, electio eſt hæredis, *Craſſus q. 62. num. 3.*

In caſu, quo res legata habet fines arte deſtinatos exiſtens in patrimonio, electio eſt hæredis, ſivè teſtator de certo ſenſerit, ſivè non. *gloſ. in l. legato 37. ff. de legat. 1. & in l. ſi domus 73. eod. ibi Alex. & Jaſon. num. 21. Craſſus q. 62. num. 3.* Ubi, quò ſi plures habet domos in diverſis civitatibus, hæres debet dare unam ex illis, quam habet in civitate, ubi habitavit, ſcilicet ipſe teſtator, *ex Bald. l. 3. conſ. 72. cum aliis ibi.* Sed quid dicendum, quando legatarius eſt in alia civitate, ubi non habitat teſtator? Puto, danda eſſe domum ejuſdem loci, in quo legatarius habitat, quia teſtator præſumitur voluiſſe illam legare, quæ illi futura erat commodior, dum ſimpliciter legando, voluit illi benefacere eo meliori modo, quo potuit.

108 In legatis alternativis, ejus eſt electio, ad quem verba executiva legatorum directa fuerunt, aliter electio eſt legatarii, *ex Lucio 23 ff de legat. 2. Covar. in cap indicante num. 3. Gomez tom 2. cap. 11. num. 43. Craſſus q 62. num. 6. Mareſcotus lib. 2 Var. lib 2. cap 97. num. 2. Ludoviſ. deciſ. 431. num 3 & 13. Rota p 2 dec. 203 num 3.* reſpondentes illi regulæ; quòd in alternativis electio eſt debitoris, procedit in contractibus, non in legatis. Vide Barboſam ad dictam *Reg. 70 num. 14. & 15.* ubi leges, & Doctores citat in ſenſum ſupradictum, ubi num. 6. ait, quòd electio competens legatario non tranſit ad ejus hæredes, pendente conditione, ſi moriatur, *ex l cum illud 25 ff. quando dies legati, Rom. ſing. 89. Ever in loco ab alternativis limit. 5. Corneus in l. Un. C. de cad. toll. §. in noviſſimo num. 3.*

109 Quando pluribus legavit rem ejuſdem ſpeciei, v. g. Equos, prior eſt in electione primò nominatus, quia is cenſetur magis dilectus *cap. ſi quis de elect. in 6. l. ſi communis ſervus 2. ff. de ſtipul. ſervor.* & prior nominatus alios præcedit, *Navar. conſ. 10. de major.* Ita Dinus *in l. ſi ita ſcriptum ff de legat 1. Bartol. cum aliis in l. qui duos, eod. Anton. Gomez 2. Var. tom. 1. cap ult. num 18. ex illis Craſſus q. 62. num. 7.*

Quæres 29. An hæres habens electionē præſtandi legatum, poſſit eligere rem minimam ſub ſpecie legatam? e. g. legavit calicem, an tradam inauratum æreum, an argenteum, an inter equos debiliorem &c. Procedit quæſtio, quando res in genere legata eſt, non in individuo terminata, & certis finibus, ut ajunt Doctores, quia in individuo legata omninò danda eſt, electio enim reſpicit tantùm rem in ſpecie legatam ſine ulla determinatione individuali.

110 R. Primò, ſufficit ſolvere minus, in legatis profanis expreſsè *l. idem Julianus 41. §. ſcio ff de legat 1. l Titia 35. §. qui in vita ff. de leg. 2. l ſi ita relictum 44. § ſi ita ſcriptum ff de legat. 2. l qui concubinam 29. §. cum ita ff. de legat. 3. l. Nummis 73. ff. de legat. 3.* in quibus locis decernitur in dubio rei legatæ, an danda ſit minor, vel major, ſolvendum eſſe, quod minùs eſt; leges enim favent hæredibus in præſtandis legatis, quia præſumunt teſtatorum eſſe voluntates minùs gravare voluiſſe ſuos hæredes, ut apertè colligitur ex dictis legibus, quæ favent hæredibus contrà legatarios in dubiis, unde non eſt veriſimile, teſtatorem velle gravare hæredem ultrà expreſſum, *l. Uxorem 39. § in teſtamento ff. de legat. 3. l. qui dotem 17. ff. de dote prælegata, l. unum 69. § ſi rem ff. de legat. 2.* Et ita docent *Rota p. 3 dec. 87. par. 4. tom. 2. dec. 89. num. 15. & 16. Gratian cap. 922. num. 36. & 37. Ciarlin. cap. 47. num. 63. & 64.*

111 Secundò, in legatis piis ſolvendum eſt in dubio res pretioſior, ſeu major, expreſsè *l. Titia 40. Seja, ff. de auro, & argento legat.* Quare ſi Eccleſiæ legatus fuit calix, venit argenteus, non æreus, planeta de ſerico &c. Ita *Bartol. ibi, ex eo Panor. in cap. indicante 4. de teſtam. num 6. Paſqual. q 105. de ſacrif. miſſæ, Gratian cap 611. num 16. Roman.* 515. dicens, eſſe dandum calicem aureum, quod diſplicet Vericello *tract. 3. quæſt. Moralium, & legal q 18. num.* 2. quia rariſſimè inveniuntur tales calices in Eccleſia. Ego autem in hoc dico, benè loqui Roman. ſi in ea Eccleſia uſus eſſet calicum ſolùm auri, & argenti, dandum aureum, ex concluſione, quia inter res legatorum piorum datur pretioſior. Si verò in Eccleſia ſint in uſu alii calices præter aureos, & argenteos, non eſt dandus aureus, ſed argenteus, quia adhuc dedit, quod majus eſt relativè ad calicem æreum, vel alterius materiæ inferioris.

Quæres 30. De interpretatione mētis teſtatorū reſpectu legatorū? Triplex eſt inter-

112 terpretatio, legalis, quæ fit à legislatore, ejus enim est interpretari, cujus est condere, *l.* 1 *C. de legib l. leges* 9 *eod. l. cum de novo* 10. *l. fin. eod. cap. inter alias* 31. *de sent ex-com.* Juditialis alia, quæ scilicet fit à Judice in controversiis inter actorem, & reum. Tertia ad rem nostram, quæ faciunt Doctores, & Advocati, appellatur Doctrinalis, Magistralis, & probabilis ab ejsdem facta, de quib. *Glossa in cap. sicut enim* 30. 11 *q.* 1. Secunda, & Tertia interpretatio locum habent in testamentis, licèt testator non sit legislator, & ideò ei non competit prima interpretatio, tamen ejus voluntas pro lege habetur, & observanda est, *l in conditionibus primum ff. de cond. & dem. in Auth de Nuptiis §. Disponat, & l.* 1. *C. de sacros. Eccl.* Unde valet argumentum à lege ad voluntatem testatoris, *Ludov. dec.* 2. 19. *num.* 2. *Pasqual q.* 240 *num* 4 De interpretatione secunda à Judice facienda, *l. Voluntatis* 7. *C. de fideicom.* Sciendum autem est, quòd ubi verba testatoris satis clara sunt, non est locus interpretationi, sed tantùm in
113 dubiis, & obscuris, *l. Si quis* 3. *C. de liber. præteritis.* Ubi dicitur, quòd interpretatio non debet fieri ad literam, sed ad sensum, quia is verbis præfertur.

114 ℟. In testamentis pleniùs voluntates testantium interpretamur, *l.* 12. *ff. de reg. jur. l. cum in testamento* 25 *ff de reb. dub Cap. cum dilecti* 6. *de donat.* Verba ergo, per quę cognoscitur mens testatoris, latè, & benignè sunt interpretanda, quando dubia sunt, & taliter, quòd credatur, ita fuisse ejus mentem. Est communis Doctorum
115 super dictis juribus. Hujusmodi autem interpretatio pleniùs facienda est primò in favorem hæredis, ut minus gravetur, quàm sit possibile ex dictis præcedenti quæstione, & hoc quidem respectu legatorum profanorum, ut constat ex citatis juribus præcedenti quæstione; undè id resultat in favorem hæredis, contra legatarium de legato profano, nam hæres non debet privari certa hæreditate ob legatum dubium, cum hæres dicatur universalis successor in bonis testatoris, ac proindè in iis etiam, super quibus dubitatur, an sint sub hæreditate, an sub legatis; & in legatis ergo regulariter sumitur ea interpretatio, quæ facit pro hærede contra legatarium, *ex l. Si ita sit scriptum* 14 *ff. de legat.* 1 *& citatis legibus in præced. quæstione, Decius cons.* 46. *Mantica lib.* 6 *de coniect ult. vol. tit.* 1. *num.* 30. Decius *in Reg.* Semper in obscuris minimum sequendum, *num.* 2. *Rota par.* 7. *dec.* 239 *à num.* 7 ait, esse latè interpretandum pro legatario contra hæredem, stantibus pluribus argumentis benevolentiæ, quæ testator ostendit legatario in suo testamen-
116 to, *ab eo num* 7 *ad* 12. *ex Seraph. dec.* 246. *num.* 5 *Surd. cons.* 446. *num.* 27. *Alciat. lib.* 6. *cons.* 121. *num.* 10. Quare in legatis relictis uxori facienda est lata interpretatio, ac proinde non esse compensandum legatum cum dote, *Seraph cit Sperellus dec.* 176. *num.* 73 *Rota par.* 9 *dec.* 131. *num.* 1. & 6 stante magna affectione erga legatarium, *Craveta cons.* 277. *num.* 2. *Gratian. cap* 700. *num.* 14. *Rota par.* 9 *dec.* 260 *num.* 6.

117 Inter consanguineos legatarium, & hęredem fit interpretatio pro hærede, nisi in casu inutilitatis; nam quando dubitatur de valore legati, favendum est legatario, ne pereat legatum, & fiat inutile, non tamen fieri potest interpretatio extensiva. Ita *Corneus lib.* 3 *cons.* 155. *num.* 3. *Gratian. cap* 988. *num.* 8. *Ciarlin. cap.* 47. *num.* 66. *&* 67 *cap.* 87. *num.* 9. *Honded. lib.* 1. *cons.* 63. *num.* 49. *iterùm Gratian. cap.* 98. *num.* 31 *&* 32. Ita enim interpretandum est, ut afferat commodum, non præjudicium, *ex l. cum rem C. de legat. l. Mævius ff. de lega.* 2 *Sperell. dec.* 176 *num* 33.

118 Loquendo autem de legatis piis, latissima interpretatio facienda est favore legatarii contra hæredem, ut pluribus probatum est in præcedenti quæstione sub *num.* 111. Ista autem interpretatio non solùm respicit favorem legatarii, sed etiam ipsius testatoris, in quo præsumenda est major Charitas erga suum proximum, erga Ecclesiam, quæ illius mater est; pro qua re lege *Pasqualig de Sacrificio Missæ q.* 1015 Pro intelligentia prædictorum subscribo nonnullas propositiones.

119 Testatoris verba debent intelligi secundùm conditionem personæ, ad quam referuntur, *l. Plenum* 12. *§. Æquitii ff. de usu, & habit.*

120 Verba testatoris extrà propriam significationem intelligenda sunt, ne legatum intelligatur inutile, *l Titia* 35. *§. Lucius ff. de legat.* 2. *l. Generali* 32. *§. Filios ff. de usu, & Usufr.*

121 In dubio testator censetur se voluisse conformare cum dispositione juris, *Doct. in l hæredes mei, §. cum ita ff ad senat. Trebell. Rota vol.* 1. *dec* 585. *num.* 2. *Sancb. lib.* 5 *disp.* 5. *num.* 25. *Vers. Et confirmatur, & lib.* 7 *disp* 4. *num.* 4.

122 Præsumitur se voluisse conformare statuto suæ civitatis, ex citata mox *l. ubi Alex. num.* 8. *Ripa num* 75. *Aymen. cons.* 250. *num.* 4. exponit, quando testator disposuit in casu, in quo disponit statutum. *Rimin. lib.* 2. *cons.* 224. *num.* 40. procedere in verbis dispositivis, non conditionalibus, *cum Decio lib.* 1. *cons.* 12. *num.* 31. *Rota vol.* 1. *dec.* 775. *num.* 6. *&* 8.

123 Legati verba sunt interpretanda secundùm communem usum loquendi. *Corneus lib* 4 *cons.* 233. *num.* 6 *cum aliis Rota par* 7. *dec.* 239 *num.* 4. *& par.* 9. *dec.* 260. *num.* 9 Quare subinfero ego, eum, qui reliquit unum ex suis animalibus, interpretandum esse

esse, porcum reliquisse. Hunc sensum hìc habet.

124 Remuneratorium latè est interpretandum. *Mantica de Tacitis lib. 3. tit. 23. num. 17. Cancer. lib. 3. Var. cap. 4. num. 21. Ottobon. dec. 67. num. 12.*

125 Pium est interpretari piè legatum. *Comitulus apud Bariolam cons. 14.* quia accipit interpretationem à Charitate, *Pasqualig. q. 249. num. 2.*

126 Verba testatoris ità sunt intelligenda, ut non appareat peccatum in constitutione testamenti, *l. Plautius 9. ff. de auro, & argento legato.*

127 Defunctorum voluntates, ut serventur, omnis interpretatio sumenda est, ità quòd ea facienda est etiam per extensionem de casu ad casum, & de persona ad personam. *Socin. Jun. vol. 3. cons. 123. num. 35. Craveta cons. 131. num. 5. Cæphal. cons. 433. num. 4. & 446. num. 36. cum aliis. Rota par. 6. dec. 103. num. 1.* Intellige quando testator locutus fivit similibus verbis: *Ut omnia interprætentur in favorem lineæ Nicolai, & semper intelligatur primogenitus ex primogenito.*

128 Voluntas testatoris interpretatur secundùm consvetudinem regionis, *l. Si servus plurium, §. fin. de legat. 1. Genuens. in praxi Neapol. cap. 57. num. 16.* Facit, quòd dixi suprà *num. 123.*

129 Testator in dubio videtur se referre ad id, quòd sapiens dispossuisset, *Rota vol. 2. dec. 181. num. 8.*

130 Verba testatoris ejus mentem indicant *l. Labeo 7. ff. de supellect. legat. Bart. in l. Sed, & reprobavi ff. de excusat. Mar. Anton. lib. 2. resol. 51. 6.*

131 Una pars testamenti clara aliam obscuram declarat *l. qui filiabus 17. ff. de legat. 1. Bart. in l. Centurio ff. de Vulgar. & pupill. Socin. Jun. vol. 4. cons. 55. num. 10. Mar. Anton. lib. 2. resol. 52. num. 12.*

132 Cum tempus adiicitur credendum est, pro hærede fuisse adiunctum, nisi alia fuerit mens testatoris, *l. cum tempus 17. ff. de regul. jur.* Quare potest ante perfixum solvere, si velit, nisi adsit fraus, ut quia pecunia minuenda est.

133 Non aliter à significatione verborum recedendum est, nisi cum manifestum est, aliud sensisse testatorem, *l. Non aliter 69. ff. de legat. 2.*

134 Hæres potest declarare mentem testatoris, si est informatus. *Mant. de coniect. lib. 3. tit. 1. num. 26. Gabriel. lib. 6. commun. concl. 3. num. 76. Cæphal. lib. 2. cons. 183. num. 71. Castillo Sotomajor lib. 5. quotid. contr. cap. 183. initio Rota par. 5. tom. 1. decis. 28. num. 9.* Quia locutio testatoris est sermo hæredis, *l. Postulante ff. ad Senat. Trebell. Gratian. cap. 717. num. 27.*

135 Etiam per scripturam privatam potest declarari mens testatoris. *Mantica lib. 3. tit. 1. numer. 7. Rota vol. 1. decis. 507. numer. 6.*

136 Quòd aliqui dicunt, si testator prævidisset, disposvisset, non habet aliquam rationabilem verisimilitudinem, quia sicut conditio nihil ponit in esse, ex vulgatis juribus, ità neque aliud inferre potest. Subintrat alia ratio contraria: *Si voluisset, expressisset, Rota par. 6. dec. 249. num. 14.* Non enim sufficit velle, sed in effectu debet constare de dispositione facta, *l. Licet quidam, ff. de instit. Bald. & Imola apud Decium in cap. super litteris 20. de reser. num. 20.* quòd ergo testator non dixit, præsumitur illud noluisse, *l. Labeo ff. de supel. lect. legat. apud. Rotam par. 3. dec. 358. num. 10.* ubi refert illud vulgatum: *Testamentum non cantat neque ego cantabo.* Nullus ergo est gravandus in eo, quòd testator expressè non dixit, voluntas enim ejus magis colligitur ex expresso, quam ex tacito, *ex eadem Rota num. 15.*

Ex his, & similibus regulis deduci potest, qualis fuerit mens testatoris.

Quæres 31. An testator magis diligat institutum, quàm substitutum, & legatarium?

137 R. Affirmativè, nàm natura inclinat amare magis suos, & illis benefacere magis, quàm aliis, id enim exigit ordinata Charitas, *ex D. Thoma 2. 2. q. 26. ab art. 7.* Maximum enim vitium est alienam sobolem propriæ anteponere, *ex l. Maximum 4. C. de liberis præteritis.* Quare non est verisimile, quòd testator plus diligere volverit substitutum, quàm institutum, *l. Publius 36. §. Titia ff. de cond. & dem.* Præsumitur testator voluisse magis gravare fideicommissarios, quàm filios, *Gratian. cons. 5. num. 31. ex eo Ludovis. dec. 315 num. 14.* Præsumitur magis diligere suos, quàm extraneos, & sic illos minùs gravare, quàm possit, *l. Generaliter 6. §. cum autem C. de instit ut. & substit. l. cum avus 101. ff. de cond. & dem. l. Uxorem 39. §. in testamento ff. de legat. 3. l. qui dotem. 17. ff. de dote prælegata.* Et dixi suprà *num. 110* dum probavi, minùs esse dandum ab hærede in dubiis legatis. Demùm, quando instituta fuit causa pia, ea censetur, magis dilecta, *Bursat. vol. 1. cons. 47. Rota par. 6. dec. 247. num. 11.* hinc est, quòd in legatis piis solvitur, quòd est majus, & pretiosius, *ex probatis suprà num. 111.*

138

139 Quarè favor filiorum præponderat causæ piæ, itaut non debeant filii exhæredari, ut Ecclesia instituatur, *ex S. August. relato cap. fin. q. 4. causa 17. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 189 num. 121. Tiraq. de pia causa in præfat. vers. quinetiam, Surd. de Alim. tit. 9. q. 9 num. 15. cum aliis Barb. ad dictum cap. quos cum aliis retuli de Profess. regul. in Edit. Veneta cap. 13. q. 66.*

Quæres 32. An valeat legatum de re aliena? Nulli dubium est, quemlibet rem propriam legare posse, cum illius sit dominus, *Instit. de legat. §. Si quis rem suam-*

140 R. Legatum rei alienæ ſcienter factum valet, ſi verò teſtator ignoravit rem eſſe alienam, non valet, niſi ſit factum perſonæ coniunctæ, uxori, vel alii, dum ſciebat eſſe alienum; & valet etiam factum pro cauſa pia, ſivè ſciat rem eſſe ſuam, ſivè ignoret, & tunc non res aliena legata tradenda eſt, ſi dominus ejus redemptionem neget hæredi, ſed ejus æſtimatio, etiam de jure Canonico; ſi verò teſtator habet aliquod jus in re aliena, cenſetur legare illud jus tantùm, quod in ea habet; onus autem probandi ſcientiam ſpectat ad legatarium, ut poſſit conſequi legatum. Singulæ partes probantur, referendo in primis textum juris civilis communem toti reſponſo, his verbis: *Cum alienam rem quis reliquerit, ſi quidem ſciens, tàm ex legato, quàm ex fideicommiſſo, ab eo, qui legatum, ſeù fideicommiſſum meruit, peti poteſt. Quòd ſi ſuam eſſe putavit, non aliter valet relictum, niſi proximæ perſonæ, vel uxori, vel alii tali perſonæ datum ſit, cui legaturus eſſet, etiam ſi ſciſſet rem alienam eſſe.*

141 Prima pars, quòd valeat legatum factum à teſtatore, qui ſciebat rem eſſe alienam, ſuadetur, quia ejus voluntas fuit, ut illud conſequeretur, ſi non ratione rei, quod præſumendum non eſt, quia verba teſtatoris ita ſunt intelligenda, ut non fuerit peccatum in conſtitutione teſtamenti, *l. Plauſius 9. ff. de auro, & arg. leg.* ſaltem ratione æſtimationis. Eſt communis apud *Gomez tom. 1. cap. 12. num. 13. Craſſus q. 14. de legat. num. 3. Rota par. 1. deciſ. 458. num. 8.*

142 Secunda pars, quòd non valeat legatum profanum extraneis factum, quando teſtatot ignorabat rem eſſe alienam, probatur ex eodem textu, & ratio eſt, quia rem illam in tantùm legavit, in quātùm putavit eſſe ſuam, quòd ſi ſciviſſet non eſſe ſuam, non legaſſet forſan, undè cum in dubio quis non præſumatur de rebus alienis teſtari, *ex Bart. in l. Codicillis ff. de legat. 2. Decio conſ. 378. num. 1. Cæphal. conſ. 557. num. 15. Julio Cæſare Calvino dub. 994.* cenſetur non habuiſſe voluntatem teſtandi de alienis, *inſtit. eod. §. non ſolùm.*

143 Tertia pars, quòd valeat legatum de re aliena ſivè ſcienter, ſivè ignoranter factum ſibi coniunctis, probatur ex eodem textu; præſumitur enim ejus talem fuiſſe voluntatem efficacem, ſic ſvadente affectione ſpeciali erga coniunctos, quibus omne bonum deſideratur, undè ſi teſtator præſciviſſet rem eſſe alienam, adhuc legaſſet ob affectionem ergà conſanguineos. Ita *Gomez tom. 1. cap. 12. num. 13. Craſſus q. 14. num. 3. aliis allegatis Gratian. cap. 611. num. 9. Rota par. 6. dec. 192. num. 20 & part. 9. dec. 148.*

144 Quarta pars, quòd valeat ad cauſas pias, ſivè ſciat eſſe rem alienā, ſivè non, probatur ex poſtremis verbis: *vel alii tali perſonæ datum ſit, cui legaturus eſſet, etiam ſi ſciſſet, rem alienam eſſe.* Ratio eſt, quia cum legatum uti pium cedat in commodum animæ ſuæ, præſumitur ejus voluntatem fuiſſe efficacem in teſtando. Eſt communis, apud *Tiraq. privil. 66. Roman. conſ. 235. num. 5. Menoch. lib. 4. præſumpt. 116. num. 30. Mantica lib. 9 tit. 9 num. 4. cum aliis Gratian. cap. 611. num 10.*

145 Quinta pars, quòd res legata, ſeù æſtimatio ab hærede ſit tradenda, probatur *inſit. de legat. §. non ſolùm*, illis verbis. *Non ſolùm autem teſtatoris, vel hæredis rei, ſed etiam aliena legari poteſt, it aut hæres cogatur redimere eam, & præſtare, vel ſi eam non poteſt redimere, æſtimationem ejus dare.* Quando conſtat rem eſſe alienam, & dominus non vult vendere, non enim tenetur, danda eſt æſtimatio, & ſic ſatisfacit voluntati teſtatoris, & legatario, qui rem ſibi vindicare non poteſt, cùm ſit aliena, undè ibidem textus ſubjungit: *Sed ſi talis res ſit, cujus commercium non eſt, vel adipiſci non poteſt, nec æſtimatio ejus debetur, veluti ſi campum Martium, vel Baſilicas, vel templa, vel quæ publico uſui deſtinata ſunt, legaverit, nam nullius momenti tale legatum eſt.* Ex intelligentia hujus textus meo judicio jus Civile concordatur cum jure Ca-

146 non ico *cap. Filius 5. de teſtam.* ubi legatarius cogitur reſtituere res Eccleſiæ ſibi legatas; illę enim ſicut non poſſunt venire in commercium, ita neq; legari: legatum ergo rei Eccleſiæ nullum eſt, ac proindè neque debetur legatario, & *in hoc* conveniunt jus Canonicum, & *Civile*, licèt verba textus aliud videantur exprimere, inquit enim: *leges ſæculi hoc habent, ut hæres ad ſolvendum cogatur, ſi auctor ejus rem legaverit alienam, ſed quia lege Dei, non autem lege hujus ſæculi vivimus, valdè mihi videtur injuſtum, ut res tibi legatæ, quæ cujuſdam Eccleſiæ eſſe perhibentur, à te teneantur, qui aliena reſtituere debuiſti.* Sed quidquid ſit de his verbis: *leges ſæculi hoc habent, ut hæres ad ſolvendum cogatur.* Certum eſt, utrumque jus in hoc convenire, quòd hæres non tenetur ſolvere legatum de rebus Eccleſiæ, quia nullum eſt ex utroque jure, ut aliis adductis probat *Gratian. cap. 611. à num. 20.* & hæc ſententia eſt vera, adeò quòd inter jus Civile, & Canonicum nulla eſt differentia, attentis locis citatis *inſtit. & Codicis, & cap. Filius 5. de teſtam.* quia hæres cogitur, ſi non poteſt rem alienam legabilem redimere, dare æſtimationem legatario, quòd eſt vivere non ſolùm lege ſæculi, ſed etiam Dei, cum nec jure Civili permittatur legatario uſurpatio rei alienæ.

147 Sexta pars, quòd legatū rei alienę, ſuper quam teſtator aliquod jus habet, debeatur quoad illud, & nō amplius, probatur, quia intelligitur legare id tantùm, quod

ſuum

ſuum eſt, & non alienum in eo caſu, ut colligitur *ex l. Servi elect. 5. §. cum fundus, de legat. 1. l. uxor. 20. C. eod.* ubi legata re frugifera, intelligitur ſolùm legatus uſusfructus, ſuper quo jus habebat, & non ſuper rem. Ita *Capra concl. 106. & 107. num. 12 Burſat. lib. 1. conſ. 5. num. 14. cum aliis Gratian. cap. 611. num. 5.*

148 Septima pars, quòd onus probandi ſcientiam ſpectet ad legatarium, probatur, quia in tantùm valet legatum in profanis factum extraneis, in quantùm teſtator ſciebat ſe rem alienam legare, ex dictis ſub prima parte, ſi ergo hæres neget ſcientiam teſtatoris, ne ſolvat legatum, ex hac negativa nullum ſuppoſitum ſequitur, onus probandi ſcientiam rei alienæ habuiſſe teſtatorem reiici in legatarium, ut poſſit obtinere legatum. Ita *inſtit. de legat. §. quod autem, in fine, Gloſ. V. Alieni, cap. Filius 5. de teſtam.*

Quæres 33. An valeat legatum à debitore factum ſuo creditori? Et an in dubio præſumatur factum ad compenſandum, & extinguendum debitum? Dico, *in dubio*, quia ſi id exprimat, dicendo, ſe velle, quòd legatum ſit pro ſatisfactione, & extinctione debiti, ſi legatum acceptet creditor legatarius, non ampliùs poteſt petere ſuum creditum, eſto legatum fuerit minoris valoris, quàm debitum. *Alex. in l. ſi compenſandi, C. de bær. inſtit. & lib. 2. conſ. 132. Covar. in cap. Officii num. 10 ex eis Craſſus q. 16. fine.*

149 ℟. Valet, ſi ex eo reſultat legatario aliquod commodum conſiderabile: & in dubio præſumitur factum in recompēſationem, ſi debitum eſt neceſſarium, aut legale, non autem ſi eſt voluntarium, vel ex contractu; undè in hoc caſu creditor legatarius poteſt utrumque petere.

Prima pars, quòd valeat, patet, quia debitum debito addi poteſt, & augeri nova obligatione, *l. ſi creditori 28. ff. de leg. 1.* Eſt communis, *Gomez tom. 1. cap. 12. num. 26. Craſſus q. 16.*

Secunda pars, quòd præſumatur factum in recompenſationem debiti neceſſarii, probatur ex variis coniecturis à *Rota par. 7. deciſ. 312.* unde legatum factum à marito compenſatur in ejus dote *l. ſi cum dotem 23 §. ſi pater, ff. ſol. matr. Gratian. cap. 448. num. 14. Craſſus q. 16. n. 8. Rota par. 5. tom. dec. 31. num. 16.* Vide infrà *q. 50.* de dote prælegata.

Tertia pars, quòd non præſumatur factum in recompenſationem reſpectu debiti voluntarii, probatur expreſsè *l. creditorem 86. ff. de leg. 2. Surd. conſ. 112. num. 44. & 64. Rota p. 9. dec. 152. num. 18.* Vide latiùs infra *cap. 19. num. 47.*

150 Ut autem compenſatio locum habeat, debent urgere coniecturæ, unde *primò* cenſetur compenſatio, quando teſtator dixit, quòd nihil aliud prætendere poſſit, *ex dictis initio hujus quæſtionis, Rota par. 5. dec. 28. num. 11.* Præſumitur *ſecundò* animus compenſandi, ſi legatum fuit factum ob eandem cauſam, ob quam erat debitum, *ex eadem Rota num. L. 8. & 15.* Cenſetur 3. teſtator compenſare, quando inſtituit creditorem ſuum hæredem, *Rota par. 5. dec. 19. num. 16. & par 9. dec. 152. num. 24.* Cenſetur 4. factum animo compenſandi, quando parum remaneret hæredi, *Menoch. lib. 4. præſump. 110. num. 40. Rota par. 9. dec. 460. num. 25.*

151 E contrà excluditur animus compenſandi, quando legatum eſt factum cum onere fideicommiſſi, *Capra conſ. 143. n. 5. & 16. Menoch. lib. 4. præſumpt. 110. num. 27. cum aliis Rota par. 9. dec. 152. num. 21.* Pariter non dicitur habere animum compenſandi, quando legavit perſonæ à ſe valdè dilectæ, *ibidem num. 22.* ad excludendam autem compenſationem non ſufficit quælibet levis coniectura, *Menoch. lib. 4. præſumpt. 110. num. 10 & 11. Honded. lib. 2. conſ. 50. num. 33. Rota par. 5. dec. 28. num. 12.*

Quæres 34. An legatum omnium veſtium, quæ ſunt in domo, comprehendat veſtem cæſam tantùm à Sartore, nondum ſutam, vel etiam pannum paratum pro veſte, ſed nondum cæſum?

152 ℟. Affirmativè, *ex l. Veſtimentum 24. ff. de auro, & arg. legato* quia pannus emptus ad veſtimentum faciendum, eſt in proxima potentia ad veſtem, & ſic pro veſte habetur; non venit tamen materia præparata pro tela facienda, quia nullo modo eſt veſtis. Ita *Bart. in dictam leg. Aufrer. dec. 827. Craſſus q. 21. de legat.*

153 ℟. Victus, veſtitus, habitatio, & medicinæ, de victu, ſeù cibariis, & veſtitu, & habitatione ſub nomine alimentorum, expreſsè, *l. legatis 6. ff. de alim. legat.* hæc tria ſub nomine alimentorum veniunt, quia ſine his, ut ibi dicitur, corpus ali non poteſt. Veniunt præterea medicinæ, *ex l. cum dotem 25. ff. ſoluto matrim. §. ſi autem* ibi: *Alimenta præſtare, & medicina ei ſuccurrere*, ibi *Bartol. num. 9. Corneus lib. 2. conſ. 145. cum aliis Barb. V. Alimenta num. 8.* Venit etiam lectus, expreſsè, *l. Quos nos 234. ff. de verb. ſign. Roland. à Vale conſ. 22. num. 6. Capra conſ. 87. num 11.* apud eundem Barboſam *num. 4.*

Quæres 36. An valeat legatum fructuum omnium bonorum, alio hærede inſtituto poſt mortem uſufructuarii? Sed quid dicendum, ſi teſtator inſtituat, & poſt mortem uſufructuarii inſtituti hæredem univerſalem inſtituat? An ſit ſimplex legatum, an ſit inductum fideicommiſſum;

154 ℟. Valere legatum, & in utroque eſſe purum legatum, & ſi enim legatum capiendum ſit de manu hæredis, & hæres videatur poſterior,

cum post mortem legatarii succedat, id tamen absolutè verum non est; non enim institutio est conditionalis, sed pura, per quam statim post mortem testatoris adit hæreditatem, ut possit dare legatario usumfructum, post cujus mortem ipse hæres incipit esse dominus etiam fructuũ. Et hac ratione tollitur ratio contrariæ opinionis dicentium, tale legatum esse invalidum, quia non adest hæres, de cujus manu recipiatur legatum; id enim falsum est, cum reverà adsit hæres proprietatis, quod sufficit, ut legatarius possit legatum recipere de ejus manibus. Ità *Bald. in l. quod pauperibus C. de Episc. & cler. num.* 27. *Cavalcan. de usufr mulier. nu.* 224. *Roman. cons.* 71. *Paris. cons.* 97. *cum aliis Crassus qu.* 23. *de legat.*

Quæres 37. Quid consequatur uxor à suo marito relicta domina, & usufructuaria omnium bonorum, filiis institutis hæredibus.

155 R. Intelligitur habere jus tantùm ad alimenta. Ità *Glos. V. Derogari Auth. Hoc locum C. si secundæ nupt. Baldus, Bartolus, & alii ibidem, Crassus q.* 24. Procedit etiam si moriantur filii antè ipsam, *Cepola lib.* 1. *de servit. cap.* 4 *Anchar. cons.* 185. *Angel. cons.* 97. *Alex. cons* 42. *apud eundem Crassum num.* 4. Habet locum etiam respectu novercæ, ità *Capra cons.* 72. *Franc. Marcus p.* 1. *dec.* 749. *ex eodem Crasso num.* 5 qui *nu.* 6. ait cum aliis procedere, etiam nepotibus institutis. Quòd si instituantur hæredes ascendentes, in eo casu uxor habebit omnem usumfructum, quia hæreditas non est ità debita ascendentibus, sicut descendentibus, *Imola in l. Titia §. fin. ff. de legat.* 2. *Ant. Gabriel. lib.* 5. *tit. de usufr. concl.* 3. *n.* 48 *Crassus num.* 8. Si partim instituatur filius, & partim extraneus, uxor ex bonis filii habet tantùm alimenta, respectu verò extranei omnem fructum, *Bart. in l. Titia, Roland. à Valle vol.* 2. *cons.* 74. *num* 5. *Cavalc. de usufr. mulier. nu.* 42 *Crassus n.* 9.

Quæres 38. An legatarius usufructuarius possit cædere arbores?

156 R. Potest præcidere arbores ceduas eo modo, quo cedebat testator, dum viveret, quia dicuntur esse in fructu, *l. in silva ff. de usucap.* Non autem arbores frugiferas, debet enim esse contentus de illarum fructibus, cum nullum jus habeat in substantiam ejus. Ità omnes *in l. Divortio, §. si fundus, ff. solut. matr. Crassus q.* 33. *de legat.*

Quæres 39. An usufructuarius omniũ bonorũ teneatur solvere debita testatoris?

157 R. Ad utrunq; tàm s. ad hæredem, quàm ad usufructuarium pertinet solutio, vendendo, scilicèt, tot bona hæreditatis, quæ sufficiant ad extinctionem debitorum, nam quod supereſt, deducto ære alieno, dicitur à testatore relictum, & sicut ipse testator tenebatur sua extinguere debita, ità & qui ei successerunt; venditis ergò aliquibus bonis, tàm hęres, qui se alienat proprietatem, quam usufructuarius ex ea alienatione non ampliùs fructus recipiens, dicuntur ambo solvere debita testatoris. Est communis, *Decius cons.* 260. *nu.* 8. *& cons.* 485. *nu.* 14. *Castrens. lib.* 2. *cons.* 460. *num.* 3. *Craveta cons.* 197. *Covar. lib.* 2. *Var. cap.* 2. *cum aliis Crassus q.* 35. *de legat.* Dixi, *omnium bonorum*, quia usufructuarius in certis rebus determinatis ad nihil tenetur, ex eisdem cum *Covar. tit.*

Quæres 40. Ad quemnam spectat solvere legata, an ad usufructuarium omnium bonorum, an ad hæredem proprietarium?

158 R. Tenetur hæres solvere legatum semel solvendum, quia ipse adjit hæreditatem, *Bart. in l. fin ff. de usuf.* *Decius cons.* 590. *Coradinus cons.* 94. *num* 24. *Covar. lib.* 2. *Var. cap.* 2. *num* 7 *Crassus q.* 36. *de legat.* Si est annuum pertinet ad usufructuariũ cum omnes fructus sint apud illum; irrationabile enim est, quòd hæres singulo anno debeat aliquid vendere pro solvendo hujusmodi legato. Ità *Ruinus vol.* 2. *cons.* 206 *nu* 3. *Socin. Jun. vol.* 1. *cons.* 115 *n.* 10. *Roland. vol.* 2 *cons.* 8 *n.* 80. *cum aliis Crassus*. Prudentiores sunt testatores nostris temporibus, qui non obligant ad solutionem legatorum suos hæredes, nisi cum fuerint etiam domini utilis dominii post mortẽ usufructuarii, vel huic addũt onus.

Quæres 41. An legatarius usufructuarius omnium fructuum teneatur ad tributa, & onera tàm ordinaria, quàm extraordinaria?

159 R. Affirmativè, quia hujusmodi onera sunt realia, & sequuntur rem, undè deducuntur ex fructibus, sicut dictum *q.* 40. Ità *Glos. V. Fructus in l.* 1. *C. de ann. tributis, ibi Doctores, Crassus q.* 35. *de legat.*

Quæres 42. Quibus actionibus legatarius possit consequi suum legatum?

160 R. *In l.* 1. *C. communia de legat.* Tribus actionibus legatarius potest consequi legatum, actione personali ex testamento, rei vindicatione, & hypothecaria. *Ibi Doct.* concurrunt autem origine, non exercitio, ait *Bart. in l.* 1 *ff. de legat.* 1. ab una enim ex his incipiendo, non potest aliam eligere, quia non concurrunt cumulativè. *Crassus q.* 74. *de legat.*

Quæres 43. A quo die legatarius incipiat habere jus ad fructus sui legati? Noto, legatũ spectari duplicitèr, primò pro re frugifera, ut domus, fũdus, vinea. Secũdò pro re infrugifera, ut sunt pecunia, vestis, &c.

161 R. Quandò legatum est de re frugifera, à die mortis testatoris debetur res legata cum suis fructibus, si legatum fuit purum, si verò est conditionale, seù in diem, debetur cum suis fructibus à die adimpletæ conditionis, seù temporis terminati, & quidem hoc verum est, sivè hæres adjerit hæreditatem, sivè non, executio tamen, & solutio legati facienda est post aditam hæreditatem. Respectu verò

verò legati infructiferi, nulli debentur fructus, nisi post litem contestatam. Existente autem in mora hærede, is tenetur ad interesse, & damna, quæ legatarius passus est.

162 Prima pars, quòd legatum purum frugiferum debeatur à die mortis testatoris cum suis fructibus, probatur, *ex l. 1. C. communia de legatis, l. quæsitum 40. ff. de acquir. dom. l. A Titio 66. ff. de furtis.* Ratio est, quia ejus sunt fructus, cujus est dominiū, sequuntur enim dominum, *l. Ex diverso §. 1. ff. de rei vindic.* sed legatarius purus à die mortis testatoris incipit esse dominus legati; ergò & fructuum ejus. Ità *Bald. in l. 1. C. de usufr oppos. 2. Ruin. lib. 1. cons. 50. num. 10. fine, Covar. lib. 1. Var. cap. 9. num 5. fine, Gratian. cap 136. nu. 2. cap 250. n. 1 cap. 688. num. 19* Hæc opinio est verior secundùm Molinam *disp. 194 de Lugo disp 24. de just. nu 238.* fine, contrà alios, qui volunt, dominium in legatario acquiri ab adita hæreditate; sed ad hoc respondetur, legatarium à die mortis testatoris verius acquirere dominium legati, sed illud non posse petere nisi post aditam hęreditatem, cum ab hęrede regulariter sit petendum.

163 Secunda pars, quòd fructus legati conditionalis non debeantur, nisi adimpleta conditione, probatur, quia à die purificatæ conditionis, vel die cedente incipit esse dominus legati, ergò ab eo die tantùm utrunque potest. Ità *Jason. in l. 1. ff. de legat. 1. nu 115 & 127 Covar lib. 1. Var. cap. 9. num. 5. Gratian. cap. 250. nu. 13.* De legato in diem, *l. Sempronius 26. ff. de usu, & usufr. legat. Glos. in l. 1. §. 1. C. de caduc. toll. Gratian. cap. 250. nu. 14.*

164 Tertia pars, quòd à die moræ debeantur usuræ cum damnis, & lucris cessantibus, hoc est, à contestatione litis, probatur quia ultima mora nocet, *l. Prætor 20. §. Si aliquandò ff. de operis novi nunt.* & sua mora unicuique est nociva, *l. 134. ff. de reg jur.* & cum nulla intelligatur mora fieri, ubi nulla præcessit petitio, *l. 89. ff. de reg. jur.* ideò à contestatione litis mora incipit esse cuiq; nociva. Ità *Gulielm. Bened. in cap Raynutius de testam. V. si absq; liberis, nu. 150. Gratian. cap. 250. nu. 14* Non est autem necesse probare lucrum cessans, aut damnū emergens ex mora, ut docent, *Gait. de creditis cap. 2. tit. 7. n. 1763. Crivell. dec. 92 nu. 4. & 5. Andreol. contr. 282. nu. 8.* quia id à jure præscribitur faciendum.

Quæres 44. Cuinam pereat legatum, hæredi, an legatario?

165 R. Perit legatario, si desit, postquàm illius factus est dominus, loquendo de re certa, & certis fructibus, ratio est, quia res perit domino suo, *Roman. cap.* 166 *14. n 4.* ibi: *Domino suo fiat, aut cadit.* Ità *Gratian. cap. 62. num. 12.* In duobus autem casibus perit hæredi. Primò cum legatum fuit factum in genere indeterminato, ut si legavit unum ex suis equis, uno moriente, adhuc tenetur tradere alium, quia moritur hæredi, non verò, si illum designavit acceptanti legatario, periculum enim est debitoris, cum debitor generis non liberetur, re perempta, *l. Incendium ff. si cert pet at. l. in ratione 30. §. incertæ C. ad legem Falcid. idem Gratian. nu. 12. Sperell. dec. 107. n 76.* Secundò hæres, seù creditor existens in mora, tenetur legatario, si res certa perit, quia periculum post morā spectat ad debitorem, *l. cum res legata 49. §. fin ff. de legat. 1.*

Quæres 45. An legatum possit repudiari à legatario?

167 R. Legatum nulli dubium est posse repudiari à legatario, etiam si Ecclesia sit legataria, non verò à Monacho, nisi de licentia Superioris, qui sinè Solemnitate, sed propria auctoritate repudiare potest.

Prima pars de repudiatione probatur ex illo communi axiomate, quia nemo tenetur acceptare beneficium sibi oblatum, si quidem beneficium non confertur in invitum, *l Invito 70 ff. de reg. jur.* undè in omni legato intelligitur hæc clausula: *Si pars uti voluerit.* Legatum ergò repudiari potest, non in parte, sed in totum, si legatarius vult illud repudiare; & repudiatione facta, censetur legatum, ac si numquam factum fuisset, *l legatarius 38 ff. de legat. 1.* Verum quidem est, quòd hujusmodi repudiatio facienda est de Legatis conditionalibus, & in diem, purificatis, conditione, & die, quia ab hoc tempore tantùm incipit legatarius habere dominium illius, ut dicitur *in l. Si itd 46 §. Si sub ff. de legat 2.* ubi Bartol. eam allegat
168 rationem. Sed meo judicio cùm unusquisque renuntiare possit juri de futuro etiam in præjuditium aliorum, etiam in legatis, *ex Bart in l. in fraudem ff. de jure fisci, Surdus dec 140. num 8 & dec. 300. nu. 17. Giurba super consuet. Messan. cap. 5. Glos. 6. n. 13. & Glos. 8. num. 5. & 6. ex eis Gratian. cap 882. nu 30.* Non video, cur legatarius non possit repudiare legatum conditionale, & in diem antè adventum conditionis, & diei, cùm legatum sic conceptum importet jus futurum. Legatum autem repudiatū remanet apud hæredem, cùm sit de bonis testatoris, cui ille succedit in defectum legatarii, *l. Si tibi homo 88 §. cum servus ff. de legat. 1.* hoc enim ipso, quòd le-
169 gatum repudiatum habetur, ac si numquàm factum fuisset, procul dubio connumeratur inter bona hæreditatis. Sequitur proindè ex hac repudiatione, legatarium non potuisse rem legatam aliis obligare, dum fictione juris dicitur, numquàm fuisse legatarii, *illis* verbis: *Nam si legatarius repulerit à se legatum, numquàm ejus fuisse videbitur*, ex dicta *lege* 88.

170 Secunda pars, quòd Ecclesia legataria possit repudiare legatum sibi factum, probatur, quia si aliqua ratio obstat maximè, quia id est alienare bona Ecclesiæ; sed hoc

est

gò potest repudiare Falsitas minoris probatur, quia valdè differunt inter se alienare, & repudiare, nam illud dicitur alie-
171 nari, quod distrahitur à corpore Ecclesiæ, quæ rei dominium, & possessionem habet in se incorporatam; repudiare verò est rem nondùm incorporatam Ecclesiæ nolle acquirere, & eam non incorporare Ecclesiæ, alienare ergò est rem acquisitam alteri dare, & excorporare ab Ecclesia, incorporatio autem fit apprehensione, & possessione rei, sicut & ex his probatur, *ut ex Socin. Jun. lib. 2. cons. 126. num. 1. docet Rota par. 4. dec. 627. nu. 9.* Repudiare verò est nolle acquirere, & omittere actum acquisitionis, *l. Nec is 17. l. 15. potest 18. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* Cùm ergò repudiatio fit tantùm omissio delatorum, & non distractio acquisitorum, sequitur, hunc actum non comprehendi sub juribus de rebus Ecclesiæ non alienandis. Est communis *apud Sanchez lib. 6. disp. 4. num. 12. Doctores citati resol. 27. nu. 46. & 47. & resol. 53. num. 63.* Nec obstat, quòd *in l. Magis puto 5. §. Fundum ff. de rebus eorum*, di-
172 catur: *Esse enim & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat*. Quia in eo textu repudiatio legati vocatur alienatio non simpliciter, sed relativè, & in ordine ad pupillum tantùm, dum inquit enim *cùm res sit pupilli*, quodammodò indicat, quòd pupillaritas est in causa, cur repudiatio de legato pupilli facta, vocetur alienatio, undè ut quid speciale non est extendendum ad quamlibet speciem repudiationis, maximè ubi agitur de incurrendis pœnis.

173 Tertia pars, quòd in repudiatione non sit necessaria solemnitas, hoc est, justa causa, consensus capituli, & licentia Sedis Apostolicæ, probatur, quia hæc solemnitas tantùm necessaria est in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, jam Ecclesiæ, seù Monasterio incorporatarum, cùm in illis tantùm à jure exigatur; sed repudiatio ex mox dictis non est alienatio; ergò ad eam nulla solemnitas requiritur, cùm jure aliquo non petatur. Confirmatur ex illo communi axiomate: quòd solus Prælatus in acquirendis potest Ecclesiæ præjudicare; non autem in acquisitis.
174 *Glos. V. Non debet, cap. 2. de donat.* quam ferè omnes sequuntur *cum Innoc. ibidem initio, Butrius num. 10. Seraphin. de privileg. jur. privil. 71. num. 12. fine*. Est communis cum *Rosella V. Alienatio num. 10. Silv. q. 19. Tabiena q. 10. Corneus lib. 3. cons. 11. num. 2. Feder. de Senis cons. 9. cum aliis Pasqual. q. 10. 89. de sacrif. Missæ.*

Quæres 46. An hæres ultrà vires teneatur solvere legata tàm profana, quàm pia.

℟. Quamvis hæres, qui non confecit in-
175 ventariũ, non teneatur ultrà vires hereditatis solvere debita, & legata, relicta etiã locis piis in foro conscietiæ, in foro tamen fori datur actio contrà illũ, & condemnatur, si non probat, aliud non esse in bonis hæreditatis, per quæ omnibus fieri possit satis. In foro ergo conscientiæ, sivè factum fuerit inventarium, sivè non, hæres non tenetur ultrà vires hæreditatis, quia de suo nullus tenetur solvere aliorum debita. Et in hoc omnes conveniunt cum *Angelo V. Hæres num. 6. Tabiena num. 6. Silv. n. 7. V. hæreditas 3.* Nullus contradicit. In foro externo si confecit inventarium, pariter ad nihil tenetur, ob eandem rationem, quia nemo tenetur solvere aliena debita. Et in hoc omnes conveniunt apud præcitatos. Quando subtraxit aliquid, leges condemnant occultantem, vel suscipientem aliquid in duplum, ut notant allegati à *Gratian. cap. 34. à num. 2. & seq.* Si verò non confecit inventarium, tenetur ultra vires hæreditatis, quia præsumitur contra ipsum, *ex l. fin. C. de jure delib.* ubi de tempore, quod datur ad conficiendum inventarium; si ergo probat, ulteriora non adesse bona, elidit præsumptionem, & ad nihil tenetur etiam in foro externo.

Quæres 47. An legatum speciale deroget generali?

176 ℟. Affirmativè per illam communem regulam 34. in 6. generi derogatur per speciem. Ita *Abbas cons. 4. num. 5. lib. 2. Bald. lib. 5. cons. 253. num. 3. Vers. si verò, Craveta cons. 86. num. 4. & 5. Ruin. lib. 2. cons. 90. n. 9. Surd. de alim. tit. 2. q. 15. num. 130. cum aliis Pasqual. q. 242. num. 4.*

Quæres 48. An valeant legata incertis personis facta, & quandò illis acquirantur?

177 ℟. Legata profana non valent, ut pronuntiatur *l. si ità fuerit 11. ff. de reb. dubiis, l. Titia 35. ff. de legat. 2. instit. de legat. §. in-*
178 *certis*. Sunt verò valida, & firma legata pia facta pauperibus incertis, qui licèt tales sint in voluntate testatoris, in ejus tamen executione certificantur per electionem de illis faciendam per deputatos executores mentis testatoris. Est communis cũ *Rom. in Auth. similitèr ff. ad legem Falcid. Pasqual. q. 236. n. 2. ex l. si quis 37. C. de Episcop. & cler.*

Sed quid dicendum, quandò legatũ piũ est incertum quoad utrumq; id est, quoad rem, & quoad personam, cui legatur?

179 ℟. Adhuc valere, nam legatum etiam profanum incertum quoad rem valet, ut probavi *q. 27.* ergò à fortiori pium; valet quoque quoad incertitudinem personæ, ut probatum fuit; ergò valet respectu utriusq; conjunctim spectati, cùm unum alteri non sit contrarium. Ità *Specul. de instr. §. nunc verò aliqua n. 25. Card. in Clem. 1. de testam. q. 28. Felin. in cap. 1. de Pactis n. 6. & 7. cum aliis Pasq. q. 236. n. 5. & 6.* Sicut autem pauperes eliguntur ab hærede, ità & res ab eodem designanda est, vel ab Episcopo, *ex lege nulli C. de Episcop. & cler.* ex eodem *Pasqual.*

Lega-

180 Legatarius autem incertus tunc incipit habere jus ad legatum, cum primùm est nominatus, & electus; hujusmodi enim legatum videtur acquiri ad modum legatorum conditionalium, & in diem, quæ acquiruntur, purificata conditione ex probatis hìc *q.* 14. & die cedente *q.* 15. ergò pari ratione acquiruntur incerto legatario, cum electione certificatur. Confirmatur id ex electione Canonica ad beneficia, & Officia Ecclesiastica; licèt enim multi concurrant ad electionem, non omnes tamen eliguntur, sed unus ex eis, adeò quòd solùm electus dicitur habere jus ad Officium, ad quod electus fuit, *cap. quàm sit* 6. *de elect. in Glos. V. relatio, cap. quanto* 10 *dist.* 63. sic plures pauperes petunt distributionem legati, non ideò omnes acquirunt jus ad legatum, sed tantùm illi, qui nominantur.

Quæres 49. An legatarius dicatur quasi hæres?

181 R. Affirmativè, *ex l. id tempus ff. de usucap. Rota par.* 1. *dec.* 261. *num.* 2. Undè venit sub nomine hæredum, & successorum *l. in conventionibus ff. de verb. obligat. eadem Rota citata*. Differt ab hærede in eo, quòd dicitur simplicitèr talis, & succedere debita in universum jus defuncti, legatarius solùm in suo legato.

Quæres 50. Quid commodi operetur dos prælegata? Proponitur casus. *Jure restitutionis, ac aliàs omni meliori modo reliquit D. Lucretiæ de Baratociis ejus uxori dilectissimæ dotes suas, quas dixit, & asservit, esse de ducatonis mille, & quatuor centum à libris octo pro quolibet ducatono, ut apparere asservit ex publico instrumẽto rogato &c. cui, &c.*

Antonius Maria Messorius de anno 1637. 18. Maii uti hæres ad formam dicti testamenti solvit, & restituit dotem, exbursando ducatonos 1400. dictæ Lucretiæ. Post hæc venit in cognitionem ex instrumento dotali allegato, dotem Lucretię esse tantùm de 600. ducatonis. Quare pro restitutione 800. indebitè solutorũ movit litem. Pars adversa respondet, se ad nihil teneri, quia non est restitutio dotis puræ, sed alterius legati sibi facti à testatore, allegando *§. sed si uxori, instit. de legat. & l. cum scriptum* 7. *ff. de dote præleg.* ubi si legatur aliquid pro dote adjecta quantitate certa, sivè dos fuerit nulla, sivè minor, sivè major, tenet legatum, ut procedit in casu præsenti, in quo summa legata est major dote; ergò Lucretia nihil tenetur restituere.

182 Respondendum est nihilominùs, D. Lucretiam teneri restituere illum excessum D. Messorio, quia testator prælegavit tantùm dotem, de qua in instrumento dotali, in quo expresè asseritur esse tantùm ducatonorum 600. ad quod voluit suos hęredes habere rationem in restitutione dotis legatæ, non obstante, quòd erraverit, asserendo fuisse 1400. addendo ex errore 800. suprà 600.

183 Nam indubitatum est, quòd error calculi omninò emendandus est, ubi subrepsit, ut hìc, restitutione scilicèt illius excessus *l. C. de errore calculi*, jura enim errantibus, non decipientibus subveniunt, *l. si is, qui* 2 *ff. si minor majorem se dicat*. Legatum enim hoc ratione prælegationis nullum aliud emolumentum affert legatariæ, nisi commodum repræsentationis, idest, quòd potest illud petere statim post mortem testatoris *ex l.* 1. *in fine §.* 1. *ff. de dote prælegata*, non expectando annum post mortem mariti, de quo *l. Un. §. cum autem C. de rei uxor. act.* Dos enim non legata non debetur, nisi post annum à morte mariti, utique affecta qualitate legati, quod à morte testatoris, & post aditam hæreditatem peti potest, *l. à Titio* 66. *ff. de furti l. legatum* 82. *de legat.* 2. Et cum in re unica sit res affecta dote, & legato, unum compensatur cum alio restitutione 600. ad tenorem instrumenti dotalis *l. si cum dotem* 23. *§. si pater ff. sol. matr. Crassus q.* 16. *de legat. num.* 8. *Gratian. cap.* 448. *nu.* 14. *Ciarlin. cap.* 189. *nu.* 2. *&* 41. *ex l.* 1. *ff. de dote præleg. §. adeò*.

184 Non obstat, quòd testator prælegando dotem asserverit, eam esse 1400. ducatonorum, quia quandò error est in referente, non attenditur, quod disposuit, sed quod in relato est expressum *Doct. in Auth. si quis in aliquo C. de eden. ubi Decius nu.* 34. *Alciat. n* 6. *Paris. lib.* 3. *cons.* 7. *nu.* 4. *&* 5. *Rota par* 4. *tom.* 2. *dec.* 470. *n.* 4. Nam quandò enuntiativa est erronea, illi standum non est, nec vis aliqua facienda est in ea, cùm ibi præsuppositum est falsum, locum non habeat dispositio, *Seraphin. dec.* 1190. *nu.* 2. *Rota par.* 1. *Diversi. dec.* 283. *n.* 2. *Rota par.* 5. *Recent. tom.* 2. *dec.* 442 *nu.* 16. Ille ergò excessus suprà dotem habetur pro non scripto, & testator præsumendus est nolvisse aliud relinquere, nisi solam dotem legatam, quia errantis nulla est voluntas, nullus proindè consensus in id, quod ignorantèr disponit, *l. Error C. de juris, & facti*
185 *ignor. Rota par* 6. *dec.* 188. *n.* 3. Neque enim error partibus nocere debet, neque rei
186 substantiam mutare, *l. de ætate §. qui justo ff. de interrog. act.* Error igitùr calculi, qui contingit in dispositione testatoris
187 omninò tollendus est, *l.* 1. *C. de errore calculi*, & cum importet injustitiam contrà partem, continuò, quandocumq; & semper debet emendari, *Rota in Postbum. dec.* 393. *n.* 3. *Garg. cons.* 70. *initio, & cons.* 88. *n.* 34.

Clarum autem est, quòd testator erravit asserendo, dotem suæ uxoris esse 1400. cum sit tantùm 600. ex inspectione instrumenti dotalis, cui standum est ex supradictis, & non credendum testatori referenti, dum omninò constat, dotem esse tantùm de 600. ducatonis, instrumentis enim lux veritatis assistit, &
188 rem certam, & manifestam facit, *Bald. lib.* 4. *cons.* 109. *initio, Cravetta. cons.* 54. *n.* 15.

*cum*

*cum aliis Rota par. 7. dec. 144. num. 1.*

189 Huic teſtatori accidit, quod referunt Doctores, aliquos ob pompam, & quamdam honorificentiam, ampliare dotes ſuarum uxorum, quæ minoris ſunt quantitatis, & ideò non attendi, cum augmentum hoc ſit ad oſtentationem fumoſam, *Vide Paulum Rubeum ad dec. 282 par. 9. n. 85.*

190 Nec obſtat *l. cum ſcriptum 7. ff. de dote prælegata*, ubi dicitur, quòd ſi legatur aliquid pro dote, adjecta certa quantitate, ſivè dos fuerit nulla, ſivè minor, valet legatum. Et inſtit. *§. ſed ſi uxori*, decernit valere legatum dotis, licèt maritus eam non acceperit, ſi certa pecunia, vel certum corpus, aut inſtrumenta dotis in prælegando demonſtrata ſunt. Si valet ubi dos recepta non eſt, à fortiori, ubi recepta fuit, quamvis legatum ſit majus dote; ergò Lucretia nihil reſtituere tenetur, cum ille exceſſus pro dote habeatur. Et

191 hinc colligunt, cauſam licèt falſam non vitiare legatum, *l. ſi ità 12. de condit. & dem. l. Demonſtratio 17. eod. l. 21. ff. de legat. 2. l. 100. ff. de legat. 3. l. Falſa 33. ff. de cond. & dem. l. quibus 40. §. qui dotalem ff. eod. l. cum tali 71. §. Falſam eod.*

192 Reſpondetur caſum noſtrum eſſe diverſum à prædictis, nam *in l. cum ſcriptum 7. ff. de dote præleg.* teſtator ſimplicitèr legat dotem nihil illi de novo adjiciendo, in quo caſu ſola dos reſtituenda eſt, cum teſtator aliud non leget, verbum enim *reſtitutionis* expreſſum in teſtamento intelligitur de eo quod acceptum eſt, *ex allegatis à Gratian cap. 824. num 7.* in caſu verò allegatæ legis, legatum adjectum fuit ſub ea quantitate, & ſucceſſit loco dotis non extantis, vel extanti, ſed minori, major quantitas fuit adjecta, & ſic legatum propriè non eſt ipſa dos, ſed loco illius, ut dixit textus extremis hiſce verbis: *Non dos ipſa, ſed pro dote pecunia legata videtur.* Teſtator autem in caſu noſtro dotem ipſam legavit, ibi: *jure reſtitutionis reliquit dotes ſuas.* Non ergò aliud reliquit loco dotis, & pro dote, *Gloſ. V. Pro dote* explicat *ideſt, ſub ſimulatione dotis.* In caſu autem noſtro nihil ſimulatur, cum vera dos ſemper extiterit.

Ad locum Inſtit. dico, in eo caſu, dotem non extitiſſe, ut verè extat in caſu noſtro, undè demonſtratio licèt ſit falſa quoad exceſſum, hæc tamen demonſtratio non prodeſt, ſed vitiat legatum, tùm quia pro non adjecta habetur, cum referens falſum non attendatur, ſed relatum verum, ex probatis ſuprà: Falſa autem demonſtratio non ſemper legatum firmat, ſed vitiat, quandò error probatur, *l. 1. C. de falſa cauſa.* Undè *Grammaticus dec. 59. nu. 24.* ad propoſitum noſtrum ait, quòd quandò fit relatio ad aliquid, illudque eſt verum, & magis reſtrictum, tunc diſpoſitio reſtringitur, & limitatur, citando pro ſe *Bartol. in l. 3. C. de falſa cauſa.* Teſtator autem exprimendo quantitatem ſe refert ad inſtrumentum dotis, quod eſt reſtrictum; ergò legatum majus, cum nihil ſit præter dotem, reſtringitur ad quantitatem dotis expreſſæ in inſtrumento dotali.

Quæres 51. An falſa cauſa, ſeù demonſtratio vitiet legatum?

193 R. Negativè, expreſsè, *l. ſi ità 12. ff. de condit. & dem. l. Demonſtratio 17. §. quòd autem, l. Falſa 33. l. quibus 40. §. qui dotalem, l. cum tale 71. § Falſam cauſam, eod. tit. l. cum quidam 21. ff. de legat. 2. l. His verbis 100. ff. de legat. 3.* Ex quibus locis clarè colligitur, errorem in demonſtratione legati non vitiare legatum, ſed deberi Legatario. Pro cujus intelligentia.

194 Notandum eſt, demonſtrationem eſſe quoddam aſſertum; quo notificatur accidentalitèr legatum ratione loci, aut alterius circumſtantiæ relatæ ad rem legatã. *De Lugo diſp. 24. n. 255.* ità definit, quod demonſtratio eſt ſignum appoſitum ad ſignificandam rem legatam, vel perſonã, cui legatur. Undè duplex eſt demonſtratio, una notificans perſonam, altera demonſtrans rem legatam; de prima habes exemplum, *ex l. Falſa 33. ff. de cond. & dem & alibi*, ubi falſa demonſtratio, hoc eſt error in perſona non vitiat legatum. De ſecunda erroris in demonſtratione rei, *ex l. Quibus 40 §. qui dotalem ff. de condit. & dem.* & in præcitatis legibus.

195 Ut error in demonſtratione tàm perſonæ, cui legatur, quàm rei, quæ legatur, non vitiet legatum, neceſſarium eſt, ut conſtet de perſona, cui legatur, & de re, quæ legatur, quia demonſtratio, ſivè vera, ſivè falſa, importat ex directo circumſtantiam connotantem perſonam, aut rem, non hæc ipſa in recto, ſed ſupponuntur certa, & determinata, & veritas, vel falſitas, & error redundat in eorum circumſtantiis.

196 Error igitùr in demonſtratione perſonæ non vitiat legatum e. g. teſtator legavit centum Petro vicino ſuo, vel qui habitat in tali domo. Tenet legatum, quamvis circumſtantia loci ſit demonſtratio falſa, quam putabat eſſe veram; cauſa enim quæ illum induxit ad benefaciendũ proximo ſuo, non fuit circumſtantia loci, quæ ſupponit legati diſpoſitionem pendentem ab amore, & amicitia erga proximũ; demonſtratio ergò non inducit ad legatum, ſed demonſtrat perſonam, cui fuit factum. Patet id ex teſtibus citatis, *de Lugo num. 257.*

197 In duobus caſibus demonſtratio perſonæ falſa vitiat legatum.

Primò, quandò demonſtratio cauſativa eſt; ſine qua non fieret legatum, dũ enim cauſa non eſt, effectus ab ea procedere non poteſt e. g. Lego centũ Petro nepoti meo, fratri meo, conſanguineo uxori meæ, &c. ſi demonſtratio falſa eſt, vitiatur legatũ,

quia

quia si hunc errorem prævidisset, non legasset. *Ex Molina de Lugo n. 257.*

198 Secundò, quandò demonstratio falsa vitiat, legatum si concipiatur conditionalitèr sic, Lego centum Petro, si habet uxorem, si est in domo &c. nam demonstratio transit in naturam conditionis, quæ si sit de præsenti, vel præterito, & falsa, perimit legatum, ex dictis *q.* 4. in hoc capite.

199 Error in demonstratione rei legatæ, ut sciat legatarius, ubi reperitur, vel à quo res legata accipi possit, non vitiat legatū, ex citatis legibus. Potest autem contingere tribus modis.

Primò, quandò res legata nullibi reperitur, nec debitor illius, & in hoc casu vitiatur legatum, quia non censetur promisisse nisi rem designatam, & sic nihil, cum nullibi reperiatur, nec fuerit tempore conditi testamenti, nec in morte testatoris, nam in hoc casu error cadit etiam circà substantiam rei, & non tantùm circà qualitatem ejus.

Secundò, quandò res legata reperitur alibi, tenet legatum, quia error solùm cadit super qualitatem, & nullo modo super rem.

Tertiò, quandò res ex parte reperitur, sed non tota, non vitiatur legatum, sed debetur pars reperta, *Armilla V. legatum n. 25. Angelica n. 35. de Lugo n. 255.*

200 Bartolus cum aliis apud de *Lugo disp. 24. n. 256.* distinguit, errorem qualitatis vitiare legatum, quandò legatum, & falsa demonstratio exprimuntur in eadem oratione sic: *Lego centum, quos habeo in tali capsa.* Non vitiare verò, si testator disponat per duas orationes sic: lego tibi centum, & volo, ut tibi solvantur ex jis, quæ habeo in tali loco. Ratio est, quia in posteriori casu demonstratio subsequitur legatum jam existens, undè illud vitiare non potest.

201 Sed super prædictis variant Doctores, vide *Molinam tom. 1. disp. 109. & 110.* interim dic Tu, tunc demonstrationem falsam circà qualitatem vitiare legatū, quandò ipsa fuit causa finalis legandi, non verò si subsequitur; ratio diversitatis est, quia in priori casu legatum dependet ab illa demonstratione, quæ uti erronea, & falsa non potest tribuere esse legato; in posteriori verò casu, cùm legatum non pendeat in fieri ab illo errore, sed supponatur esse, non potest infringi à subsequente errore, cum jam testator absolutè legaverit rem, quam postmodum demonstravit.

202 Hinc colligi potest, legatum dotis, de quo in præcedenti casu, vitiari per demõstrationem quantitatis pecuniæ, non respectu dotis, quæ jam extabat, & sic non pendebat à quantitate erronea demonstrata, ac proindè tenuit legatum respectu dotis veræ, vitiari verò quoad excessum, quia error demonstrans dotem consistere in 1400. præcessit ipsum excessum, cui dedisset esse, si fuisset vera demonstratio, quę cùm fuerit falsa, vitiavit ipsum excessum dotis fundatum in illa numeratione falsa, quæ non potuit dare esse doti excessivæ, non extanti ex alia causa.

Quæres 52. An pro Emphiteusi legâta debeatur laudemium?

203 R. Laudemium debetur à legatario de Emphiteusi sibi relicta, sivè erat successurus ex clausula: Cui, vel quibus dederit, sivè non. Ratio est, quia Laudemium datur non pro investitura, seù consensu, aut traditione possessionis; sed præcisè pro recognitione dominii directi, undè facultas exigendi illud non est personalis, sed realis, ac proindè transit cum re ad quamcumque emphiteutam; quamvis concessa sit à domino hæredibus, & successoribus cum dicta clausula, Ità *Imola in cap. potuit de locato nu. 64. Bald. in l. cum dubitabatur C. de jure emphit. n. 3. Surd. dec. 200. n. 5. Gratian. cap. 387. n. 10. & seq.*

Quæres 53. An legatum centum scutorum e. g. relictum filiis N. qui sunt duo e. g. illis dandum sit in solidum, an distribuendum dando singulis quinquaginta?

204 R. Esse inter illos dividendum, quia in dubio strictè interprætanda est mens testatoris, *l. unum ex familia §. si rem ff. de legat. 2. l. nummis 73. ff. de legat. 3. Aymon. cons. 86. n 7. Natta cons. 420. n. 27.* Faciunt dicta *q. 29. 30. & 31.* ità enim est interprætanda mens testatoris, ut hæres minus gravetur, ex dictis *cit. q. 31.* Quod verum quoque est, si centum relinquat Petro e. g. & filiis Pauli, nam illi datur medietas, & reliquum dividitur inter filios. Ità *Decius cons. 454. num. 3. Felin in cap. Pastoralis num. 9. Crescent. dec. 4. de jurepatr. ex illis Gratian. cap. 70. num. 2. 3. & 14.*

Quæres 54. An legatum non solutum à primo hærede, sit solvendum ab eo, ad quem bona transeunt, sivè sit hæres, sivè aliter successor?

205 R. Utique, quia res transit cum onere suo ad quoscumq; perveniat. Confirmatur in terminis istis, quia legatum solvendum est ab hærede, *instit. de legat. & l. legatum 119. ff. de legat. 1.* Nomine autem hæredis venit etiam hæres hæredis, *l. heredis 95. l. sciendum 70. ff. de verb. signif. Castrens. lib. 2. cons. 16. num. 4. Gratian. cap. 294. nu. 10.* qui, multis citatis, dicit non teneri in annuis, sed eum, qui succedit ei, qui fructus percepit.

Quæres 55. An legatum missarum, in quo non exprimitur *in perpetuum*, sed, quòd singulo anno celebretur, an sit perpetuum?

206 R Esse perpetuum, quamvis hæc dictio non exprimatur, quia virtualitèr continetur in illis *singulo anno*, ubi enim solutio est reiterabilis, ibi legatum est perpetuum, *l. annum 20. §. Annua ff. de annuis legat.* extremis verbis, & *in l. cum quidam 23. eod.* ubi, quòd legatum relictum in diem reiterabilem, intelli-

gitur esse annuum, & perpetuum. In terminis istis aliis citatis *Pasqual. de Sacrificio Missæ q.* 1005. *num.*2. Undè *Rota par.* 4. *tom.* 3. *decis.* 563. initio dicit, in dubio legatum censendum esse perpetuum, non temporale, ubi plures citantur; testator enim in dubio censetur legare omne jus, quod habet in re sua, ex ibi citatis; sed testator in rebus suis jus habet perpetuum; ergò & in legatis factis tale jus censetur transferre, ut sint perpetua, maximè cum in legatis piis, præsertim missarum, testator velit consulere animæ suæ de earum suffragio, quo in Purgatorio existens indiget non ad tempus, sed perpetuò, quousque ibi manet, & cum illud tempus incertum, & indeterminatum sit quoad nos perpetuum esse debet. Vide suprà *q.* 7. *n.* 38. *ad* 40.

## CAPUT SECUNDUM.

*Quinam possint facere legata.*

*SUMMARIUM.*

1 *Testari prohibitus non potest legata facere.*
2 *Testari verò potens, potest legata facere.*
3 *Legatum profanum in solo testamento valet.*
4 *Pium verò etiam extrà testamentum fieri potest.*
5 *Filiusfamilias carens bonis, non potest legare.*
6 *Mutus non testatur.*
7 *Religiosus non potest testari*, 11.
8 *Amentes, & carentes usu rationis non testantur.*
9 *Servus testari non potest.*
10 *Dum est liber, licèt ignorans suam libertatem testatur.*
11 *Religiosus testari non potest* 7.
*Prodigus non potest testari privatus administratione bonorum.*
12 *Valet tamen, si antè privationem illud fecerat.*
13 *Filiusfamilias testatur de bonis castrensibus, & quasi castrensibus, & de adventitiis acquisitis post clericatum.*
14 *Prohibitus testari non potest disponere ad causas pias.*

SUb hoc capite agam de jis, qui legata facere possunt, & quoniam super hoc non est multa difficultas, paucis rem expediam finè distinctis quæsitis.

1 Certum autem est, quòd solùm illi possunt facere legata, & quidem profana, qui possunt testari, & facere codicillos, pia verò legata fieri possunt etiam extrà testamentum nudis verbis, & ore tenùs sinè scriptura innotescenda hæredibus. Filiusfamilias, nisi habeat bona castrensia, vel quasi, non potest testari, ac proindè nec legare. Mutus ex accidenti legare potest.

2 Primum, quòd valens testari possit legare, probatur, quia ex definitione legati tradita initio *cap.* 1. id solet fieri in testamento; ergò & à testamento recipit suum esse; ergò valens testari, potest in suo testamento relinquere legatum. Ità *ex l.* 2. *de legat.* 1. *Angelus V. Legatum* 1. *nu.* 1. *Silvester V. eod.* 2. *num.* 1. *Tabiena V. eod. nu.* 2. *de Lugo disp.* 14. *num.* 237. & alii omnes.

3 Secundum, quòd solus testator possit legare in profanis, & non extrà testamentum, probatur ex eodem *l.* 2. *ff. de legat.* 1. ubi quòd habens potestatem testandi, potest relinquere; ergò qui caret, ea non potest legare. Ità supradicti, dum dicunt legata non fieri extrà testamentum. Et quoniam codicilli sunt partes accessoriæ, ideò legata in eis facta valent tàm in profanis, quàm in piis.

4 Tertium, quòd legatum pium possit fieri extrà testamentum expressis verbis ore, vel scriptura simplici, probatur, *ex l. fin. C. de fideicom. ex cap. Indicante* 4. *de testam.* De qua re infrà suo loco.

5 Quartum, quòd filiusfamilias carens bonis propriis non possit legatum facere, docet *Glos. in dictam leg.* 2. *ff. de legatis* 1. *ibi scribentes, Alex. vol.* 7. *cons.* 53. *n* 8. *Crassus q.* 4. *de legat.* subdens, quòd minor ex forma Statuti prohibitus testari, non potest legare, *cum Bart. in l. Sciendum* 2. *ff. de legat.* 1. *Paulo de Castro, Aretino, & Alex. ibidem,* ne propter ætatem lubricam seducatur in disponendo de suis *bonis, contrà Baldum in l. fin. C. de testam.*

6 Quintum de muto asseritur *à Socino in dictam leg.* 2. *ff. de legat.* 1. *num.* 130. *quem sequitur Crassus q.* 5.

7 Colligitur ex his, nullum religiosum, quicumq; ille sit, etiam Generalem posse facere legatum non solùm alicui professo sui ordinis, verùm multò minùs extraneis, etiam suis consanguineis Laicis, seù Clericis, quia non solùm respectu prædictorum, sed etiam simplicitèr, non potest testari, prohibentibus id legibus, & sacris Canonibus, *Auth. Ingressi, C. de sacros. Eccles. cap. Quia ingredientibus* 19 *qu.* 3. *cap.* 2. *de testam.* Ego *cap.* 13. *de Profess. Regul. in Edit. Veneta q.* 78. *nu.* 131. Ergò neque legatum facere, quodcumque illud sit, sivè profanum, sivè pium, cum nulla ratione id concedatur professis.

Sed quinam sunt, qui prohibentur testari, & subsequentèr legata facere?

8 R. Primò à natura prohibentur carentes usu rationis; testari enim est actus vitalis à mente proveniens; ergò qui caret illius usu, testari non potest. Sub his sunt amentes, & furiosi, dum sunt in actu furiæ, seù amentiæ. Vide *de Lugo disp.* 24. *à n.* 61. *ad* 64. ubi de infante, & impubere, qui non potest testari ma-

masculus nisi post expletum annum 14. & fœmina duodecimum, *ex l. Aqua ætate 5. ff. qui testam. facere possunt*. Servus testari non potest; & factum non convalidatur, etiamsi postea sit factus liber, quia caret voluntate, quæ debet esse tempore factionis, *l. Qui testamento Domini, & seq. ff. de testamentis.* Si tamen esset liber tempore factionis, sed id ignoraret, volunt valere quoad causas pias, *Molina disp.* 137. Professus testari non potest, cujuscumq; sit ordinis, *ex Auth. ingressi de sacros. Eccles.* Prodigus prohibitus habere administrationem suorum bonorum, non ampliùs testari potest, anteà factum valet, *l. Is cui ff. de testam. §. item prodigus Instit. de testam. Quibus non permiss.*

Filiusfamilias post annum decimumquartum masculus, & fœmina post decimumtertium expletum, imò etiam ultima die illius anni terminati potest testari, *l. Aqua ætate 5. de testam.* non de profectitiis, nec adventitiis, sed tantùm de castrensibus, vel quasi castrensibus; imò de adventitiis quæsitis post clericatum, & nō antè, cum esset laicus, *ex Auth. Præsitores, & in l. Sacrosanctæ 32. & de Episc. & cler. Molina disp.* 138. *Vasq. de testam. cap. 9. dub. 8. de Lugo disp. 24. num.* 67. Reliqua vide apud præcitatos.

Reliquum est, ut inquiramus, an prohibitus testari possit, nihilominùs testari ad causas pias, & facere legata?

R. Non posse, cùm sit simpliciter prohibitus, negatio enim tollit potentiam respectu cujuscumq; actus. Ità *Vasq. cit. quē citat de Lugo num.* 71. contrà Silv. & Covar. volentes posse usurarium testari ad pias causas, si decessit cum signis pœnitentiæ: displicet, quia pœnitentia arguit destructionem peccati, non verò revocationem prohibitionis factæ contrà usurarium notorium, ut non possit testari.

## CAPUT TERTIUM.

*De capacibus legatorum.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Probibiti hæreditate prohibentur etiam à legatis.*
2 *Filius naturalis capax legati.*
3 *Spurius de lege canonica capax legati alimentorum.*
4 *Spuria dotanda est ex bonis paternis.*
5 *Etiam aliis parentibus.*
6 *Jure civili Spurii incapaces legatorum.*
7 *Capaces verò bonorum maternorum.*
8 *Legatum alimentorum redit ad dominum proprietatis.*
9 *Concubina mulier soluta domi soluti retenta ad commercium carnale.*
10 *Meretrix, quæ multorum patet libidini.*
11 *Concubina capax legati sibi ab Amasio facti.*
12 *Meretrix verò incapax.*
13 *Nisi fiat in ordine ad ingressum in Religionem.*
14 *Peccator post pœnitentiam non est ampliùs peccator.*
15 *Bannitus incapax legati.*
16 *Intestabilis activè, & passivè.*
17 *Pro mortuo habetur.*
18 *Servus incapax legati pro se.*
19 *Servus acquirit Domino suo.*
20 *Servus incapax dominii, & possessionis.*
21 *Deportatus est ille, qui perpetuò exiliatur. Relegatus ad tempus tantùm.*
22 *Deportatus incapax legati.*
23 *Relegatus capax legati.*
24 *Excommunicatus capax legati.*
25 *Offendens Cardinalem incapax legati.*
26 *Hæreticus discredens, quos scit esse articulos fidei. Mentalis, qui extrà errorem non protulit, extraneus tantùm coactus contrà mentem. Mixtus, qui errorem in intellectu extrà manifestat.*
27 *Hæreticus est intestabilis, & incapax legati.*
28 *Legatum species hæreditatis.*
29 *Quo jure hæreticus incapax testandi.*
30 *Hæreticus ab aliquibus dicitur indignus legato, ab aliis incapax, unde illius bona acquiruntur fisco, istius hæredibus.*
31 *Fisco quæruntur tantùm existentia sub dominio Rei.*
32 *Communior opinio est, quòd hæreticus sit incapax, ac proindè bona esse venientium ab intestato, & non deberi fisco.*
33 *Undè habita tenetur restituere ex ejus incapacitate.*
34 *Repudiare debet legatum.*
35 *Fisco nemo tenetur acquirere.*
36 *Capax fit hæreticus Ecclesiæ reconciliatus.*
37 *Intestabilis ergo fit hæreticus, postquam talis est declaratus.*
38 *Hæreticorum bona publicantur constito de hæresi.*
39 *Dicta procedunt de hæretico mixto.*
40 *Criminis læsæ majestatis reus incapax legati.*
41 *Reus hujus generis ipso jure privatus bonis.*
42 *Usurarius capax legati.*
43 *Occidens suum testatorem incapax legati.*
44 *Communitas capax legati.*
45 *Religiones omnes capaces legatorum.*
46 *Tridentinum concedens immobilia regularibus.*
47 *Possidere bona supponit eorum capacitatem in acquirendo.*
48 *Possessio supponit dominium in possidente.*
49 *Capucini, & Observantes incapaces bonorum stabilium.*
50 *Capax hæreditatis etiam legati.*
51 *Franciscus Sanctus tres Ordines instituit.*
52 *Regula quoad paupertatem refertur.*

53 *Minores incapaces ſtabilium, & legatorum.*
54 *Niſi titulo eleemoſinæ.*
55 *Etiam annuorum, ſed ad tempus*
56 *Imò perpetuorum pro Eccleſia.*
57 *Bullæ pro hac re referuntur.*
58 *Tertii Ordinis capaces hæreditatis, & legatorum.*
59 *Tertii Ordinis Fratres componere poſſunt cum hæredibus.*
60 *Conſtitutiones Minorum de Obſervantia ſuper legatis.*
61 *Onera miſſarum non recipiunt, miſſas tamen celebrant.*
62 *Regulares particulares ſunt capaces legatorum, ſi eorum ordo.*
63 *Quiquid acquirit Monachus, ſuo Monaſterio acquirit.*
64 *Legata illis facta ſub certis clauſulis benè explicantur.*
65 *Novitii ſunt capaces legatorum.*
66 *Tertii Ordinis origo tàm pro ſæcularibus, quàm pro regularibus.*
67 *Uterque capax bonorum.*
68 *Regularis præſertim; tàm in communi,*
69 *Quàm in particulari.*
70 *Capucini, & Minores legitimè translati, & profeſſi in Tertio Ordine, ſunt capaces.*
71 *Tertiariæ Sorores aliæ ſolemniter pro-*
72 *feſſæ, aliæ in ſæculo ſine voto, aliæ cum ſolo caſtitatis voto in propriis domibus.*
73 *Sæculares ſine voto exiſtentes in propriis domibus nullis gaudent privilegiis*
74 *Habentes votum caſtitatis ſimplicis gaudent privilegiis exiſtentes in propriis domibus.*
75 *Votum hoc ſufficit, ſi ſit ſimplex.*
76 *Gaudent iſtæ privilegiis profeſſorum ſui Ordinis.*
77 *Legatum ergo debetur eis, ſicut Monacantibus.*
78 *Licèt deſint aliquæ conditiones, modò non deſit votum.*
79 *Legatum dandum nubenti datur etiam profitenti.*
80 *Licèt expreſsè loquatur de matrimonio carnali.*
81 *Et de nubendo tali perſonæ.*
82 Si nupſerit *turpis ſi excludat profeſſionem.*
83 *Legatum puellis maritandis datur etiam profitentibus.*
84 *Incertum quomodò determinetur.*
85 *Legatum pinguius, non minùs deſignatum, datur profitenti.*
86 *Clerici etiam gaudent hujuſmodi privilegiis.*
87 *Legatum, cui debet ſuccedere ſubſtitutum, aliis dari non poteſt.*
88 *Legatum ſubſtitui poteſt loco patrimonii pro ordine ſacro recipiendo.*
89 *Hoſpitale capax legati.*
90 *Legatum pro Religionis ingreſſu non datur nubenti carnaliter.*

1 CErta eſt regula, quòd omnes illi, qui poſſunt inſtitui hæredes, ſunt etiam capaces legatorum, cum ex eadem radice ambo provenire poſſint hæreditas, & legatum, bonum utriſque. Et è contrà, qui prohibentur inſtitui hæredes, interdicuntur à legatis. Edictum autem de hæreditatibus, & legatis, eſt prohibitorium, ut ſcilicèt, omnes admittantur ad hæreditates, & legata, qui expreſsè ab illis non repelluntur arg. eorum, quę habet *Gloſ. V. Idonei cap. 1. de teſtib.* Quare omnes, qui non prohibentur hæreditare, ſunt capaces legatorum. Ità omnes, *Angelus V. legatum 1. num. 2 Tabiena num. 3. Silv. V. eod 2. num. 2. Bonac. par. 3. de teſtam. de Lugo diſp. 24. de juſt. num 237.* Affirmativa vera eſt de jure communi; nihilominus negativa patitur exceptionem, & jure communi in ſpuriis e. g. & reſpectu religioſorum Minorum, & Societatis Jeſu, quibus prohibetur inſtitutio hæreditatis, non autem legatorum, ut infrà patebit. Ad quæſita cedo.

Quæres 1. An illegitimus ſit capax legati?

2 R. Filius naturalis utroq; jure eſt capax legati ſibi à patre facti; Spurius verò conceptus, ſcilicèt, ex damnato coitu, vel in certo patre, ſolo jure Canonico eſt capax legati pro ſuis alimentis, quæ ei dare debet ſuus pater, imò fęminas dotare tenetur, non ſolùm ipſe, ſed etiam ejus ſucceſſores in bonis, ex æquitate juris Canonici. Jure verò Civili Spurius non eſt capax legati, nec alimenti à patre, in bonis verò maternis ſuccedit, ac proindè reſpectu illius capax eſt legati.

Prima pars de filio naturali probatur per *Aubt. licèt C. de natural liber. Craſſus q. 6. de legatis.*

3 Secunda pars, de Spurio capaci paterni legati, probatur per *cap. cum baberent 5. de eo, qui duxit. in matrim.* Nam jus naturale hoc inſinuat, ut filii alantur, & educantur à parentibus; jus ergo Canonicum mitigavit rigorem juris Civilis, quòd uſquequaque non adverſatur juri naturali, dùm reliquit illud alendi jus matri. Eſt cõmunis omnium Doctorum, quorum numerum ad 50. & ultrà citat *Barb. ad dictum cap. num. 4.*

4 Tertia pars, de fæminis Spuriis dotandis à patre, probatur, quia fęmina alenda, & educãda, eſt non ſolùm quoad victum, & veſtitũ, ſed etiam quoad animã, & honorẽ hujus ſęculi, ideò adoleſcẽtula facta, ne incurrat periculum animæ, & honoris cum dote tradenda eſt viro honeſto, vel monaſterio, quibus mediãtibus dicitur educari. Ità *Covar par. 2. de teſtã. cap 8 §. 6. n. 11. cum multis aliis apud. præfatum Barb.*

5 Quarta pars, quòd ejus ſucceſſores teneãtur dotare eã, quã pater non dotavit, probatur, quia bona ejus patris tranſierũt cũ hoc

hoc onere. Ità *Covar. eod. §. 6. n. 14. Duennas Reg. 367. num. 4. Surd. tract. 1. de alim. q. 50. cum aliis Barb. num 5.*

6 Quinta, de incapacitate legati, & alimentorum paternorum Spurii, est expressa in *Auth. ex complexu C. de incestis, & inutil. nupt. ubi Barbosa num. 10 citat. Farinac. q. 149. num 137. Menoch. de arbitr. casu 502. num. 66.*

7 Sexta pars, est capax bonorũ maternorũ, probatur *ex l. hac patre 2. l. Spur. 4 ff. undè cognat. instit. de succeff. cognat. l. si qua illustris 5. C. ad senat. C. Orficianum*, ubi excipiuntur filii Spurii matris illustris, qui non succedunt illi, extantibus legitimis, in aliis verò fœminis non illustribus concurrunt cum legitimis.

8 Notant Doctores, quòd legatum Spuriis factum pro alimentis, non transit ad hæredes Spurii, sed eo mortuo, ad hæredem patris, qui fecit legatum. *Baldus in l. eam, quam C. de fideicom. apud Crassum q. 6. num. 2* quam cum aliis dicit communem. Quia alimenta non sunt transmissibilia ad hæredes, cum extinguantur cum ipso legatario, qui post mortem non eget alimentis, sed spiritualibus suffragiis. Alimenta enim simplicitèr relicta debentur in vita *l. Mela 14 ff. de alim. & cibar.* Legatum verò Spuriæ cum transeat in naturam dotis, videtur trasmissibile, sicut omnes aliæ dotes, cum detur non tantùm ad alendum, quàm ad sustinenda matrimonii onera.

Quæres 2. An concubina, & meretrix sint capaces legatorũ, sibi à suis Amasiis factorum? Concubina dicitur, quæ domi
9 retinetur soluta, à soluto commiscente cum ea carnalitèr, quorum contuberniũ non jus Civile, sed tantùm Canonicum punit, à quo appellatur etiam concubina, quæ domi retinetur à Clerico etiam soluto à voto solemni. Vide Tridentinum *sess. 24 cap 8.* Meretrix, quæ patet diversorum
10 libidini, ex D. Hieronymo *Epist. 128. ad Fabiolam, relato in cap. Vidua 16. dist 34.* ac proindè, cujus turpitu publicè venalis est, *cap. Meretrices 11. 32. q. 4.* istæ utroque jure tolerantur, ad evitandum majus malum naturæ corruptivum.

11 R. Concubina est capax legati sibi facti à suo Amasio, expressè *l. donationes 32. ff. de donat. & in l. Concubinam 29. ff. de legat. 3.* Etiam si posteà ad invicem contrahant matrimonium, ut id supponitur *in l. Celsus 29. ff. de legat. 2. & loco citato.* Meretrix
12 verò est incapax, *ex l. Claudius 13. l. Mulierem 14. ff. de jis, quibus ut indign. legat.* Nec obstat *l. affectionis 5 ff. de donat.* Ubi dici-
13 tur, quòd donari potest Meretrici. Quia in eo textu nomen Meretricis sumitur pro Concubina presse accepta, cujus carnale commercium non est damnatum jure Civili. Ità respondet ex Peregrino *de jure fisci lib. 2. cap. 9. num. 1. vers. horum est ratio, Ciarlin. cap. 33. est 84. num. 13.* ubi rem hanc fusè tractat. Quid si Meretrix velit converti ad Dominum, numquid tunc sit capax? Utique, quia tale legatum, cùm sit pium, non fovet commercium carnale, propter quod jura videntur facere illam incapacem, ut redeat ad se, nulla ratio suadet, illud esse nullum, & mulierem tunc esse incapacem, dum per illud excitatur, & removetur à mala vita, & convertitur ad bonam frugem. Quare testator, ut validè ei leget, debet exprimere se legatum ei facere, si relinquet malam vitam; tunc enim legatum valet, & est pium *Sperell. dec. 159. nu. 15.* Confirmatur, quia ad Dominum conversa, non ampliùs Meretrix est, nam peccator post pœnitentiam non est
14 ampliùs peccator, *cap. Ferrum 18. dist. 50.* imò habetur pro tali, ac si non peccasset, *Bartol. & Bald. in l. Imperialis 23. C. de nupt. num. 2.* capax ergò est legati. Ità *Sperell. dec. 159. num. 15.*

Quæres 3. An bannitus sit capax legati?

15 R. Bannitus capitalitèr cum publicatione bonorum existentium in territorio bannientis ab omnibus impune occidibilis, nihil in eodem territorio retinere, nec acquirere potest, ac proindè perdit omnia jura non solùm suæ Civitatis, sed etiam juris communis, ità quòd in nullis bonis
16 succedere potest. Ità 75. Doctores, *quos refert Ciarlin. cap. 161. ubi num. 75. citat. Seraphin. dec. 354 num. 3.* asserentem bannitos esse intestabiles tàm activè, quàm passivè, tàm de jure communi, quàm vigore Bullarum; *& Rota par. 5. dec. 177. num. 23.* dicit, bannitum hostem patriæ, qui est omninò incapax successionis, succedere tamen ab intestato in bonis extrà territorium bannientis. Ergò est incapax legati, dum est inhabilis successionis per viam testamenti. Confirmatur, quia mortui non sunt capaces hæreditatis, nec legatorum de hæreditate, *Marsil. l. fin. ff. de quæst. legat. 2. num. 31. l. Dives, §. fin. ff. de jure codicill l. quo loco ff. de hæred. instit.* de legatis verò, *Decius, & Cagnol. in l. Neratius ff. de regul. jur. apud Sebast. Mediceum in opusc.* Mors omnia solvit *par. 2 nu. 174.* sed bannitus capitalitèr habetur pro mor-
17 tuo, *Marcabr. cons. 98 n. 120 Farin. lib. 2 cons. 135. num. 57. cum multis aliis Ciarl. cap. 161. num. 8.* Ergò incapax est legati. *Crassus q. 8. de legatis.*

Quæres 4. An servus sit capax legati?

18 R. Non est capax pro se, *l. si legatarius 8. §. 1. ff. de legat. 3.* nisi detur ei libertas, de communi *Crassus q. 9 de legatis.* Utique pro suo domino *l. legatum 7. ff. de legat. 1.* ubi, quòd dominus potest illud repudiare. Erit ergò domini, quia servus domino suo acquirit. *l. 1. ff. de jis, qui sui, vel alien. l. servus 62. de verb. obligat. instit. per quas personas nobis acquir. §. item vobis.* Confirmatur, quia in-
19 stitui

ſtitui poteſt hæres *inſtit. de hæred. inſtit.* ergò & legatarius; & legatum repudiare non poteſt, quia debet prodeſſe, & non obeſſe domino, *l. ſervus* 3. *C. de pactis*. In caſu verò, quòd dominus velit legare ſervo ſuo, ut valeat legatum, neceſsè eſt, quòd illi det libertatem, *ex cit. l. ſi legatarius* 8. ut de communi docet idem *Craſſus q.* 9. Ratio eſt, quia ſervus remanens ſervus non eſt capax dominii, nec poſſeſſionis, *l. quòd ſervus* 24. *ff. de acquir. poſſeſſ. l.* 1. *ff. de jis, qui ſunt ſui inſtit. Per quas perſonas. §. item vobis*.

20

Quæres 5. An deportatus ſit capax legati? Deportatus dicitur ille, qui perpetuò miſſus fuit in exilium. Relegatus verò, qui ad tempus exulat *l. Relegatorum* 7. *ff. de interd. & relegat.*

21

22 R. Deportatus non eſt capax legati, quia privatur poteſtate activa, & paſſiva teſtandi. Colligitur *ex l. ejus, qui* 8. *§. in inſulam ff. de teſtam. l. deportati* 2. *C. de bonis proſcr. Clarus §. Teſtamentum q.* 22. ubi, quòd non poteſt teſtari, nec ex teſtamento capere; ergò eſt incapax legatorum, ità *Craſſus q.* 10. *de legat. Ciarlin. cap.* 161. *num.* 41.

23 Relegatus verò ad tempus non perdit jura, ſed ea retinet, *ex cit. l. Relegatorum* 7 *ff. de interd. & relegat.* Remanet ergò teſtamenti tàm activè, quàm paſſivè capax, ac proindè legati.

Quæres 6. An excommunicatus ſit capax legati?

24 R. Excommunicatus etiam denuntiatus, præciſis quibuſdam delictis, eſt capax legati, quia habet utramque teſtamenti factionem, *Archid. in cap. Pia* 1. *de except. in* 6. *Felin. in cap. cum voluntate, de ſenſ. excom. cum aliis Craſſus q.* 24. *de teſtam.* Ergò & ſucceſſionem in legatis ſibi factis. Confirmatur, quia omnibus eſt permiſſum teſtari, quibus lege non eſt prohibitum, *inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſt. §. fin. l. ſi quæramus* 4 *ff. de teſtam. l.* 1. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* edictum enim de teſtamentis eſt prohibitorium, ut dixi initio hujus capitis; ſed nullibi interdicitur excommunicatis ut ſic factio teſtamenti, *Covar. in Rubr. de teſtam. num.* 18 *Ugol. de cenſ. tab.* 2. *cap* 21 *Sayr. lib.* 2. *de excom. cap.* 9. *num.* 2. *Caſtropal. de cenſ. diſp.* 2. *p.* 16. *nu.* 6. Ergò ſicut poteſt teſtari, ità & ſuccedere in legatis, ſicut & inſtitui hæres, ex adductis ex eodem *Caſtropal. num.* 7. quia minùs requiritur ad capiendum ex teſtamento, quàm ad faciendum teſtamentum, cùm plures ſint incapaces teſtandi, non tamen ut eis relinquatur hæreditas, aut legatum ex citatis legibus, *ex Baldo l.* 1. *C. de hæred inſtit. Ugolin. Tabula* 2. *cap.* 21. *§.* 1. *Sayrus lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 9.

Dixi præciſis quibuſdam delictis, nempè, inſecutione Cardinalium, hæreſi, uſura, & damnatis ad mortem cum bonorum confiſcatione, de quibus infrà ſuis locis; non ergò ex vi excommunicationis aliquis fit incapax teſtandi activè, & paſſivè, ſed ex delictis præcisè enumeratis.

Quæres 7. An inſecutor Cardinalis ſit incapax legati?

25 R. Affirmativè *ex cap. Felicis* 5. *de Pœnis in* 6. *his verbis*. Ut ſi quis deinceps in hoc ſacrilegii genus irrepſerit, quòd S. R. E. Cardinalem fuerit hoſtilitèr inſecutus, vel percuſſerit, aut ceperit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut conſilium dederit, vel favorem, aut poſteà receptaverit, vel defenſaverit ſcienter eundem, ſicut Reuscriminis læſæ majeſtatis, perpetuò ſit infamis; diffidatus nihilominùs, & bannitus; ſit inteſtabilis, ut nec teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex teſtamento, vel ab inteſtato vocetur, quatenùs ab omni ſucceſſione repulſus, publicaq; repulſa confuſus minus inveniat ſuæ malitiæ ſucceſſorem.

Res eſt clara ex illis verbis: *Sit inteſtabilis, ut nec teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex teſtamento vocetur*: ſed legatarii dicuntur vocari ex teſtamento, cùm legatum ſit donatio in teſtamento relicta, ut patet ex definitione legati; ergò qui prohibetur, ut in hoc caſu, eſt incapax legati. Patet ergo, quòd cardinalem offendens una ex præfatis actionibus caret factione teſtamenti activa, & paſſiva; & ità docent *Farinac. q.* 112. *num.* 112. *Duennat Reg.* 272. *num.* 2. *Ricciol. de jure perſonar. extràgrem. lib.* 4. *cap.* 58. *num.* 21. *Barb. ad dictum cap. num.* 18.

Nota autem, quòd hæc pœna inhabilitatis teſtandi tàm activè, quàm paſſivè non incurritur, niſi poſt declaràtionem, undè antè poterit capere hæreditatem, & legata, ut tradunt *Leſſius lib* 2. *cap.* 19. *num.* 52. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 31. *ex illis Theſaurus Jeſuita de pœnis Eccl. V. Majeſtas cap.* 2. *Notab.* 3. *de Lugo diſp.* 24. *de Juſt. num.* 69.

26 Quæres 8. An hæretico poſſit relinqui legatum? Hæreticus autem eſt ille, qui diſcredit res fidei pertinaciter, quas ſcilicet, ſit eſſe tales. Eſt triplex. Purè mentalis, qui ſolo corde diſcredit extrà nihil manifeſtans. Purè externus, quis ſolo ore, aut alio ſigno externo demonſtrat hæreſim ex timore; cui mente non conſentit. Mixtus, qui hæreſim mentalem ſigno externo prodit. Is ſolus incurrit excommunicationem in utroq; foro; purè externus ſolùm in foro externo; purè mẽtalis nullas incurrit pœnas, ſed ſolùm peccat mortaliter peccato hæreſis.

27 R. Hæreticus mixtus eſt incapax hæreditatis, & legatorum, ut expreſsè decernitur in cap. Excõmunicamus 13 de hæret. §. *Credentes*, receptatores, defenſores, & fautores hęreticorũ excõmunicationi ſubjacere decernimus, firmiter ſtatuẽtes, ut poſt

poſtquàm quis talium fuerit excommunicatione notatus, ſi ſatisfacere contempſerit infrà annum, ex tunc ipſo jure ſit factus infamis, nec ad publica officia, ſeù conſilia, nec ad eligendos aliquos ad hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittatur; ſit etiam inteſtabilis, ut nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Eſt conſtitutio Federici inſerta in *C. de hæret. ſub l. 4. incip. credentes*. Vide etiam cap. Si quis Epiſcopus, cap. In eos, eod. Jure civili eiſdem pœnis afficiuntur, *l. Manichæos* 4 *C. de hæret. illis verbis: Ipſos quoq; volumus amoveri ab omni liberalitate, & ſucceſſione quolibet titulo venientes*. Item *l. Ariani* 5. *eod. ſivè de donationibus factis, ſivè de ultima voluntate, rebus qualitercumq; relictis*. Item *l. fin. eod. Juſſimus neminem errore conſtrictum hæreticorum, hæreditatem, vel legatum, vel fideicommiſſum accipere, etiam in ultimis militum voluntatibus*. Hæreticus ergo cum prædictis eſt incapax hæreditatis, & legatorum, quia caret factione teſtamenti, tàm pro ſe, quàm pro aliis, nec aliorum donationes recipere poteſt, nec aliis donare, & licèt expreſsè non fiat mentio legatorum in dictis textibus, niſi in poſtremò, nihilominùs veniunt ſub illis terminis, *ad hæreditatis ſucceſſionem*. Item *Ab omni liberalitate, & ſucceſſione quolibet titulo venientes*. Item *Sivè de donationibus factis, ſivè ex ultima voluntate, rebus qualitercumq; relictis*. Nàm legata ſunt donationes, & relinquuntur in ultimis voluntatibus, ut patet ex definitione legati allata initio Capitis primi. Venit quoque ſub nomine ſucceſſionis, & hæreditatis ex teſtamento, quia legatum eſt ſpecies hæreditatis, dum appellatur hæreditatis delibatio, *l.*
28 *Legatum* 119. *ff. de legat.* 1. nam legatarius quodammodò dicitur hæres, & ſuccedere legatæ ſibi rei *l. id tempus fine ff. de uſucap. Bartol. & Caſtr. in l. Nemo ff. de legat.* 1. *Mantica lib.* 14. *tacit. tract.* 28. *num.* 46. *Rota vol.* 9. *dec.* 293. *num.* 7. Itaque hæreticus eſt incapax legatorum. Ità *Sanch. lib.* 2. *cap.* 14 *num.* 31. *&* 32. *Farinac. q.* 190. *num.* 100. *Royas ſingul.* 37 *Decian. lib.* 5. *crimin. cap* 44. *num.* 17. *Verſ. & licèt, Caſtropal. de hæreſi diſp.* 5. *p.* 26. *num.* 4.

Difficultas eſt hìc primò, an reverà hæreticus ſit inteſtabilis tàm activè, quàm paſſivè? Ratio dubitandi eſt, quia conſtitutio Federici approbata jure Canonico in cit. cap. 13. de hæret. nullam facit mentionem de hæreticis, ſed de credentibus, & fautoribus hæreticorum, qui ſine dubio diverſi ſunt ab hæreticis; pœna autem gravis non extenditur de perſona in perſonam, cum quælibet pœna teneat ſuos auctores.

29 R. Ex vi præcisè allati textus hæreticus non eſt inteſtabilis, ſed ex relatione ad *l.* 4. *&* 5. *C. de hæret* ubi directè fiunt incapaces hæretici teſtandi, & recipiendi relicta per teſtamentum, ſeù aliis titulis. *Caſtropal. cit. p.* 26. *num.* 4. ait, quòd ſicut per fictionem juris credentes dicuntur hæretici, & puniuntur dictis pœnis, ità à fortiori earum pœnarum ſunt rei, qui verè, & propriè, ac formaliter ſunt hæretici. Alii has pœnas deducunt in hæreticos, *ex l. Quiſquis §. Filii C. ad legem Jul. Majeſt.* quòd ſicut dictis pœnis afficiuntur Rei criminis læſæ majeſtatis humanæ, ità à fortiori rei criminis hæreſis, hoc enim eſt majus crimen illo, ergo non ſolùm meretur hanc pœnam, ſed majorem. Prior ſententia videtur probabilior, quia evitat difficultates, quas prævidit, *Farinac. q.* 190. *num.* 89. ubi ait, textum loqui de credentibus, non autem de hæreticis.

30 Difficultas ſecunda eſt, an hæreticus ſit verè incapax ſucceſſionis, & legati, an ſolùm indignus? Nam primo caſu nihil debetur fiſco, ſed tantùm venientibus ab inteſtato, dùm enim conſtituitur hæreticus incapax illius dominii, certum eſt nihil deberi fiſco, qui ſolùm ſuccedit in bonis exiſtentibus ſub actuali dominio hæ-
31 retici, *l.* 1. *ff. de jure fiſci, Farinac. q.* 25. *num.* 139. Secundo verò caſu è contrà hæreditas, & legatum vadit ad fiſcum, ex quo hæreticus dicitur capax, nam in eo ſuccedit fiſcus, *l. Papinianus, l. cum talibus ff. de bis, quib. ut indign.* non verò venientes ab inteſtato; ex dictis legibus.

Quòd hæreticus ſit capax ſucceſſionis, & legati, & ſolus illis indignus, ac proindè ſuccedere fiſcum, docent plerique *cum Sanch. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 34. *Leſſio lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 52. *Royas ſing.* 29 *num.* 2. *Decian. lib.* 5. *cap.* 44. *num.* 17. Quia nullus textus exprimit incapacitatem, ergo remanet capacitas.

32 Communior ſententia tenet hæreticum eſſe incapacem, ac proindè bona eſſe venientium ab inteſtato, *apud Vaſquez de teſtam. cap.* 9. *§.* 4. *dub.* 2. *num.* 122. *ex eo Caſtropal. cit. num.* 6. *Verſ. Quapropter*, non obſtante, quòd hæc incapacitas non probetur expreſsè aliquo jure, ſed invalverit ex communiori opinione Doctorum.

33 Difficultas tertia eſt, an hæreticus poſſit ſibi retinere relictum, donec per ſententiam privetur? Qui tenent eum eſſe capacem, poſſe uſque dùm per ſententiam criminis privetur, quia dominus eſt, licèt indignus, *Sanchez cit. num.* 34. Qui verò dicunt eum incapacem, non poſſe, cùm non ſit capax acquiſitionis, ac proindè cùm retineat alienum, illud reſtituere tenetur venientibus ab inteſtato ante omnem ſententiam, cum videatur fur.

34 Difficultas quarta, an hæreticus poſſit repudiare ſucceſſionem, & legatum? Procedit, quando cenſetur capax in opinione ſupradictorum, nàm incapax, ut dixi, non ſolùm poteſt, ſed etiã tenetur repudiare.

R. Poſſe repudiare, tùm quia nullibi id prohi-

prohibetur; tùm quia hæretico ſolùm prohibetur alienare, quod ſuum eſt, non autem obligatur acquirere pro fiſco, ergo repudiare poteſt, quòd eſt omittere acquiſitionem, nemo enim tenetur acquirere pro fiſco. Ità *Vaſq. l. 2. diſp. 172. cap. 3.* 35 *num. 13. & de teſtam. cap. 9. dub. 6. num. 24. Sănch. lib. 2. cap. 14. num. 53. ex illis Caſtropal. diſp. 2. de hær. p. 26. num. 8. verſ. At dicendum.*

Difficultas quinta, an hæreticus pœnitens factus, & abſolutus ab hæreſi, atq; reconciliatus Eccleſię, ulteriùs ſit incapax hæreditatis, & legatorum?

36 ℟. Negativè, ſed verè pœnitens, licèt nondùm abſolutus ab excommunicatione, in utroq; foro incipit eſſe capax bonorum, quia per ſolam hæreſim erat factus incapax, ergo ea ceſſante, evaneſcit incapacitas. Ità *Sanchez lib. 2. cap. 14. num. 40. Caſtropal. p. 26. num. 7.* quamvis id ſit verum; nihilominus in foro externo attenditur reconciliato facta à Judice, qui facit hæreticum abiurare hæreſim, poſt quem actum ſolemnem ſine dubio eſt capax, contrà quem pars adverſa excipere non poteſt.

37 Difficultas ſexta, an incapacitas incurratur, ſtatim ac quis commiſſit hæreſim? ℟. Ex textu ſupracitato in reſpõſ. quęſtionis, ibi *Firmiter ſtatuentes, ut poſtquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ex tunc ipſo jure ſit factus infamis, ſitetiam inteſtabilis, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat.* Videtur ex his, quòd declarandus ſit excommunicatus, ſi infrà annum ſatisfacere contempſerit, & ſubinde fiat inteſtabilis activè, & paſſivè, & ità eſt, quia hęreticus revera nõ eſt, niſi ſit obſtinatus, & pertinax in ſuo errore, quem ſcit eſſe contrà fidem. Poſita ergo contumacia, contrà eum nolentem hæreſim abjurare, eſt ſtatim incapax hæreditatis, & legati, ac factionis teſtamenti, & aliorum actuũ legitimorum, ad formam præfati capitis, ut docent *Sanch. cit. num. 34. Sanctar. cap. 15. de hæreſi num 3.* eſſe capacem ante declarationem criminis per ſententiam.

38 Praxis nihilominus ſe habet, quòd ejus bona publicentur, ſtatim ac conſtat de hęreſi, & ejus pertinacia, adeò quòd factio teſtamenti tàm activa, quàm paſſiva, & ſimiles actus retrahantur ad diem commiſſi delicti, in quo omnes ferè Doctores volunt incipere in capacitatem *Barb. ad dictum cap. 13. de bæret. num. 31 Vide Caſtropal. p. 16.* de confiſcatione bonorum.

Difficultas ſeptima, an ſolus hæreticus mixtus incurrat hanc pœnam.

39 ℟. Solus mixtus, quia leges, & jura loquuntur de hæreticis talibus corde, & ore, non verò de purè mentalibus, quia Eccleſia, nec legislator punit occulta, regulariter loquendo, quamvis poſſit punire, ſed non deducere ad forum contentioſum, qui ſupponit cognitionem cauſæ per actum externum. Nec de purè externis metu gravi inductis ad factum hæreticum, cùm præfati textus loquantur de hæreticis pertinacibus, non de iſtis, qui tantùm præſumuntur hæretici, purgantes ſuſpicionem per probationem metus cadentis in coſtantem virum.

Quæres 9. An reus in crimine læſæ majeſtatis ſit capax legati? Reus criminis læſæ majeſtatis dicitur ille, qui injuſtè lędit ſuum ſuperiorem ratione majeſtatis, quã habet. *Vide Farinac. q. 112.* & quæ dixi de homicidio *cap. 6.* per totum.

40 ℟. Reus criminis læſæ majeſtatis in Principẽ, vel Rẽpublicã, & eorũ Collaterales, atque ejus filius licèt innocenter, eſt, & ſunt incapaces legatorum, & cujuslibet ſucceſſionis. De Reis probatur per *l. quiſquis 5. C. ad leg. Jul.* Majeſtatis, ibi: *Bonis ejus omnibus fiſco noſtro addictis.* Qui autem caret bonis, ſicut fit incapax ad teſtandum pro aliis, ità fit incapax acquirendi ab aliis. Confirmatur ex eadem lege *ſ. Filii à materna, vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate, ac ſucceſſione habeantur alieni; teſtamentis extraneorum nihil capiant, ſint perpetuò egentes, & pauperes.* Si ergo filii ſunt incapaces hæreditatis, & cujuslibet ſucceſſionis, ex hac lege, à fortiori eorum patres, ac proindè legatis excluduntur tàm Rei criminis eà jusmodi, quàm eorum filii. Eſt communis cum *Farinac. q. 116. num. 53.* dicente; Reum criminis læſæ majeſtatis amittere factionem teſtamẽti tàm activam, quàm
41 paſſivam. Nihilominùs *ipſo* jure non privatur Reus dominio ſuorum bonorum, ſed per ſententiam venit privandus, ut tradunt *Anton. Gomez cap. 2. de delictis in Rub. de crimine læſæ majeſt. num. 11. verſ. licèt dominium, Gabriel. lib. 1. conſ. 179. Andr. Fachin. lib. 9. contr. juris cap. 35. ex illis Farinac q. 116. num. 67. Caſtropal. de pœnis hæret. diſp. 5. p. 18.*

Quęres 10. An uſurarius ſit capax legati?

42 ℟. Affirmativè, quia nullo jure prohibetur hoc commodo. Nec obſtat, quòd manifeſtus uſurarius non poſſit teſtari factus incapax, per *cap. 2. de uſur. in 6.* quando facit teſtamentum, non facta ſatisfactione, nec præſtita cautione de uſuris reſtituendis. Quia id illi prohibetur, cum factio ſit in præjudicium verorum dominorum uſurarũ, qui ab inſtituto vexari poſſunt in recuperatione; quòd cum locũ nõ habeat in paſſiva actione teſtamẽti, ideò capax dicitur hęreditatis, & legati ſibi relicti. *Vide de Lugo diſp. 24. n. 70. 71. & 72.* ubi plura, quę omitto, quia caſus rarò accidit.

Quæres 11. An legatarius occidẽs teſtatorẽ fiat incapax legati ab eo ſibi relicti?

43 ℟. Affirmativè, quia propter inimicitiã capitalẽ auferetur legatũ tamquã ab eo, qui

qui cenſetur factus eo indignus, *l. ſi inimicitiæ ff. de bis, quib. ut indign. l. 3. §. ultimo, ff. de adim. legat. Riccius part. 3. dec. 317. nu. 4. de Lugo diſp. 24. nu. 77.* ſed is caſus pertinet ad *cap.* de revocatione legatorum.

Quæres 12. An Communitas ſit capax legatorum?

R. Affirmativè non tantùm pro ſe, quantùm pro aliis, v. gr. ad maritandas puellas, ad erigendam ſcholam publicam &c. Ità ſupponitur *in l. legatum* 16. *& l. quidam* 17. *ff. de uſufr. legato*. Decernitur *l. ſi quid relictum* 120. *ff. de legat.* 1. Nullus contradicit, dum hìc dicitur valere legatum pro beneficio civitatis, & populorum. Ità *Ant. Gomez lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 6. *cum aliis Craſſus q.* 12. *de legat.*

Quæres 31. An quælibet Religio ſit capax legatorum? Inter religiones aliæ ſunt Mendicantes, ut Dominicani, Franciſcani dicti Minores, Eremitani, & Carmelitani, & multæ aliæ eodem titulo gaudentes. Aliæ non Mendicantes, hujuſmodi ſunt Canonici Regulares Lateranenſes, Olivetani &c. atque Monachi S. Benedicti, & cujuſcumque alterius Ordinis.

R. Omnes religiones ſunt capaces legatorum, quia ſunt capaces hæreditatis, & ſucceſſionis, in quibus inferuntur legata provenientia ex teſtamentis; ergò & legatorum, niſi prohibeantur. Jure autem communi prohibẽtur ſolùm Domus Fratrum Capucinorum S. Franciſci, & Minorum de Obſervantia poſſidere bona immobilia *ex Trident. ſeſſ.* 25 *cap.* 3. Non ergò legata rerum mobilium.

Prima pars, quòd omnis religio etiam mendicans, niſi prohibeatur, ſit capax ſucceſſionis, hæreditatis, & legatorum.

Probatur primò jure Civili *Autb. ingreſſi, de Sacroſ. Eccleſ. ingreſſi monaſteria ipſo ingreſſu, ſe, ſuaque dedicant Deo*. Ex quibus patet, religionem, & monaſterium eſſe capax bonorum ſibi delatorum, quocumque titulo, ſivè profeſſionis, ſivè hæreditatis, aut alterius ſucceſſionis; ſicut enim novitius profeſſione ſua bona in monaſterium transfert, ità & de illis teſtari poteſt, vel legare ad favorem monaſterii, ac proindè illud eſſe capax ſub his titulis. *Autb ſequenſ. ſi qua mulier*, eandem capacitatem ſupponit in monaſteriis, approbata jure Canonico, *cap. ſi qua mulier* 9. 19. *q.* 3. *& in præced. cap. quia ingredientibus* 7. ubi approbatur *Autb. præfata ingreſſi*.

Probatur ſecundò *ex l.* 1. *eod. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* his verbis: *Habeat unuſquiſque licentiam Sanctiſſimo Catholico, venerabilique Concilio decedens bonorum quòd optaverit relinquere*. Ubi *Gloſ. V. Concilio*, explicat Concilio Monachorum, ſivè Clericorum; undè eorum loca, & monaſteria veniunt ſub illo vocabulo *Concilii*; importat enim hoc verbum congregationem fidelium, & religiones propriè ſunt concilia, & congregationes Religioſorum viventium ſub obedientia, & obſervantia regulæ, quam profeſſi ſunt *res clariùs patet l. fin. C. de Epiſcop. & Clericis*.

Probatur tertiò ex dictis præcedenti quæſtione, ubi probatum eſt, Civitates, Caſtra, Villas, & alia loca facientia communitatem, & corpus univerſale, ſeù collegium licitum, eſſe capacia hæreditatis, ſucceſſionis, & legatorum, ut idem colligitur *ex l. omnib. 26. ff. ad ſenat. Trebell. l. ſi hæres* 76. *§. vicis ff. de legat.* 1. Ergò & religiones, atque earum monaſteria non ſolùm fabricata, ſed etiam fabricanda, *Gratian. cap.* 358. *initio*.

46 Probatur quartò jure Canonico præter citata *cap. Tridentinum* ità decernit. *Concedit S. Synodus* omnibus monaſteriis, & domibus tàm virorum, quàm mulierum etiam Mendicantium, exceptis domibus Fratrum Sancti Franciſci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obſervantia vocantur, etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat.

47 Hæc autem verba *immobilia poſſidere liceat* referuntur ad quemvis modum acquirendi immobilia, ſivè ex teſtamento, ſivè ab inteſtato, ſivè profeſſione, ſivè donatione, & quovis alio titulo juſto; in tantùm enim Monaſterium poteſt poſſidere immobilia, in quantùm ſunt illi relicta, & non aliter; non enim conceditur poſſidere domum, vel fundum alienum, ab ejus Religioſis uſurpatum. Quare Tridentinum non ſolùm concedit poſſeſſionem immobilium, ſed etiam antecedentèr facit monaſterium capax bonorum acquiſitionis; licita enim, & juſta

48 poſſeſſio ſupponit dominium rei poſſidendæ in re hac. Ità *ex Honded. vol.* 1. *conſ.* 76. *n.* 30. *& 31. Sanchez lib.* 7. *cap.* 12. *n* 1 ex aliis

49 motivis. Omnis ergò religio, præter Capucinos, & Obſervantes Minores, eſt capax hæreditatis, & ſucceſſionis rerum immobilium, ac proindè etiam legatorũ, cum in his ſucceſſio ſit quid minus, quàm in hæreditate, cum legatum ſit illius diminutio, *l. legatũ* 119. *ff. de legat.* 1. Confir-

50 matur, quia capax hæreditatis eſt etiam capax legati, *inſtit. de legatis §. legari*. Eſt communis apud Lezanam *V. legatum nu.* 5. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 2. *de Lugo diſp.* 3. *de juſt. n.* 98. *Caſtropal. de obligat. relig. diſp.* 3. *p.* 9. *initio*.

Jus hoc ſuccedendi in bonis ſibi relictis confirmavit Minoribus Fratribus S. Franciſci Clem. IV. per ſuam Bullam 1. incip. *Obtentu divini numinis* 1265. *Auctoritate Apoſtolica declaramus, quòd vos in temporalibus bonis, in quibus ſuccederetis in ſæculo exiſtentes, licitè ſuccedere poſſitis, & bonorũ ipſorum poſſeſſionem apprehendere, ac vendere li-*

 *berè*

*berè bona ipſa, eorumque pretium in utilitatem veſtram convertere.* Hæc Bulla dirigitur ad Fratres Dominicanos, & Franciſcanos, & eorum Generales. Alia in ſpecie de Minoribus infrà, quia habent ſpeciales difficultates. Per dictam Bullam poterant tunc relictum alienare, tùm ut ſervarent Regulam Franciſcani, & Conſtitutiones Dominicani, non valentes retinere mobilia; tùm quia nondùm emanaverat Bulla Pauli II. de reb. Eccleſ. non alienandis.

Quæres 14. An S. Franciſcus in ſua Regula prohibuerit acquirere hæreditates, & legata quorumcumque bonorum, tàm immobilium, quàm mobilium? Præmitto S. Franciſcum feciſſe tres Regulas, unam dediſſe Fratribus dictis ſimplicitèr Minoribus hanc profitentibus, ſub qua militant tres Fratrum ſpecies, nempè Conventuales, Obſervantes, & Capucini. Sub ſecunda militant Sorores S. Claræ. Sub tertia Regula militant Tertiarii ex ea nuncupati utriuſque ſexus. Sub hac quæſtione agam tantùm de militantibus ſub prima regula. 51

R. S. Franciſcus huic quæſtioni cap. 4. his verbis: *Præcipio* firmitèr Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per ſe, vel interpoſitam perſonam. Tamen pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos Spirituales Miniſtri tantùm, & Cuſtodes ſolicitam curam gerant, & ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire, eo ſemper ſalvo, ut (ſicut dictum eſt) denarios, vel pecuniam non recipiant. Cap. 6. ità ſtatuit. *Fratres* nihil ſibi appropriant, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tamquàm peregrini, & advenæ in hoc ſæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſina confidentèr. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos hæredes, & Reges regni Cœlorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus autem ſublimavit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectiſſimi Fratres, totalitèr inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti in perpetuum ſub cœlo habere velitis. 52

Ex his manifeſtè patet, Sanctum Patrẽ ex vi Regulæ feciſſe incapaces ſuos alumnos, tàm in genere, ut repræſentant corpus morale, & monaſterium vivens ſub ratione unius corporis politici; quàm in ſpecie, & ſingularitèr ſpectatos, acquirendi, & ſuccedendi quovis titulo in bonis, tùm immobilibus, tùm mobilibus, ultrà eorum neceſſitates circà victum, & veſtitum, quæ Fratribus ſuis non negavit, cum ſint debita jure naturæ recipienda per eorum Superiores ab amicis Spiritualibus, ideſt, à Syndicis ſæcularibus deputatis. Pecunias verò recipere non poſſunt *rigoroſè eis prohibitum*, quia ſinè illarũ receptione vivere poſſunt, intellige immediatè per manus proprias. 53

Itaque ſunt incapaces ſuccedendi per viam teſtamenti recipiendo hæreditates, & legata rerum, quæ debeant apud ipſos remanere, & in eorum reſtare poſſeſſione, non ſolùm via teſtamenti, ſed etiam quovis alio titulo, cum nihil debeant perpetuò, vel ad tempus poſſidere, ſed vendere, & ex pretio per ſuos Syndicos ſubvenire ſuis indigentiis quoad victum, veſtitum, libros, & fabricam. Ità colligitur ex cap. Exiit, de verb. ſignif. in 6. ibi *Ex quibus omnibus ſatis claret ex Regula ad victum, veſtitum, divinum cultum, & ſapientiale ſtudium neceſſarium uſum eſſe conceſſũ.* Et adhuc clariùs infrà §. Ad hæc verò, §. Si verò. Undè Nicol. III. cujus eſt illud cap. concordat cum privilegio ſupradicto Clem. IV. concedentis eis ſucceſſionem in bonis ſibi relictis etiam ſtabilibus, modò vendant, intellige per ſuos Syndicos, & ex pretio ſibi ſubveniant.

Nec obſtat Clemens V. in ſua Clem. Exivi, de verb. ſignif. §. Cupientes, dum dicit, eos incapaces eſſe ſucceſſionis quarumcumque rerum, quia res tranſeunt in uſum, & dominium hæredis, & legatarii, quorum jurium non ſunt capaces Fratres etiam in communi; undè nihil horum in judicio experiri poſſunt, cum circà temporalia nulla juriſdictio, ſivè actio in judicio, ſivè diſpenſatio tribuatur. Id enim intelligitur, eos eſſe incapaces relativè ad alios ordines, & ſæculares, *qui ſuccedunt in hæreditatibus, & legatis jure dominii*, cogentes debitores, & *convenientes* in judicio illos ad ſolutionem juxtà mentem teſtatorum; in hoc ergò ſenſu ſunt incapaces ſucceſſionis, in quantùm non poſſunt convenire debitores ad ſolutionem. Sunt verò capaces titulo eleemoſinæ, ut ſuis indigentiis occurrere poſſint. Relictum ergò Obſervantibus, aut Capucinis accipitur ab eis titulo eleemoſinæ, non aliquo jure cogente debitores, à quibus ſpontè recipitur, ut multis probat *Merlinus dec.* 456. *num.* 24. ubi ait aliis citatis, quòd Minores præfati ſunt capaces etiam reddituum annuorum non perpetuorum, ſed ad tempus relictorum exigui momenti, *ex Gemin. conſ.* 40. *Fulgoſ.* 140. *Decio in cap. in præſentia de probat. n.* 273. Imò legatum annuum, & perpetuum eiſdem factũ pro ſervitio Sacriſtiæ, & Eccleſiæ omninò valere, certum eſt, quia reſpicit divinũ cultum, & non officit paupertati Fratrum. Ità omnes, *Feder. de Seniſ. conſ.* 12. *n.* 4. *Butrius in c. In præſentia, de prob. n.* 25. *Abbas lib.* 2. *conſ.* 63. *n.* 4. *Card. Zabarell. in dicta Clem. Exivi num.* 13. *ibidem Anchar. num.* 18. *& num.* 25. *Rodriq tom.* 2. *q.* 127. *art.* 5. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 27. *num.* 42. *cum aliis idem Merlin. n.* 27. Eſt ergò ex prædictis certum, quòd con- 54 55 56 57 58 59

conventus Obſervantium, & Capucinorum, ſeù ipſorum Fratres in communi, ſunt capaces bonorum ſibi relictorum nō ſolùm reſpectu fabricæ, & eorum Eccleſiæ, cùm id non adverſetur eorum altiſſimæ paupertati, cùm referantur ad Fabricam, & Eccleſiam, in quibus non conſiſtit corpus Fratrum, qui promittunt paupertatem pro ipſa communitate, & pro ſe ipſis ſingillatim ſpectatis, reſpectu quorum in genere legatum, & quodcumque illis relictum, & donatum, competit eiſdem titulo eleemoſinæ ad ſuſtentandam eorum neceſſitatem.

Itaque legata, donationes, & alia relicta Obſervantibus, & Capucinis in communi, eorum, ſcilicèt, Eccleſiis intuitu cultus divini, ſeù fabricæ Monaſterii, & Librariis eorū de jure eſt debitum, & acquiritur dictis locis, abſque violatione voti paupertatis, quod emittitur tantùm ab ipſis Fratribus, non ab Eccleſiis, Sacriſtiis, Lampadibus, Fabricis, & Librariis, ſed ab ipſis Fratribus, quo paupertatis voto attento, cùm eoſdem non privet neceſſariis ad victum, & veſtitum, cùm id ſit jus naturæ conſervandi vitam, ſequitur, accipientes ſibi relicta titulo eleemoſinæ, & pro ſuis tantùm neceſſitatibus, non facere contrà votum paupertatis. Vide dictam deciſionem *Merlini* 456. ubi hęc omnia fuſiùs habentur in cauſa Minorum de Obſervantia.

57 Supradicta comprobantur Bullis Pontificiis, nam Martinus V. ut legitur in Bulla 14. Sixti IV. apud Confect. conceſſit Procuratoribus Domorum dicti Ordinis Minorum, pro tempore exiſtentibus, facultatem, ut poſſeſſiones, & bona quæcumque mobilia, & immobilia, ac annuos proventus hactenùs eis relicta, & in poſterū relinquenda, aut aliis nominibus acquiſita jure, & nomine Romanæ Eccleſiæ recipere, tenere, & poſſidere, ac ipſorum fructus, redditus, & proventus petere, exigere, & percipere, ipſoſque in commodum, & utilitatem ipſorum Fratrum. Quod idem Sixtus ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis ſuæ confirmavit anno 1471. Prędicta poſtmodùm Paulus IV. in ſua incip. *Ex Clementi* 1. 58 apud Confect. fol. 185. & in B. N. paritèr 1. ſub §. 8. 9. & 10. ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis confirmavit tribus Ordinibus S. Franciſci, exprimendo etiã Obſervantes, derogando conſtitutioni incip. *Ad conditorem* Joannis XXII. in quantùm poterat obſtare, ne ſuis Conventibus acquirerent hæreditates, legata, & quæcumque eis relicta, exigenda per ſuos Procuratores, & Syndicos ſæculares.

59 Clemens quoque VII. in ſuâ 15. in Bull. Novo, incip. *Nuper pro parte*, indulget eiſdē Obſervantibus, & etiam Tertii Ordinis Religioſis, ut mediantibus eorū Procuratoribus, & Syndicis, poſſint cum hæredibus, & executoribus ſuper inſtitutionibus, & legatis jam factis, & in futurum faciendis, componere cum hæredibus ad certam ſummam, & quantitatem pecuniarum, ad relevandas eorum neceſſitates, & pro fabrica.

60 Demùm Urbanus VIII. in ſua incip. *Injuncti nobis. ſub num.* 49. *fol.* 66. à Minoribus de Obſervantia abdicat immobilia, cenſus perpetuos, & annua legata, quæ ſunt contrà paupertatē, & declarationes Regulæ factas à Nicolao III. & Clemente VIII. quòd & ipſi in Congregatione Generali anno 1625. celebrata Romæ, abdicarunt, proteſtantes, ſe nolle aliquid ſibi relictum recipere, nec petere, uti habentes aliquod jus ſuper illud, ſed ſponte oblatum recipere tantùm titulo eleemoſinæ pro ſuis indigentiis.

Itaque concludamus rem hanc paucis, poſſe, ſcilicèt, Minores de Obſervantia, & Capucinos titulo eleemoſinæ recipere quæcunq; ſibi relicta, quorum dominium dicitur eſſe penès Eccleſiam Romanam, cujus nomine Syndici procurant etiam in judicio, ſi opus eſt, eorum exactionem, & ſolutionem, ut ex eorum pretio deindè poſſint providere indigentiis Fratrum recipientium titulo eleemoſinæ, qui nullum tribuit jus, dominium, proprietatem, aut poſſeſſionem, ex dicta *dec Merlini* 466. *num.* 14. Prædicta procedunt, ut nec ſint capaces annuorum reddituum perpetuorum, etiamſi hujuſmodi legata habeant adnexa miſſarum onera, ut docent ibidem allegati à *Merlin n.* 15. Intellige, quòd 61 non ſunt capaces dominii, & exactionis illorum, ſi tamen committantur illis celebrationes miſſarum, recipient eleemoſinam panis, vini &c. pro ſuſtentatione; comedunt enim ſacrificia mortuorum.

Quæres 15. An religioſi ſingularitèr ſpectati ſint capaces hæreditatis, & legati?

62 R. Affirmativè: profeſſi ordinis capacis prædictorum eo ſenſu, quòd proprietas, & dominium acquiratur monaſterio, & utilitas religioſo, ad quem directa fuit inſtitutio. *Primum patet* ex illo communi axiomate: Quicquid acquirit Monachus, acquirit ſuo Monaſterio deducto *ex cap.* 63 *un.* 18. *q.* 1. *Gloſ. pen. in cap.* 1. *de teſtam. Navar. de Reddit. q.* 3. *Monit.* 7. *& Com.* 2. *de regul. n.* 3. *Rodriq. tom.* 2. *q.* 29. *art.* 5. *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 14. *Rota p.* 5. *dec.* 181. *n.* 14. *& dec.* 114. *nu.* 2. Secundum docet praxis, & approbata conſuetudo, & pia mens teſtatorum, qui intendunt prodeſſe, & Monacho quoad uſum, & Monaſterio, quod ex parte exoneratur à ſuſtentatione Monachi, quod nulli dubium eſt cedere in commodum Monaſterii. Requiritur tamen licentia ſaltem tacita Superioris ad minus localis, niſi aliud obſtet. Ità *Rodriq. tom.* 2. *q.* 125. *art.* 4. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 22. *n.* 25. *Pellizar. tract.* 4. *cap* 2. *num.* 425. *Buratus dec.* 584. *num.* 12. *& 13. apud Carenam reſolut.*

149. *nu.* 4. cum clauſula, excluſo Monaſterio, intelligitur enim, quòd profeſſus habeat adminiſtrationem cum licentia, & patientia Superioris.

Quæres 16. An legatum ſingularibus religioſis relictum ſub ſimilibus clauſulis, *ut ad ipſum legatarium pertineat, & non ad Monaſterium. Ut Superiores in eo non ſe ingerant, nec intromittant. Ut dominium, & proprietas ſit omninò penès legatarium, aliter devolvatur &c.* Valeat.

64 R. Legatum factum ſub prima clauſula interprætatur, quòd pertineat ad religioſum quoad uſum, & adminiſtrationem, non verò quoad proprietatem, & dominium; cum enim ſolus Conventus hujus ſit capax, non excluditur, ſed ſolùm quoad uſum, & adminiſtrationem, cujus eſt capax religioſus, accedente licentia ſui Superioris, & non aliter. Ità valere dicunt omnes *cum Bartolo in Auth. excipitur C. de bonis, quæ liber. cum multis aliis citatis à Sanch. lib. 7. cap. 17. num. 4. Molfeſ. tom. 1. ſummæ tract. 7. cap. 20. nu. 49. & 50. Tambur. de jure Abbatiſſ. diſp. 8. qu 5. Compend. reſol. 48. n. 2. & 3. Diana p. 3. tract. 2. reſol. 34. Lezana tom. 1. cap. 6. num. 34. ſequitur citando Carena reſol. 199. per totam. Ego cap. 13 de profeſſ. q. 73.*

Factum verò ſub aliis adhuc valet, quia illæ conditiones uti turpes contrà vota paupertatis, aut obedientiæ rejiciuntur, ac habentur, ac ſi non eſſent ſcriptæ, ac proindè legatum pro puro, & valido habetur, quia conditio turpis non vitiat legatum, ſed ipſa ab illo vitiatur, ut dixi *cap 1. q 4. verſ. legatum.* Ità docent omnes præcitati, quibus adde *Caſtropal. diſp. 3 de obligat. relig p. 6. Abbat. in cap. Monachi de ſtatu Monach. num. 8. Rodriq. tom 2. quæſt. 125. art. 3. cum ſuo Compend. reſol. 88. num 2.*

Quęres 17. An Novitius exiſtens in probatione ſit capax legati, & hæreditatis?

65 R. Affirmativè, quia nullo jure prohibetur. Quare de relictis ſibi tempore novitiatus poterit, vel teſtari, vel ſi non teſtatur, illa, ſecuta profeſſione, transfert in Monaſterium capax acquirendi, *ex Auth. ingreſſi C. de Sacroſ. Eccleſ.* aliter in eis ſuccedunt venientes ab inteſtato.

66 Quæres 18. An Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci, cujus ego indignus ſum alumnus, tàm ſæculares, quàm regulares ſint capaces legatorum, tàm in genere, quàm in ſpecie?

Tres ordines, ut dixi ſub *q.* 14. inſtituit Sanctus Pater, de Tertio hìc ago, qui ſubdividitur in ſæcularem, & regularem, cujus ego ſum inutilis ſervus. Primus incæpit anno 1221. initio Junii in loco Canariæ ab Aſſiſio diſtante quatuor milliariis, data eis certa vivendi forma in obſervatione Dei mandatorum, ut eſſent meliores cæteris ſæcularibus. Qui poſtmodum ad meliorem frugem aſpirantes, ſe elevarunt in ſtatum religioſum ſub ſolemni profeſſione trium votorum, circà annum 1300. quorum inſtitutum, uti ſecundum poſtmodùm approbavit Sixtus IV. per ſuam Bullam incipit. *Ad Chriſti* anno 1480. declarando vota ab eis emiſſa anteà, & deinceps eſſe ſolemnia conſtituenti a in eis ſtatum regularem. Lege ejuſdem Ordinis Cronologium, pręſertim cap. 8. à me impreſſum Parmæ, ubi hæc ſcribo.

67 R. Uterque Ordo tàm ſæcularis, quàm regularis eſt capax hæreditatis, & legatorum, in genere, & in ſpecie. De ſæculari nulla poteſt eſſe dubitatio, quia non promittunt votum paupertatis, nec Mendicantes appellantur, quæ duo aliàs potuiſſent ingerere difficultatem; ergò prædictorum ſunt capaces.

68 Loquendo verò de eiſdem regularibus, patet quoque manifeſtè, illos eſſe capaces hæreditatum, & legatorum, tàm in genere, quàm in ſpecie, cum eorum paupertatis votum, nec Regula, nec conſtitutiones prohibeāt id, & faciāt eos incapaces, ſicut nec facit idem votum reſpectu aliorum religionum ex dictis ſub *q* 13.

Confirmatur id ex propriis, nam id ſupponitur in cap. 6. 10. 16. & 27. Regulæ. Et ex multis Bullis patet, eos eſſe capaces hæreditatis, & legatorum, ut pluribus docui *cap.* 9. *à nu.* 19. dicti Cronologii. Bullas de hac materia refero in noſtro Archivio Bullarum Parmæ impreſſo, quæ præ aliis ſunt 92. fol. 155. pro Sororibus Senenſibus, quibus conceditur facultas recipiendi relicta in ultima voluntate, ſeù alio titulo. Item Morinenſibus idem cōceditur *à Paulo II Bulla 54. nu. 12. fol. 268. idem à Paulo IV. Bulla 229. num. 11. fol. 497. idem à Clemente VII. Bulla 212. fol. 406. nu. 14 & 15. & in alia, de qua ſuprà ſub q. 14. verſ. Clemens.* Hæc latiùs diſcuſſa præcitato *cap 9. Cronologii n. 19. & ſeq.*

69 Loquendo autem de eiſdem Fratribus in particulari, quòd ſint capaces hæreditatis, & legati, patet ex eo, quòd ipſi non magis ligantur voto paupertatis, quàm faciant vota eadem reſpectu profeſſorum aliorum Ordinum, qui ſunt capaces acquirere relictorum proprietatem, & dominium ſuo Monaſterio, & ſibi utilitatē, & commodum relicti dependētèr à volūtate ſuperioris, ut probavi ſupra *q.* 15.

70 Quòd procedit etiam reſpectu Fratrum de Obſervantia, & Capucinorum legitimè translatorum, & profeſſorum in Tertio Ordine, nam cùm ampliùs non ſint membra prioris ordinis, non afficiuntur ulteriùs incapacitatibus, & obligationibus prioris ordinis, ſed poſterioris habentis jus ad hæreditates, & legata; ergò tales religioſi ita judicandi ſunt, ac ſi numquam fuiſſent Obſervantes, aut Capucini, cùm per poſteriorem profeſſionem extincta ſit prior, cùm idem non poſſit eſſe filius duorum parentum.

Et

Et consequenter respondit Sacra Congregatio in Neritonensi 22. Januarii 1622. apud Barbosam *ad cap. 3. sess. 25. num.* 11. Regularem Minorum de observantia legitimè translatum ad tertium Ordinem S. Francisci, recuperare jus in bonis sibi ex testamento, vel ab intestato, post translationem delatis. Et id multis probat Donatus Antonius de Marinis *lib. 2. resol. quotid. cap.* 185.

71 Quæres 19. An Sorores Tertiariæ sint capaces legati relicti illi, quæ monacabitur? Inter has aliæ sunt professæ solemniter, viventes in monasteriis, & de his non est difficultas, quia clarè, & sine dubio verificatur conditio, si puella fiat professa in monasterio. Restat difficultas, si recipiat habitum à superiore Ordinis, manendo in propria domo sæculari, vel cum suis consanguineis? Præmitto ulteriùs, unamquamq; religionem præsertim Mẽdicantium habere personas Tertiarias utriusque sexus, quæ manent extrà claustra in propriis domibus laicalibus, de quibus Hyacinthus Donatus *Ordinis Prædicatorum de rebus regular. tom. 2. par. 4 tract 16. Lezana tom. 2. cap.* 14. *per totum*. De his omnibus datur responsum.

72 R. Legatum factum pro monacatu debetur personæ, quæ recipit habitum à Superiore regulari ejusdem Ordinis, cum simplici voto castitatis emisso, licèt maneat in domo suorum consanguineorum,

73 aut aliorum, seù propria. Probatur, quia hujusmodi Sorores Tertiariæ gaudent privilegiis sui Ordinis, quem profitentur, ac si essent cum monialibus ejusdem Ordinis profitentibus tria vota solemnia, modò ipsæ promittant votum Castitatis simplex, ex Bulla Leonis X. incip. *Dum intrà* 22. in B. N. in qua postquàm sub §. 19. statuit Fratres, & Sorores cujuscumq; Tertii Ordinis in propriis domibus manentes, nullis gaudere privilegiis, sed teneri ad onera sæcularium, & conveniri in

74 foro sæculari coram judice laico, sub tit. sub §. 20. *Collegialiter autem viventes, seù cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, aut cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debeant*. Qui Pontifex in sequenti Bulla in-

75 cip. *Nuper.* §. 2. respondens dubio, an illud votum debeat esse solemne, decernit. *Declaramus, quòd in præmissis de voto solemni religionis minimè intelligi debeat, it aut mulieres virginalem, aut cælibem vitam similiter viventes etiam in consanguineorum & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, privilegiis, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant*. Sed professis, & existentibus intrà claustra daretur tale legatum, ergo & mulieribus recipientibus habitum cum simplici voto manentibus extrà claustra, aliter non gauderent privilegiis sororum claustralium contrà Bullam supradictam Leoniis X.

Cõfirmatur, quia in favorabilibus Tertiarii cum Claustralibus manentes, & Tertiariæ in domibus suis cum voto castitatis, æquiparantur professis solemniter, ut docent omnes *cum Suar. tom 3 de Relig. lib. 2 cap. 2. num.* 17. *&* 18. *Lezana tom. 2. cap.* 14. *num.* 7. *Gratian. cap.* 113. *num.* 40. *&*

76 45. Sed professis solemniter debentur legata ergo, & his simpliciter professis seorsim ab illis manentibus.

77 Ità in his terminis *plures citat Ciarlin. cap.* 218. *num.* 53. *Diana par* 1. *tract.* 2. *resol.* 84. *Vers. undè ex his*, referens ità fuisse decisum in Curia Archiepiscopali Panormi. *Delbene par.* 1. *de immun. cap.* 8 *dub.* 21. *sect.* 23. *plures citans*, qui solùm docent, eas mulieres gaudere privilegiis, nihil tamen dicunt de legato. Sequitur Dianam *Donatus par.* 4. *tract.* 17. *q.* 3. *num.* 23. alios citans, qui tamen aliter sentiunt, item Novarius de elect. fori *sect.* 1. *q.* 67. *num.* 16. citans Riccium, ut insinuat idem Diana *in Addit. secund. resol.* 28. nec dissentit Marin. *lib.* 2. *cap.* 100. *num.* 6. *ubi ex Castillo lib.* 1. *decis.* 88. affirmat, legatum si pervenerit ad monacatum, dandum esse F. Tertiario viventi collegialiter, non autem viventi in domo propria, quia non gaudet privilegiis, sicut vivens collegialiter, mulier autem ex voto gaudet privilegiis ex mente Leonis X. ut vidimus, licèt non vivat collegialiter, ergò ei debetur legatum.

In contrarium citatur præfatus de Castillo eadem decis. sed quia illius librum non vidi, nescio, in quo fundetur ejus decisio, si enim loquitur de Tertiaria carente voto castitatis, benè loquitur, quia illæ non gaudent aliquo privilegio, cùm habeantur pro puris personis laicis.

Sed quid respondendum opponentibus, quòd sorori deest aliqua conditio ex expressis in decretis Sacræ Congregationis pro sororibus Tertiariis, quæ extendit Barbosa *lib.* 1. *de jure eccles. cap.* 43. *num.* 8. ac proindè legatum ei non deberi.

78 Occurritur dicendo, sufficere, quòd votum simplex castitatis subsistat, hoc enim solùm facit, ut debeatur illi legatũ, Nàm Tertiariæ, quæ admittuntur ad professionem absq; requisitis à Sacra Congregatione præscriptis, validè admittuntur, quia in eis non exprimitur decretum aliquod irritans talem professionem, & votum ab eis emissum, ità *Lezana par.* 2. *cap.* 14. *num.* 40. *& ex eo Pontonus de Possentibus singul.* 189 *num.* 7.

Quæres 20. An cui legatum fuit relictũ si nubat, sit capax, emissa professione in religione? Quæsitum cõmune est non solùm fœminis, sed etiam masculis.

R. Affirmativè, licèt expressa fiat mẽtio de matrimonio carnali, etiãsi verba dirigantur

gantur ad certam perſonam, cui ſit nubendum.

79 Prima pars, quòd ingrediens religionem ſit illius, capax quando verba communia ſunt utiq; matrimonio, probatur. Tùm quia genus ineſt omnibus ſpeciebus, *Authent. Hoc Sacramentum C. de jure jur.* ergo matrimonium ineſt tàm carnali, quàm ſpirituali ſuis ſpeciebus, conſequẽter legatarius in hoc habet electionem, pro hac enim facit regula. In alternativis electio eſt creditoris in legatis, *l. Planè* 34. *§. pen. ff. de legat. 1. l. Siis, cui* 19. *& l. Lucio* 23. *ff. de legat. 1. Barb. ad dictam reg.* 70. *n.* 14. ad conſequendum autẽ legatum ſufficit, ſi unum ex propoſitis ſit adimpletum, ex eadem regula, debetur ergo legatum, ſivè nubat Spiritualiter, ſivè carnaliter, quovis enim ex his modis agat, ſatisfacit voluntati teſtatoris. Tùm quia genus, quod in duabus ſpeciebus reperitur, eſt communicabile, *l. Servus* 97. *§. ſi aliis ff. de legat.* 3. ergo ſecundùm unum, vel alterũ adimpleri poteſt. Tùm quia mens teſtatoris ſemper præſumitur rationabilis, quæ talis non eſſet, ſi vellet excludere legatarium à meliori bono, quod eſt matrimonium ſpirituale. Eſt communis apud *Gratian. cap.* 533. *num.* 19. ubi dicit, hanc concluſionem ab omnibus eſſe approbatam, ſequitur *Ciarlin. cap.* 518. *num.* 6. infinitos citans, *Bonac. de controv. diſp.* 3. *q.* 1 *p.* 4. *num.* 70. *verſ. Idem judicium. Sperellus dec.* 146. *num.* 52. *Sanchez. lib.* 1. *diſp.* 33. *num.* 32. *Rota p.* 4. *tom.* 2. *dec.* 398. *num.* 1. *ubi num* 2. teſtator legando aliquid Titio, ut nubat, illud debetur, etiamſi monachus fiat, quia dùm teſtator oppoſitum non declaravit, jus præſumit, quòd idem diſpoſuiſſet, ſi meminiſſet, ubi *Rota num.* 6. vocat eam receptiſſimam, & communiſſimam, fundatam in hac præſumptione. Sed ego in hac præſumptione non fundor abſolutè, ſed magis in ſignificatione verborum, quæ non excludunt matrimonium ſpirituale, ac proindè teſtator reliquit legatarium liberum in electione unius ex his ſtatibus; ſi enim unum voluiſſet cum excluſione alterius, id expreſſiſſet, juxtà dicta *cap.* 1. *q.* 30. *verſ. Quod aliqui*, undè ſi clariùs non fuit locutus ſibi imputet.

Verba autem communia utriq; matrimonio ſunt hæc: *Si nupſerit, ſi matrimonium contraxerit, maritabitur, cum ſe matrimonio copulaverit*. Hæc poſtrema verba non excludunt matrimonium ſpirituale, inquit citata *Rota dec.* 398. *num.* 17. *&* 18 quia non requirunt copulam, undè *l. In copulandis C. de nuptiis*, loquitur quidem de matrimonio ſimpliciter contrahendo, non autẽ de matrimonio per copulã de neceſſe conſumando; matrimoniũ enim ſtat ſine copula, quæ nõ eſt de illius ſubſtantia ex cõmuni ſententia, & veritate omniũ Theologorum, & Canoniſtarum in 4. Sent. *diſt.* 30. ubi *Scotus q.* 2. ibi Comment. *initio.*

80 Secunda pars, quòd lucretur legatum profeſſus, licèt dicatur relictum nubenti carnaliter expreſſis verbis, probatur ex Auth. *Sed & hoc præſenti C. de ſanct. Epiſ.* Ubi talis conditio habetur pro non adiecta, ergo impletio legati non reſtringitur ad carnale matrimonium, ſed conditio reſtrictiva ſpectanda eſt, ac ſi non fuiſſet expreſſa; ſufficit ergo, legatarium unum ex illis præſtare: *Ità Surd. lib.* 2. *conſ.* 192. *num.* 19. *Felin. in cap. Eccleſia S. M. num.* 79. *Verſ. Cæterùm de conſtit. Bald. Novell. de privileg. dot.* 77. *p.* 6. *num.* 2. *quos contrà ſe citat Rota præfata* 368. *num.* 3. *Maſtrill. dec.* 153 *num.* 7. *Covar. in cap. Nos quidem de teſtam. num.* 6. *verſ. Sextò Gratian. cap.* 533 *num.* 20. *Barb. Allegat.* 83. *n.* 27. *cum illis Ciarlin. cap.* 218. *n.* 7.

Legatum ergo factũ nubenti carnaliter adhuc debetur profitẽti in religione, quia prẽter quam quòd obſtet citata Auth. quę diſponit cõtrà voluntatẽ teſtatoris, in caſu, quo vellet excludere à legato ingrediẽtẽ monaſterium, probatur clarè, quia non eſt veriſimile teſtatorẽ voluiſſe legatariũ retrahere à meliori ſtatu, & eũ impedire a billo per matrimoniũ carnale; ſi enim talis fuiſſet ejus volũtas expreſſa, ut perderet legatum ingreſſus, ſinè dubio ut turpis cõditio non vitiaret legatũ, ſed ipſa vitiaretur, *ex dictis cap.* 1. *q.* 4. *verſ. Legatum* in dubio ergò cum teſtator cenſeatur ſe velle conformare juri communi, *Petra de fideicom. q.* 11. *num* 40. *Cæphal. conſ.* 333 *num.* 28. *&* 30. *Curt. Jun. conſ.* 128 *num.* 10 *Julius Cæſar Calvinus in opere ſuo inſcr. communes in dubio juris concl.* 996. & non adverſari huic Authenticæ, quia non poterat nec de jure, nec de facto ſinè peccato, quod præſumi non debet in conditione teſtamenti, *Plautius* 9 *ff. de auro, & argento legato*. ſequitur, quòd legatarium reliquerit liberum, licèt ei præpoſuerit matrimonium carnale, ſinè excluſione ſpiritualis.

81 Tertia pars, quòd nec excludatur à legato, licèt ſit expreſſum, quòd tali perſonę nubat, probatur, quia dicta auth. generaliter loquitur in favorem legatariorum, quos vult eſſe liberos reſpectu ſtatus utriuſque matrimonii, neque poſſe impediri etiam relativè ad quoſcunque alios, cum legatum reſpiciat favorem, & commodũ nubentis legatarii, non commodum alterius, cui nubuit, ideò cum ad tertium non ſpectet legatum, neque rationabile eſt, quòd ab extraneo defectu vitietur. Ità *Portellus V. Legatum num.* 10. *& mox citati, Paſq. q.* 248. *nu.* 5. dum dicit non poſſe dari incertis puellis, ergò certis.

Priorem partem, quòd legatum ſit dandum ingredienti, plerique ex dictis Doctoribus tenent, veram eſſe, in caſu, quo ex conjecturis non colligatur mentem teſtatoris fuiſſe, ut daretur tantùm nubenti carnaliter, quas conjecturas expendit *Sanchez lib.* 1. *diſp.* 33. *à num.*

*à num.* 30. *Rota tamen citata dec.* 398. *alt. num.* 8. non ſufficere teſtatorem ſenſiſſe de nuptiis carnalibus, niſi quoque ſentiat ad excluſionem nuptiarum ſpiritualium, ut ergo legatum non debeatur profeſſo, ſed tantùm nubenti carnaliter, coniecturæ debent excludere nuptias ſpirituales.

Sed quoniam hujuſmodi coniecturæ ſi excludant nuptias ſpirituales, arguunt turpem conditionem adiectam legato, non proſunt hæredibus, cum uti turpes ſint reiiciendæ, ut expreſsè dicitur in Authentica, ideò parùm refert illas perſcrutari, dum ſunt reiicibiles à diſpoſitione legati.

Dicens, ubi mens teſtatoris eſt clara ad conſequendum legatum, ſervanda omninò eſt, aliter legatum non debetur; legatarius enim agnoſcens legatum tenetur parere juditio defuncti *l. ſi re* 13. *C. de fideicom. liber.* & illius mens ſervanda eſt in forma ſpecifica, quam non ſervat ille, qui profitetur in Religione, cum debuiſſet ducere uxorem juxtà expreſſam mentem teſtatoris. Adde, quòd conditio, *ſi nupſerit*, non eſt turpis, cum matrimoniū ſit à Deo inſtitutum in uſum propagationis humani generis, & licèt melius ſit non nubere, tamen nubere turpe non eſt relativè ad non nubere, quia uterq; ſtatus laudabilis eſt, & honeſtus: ergo ex his infertur, dandum eſſe legatum, ſi nupſerit, & non aliter, dum potuit hanc conditionem ſine peccato ponere.

82 Reſpondetur, quòd cum à jure præcitatæ Authenticæ repetitæ etiam in *C. ad Senat. Trebell. §. Niſi rogati.* talis conditio nuptiarum carnalium reprobetur, & pro non ſcripta habeatur favore Religionis, in quantùm poteſt retrahere à Religione volentem ingredi, & non nubere, profitendo non dicitur facere contrà voluntatem teſtatoris, qui in tali caſu non præſumitur velle adverſari diſpoſitioni juris cōmunis reiicientis talem conditionem, quatenus vellet excludere ingreſſum Religionis, nàm præfata lex ſervanda eſt à teſtatore, qui facere non poteſt, ne leges locum habeant in ſuo teſtamento *l. teſtandi* 13. *C. de teſtam.* cum diſponat contrà teſtatorem, & ſit illi contraria, ut docent præcitati in ſecunda parte reſponſionis, & docet *de Lugo diſp.* 24. *de juſt. n.* 293. Mens ergo teſtatoris omnibus modis ſervanda eſt, quando non adverſatur legibus.

Quæres 21. An legatum pro maritandis puellis incertis tribui poſſit volentibus ingredi Religionem. Differt à præcedenti quæſtione, in qua actum eſt de legatariis certis.

83 R. Poteſt tribui profitentibus, quia non eſt major ratio, cur dari poſſit certæ puellæ ingredienti, & non incertæ, cùm traditio ſupponat electionem, per quam puella certificatur, in quo actu nihil differt ab ea, quæ certificata fuit à teſtatore; executor enim teſtamentarius, cum repræſentet perſonam teſtatoris, dùm agit non nomine proprio, ſed illius, idem facit, ac teſtator, ergo cum eadem ſit elēctio puellarum facta ab executore, ſicut ſi fuiſſet facta à teſtatore, eodem jure cenſenda eſt incerta perſona, ſicut certa, & ideò comprehenditur is caſus ſub diſpoſitione dictæ Authenticæ. Confirmatur, quia eædem rationes, quæ probant, legatum dandum eſſe puellæ certæ profitenti, ſvadent etiam pro incerta. Et ità docent *Ochagavia de Sacram. tract.* 1. *de matrim. q.* 15. *num.* 17. *Poncius lib.* 3. *de matrim. cap.* 7. *num.* 11. *Diana par.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 35. *Homob. par.* 3. *exam. tract.* 13. *cap.* 8. *fol.* 356. *Villalob. par.* 2. *ſummæ tract.* 30. *diffic.* 30. *num.* 11. & 12. *Genuenſ. in Practicab. q.* 26. *Boſſius de matrim. contract. cap.* 11. *num.* 638. *quos cū aliis* pro ſe citat *Ciarlin. cap.* 218. *num.* 9. *Ego de profeſſ. regul. cap.* 13. *q.* 68.

Multi contrarium tenent, quòd non poſſit dari ingredientibus, ſed tantùm maritatis, quos citat pro ſe *Sanchez lib.* 1. *diſp.* 33. *num.* 32. & *contrà ſe idem Ciarlin. n.* 8. *Paſqual. q. Moral.* 248. *num.* 5. *de Lugo diſp.* 24. *num.* 293. qui probat, quia Authentica loquitur ſolùm de legato relicto certæ perſonæ ſub conditione liberorum, vel nuptiarum, ergo ea diſpoſitio extendi non poteſt ad legata relicta incertis perſonis, quia lex nolvit, niſi in prædictis caſibus, derogare voluntatibus teſtantium. *Secundò* probant alii, quia bonum publicum prævalere debet privato; finis enim teſtatoris fuit occurrēdi indigentiis puellarum, ne defectu dotis ob paupertatem proſtituerentur. *Tertiò*, ideò certus legatarius à teſtatore nominatus poteſt ſtatū eligere, quia habet poſt mortem teſtatoris jus ad legatum, non autem incertus legatarius, & ideò ille, non is, eligit, undè incertus electioni dicitur conſentire ſub ea conditione nubendi carnaliter. *Quartò*, una cauſa pia non excludit aliam cauſam piam, cap. *Quia contingit*, *de relig. domibus*. 84

Ad primum reſpondetur, eſſe ibi ſermonem non tantùm de perſonis certis, ſed etiam incertis, ut colligitur ex illis verbis, *ſivè reliquerit ſuis liberis*, *ſivè alii cuicumque perſonæ hæreditatem*, *vel legatum*. Nam *alius quicunque* importat generalitem ſinè aliqua determinatione e. g. ſi quis impetret reſcriptum contrà talē perſonam, & quoſcumque alios, agere poteſt contrà certam, & alias incertas, quas poteſt determinare, *ex adductis à Barb. dict.* 26. *num* 6. & 15. Vide quæ dixi *ego cap.* 1. *q.* 48.

Ad ſecundum, non poteſt inveniri melior proviſio puellis pro tuenda virginitate, quàm profeſſio in monaſterio, & hoc quoq; eſt bonū publicum, & melioris conditionis, quàm matrimonium carnale.

Ad tertiū, quamvis incertus legatarius

inci-

incipiat habere jus ad legatum à puncto electionis, quia tunc fit certus, tamen in electione de se facta potest dicere volo ingredi monasterium, antequàm consentiat in futuras carnales nuptias. Vel dic, tàm incertum legatarium, quàm certum incipere habere jus ad captionem legati, quando purificatur conditio matrimonii sivè carnalis, sivè spiritualis, quia ex dispositione juris legatum conditionale acquiritur, conditione adimpleta, ex dictis *cap.* 1. *q.* 14. & testator non potest excludere incertum legatarium à Religione, ex probatis in præcedenti quæstione.

Ad quartum, verum quidem est, quòd causa pia non excludit causam piam, ac proindè liber est legatarius, quantùm est ex parte sua, & testator consequenter, exprimendo unam causam piam, aliam non excludit, exprimendo nuptias carnales, non potest excludere spirituales, non solùm ex dispositione Authenticæ, sed etiam ex natura earum relativa, quia fortior est pietas Religionis, quàm paupertatis.

Quæres 22. An legatum mille pro nuptiis carnalibus dari possit eidem puellæ, cui pro ingressu fuerunt assignata quinque centum tantùm?

85 R. Pinguius legatum est dandum profitenti. Probatur, quia hujusmodi dispositio secundùm excessum habet rationem turpis, & puellam retrahit à meliori proposito, ergo habenda est pro non adiecta, ac si legatum ex æquo reliquisset pro utroque statu. Confirmatur *ex l. Titiæ* 99 *ff. de condit. & dem.* ubi Titia consequitur legatum majus relictum non nubenti, & minùs nubenti, licèt nupserit. Ratio, quia non nubere secundùm jus Civile habetur pro turpi, *l. quoties* 22. *l. sed si hoc* 62. *l. cum tale* 72. *l. Mulieri* 74. *ff. de condit. & dem.* imò & secundùm jus naturale talis prohibitio est turpis, quia adversatur multiplicationi hominum, & bono publico; undè jure Pontificio non prohibentur nuptiæ carnales, sed earum abstinentia laudatur, & commendatur propter statum cælibatus, qui est melior, & perfectior statu matrimonii. Quare legatum relictum non nubenti debetur, si nõ nubat & non aliter, quia conditio, ubi honesta adimplēda est, quidquid dicat Bartolus, quem sequitur Pontius *lib.* 3. de matrimonio *cap.* 6. *num.* 12. quia ille locutus fuit secundùm jus Civile, quod non consideravit jus cælibatus, quod eam conditionem non facit turpem, nisi contineat prohibitionem, quæ non reperitur in dispositione hujus legati, non cogente legatarium ad abstinendum à nuptiis, qui liberè consentit, ut habeat legatum. *Vide Caram. in Theolog. fund. num.* 870. *fol.* 304.

Ità docent *Silv. V. legatum* 1. *num.* 13. *Donatus par.* 2. *tract.* 11. *q.* 22. *Diana par.* 1. *tract.* 3. *resol.* 125. *Lezana V. legatum num.* 17. *Pasqual. q.* 245. *num.* 4. *Ego cap.* 13. *de profess. q.* 69. *num.* 117. *Ciarlin. cap.* 218. *nu.* 45. licèt dicat consuetudinem esse in contrarium, quam multi Doctores sequuntur.

Rota sequendo Baldum, & æquitatem apud Lodovisium *dec.* 63. ait communem observantiam esse, ut dos minor detur ingredienti monasterium, quàm nubenti in sæculo, eo quòd major impensa requiritur in inveniendo virum, quàm monasterium; præterquamquòd majora onera incumbunt nuptis, quàm non nuptis; monialis enim non eget familia, caret filiis, non quærit pompam, nec honores, dos verò moniali traditur tantùm pro sustẽtatione suæ vitæ, juxtà exigentiam monasterii &c. *Rota par.* 1. *Recent. dec.* 480. *par.* 2. *decis.* 249. idem pluribus probat cum eis novissimè Cæsar de Panimollis Vicarius Generalis S. Silvestri Nonantulæ *constit.* 7. *num.* 25. Quamvis contrà observantiam hujusmodi argui non possit, id tamen non tollit absurdum, quòd magis æstimentur nuptiæ carnales, quàm spirituales, nec quòd ex hujusmodi observantia aliquod præjudicium fiat cupienti ingressum Religionis, à quo retrahitur ex illo majori emolumento ad nuptias, quas non elegisset, sed ingressum, si potuisset habere legatum pinguius.

Quæres 23. An dicta in præcedentibus de legatis dandis professis in religione, debeantur recipientibus ordines?

86 R. Affirmativè, quia Authentica æquè loquitur de professis, & clericis, ibi *sivè masculi, sivè fœminæ monasteria ingrediantur, aut clerici, aut diaconissæ, aut ascetria fiant, si usq; ad suam vitam in his perseveraverint.* Illud verbum *Ascetria*, seù Assisteria, ut volunt alii, refertur ad fœminam religiosam diversam ab illis, quæ manent in monasteriis, de quibus antecedenter dixit, undè ejus nomine appellantur meo judicio Tertiariæ, quæ manent in propriis domibus, de quibus suprà dixi sub *q.* 18. assistunt enim orationi in suis domibus. Hoc autem privilegium competit etiam Clericis in minoribus existentibus, si autem recedunt à suis statibus, amittunt legatum, ut clarè patet in textu præfato.

Quæres 24. An legati facti clerico sæcularis capax sit factus religiosus? Proponit casũ Portellus *par.* 2. *suorũ Respons. casu* 2. ferè sub his verbis. Mulier reliquit legatũ quingẽtorũ scutorum cuidam puero, quẽ ex baptismo susceperat, pro dote, & patrimonio ad ordines sacros recipiendos cũ onere, ut sibi applicaret primã missã novã, addẽdo, quòd si moreretur puer ante primã missã, legatũ caperet ejus Soror. Ante receptionem ordinũ profecit in Religione in numero clericorũ, prœmisso testamẽto, in quo suæ matri dictũ legatum reliquit, excludẽdo Sororẽ substitutã à testatrice. An valeat dictũ testamentũ quoad legatum

tum illud factum matri, quod debeat capere Soror testatoris.

87 R. Testamentum quoad illud legàtum fuisse nullum; esto enim post mortem testatricis acquisierit illius dominium quoad se, quia fuit modale, & onerosum, tamen ex hoc non poterat de illo disponere in præjudicium personæ substitutæ; quia per ingressum religionis non evanuit substitutio ad formam capit. *In præsentia 8. de probat.* quia monasterium incapax successionis, ut fuit hoc in casu Portelli, substitutum non excludit, sed peracta professione, substitutus statim admittitur. *Navar. com. 2. de Regular. n. 54. Rodriq. tom. 2. q. 77. art. 4. cum aliis Barb. ad dictum cap. num. 13.* Nullus contradicit, & id firmatur per Authenticam sæpiùs citatam in præcedentibus, dum hujusmodi conditiones, & substitutiones habet pro non expressis respectu eorum, qui volunt ingredi religionem, quæ dicitur haberi loco filii. Unde non placet, quod respondet Portellus *nu. 7.* Authenticam non emanasse favore temporali religionum, ut possent habere hæreditates, & legata ingredientium, sed ne fideles impedirentur ab ingressu religionis, nam Authentica stat benè pro utroque fine, imò pro præsenti casu parùm facit pro Portello, quia tale legatum non poterat illum retardare licèt non disposuisset de illo, ut patet, imò invitabat ad statum perfectum clericatus, quem poterat facilè obtinere, imò faciliùs relinquendo illum, cui de jure debeatur. Multa dicit Portellus in contrarium, quæ ex dictis manent soluta, nec Doctores, quos citat, loquuntur in terminis præsentis casus.

88 Sed quid dicendum de legato relicto alicui in patrimonium pro suscipiendis ordinibus, si profiteatur in religione, in qua loco patrimonii succedit titulus pauperatis, numquid illud secum transfert in religionem capacem?

Meo judicio debet initiari ex illo titulo, si vult lucrari legatum, nam mentem expressam testatoris servare potest, absq; præjudicio ingressus in religionem; per susceptionem enim ordinis tantùm abest, ut impediatur, quin potiùs sibi facilitet viam ad ingressum.

Quæres 25. An hospitale sit capax legati?

89 R. Hospitale erectum auctoritate Episcopi, quod præsumitur in dubio, dum adjunctam habet Ecclesiam, quamvis possit etiã esse tale sinè Ecclesia, ut probat *Ciarl. cap. 116. n. 13.* capax est hæreditatis, & legatorum; non autem merè profanum, quod, scilicèt, caret canonica erectione, & incapax est Ecclesiæ; laicale ergò hospitale incapax est legatorum. Ità *Calder. cons. 23. de test. Castr. lib. 1. cons. 351. Tusch. lit. H. concl. 159. n. 7. apud Ciarl. cap. 116. n. 19.* Sed ponamus casum, quòd constet de laicalitate mera hospitalis, numquid poterit legata, imò hæreditates recipere distribuẽdas in pauperes, in dotandis puellis, & ad similia opera pia? Utique. Nam impietas est prohibere opera misericordiæ, dum hęc exerceri possunt à quovis in particulari, à quavis Congregatione sivè pià, sivè laicali, & talia legata sinè dubio sunt pia, cùm specificentur à fine intento à testatore, qui vult, ut subveniatur pauperibus, licèt non specificentur à loco, qui est profanus. Quare illi Doctores intelligendi sunt, quòd illud hospitale merè profanũ sibi soli acquirere non possit, sed utique pauperibus; tamquàm merus executor voluntatis testatoris.

Quæres 26. An legatum relictum ingredienti religionem, acquiratur nubenti carnalitèr.

90 R. Negativè, quia favore religionis transferri potest legatum à statu inferiori ad superiorem, non è contrà à superiori ad inferiorem, ità *Covar. lib. 1. Var. cap. 19. num. 10. Vers. Non tamen erit, ex illo Ciarlin. cap. 218. nu. 52.*

---

## CAPUT QUARTUM.

### *De Legatis Piis.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Legatum piam est illud, quod fit locis piis, seù pauperibus.*
2 *Cognoscitur ex duabus causis, ex amore Dei, & salute legantis, quæ sunt finalis, & ex sublevatione paupertatis, quæ est causa impulsiva.*
3 *Legatum relinqui potest Ecclesiæ etiam ædificandæ.*
4 *Privilegium non datur rei nondùm existenti.*
5 *Monasterio relictum pium est.*
6 *Pio paritèr loco etiam non erecto auctoritate Episcopi.*
7 *Hospitali quoque.*
8 *Legata relicta Cõfraternitatibus sunt pia.*
9 *Congregatio enim est pia personarum institutæ ad exercitia pietatis.*
10 *Pauperibus etiam consanguineis factum est pium etiam in dubio.*
11 *Contraria opinio adest, sed verior prima.*
12 *Verba testatoris indicantia legatum pium sunt hæc. Pro cultu divino, pro salute animæ, pro exoneratione conscientiæ, pro amore Dei.*
13 *Pauper quis dicatur, relinquitur arbitrio Judicis.*
14 *Paupertas affligit pauperem quoad alimenta, & quoad statum, & respectu*
15 *hujus etiam Imperator, & Reges sunt pauperes, quia pro bello petunt ab aliis subsidium.*
16 *Pauper, qui eleemosinam quærit, vel laborat, ut sibi quærat victum.*

17 *Pauper quisque præsumitur, tamen paupertas probanda est ab eo, qui se in ea fundat in ordine ad aliquid obtinendũ.*
18 *Pauperi secundùm indigentiam alimentorum datur legatum pium, non secundùm paupertatem Status.*
19 *Pauperis nomine non solùm venit persona, sed etiam loca pia.*
20 *Pauperum nomine venit Ecclesia, Monasterium, & Religiosi.*
21 *Pauperioribus non est distribuendum, si hoc non expressit testator.*
22 *Quia nemo tenetur esse diligentior, sufficit si sit diligens.*
23 *Pauperum nomine in dubio veniunt pauperes de patria testatoris.*
24 *Pauperes carentes aliis conditionibus non habent legatum.*
25 *Peccant dantes non habentibus conditiones, non tamen est obligatio restitutionis, quia pauperes incerti non habent jus, nisi post electionem.*
26 *Hospitali non potest dari relictum pauperibus.*
27 *Neque Monasterio, quidquid dicat Pasqualigus.*
28 *Distribuendum pluribus, uni tantùm dari non potest.*
29 *Distributor si sit pauper, potest se connumerare inter legatarios.*
30 *Dispensare quis potest seipsum.*
31 *Religiosus distributor potest se connumerare inter pauperes.*
32 *In dubio legatum censetur pium.*
33 *Favendum magis est legatario, quàm filiis hæredibus.*
34 *Pia causa in generali prohibitione non continetur.*
35 *Fraus in legatis piis non est præsumenda.*
36 *Legatum pro sepulchro, & exequiis pium est.*
37 *Legatum pro Seminario est pium.*
38 *Seminarium est locus pius.*
39 *Legatum pro studio est pium.*
40 *Legatum pro Doctoratu est pium.*
41 *Legatum pro patrimonio subdiaconi est pium.*
42 *Legatum pro Lectura est pium.*
43 *Studere volentis legatum est pium.*
44 *Pro alimentis legatum est pium.*
45 *Librorum legatum ut sic non est pium.*
46 *Legatis libris non veniunt armaria.*
47 *Nomine* Corporis libri *venit quilibet liber ab aliis sevinctus.*
48 *Legatum pro satisfaciendis creditoribus est pium.*
49 *Legatum dotale est pium relictum pauperi.*
50 *Fictus pauper potest sibi retinere eleemosinam, seù legatum.*
51 *Attenditur enim causa principalis, quæ est amor Dei, & salus legantis, non impulsi-*
52 *va, quæ est sublevatio miseriæ pauperis.*
53 *Majus dandum in legatis piis.*
54 *Quarta non debetur pro legatis piis.*
55 *Falcidia non detrahitur, si suppetunt vires hæreditatis.*
56 *Ante aditam hæreditatem potest peti legatum.*
57 *Veniens ab intestato adhuc tenetur ad legata.*
58 *Quia favor piæ causæ illi prævalet.*
59 *Testamentum ex causa pia cancellatum non præsumitur à testatore.*
60 *Statutum contrà causam piam nihil disponere potest.*
61 *Pium testamentum non præsumitur habere clausulam derogatoriam subsequentium testamentorum.*
62 *Legatum factum monasterio, ut recipiat juvenem, non est simoniacum, sed pium.*
63 *Cum possit dari aliquid alicui, ne peccet, ut faciat aliquod spirituale.*
64 *Meretrici factum, ut convertatur, piũ est.*
65 *Libertatis legatum pium est.*
66 *Transactio non fit in legatis missarum.*
67 *Transactio est de re dubia cum diminutione ex parte creditoris.*
68 *Testator, si viveret, responderet sinè sui præjudicio in legatis.*
69 *Referuntur verba certi legati.*
70 Enixè, *ideſt, maximo conatu, firmitèr, & immutabilitèr.*

QUoniam nostra principalis intentio est latiùs agere de legatis piis, ideò in præsenti capite de illis in communi agendum est, prosequendo institutum ordinem.

Quæres 1. Quid sit legatum pium?

1 R. Est illud, quod relinquitur Ecclesiæ, Monasterio, Hospitali, Confraternitati, & cuivis alteri loco pio, aut pauperibus, propter amorem Dei, & salutem animæ. Est communis apud citandos.

2 Duæ causæ in pietate fundatæ possunt specificare, & denominare legatum piũ. Prima dicitur finalis, & principalis, quæ est ex parte Dei ipsius amor; homo enim omnes suas actiones ad Deum dirigere debet. Secunda ex parte legantis, quæ est impulsiva, appellari potest salus animæ, & respectu loci, vel personæ, quibus fit, est sublevatio paupertatis eorum, quæ specificat legatum sub ratione pietatis.

Quæres 2. An legatum relictum Ecclesiæ etiam diviti sit pium?

3 R. Affirmativè, quia in his relucet maximè pietas, quæ Ecclesiæ matri exhibetur, etiam si sit ditissima, quia principalis finis, hoc est, amor Dei in his oblationibus inspicitur. Ità *Glos. V. Exemplo cap. 1. de privileg. Barb. lib. 3. de jure cap. 27. num. 2. de Lugo disp. 22. de just. initio.* Non solùm relictum Ecclesiæ jam

4 constructæ, vel construendæ, sed etiam reparandæ, *Barbat. lib. 3. conſ. 126. Surd. cons. 62. numer. 5. Riccius part. 4. resolut. 351. cum aliis Barb. lib. 3. cap. 27. num. 19.*

Quæres 3. An legatum relictum monasterio sit pium?

5 R. Affirmativè, tàm ædificando, quàm ædificato, seù reparando; magna enim est

pietas

pietas, quæ fovet religioſos in monaſteriis, in quibus ſervitur Deo, & exercentur quamplura pietatis opera. Ità *Navar. com. 4. de regular. n. 45. Diana reſol. 29 de teſtam. Rota par. 8. deciſ. 96. n. 32.*

Quæres 4. An relictum hoſpitali ſit pium?

6 R. Affirmativè, quia eſt locus pius, in quo exercentur opera pietatis, & miſericordiæ, à quibus legatum denominatur pium. Ità *Bart. in Auth. Hoc jus porrectum C. de ſacroſ. Eccleſ. Card. in Clem. de relig. domib. in fine, Gabriel. de pia cauſa concl. 2. Gratian. cap. 34. initio.*

Quæres 5. An legatum relictum loco non erecto auctoritate Epiſcopi, in quo exercentur pietatis opera, ſit pium?

7 R. Affirmativè, quia ad denominandum legatum pium ſufficit, ut res ſit deſtinata ad opus pietatis, cuicumque relinquatur loco, licèt non ſit pius in ſe, & materialitèr defectu auctoritatis Eccleſiæ in ejus erectione, quia non attenditur pietas, ut ità dicam, materialis, ſed formalis ex ipſo pietatis exercitio, undè *Ancharan. conſ. 120.* locum vocat pium, in quo exercentur opera pietatis, quamvis ibi non ſit Eccleſia, aut Monaſterium, vel hoſpitale, nec ſit erectus auctoritate Epiſcopi. Nam legatum magis ſpecificatur ab illis operibus in ratione pietatis, & operum miſericordiæ, quàm à loco, qui ſicut perſonam non ſanctificat, ità neque legatum facit eſſe pium, ſed opus pietatis.

Adde prædictis, quòd amor Dei expreſſus in teſtamento, facit legatum pium, cuicumque deindè loco, vel perſonæ relinquatur, quia in Deo, qui omnium eſt pater, infinita relucet pietas. *Riccius par. 2. reſol. 381. num. 1. Bald. in l. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ. num. 9. Cæphal. conſ. 216. num. 17. Ciarlin. cap. 7. numer. 7. & infrà quæſt. 8.*

Ulteriùs legatum relictum cuicumque perſonæ, ſivè loco, pro anima ipſius teſtatoris, illis verbis expreſſis in teſtamento, pium eſt, *ex Auth. Ut cum, de appellat. §. Si unum de prædictis, Verſ. Occaſionem autem. Bartol & Bald. in l. 1 C. de ſacroſ Eccl. Ancbar. conſ. 144. Diana reſol. 29. Rota. p. 3. dec. 233. num. 3. Ciarlin cap. 5. num. 9.* ergò non attenditur locus, ſed ſalus animæ, & amor Dei.

Quæres 6. An legata relicta Confraternitatibus ſint pia?

8 R. Affirmativè, quia expenduntur, vel in cultum divinum, vel in utilitatem pauperum. Eſt enim Confraternitas cauſa pia, & congregatio perſonarum inſtituta ad exercitium pietatis, ut dixit *Merlin.*
9 *dec. 407. n. 16. Gabr. lib 1 conſ. 162. n. 7 & de pia cauſa concl. 1. n. 22. Rota par. 6. dec. 179. nu. 15. cum aliis Sperell. dec. 153. nu. 24. Rota par 4. tom. 2. dec. 22. n. 2.*

Quæres 7. An legatum relictum pauperibus quibuſcumque ſivè conſanguineis, ſivè affinibus, aut extraneis, ſit pium?

10 R. Affirmativè, quia in pauperibus relucet magna pietas, qua cenſetur motus ex amore Dei teſtator ad ſublevandam eorum miſeriam, per legatum eis factum, ut docent omnes infrà citandi cum *Ciarl. cap. 28. num. 2.*

Conſanguineo ergò, ſeù affini pauperi legatum relictum eſt pium, quia cenſetur factum magis intuitu pietatis, quàm affectione parentelæ, ſicut è contrà, factum diviti cenſetur teſtator reſpexiſſe tantùm affectionem, ac proindè non eſſe pium, ſed profanum. Ità omnes cum *Jaſone conſ. 185. col 2. verſ. ſeptimo, lib. 2. Cæphal. lib. 2. conſ. 216. num 24. Gratian. cap. 605. num. 28. Barb. lib. 3. de jure Eccleſ. cap 27. num. 10.* Procedit etiam in dubio, quandò nulla fuit facta mentio paupertatis, aut alterius clauſulæ, quæ clarè inferat legatum eſſe pium, quia adhuc cenſendum eſt, legatum eſſe pium, poſita legatarii paupertate; hæc enim ſatis ſpecificat voluntatem teſtatoris fuiſſe, ut reſpexerit potiùs paupertatem, quàm conſanguinitatem. Confirmatur, quia ubi reperitur ratio formalis conſtitutiva pietatis, ibi neceſſariò reperitur ejus formalis effectus, ſed in legato facto pauperi etiam conſanguineo, invenitur ratio formalis conſtitutiva pietatis; ergò neceſſariò ſequitur, legatum tale eſſe pium. Ità præcitati cum eodem Barboſa, qui ex Magdaleno *de numero teſt. par. 2. cap. 2. nu. 42.* ait procedere, quandò legatum eſſet modicum, & proportionatum ad ſubveniendum pauperi; non verò ſi eſſet exceſſivum, & valdè pingue, quia præſumendum eſſet, fuiſſe factum ex affectu conſanguinitatis, & non ex pietate.

11 Contrarium, quòd in dubio non cenſeatur factum ex cauſa pietatis conſanguineo, licèt pauperi, quandò in teſtamento nullum apparet verbum pietatis, ſed habendum ſit pro profano, docent 14. Doctores *apud Ciarlin. cap. 33. nu. 103 & Barboſam cit. nu. 10.* ea ratione, quia præſumitur prævalere affectio ſanguinis, cũ ea ſit naturalis.

Sed id non obſtat, quia eſto hìc concurrat affectus ſanguinis, non tamen pium affectum ſublevandi miſeriam tollit, undè præſumendum eſt eſſe pium, dum illi ineſt cauſa pietatis ſublevantis paupertatem. Pro intelligentia prædictorum.

Quæres 8. Quænam verba teſtatoris indicent legata eſſe pia?

12 R. Sequentia. *Primò* ſi fiat mentio de cultu divino, *Bald. in l. illud. C. de Sacroſ. Eccleſ. num. 1. Tiraq. in præfat. de cauſa pia, Mantica lib. 6. de conject. tit. 3. num. 24. Magdal. de numero teſtium par. 2. cap 2. nu. 34. Cyriacus contr. 94. num. 45. ex eis Merlin. dec. 805. num 2.* Eſt pium *ſecundò*, ſi fiat mentio de ſalute animæ, *ex præcitatis cum Merlino num. 1. Ciarlin. cap. 5. num. 9. Ever-*

*à loco à libert. ad pias cauſas in fine, Gabriel. de pia cauſa concl. 1. nu. 10. Cæphal. conſ. 216. num. 17. Ciarlin. cap. 7. nu. 7.* Eſt pium *tertiò* relictum pro exoneratione conſcientiæ, *Rota par. 7. dec. 245. nu. 29.* Eſt pium *quartò* relictum pro amore Dei, *Bald. in l. 1. C. de Sacroſ. Eccleſ. nu. 9. Cæphalus conſ. 216. num. 17 Ciarlin. cap. 7. nu. 7.* Vide *Portellum tom. 2. Reſponſ. caſu 18. num. 2.* ubi plura refert exempla.

Quæres 9. Qualis debeat eſſe pauper, ut ejus legatum poſſit dici pium?

13 Præmitto à Doctoribus variè ſumi nomen *Pauperis*, adeoquòd relinquunt arbitrio judicis decidere quis dicatur pauper, *Gloſ. in Authb. Prætereà, C. Undè vir, & uxor. Natta vol. 3. conſ. 605 fine, Sperellus dec. 156. nu. 20.* Nihilominùs ſequentia noto, & dico, quòd ille eſt pauper, qui caret neceſſariis non ſolùm ad ſuſtentandum commodè ſe, & familiam ſuam, ſed etiam ad conſervandam ſtatus ſui conditionem. *Alex. lib 8. conſ. 213. Benincaſ. de Pauper q. 1. n. 40. Paſq q. 231. n. 8. Bald. in l ſi quis C. de Epiſc. &* 14 *cler. Sperel dec. 156. n 19.* Quare paupertas duo affligit in homine, vitâ, dum miserè vivit carens commodo victus, veſtitus, medicinæ, ſeù habitationis; defectus enim cujuslibet ex dictis inducit paupertatem. Affligit quoque ſtatum perſonæ, dum in eo ſe non poteſt manutenere, ſinè auxilio alterius; utraque enim miſeria alterius
15 auxilio ſublevabilis eſt. Qua ratione Imperator quoque, & Reges ratione ſtatus dici poſſunt pauperes, quia ad ſe defendendum in bello, petunt auxilium ab hoc, & ab illo Principe. Paupertas ergò reſpectu ſtatus reperitur etiam in divitibus, qui licèt lautè vivant, & nihil eis deſit, quoad hoc, tamen quòd ſe non poſſunt manutenere in ſuo ſtatu niſi ſubſidio aliorum, quod ut plurimùm inutile eſt, ſic Deo permittente, quia bella juſtè non geruntur, & Principis miniſtri, & milites ſunt pejores hoſtes, quàm hoſtis, ipſe contrà quem bellum geritur, pauperes ſunt.

16 Pauper igitùr eſt, qui eleemoſinam quærit pro vita ſuſtentanda, *Rota vol. 4. deciſ. 250. nu. 4. & dec. 409.* ubi dicitur pauper, qui ſibi victum quotidianum quærere cogitur. Pauper dicitur, cujus res de die in diem in pejus ruunt, *Ciarlin. cap. 94. n. 28.* Pauper dicitur, qui ſuis divitiis uti non poteſt, *Rota vol. 2. dec. 79. nu. 3.* Pauper dicitur, qui non habet patrimonium pro recipiendo Subdiaconatu, *Ciarlin. cap. 28. nu. 4.* Pauper dicitur reſpectu ejus modici, quod actu poſſidet, non reſpectu ejus, quod petit judicialitèr. *Innoc. in cap. Significantibus, de offic. de leg. num. 4. ibidem Butrius num. 21. Imola nu. 23. Sperell. deciſ. 156. num. 16.*

17 Quamvis quiſque pauper præſumatur, quia talis naſcitur omnibus deſtitutus etiam gratia Dei, cum nudus gratia, & tegumentis ſit inops, juxtà illud Catonis. *Infantem nudum cum te naturâ creavit.* Et ità docent *in l. ſi verò 5. §. qui pro rei. ff. qui ſatis dare cogantur.* Legiſtæ, cum eis Tuſchius *l. P. concl. 161. initio, Ciarlin cap. 84. num. 13. Sperell. deciſ. 138. num. 58.* Nihilominùs cum quis in ea fundat ſuam intentionem ad conſequendum aliquid, tenetur eam probare, *ex allegatis à Ciarlin. cap. 33. num. 105. cap 109. num. 31. Sperell. dec. 138. num. 59. & dec. 156. num. 15. & 16.* Pro qua re vide Rubeum *ad deciſ. 617. à num. 36. par. 4. tom. 3.* His ità præmiſſis.

18 R. Legatum dici pium ex paupertate perſonæ, non ſtatus; ea enim paupertas propriè ſublevatur per actum miſericordiæ, & pietatis; non hæc, quæ etiam in divitibus reperitur, undè hujuſmodi ſublevatio non eſt opus miſericordiæ, & pietatis, ſed erectio perſonæ in ſtatum profanum.

Quæres 10. Quinam veniant ſub nomine pauperum? An Eccleſiæ? an hoſpitalia? an monaſteria? an religioſi ipſi ſingulariter accepti?

19 R. Affirmativè, quia in eis viget paupertas, ſi non neceſſitatis, quæ angit pauperes ſæculi, ſaltem voluntatis, quæ non debet eſſe deterioris conditionis in ordine ad favores, & privilegia, quibus gaudent cæteri pauperes. Undè ſub no-
20 mine pauperum venit Eccleſia, *Graff. par. 1. lib. 2. cap. 10. num. 3. ex D. Thoma 2. 2. qu. 185. art. 7. ad 2. & tom. 1. conſil. 2. de furtis num. 15.* ubi legatum factum pauperibus poteſt dari Eccleſiæ. Quod tamen ſimplicitèr non probo, ut infrà patebit. De hoſpitalibus venientibus ſub nomine pauperum, non eſt dubitandum, cùm à piis operibus, quæ exercent in pauperes, denominationem pauperum recipiant. Vide *cap. 3. q. 2.* Multò minùs de religioſis, cum voveant paupertatem; veniunt ergò ſub nomine pauperum omnes ſupradicti.

Quæres 11. An factum pauperibus incertis, diſtribuendum ſit magis pauperibus?

21 R. Cum ex tenore teſtamenti id non colligatur, ſufficere electionem pauperum, quia mens teſtatoris requirit tantũ qualitatem poſitivam paupertatis. Confirmatur, quia nemo tenetur meliùs agere, ſed ſufficit benè agere, *arg. cap. licèt ergò 15 8. q. 1. ibi gloſ V. Præſtantior, ex Petro Navar. lib. 2 de reſtit. cap. 1. n. 59. Leſſius lib.*
22 *2 cap. 7. dub 6. quos citat. Megalius 1. 2. lib. 2. cap. 31. n. 25.* aſſerentes neminem teneri eſſe diligentiorem, ſed ſufficere eſſe diligentem; ergò ſufficit eligere pauperes, non pauperiores, dum teſtator ad id non obligat. Ità *Decius conſ. 120.*

Quæres 12. An in dubio cujuſnam loci ſint pauperes?

23 R. Præſumendũ eſt, teſtatorem loquutũ fuiſſe de pauperibus ſuę patrię, quos cẽſe-

tur

tur plùs diligere, quàm extraneos, ac proindè velle illis plùs benefacere, quàm aliis. Ità *Ciarlin. cap.* 23. *num.* 38. *& ſeq.*

Quæres 13. An ſi pauperes careant aliis conditionibus, requiſitis expreſsè à teſtatore, adhuc illis dari poſſit legatum?

24 R. Negativè, ſed eligendi ſunt pauperes habentes omnes qualitates expreſſas à teſtatore, quia expreſſa teſtatoris volũtas omnibus modis ſervanda eſt, *cap.* 4. *q.* 1. *cap. indicante* 4. *de teſtam.* Non ſervatur autem, facta electione pauperum carentium omnibus, aut altera ſaltem ex requiſitis conditionibus Quare relictum diſtribuendum puellis civibus, non poteſt dari ruſticis, & relictum de tali familia, non poteſt extendi ad alios alterius familiæ.

25 An in his caſibus non adimplens mentem teſtatoris peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem iis, qui habent omnes conditiones? Crederem peccare mortaliter, quia facit contrà expreſſam voluntatem teſtatoris requirentis, ut legatum diſtribuatur puellis civibus, non ruſticis, vel de ſua familia, non extraneis. Non tamen teneri ad reſtitutionem, cùm nulli damnum intulerit, dum legatarius incertus non acquirit jus legatum, niſi poſt electionem, ut probavi *cap.* 1. *n.* 180.

Quæres 14. An legatum pauperibus relictum dari poſſit hoſpitali, quòd pauperes alit?

26 R. Non poteſt dari hoſpitali, quia in eo locum habere non poteſt diſtributio, quæ refertur ad plures perſonas ſingulares in ſeipſis ſingulariter ſpectatas, quæ conſideratio fieri non poteſt in hoſpitali, quod unum eſt; & licèt plures alat pauperes in individuo perſonas ſingulares, illæ tamen à teſtatore non ſunt intentæ, quia illæ non dicuntur pauperes ad hunc finem, quem intendit teſtator, nimirum ſublevare eorum indigentiam, cùm jam ſit ſublevata ab ipſo hoſpitali, quod illis providet de neceſſariis. Nec obſtat, quòd hoſpitale veniat ſub nomine pauperum, quia id tantùm importat, quòd gaudeat privilegiis pauperum, *Genuenſ. q.* 214. *in practica b. ex eo Barb. alleg.* 83. *num.* 20. non quòd illi poſſit dari legatum pauperibus deſtinatum.

Quæres 15. An tale legatum pauperibus diſtribuendũ dari poſſit monaſterio?

27 R. Negativè, ob rationem adductam in præcedenti, quia religioſorum monaſterium unicum eſt corpus politicum, cui non aptari poteſt diſtributio; & præterea religioſi ſublevati jam ſunt ab indigentiis per redditus, & eleemoſinas ſui monaſterii; teſtator autem non intendit dare ſublevatis, ſed ſublevandis per diſtributionem legati, ergo intendit ſuccurrere tantùm pauperibus ſingularibus, *Paſqual. q.* 228. probat dari poſſe uni monaſterio, quia cùm in eo ſint plures religioſi, fit diſtributio pauperibus, & ſalvatur plurale locutio teſtatoris, qui legavit diſtributionem pluribus pauperibus. Undè religioſus à teſtatore electus ad diſtibuendum legatum pauperibus, poterit illud dare ſuo monaſterio. Et proſe citat novem Doctores.

Sed hoc non placet, quia mens expreſſa teſtatoris attendenda eſt, quæ eſt, ut occurratur indigentiæ pauperum non voluntatis, ſed neceſſitatis; hi enim magis iudigent, & propriè appellantur pauperes ſine alio addito, pauperes verò ſpiritu, & cum addito hujuſmodi ſimpliciter nõ dicuntur tales, nec in miſeria dicuntur poſiti, cum à ſuis monaſteriis ſint proviſi de neceſſariis, vel debeant provideri.

Ad rationem *Paſqualigi* reſpondetur, non poſſe verificari, quòd legatum fuerit diſtributum inter pauperes numero diverſos, dum immediatè acquiritur monaſterio, quod unum eſt, non multiplex, ac proindè incapax diſtributionis, quæ pluralitatẽ requirit in diſtributariis. Nec diſtributio propriè ſalvatur relata ad religioſos, vel pauperes in hoſpitali, ſeù monaſterio, quia legatum illis immediatè non diſtribuitur, dum via directa datur loco, ut indè ſubveniat ſuis alumnis, contrà intentionem teſtatoris, qui vult provideri pauperibus indigentibus, non proviſis, uti ſunt proviſi degentes in monaſterio, aut hoſpitali.

Quæres 16. An legatum pauperibus diſtribuendũ dari poſſit uni tãtùm pauperi?

28 R. Non poteſt dari uni tantùm, quamvis in ſumma egeſtate poſito, quia hoc clarè repugnat diſtributioni, quæ habet pro obiecto pluralitatem pauperum, cum ergo expreſsè pateat id adverſari menti teſtatoris, uni tantùm dari non poteſt. Ità *Baldus in repetit. l.* 1. *C. de ſacroſ. Eccl. num.* 31. *Bartol. in l.* 1. *ff. de opt. & elect. legat. Caſtr. vol.* 1. *conſ.* 97. *cum aliis Paſq q.* 230. *num.* 2. contrà paucos, quorum opinatio non probatur.

Idem *Paſqual* quærit, an diſtributio facta legati duobus tantùm pauperibus ſit rectè facta? Benè reſpondet ſic, quia numerus pluralis in duobus tantùm ſalvari poteſt, *l. Ubi numerus* 12. *ff. de teſtib.*

Quæres 17. An diſtributor poſſit ſe connumerare inter pauperes.

29 R. Si diſtributor ſit pauper, nihil prohibet, quin poſſit ſeipſum connumerare inter legatarios, & ſibi retinere portionẽ ſimilẽ, & æqualem, quã dat aliis. Nec obſtat, quòd inter dantem, & accipientẽ dabeat eſſe diſtinctio perſonalis, quia id nõ eſt verum univerſaliter, ut planè demonſtrat

30 *Sãchez lin.* 10. *diſp.* 3. *de diſpẽſ.* quia idem poteſt diſpẽſare ſeipsũ, & in caſu præsẽti dici poteſt, quòd diſtributor qua talis repreſẽtat perſonã teſtatoris, cujus vices gerit, quatenus verò recipit legatũ, habet rationẽ legatarii, qui ſine dubio diſtinguitur à

legan-

legante. Ità 18. Doctores apud *Barb. alleg.* 83. *num.* 22.

Quæres 18. An inter pauperes, quibus est distribuendum legatum, connumerari possit religiosus particularis?

31 R. Affirmativè, quia tunc distributio sine dubio locum habet, & ipse venit sub nomine pauperum, & licèt sit de necessariis alimentis provisus à monasterio, hoc tamen non tollit, quin possit eligi in legatarium ad alium effectum e. g. ad emendos libros, quando in Conventu non est libraria, vel pro laurea doctoratus in sacra Theologia, juxtà usũ sui Conventus.

Quæres 19. In dubio legati an sit profanum, an pium, quid resolvendum?

32 R. Quando ex verbis testatoris non magis unum, quàm alterum colligi possit, legatum habendum est pro pio, quia summa est ratio, quæ pro Religione stat. Ità *ex l. Id, quod* 24. *C. de Episcopis, & cler. Bald. in l.* 1. *C. de sacros. Eccl. Mantica de Conject. ult vol. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 22. *ex eis Barb. lib.* 3. *de jure Eccles. cap.* 27. *num.* 9.

Quæres 20. An in legatis piis favendum sit magis legatario, quàm filiis hæredibus?

33 R. Affirmativè, excepta eorum legitima, quia is favor respicit animam defuncti, quàm magis sibi charam habet, quàm omnes filii ab eodem diligantur. Ità *Rota par.* 8. *dec.* 166. *num.* 19. *ex Autb. Si qua mulier, junct. principio, & fine C. de sacros. Eccl. ubi Jason, & Baldus.*

Quæres 21. An pia causa in generali prohibitione continentur?

34 R. Negativè, *glos. in cap.* 2. *de reb. Eccl. non alien. Tiraquel. de pia causa in præfat. circa finem, Caballus resol. crimin. casu* 232. *num.* 34. *Rota par.* 7. *dec.* 245. *num.* 30. Quare confessio mulieris facta ad piam causam nõ requirit solemnitates statutarias, *Franchus decis.* 237. *num.* 3. *&* 4. *Corneus lib.* 3. *cons.* 322 *num.* 6. *Gratian. cap.* 831. *num.* 1. *& cap.* 878. *num.* 21 *&* 22. *cum aliis eadem Rota num.* 25. *ubi num.* 26. Quòd mulier non juvatur Vellejano solvere debita viri præmortui pro exoneranda ejus conscientia. Idem *Franch. num.* 2. *Caballus cons. civil.* 2. *vol.* 1. *Thores in compend decis, Neapolit. par.* 1. *vers. mulier. vidua fol.* 244. *Hodierna in repet. l. hac æditali q.* 37. *num.* 35. *& seq.*

Quæres 22. An in legatis piis præsumi possit fraus?

35 R. Negativè, quia causa finalis, quæ est pietas, & salus animæ legantis, nullam præsefert speciem fraudis, cùm tota sit bona, *ex l. hac æditali C. de secund. nupt. Joan. Baptista Hodierna in ea l. q.* 37. *initio ex Rota par.* 7. *dec.* 245. *num.* 27. *&* 28. in legatis ergo piis cessat omnis fraus. Scriptis ab ipso testatore, iterùm infrà *cap.* 5. *q.* 16.

Quæres 23. An legatum pro fabricando sepulchrum intrà Ecclesiam, vel in cęmeterio, sit pium?

36 R. Utique, tùm quia vocatur locus Ecclesiasticus, in quo fideles tumulantur, & nuncupatur locus sacer, religiosus, sanctus, & purus, ex adductis à Lavor. *tit.* 2. *de Prisco, & recenti funer. more cap.* 7. *num.* 2. Ità *Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 115. *num.* 25. *Riccius par.* 4. *resol.* 351. *num.* 2. *Barb. lib.* 3. *de jure cap.* 27. *num.* 20. ubi quòd pium est legatum pro exequiis mortuorum.

Quæres 24. An legatum relictum seminario sit pium?

37 R. Affirmativè, quia est locus pius auctoritate Episcopi erectus, in quo exercentur opera pietatis, *Trident. sess.* 23. *cap.* 18. illis verbis: *In Collegio ad hoc propè ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur.* Et infrà clariùs. *Eosque ad omnia supradicta cogere debeat, & ut quamprimùm hoc Sanctum, & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, studiosè curabit.* Vide ibi Barbosam multa congerentem.

38 Seminarium ergo Clericorum, locus non solùm pius, sed etiam Ecclesiasticus, est auctoritate Episcopi erectum, undè meritò legata eidem facta pia sunt, & magnum à Deo meritum sperare possunt, qui talibus locis beneficia præstant, sunt enim impensa in honorem Dei, & in augumentum cultus divini. *Riccius par.* 3. *resol.* 411.

Quæres 25. An legatum relictum pro studio sit pium?

39 R. Affirmativè, quia ordinatur ad eruditionem animæ, & est primum opus misericordiæ spiritualis. Ità *Bart. & Doct. in l.* 1. *fine ff. solut. matr. Tiraq. in Præfat. col.* 12. *Vers. Item relictum causa studii. Moneta de commutat. q.* 4. *num* 41. *ex illis Ciarlin. cap.* 5. *num.* 10. *Gratian. cap.* 62. *initio.* Procedit in quovis genere studii, & non solùm Theologiæ, ut volverunt restringere Alexander, & Baldus allegati à præfato Gratiano *num.* 4. quia pietas hujus legati specificatur à fine erudiendi animam respectu omnis doctrinæ etiam profanæ, cùm opus misericordiæ sit simpliciter docere quoscumque ignorantes. Procedit hoc sivè legatarius sit dives, sivè pauper, quia saltem est pauper respectu doctrinæ, quam acquirere potest ex illo legato, commodum afferente volenti studere.

Quæres 26. An legatum relictum pro Doctoratu in quavis facultate sit pium?

40 R. Affirmativè, quia rationem pietatis habet, quòd animam illustrat, & demonstrat doctam, & scientificam. Confirmatur, quia studium est prævia causa ad lauream; sed studium facit legatum pium, ergo & Doctoratus ejus effectus; est enim studium, & doctrina causa

cauſa uhivocà ſtudioſi, & doctoratus.

Nota autem, quòd legatum factum Doctori, non debetur ei, qui ſolo Principis verbo Doctor creatur, nullo præcedente examine. *Jaſon in l. ſi quis major C. de tranſact. num.* 30. *Gratian. cap.* 186. *num.* 78. Doctori ergo examinato debetur legatum, licèt actu non doceat, ſufficit enim, quòd habeat lauream, *Bart. in l.* 1. *C. de colleg. lib.* 11. *Gloſ. in cap. Statutum de elect. in* 6. *Gratian. cap.* 291. *num.* 58. *&* 59. Doctor enim dicitur non à docendo, & honere, ſed à laurea, & honore, adeò quòd ſufficit, ut aptus, & idoneus ſit ad docendum, ut ſupponitur, ſi fuit examinatus, & doctè reſponderit. An autem ſit pium legatum pro doctorando relictum? ſupradicti nihil dicunt; videtur tamen tale ex allatis initio rationibus.

Quæres 27. An legatum factum pro clerico, ut poſſit recipere Subdiaconatum, ſit pium?

41 R. Affirmativè. Tùm quia ordinatur ad rem ſacram, & cultum divinum, dum is clericus Deo in ordine ſervire debet. Tùm quia patrimonium ordinatur ad alendum clericum pauperem, dum caret propriis bonis ad ſe alendum more aliorum clericorum, *Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. Ità *Ciarlin cap.* 28. *num.* 3.

Quæres 28. An legatum factum pro Lectore, ut gratis doceat, ſit pium?

42 R. Affirmativè, quia habet pro fine pietatem, & opus miſericordiæ, quod eſt docere ignorantes, quod non ſolùm verum eſt, ſi detur pro ſalario Lectoris Theologiæ, ut docent *Bald. in l. illud C. de ſacroſ. Eccleſ. num.* 1. *Tiraq. in Præfat. Ciriac. lib.* 1. *contr.* 94. *num.* 45. *ex illis Merlin. dec.* 805. *num.* 2. ſed etiam pro qualibet alia lectione, ſeù Grammaticæ, ſivè Legis tùm civilis, tùm canonicæ, quia docere eſt opus pietatis, & miſericordiæ, ad quod teſtator reſpicit, tamquàm cauſam finalem moventem illum ad legandum, ut ignorantes doceantur; cauſa enim reſpiciens pietatem eſt finalis, ut docent omnes, *cum Bart. Imola, Romano in l.* 2. *§. fin. de donat. cum aliis Ludoviſ. dec.* 544. *num.* 6. *Gratian. cap.* 62. *initio.*

Quæres 29. An legatum volenti ſtudere relictum ſit pium?

43 R. Affirmativè, quia ſpecificatur à pietate, ut dictum fuit in præcedenti quæſtione; Lector enim, & Studens, cùm ſint relativi ad invicem, non debent judicari ad imparia. Ità *Bart. & aliis in l.* 1. *fine ff. ſolut. matrim. Tiraq. in Præfat. col.* 12. *Horat. Luc. de privileg. Simoncell. de Decretis tit.* 8. *inſpect.* 15. *Moneta de commut. cap.* 4. *q.* 4. *num.* 45. *ex illis Ciarlin. cap.* 5. *num.* 10. Puto procedere, licèt Studens ſit dives, quia legatum ſpecificatur ab opere pio miſericordiæ ſpiritualis, quod idem dico de Lectore, ob eadem rationem; & à fortiori erit pium, ſi ambo ſunt paupe-

res; paupertas enim eſt finis generalis ſpectatus in conditione perſonæ non ulteriùs tendens, ut facit teſtator potiſſimùm motus ex pietate doctrinæ.

Quæres 30. An legatum pro alimentis relictum dicatur pium?

44 R. Affirmativè, quia alimenta arguunt paupertatem, & ſub eo nomine legata ſolent fieri pauperibus, qui ſine alimentis vivere nequeunt. Ità *de Communi Ciarlin. cap.* 28. *num.* 16.

Quæres 31. An legatum librorum dicatur pium?

45 R. Negativè, niſi relinquantur pauperi, vel Eccleſiæ, aut Monaſterio, quia in ſe ſpectati venales ſunt, ac proindè non pii, ſed pretioſi, reſpectu verò doctrinæ, quam continent, pii non dicuntur, quia non exercent opus pietatis, cùm non doceant, nec doceantur. Reſpectu verò legatarii ſunt legatum pium ex titulo paupertatis.

46 *Rota par.* 9. *deciſ.* 260. *num.* 2. ait, legatum librorum non continere armaria, ſeù ſcrinia, ſuper quibus cuſtodiuntur libri, *ex librorum appellatione* 52. *§. Libris autem, ff. de legat.* 3. Niſi ex coniecturis aliter colligatur, ubi ad id variè referuntur.

47 Caramuel vir eruditiſſimus in ſua Theologia fundamentali Romæ excuſa ſub *num.* 928. *fol.* 324. refert legatum librorum factum diverſis religionibus ſub his verbis: *Carmelitani excalceati primùm ducenta librorum corpora eligerent, poſt eos ſolidem Jeſuitæ, &c.* Dubitatum fuit, quid *corpus librorum* ſignificet? An e.g. omnes libri juris civilis ſint unum corpus? An opera Svarez ſint unum corpus? An verò quilibet liber eorum per ſe compactus, ſivè ſit ejuſdem Auctoris, ſeù plurium, dicatur corpus? Hoc poſteriùs voluiſſe teſtatorem, dixit Caramuel, aliter vix pauci manerent libri pro Jeſuitis, nulli pro aliis, ergo teſtator nomine *corporis librorum* intellexit unumquemque librum ab aliis ſejunctum, & ſeparatum, ſecundùm quod unus à b alio diviſus confuitur, ligatur, eſto opera duorum plurium Auctorum, ſimul eodem corpore ligarentur, adhuc unum corpus, unus liber eſſet, licèt plures auctòres.

Quæres 32. An legatum factum pro ſatisfaciendis creditoribus ſit pium?

48 R. Affirmativè, quia teſtator hac ratione intendit opus pietatis, & miſericordiæ, & exonerare conſcientiam ſuã, aut alienam, & ſic redundat in ſalutem animæ. Ità *Tiraq. de cauſa pia in præfat. propè finem, ex eo Barb. ad cap. penul. de teſtam. num.* 5. *Gratian. cap.* 329. *num.* 13. *&* 16.

Quæres 33. An legatum pro dote relictum ſit pium?

49 R. Utique, ſi fuit relictũ pauperi fœminæ; in eo enim relucet pietas ſublevativa miſe-

miseriæ proximi. Ità *Rain. lib. 3. conf. 71. num. 15. Mantica de coniect. ult. vol. lib. 6. tit. 11. num. 18. fine, Surd. de alim. tit. 2. q. 12. num. 9. & 10 ex illis Gratian. cap. 565. num. 8.*

Quæres 34. An virgo putata, sed corrupta possit sibi retinere legatum, quod solis virginibus datur?

50 R. Potest illud sibi retinere, nisi aliud expresserit testator, quia attenditur finis principalis, qui est pietas propter Deum, & non causa impulsiva sublevandi miseriam illius, cui datur. Ità *Gironda de privileg. & exēpt. num. 1439 Perez. de Lara lib. 1. de Anniversſ. cap. 21. num. 90. quos citat Barb. ad cap Filius 5. de testam.*

Quæres 35. An pauper fictus possit recipere eleemosinam, & legatum sibi factum?

51 R. Affirmativè, quia ex duabus causis finali, & impulsiva concurrentibus attenditur existentia finalis, non impulsivę, explico; finis legantis est pietas, quæ movet illum ad dandum pauperi propter amorem Dei, undè hæc causa finalis se tenet ex parte operantis testatoris, seù aliter dantis eleemosinam; causa verò impulsiva est, quæ dicitur se tenere ex parte operis eleemosinæ, seù legati, scilicèt, sublevatio miseriæ pauperis; Quòd si is effectus sublevationis miseriæ desit, quia paupertas est ficta in legatario, non ideò deest voluntas in dante eleemosinam, seù in testatore, quia non movetur principaliter à sublevatione miseriæ, sed ab amore Dei, exercendo pietatem erga legatarium, cum ergo attendatur magis causa
52 finalis, & principalis, quàm impulsiva, & minus principalis, ut notat *Megal. cons. 23. num. 12 ex Scoto in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. & ex Merlino decis. 126 num 68. Pasqual. q. 392. num. 5.* sequitur testatoris, seù dantis eleemosinam voluntatem fuisse, ut pauperi licèt ficto eleemosina, seù legatum acquiratur, quia id opus fecit ex pietate, & amore Dei. Et ita docent *Scotus lib. 9 de just. q. 7 art. 3. ad 4. Azor. par. 3. lib 4. cap. 21. q. 8. cum aliis Pasqual. q. 392. num. 3.* probans, quia facta per errorem favore animæ non retractantur, ubi enim intervenit pietas, agens sibi acquirit, in quo casu non requiritur expressus consensus, *l. is cui bonis 6. de verbor. obligat.*

Et ex his patet responsio ad argumentum antiquorum Doctorum, asserentium teneri fictum pauperem restituere, ea ratione, quia dans eleemosinā putat se erogare pauperi, ac proindè cùm erret uti ignorans non cōsentit ex vulgatis juribus. Responsio, inquam, est, non errare, quia suam bonam actionem animæ suæ utilē dirigit in amorem Dei principaliter, secūdariò in sublevationem miseriæ proximi; sufficit autem, ne dicatur errare, quòd intendat finem principalem.

Quæres 36. An in dubio legati pii de magis, & minùs dando, quid dandum sit?

53 R. Dandum, quod majus est, *ex l. Titia 40. §. Sejaff. de auro, & argento legato.* Dixi *cap. 1. q. 29. num. 111. Surd. de alim. tit. 8. privileg. 25. num 6. Tiraq. de pia causa 23. Socin lib. 2. cons. 147. n. 6. ex illis Gratian. cap. 565. num. 9.* Quoniam autem in Ecclesiis tria genera calicum regulariter inveniūtur aurei, argentei, & inargentati, medius dandus est in dubio. Vide, quæ dixi loco citato.

Quæres 37. An pro legatis piis debeatur quarta?

54 R. Negativè. Primò si legatum fiat pauperibus, quia de personis non detrahitur quarta, *cap. ex par. l. 3. de verb. sign. glos. V. Decrevit cap. 2. de sepult. Miranda tom 2. q. 48 art. 5 concl. 3. cum aliis Barb. alleg. 86. num. 21. & 22.* Secundò si fiat Ecclesiæ pro reparatione, pro cultu, pro ejus indigentiis, *cap fin dē testam. Miranda art. 3. concl. 1. Barb num. 23. & 24.* Tertiò pro maritandis puellis singulis annis, *Seraph. dec. 726. num. 6. Barb num. 27.* Quartò, nec pro relictis Monasteriis, & Religiosis, sunt enim in numero Religiosorum, & prætereà sunt exempti ab Ordinario, & Curatis. An debeatur quarta de relictis Confraternitatibus. *Latè Barb. allegat. 75 à num. 43.* sed hìc Parmæ de nullis legatis datur quarta, quia pietas in nullo est lædenda.

Quæres 38. An Falcidia locum habeat, in legatis piis?

55 R. Negativè, ut latiùs probavi *cap. 1. num 75. & seq.* nisi in casu, quo vires hæreditatis non sufficiūt tam *pro piis*, quàm profanis; tunc enim etiam *pia* patiuntur pro rata diminutionem, *ex allegatis à Riccio par. 1. decis. 221 num. 5.*

Quæres 39 An, hæreditate non adita possit legatarius suum petere legatum pium?

56 R. Affirmativè, quia legatarius statim, ac testator est mortuus, acquirit dominium legati, si sit purum, ex probatis *cap. 1. q. 13.* ergo illud petere potest, implorato Judicis auxilio; nàm bona testatoris ad quemcumque vadant, & quovis titulo, remanent hypothecata, & si hæres vult adire hæreditatem non ex testamento, sed ex vi intestati, adhuc tenetur ad legata sivè pia, sivè profana *ex l. 1. §. 1. & l. 2 ff si*
57 *quis omiss a causa testam. l. eam, quam 1. C. de fideicom.* quia præsumitur id feciſſe in fraudem, ne legata solveret legatariis, quibus jam quæsitum erat jus ad legata per mortem testatoris. Cùm ergo legatum est pium, peti potest ante aditam hæreditatem. Ità *Bartol. in l. 1. C. de Sacros. Eccles. col. pen vers. quartò quæro, Socin. lib. 1. cons. 116. col. 9. Capella Tolosana dec. 89. Tiraq. causa 33 Gratian. cap. 62. num. 23.* Favor enim piæ causæ prævalet favori
58 venientium ab intestato *Rota par. 8. dec. 166. num. 3. & 4.*

Quæ-

Quæres 40. Quandò eſt inſtituta cauſa pia, ſi teſtamentum reperitur cancellatum apud teſtatorem; an præſumatur ab eo cancellatum?

59 R. Negativè, nec ab eo, nec ab alio de ejus voluntate, quia nemo præſumitur ſibi velle male facere. Ità Mantica *lib.* 12. *tit.* 1. *n.* 32. *Rota par.* 4. *tom.* 2. *dec.* 22. *num.* 4. niſi aliter ex conjecturis colligatur.

Quæres 41. An lex civilis, aut ſtatutum poſſit diſponere in prejudicium cauſarum piarum?

60 R. Negativè, quia dicuntur ſpirituales, *de Lugo diſp.* 22. *de juſt. nu.* 265. de quibus præter hìc dicta, *Diana reſol.* 29. & 30. *de teſtam.* Quare leges de quinque, aut ſeptem teſtium numero non præſumuntur comprehendere cauſas pias, dum de illis diſponere non poſſunt, ut docent *Alex lib.* 7 *conſ.* 105 *n* 9 *fine*. *Cæphal. lib.* 1. *conſ* 99 *n.* 2. & 3 *Menoch. vol.* 3. *conſ.* 224 *nu.* 66 *Rota par* 4. *dec.* 321. *num.* 2. Multò minùs id facere poſſunt ſtatuta, *Tuſchus V.* 5. *concl.* 116. *nu.* 17. *Barb. lib.* 3. *de jure cap* 17. *nu.* 103. *cum aliis Diana reſol.* 28. *de teſtam.*

Quæres 42. An teſtamentum præſumatur habere clauſulam derogatoriam ſubſequentium teſtamentorum?

61 R. Negativè, niſi ea exprimatur, quia hæc uti extrinſeca non præſumitur, niſi exprimatur. Diana refert Doctores *qu.* 27 *de teſtam.*

Quæres 43. An legatum relictum monaſterio, quandò vel ſi receperint talem perſonam ad habitum, & profeſſionem ſuæ Religionis, ſit pium, an ſimoniacum?

62 R. Pium omninò eſt, nullatenùs ſimoniacum. Ratio eſt, quia per legatum recipiendum Conventus non vendit receptionem, & profeſſionem ingreſſi, ſed teſtator ſolùm præſtat opus pium, alliciendo ingreſſum ad ſtatum religioſum, & monaſterium ad exequendam piam voluntatem ejus, qui optat amplecti ſtatum religioſum. Confirmatur id, quia legatum non traditur ut pretium ingreſſus, cum inter teſtatorem, & monaſterium nulla præceſſerit conventio, nec pactum, undè monaſterium recipiens illud legatum, accipit titulo eleemoſinæ; nec obſtat, quòd indè ſequatur obligatio recipiendi juvenem ad Religionem, quaſi ex ea ſequatur vitium ſimoniæ, quia ea obligatio oritur ex ea eleemoſina cauſa pia, non ex re pretio æſtimabili. Ità *Gratian. cap* 254 *n* 29. *Navar. in cap. inter verba concl* 5. *Illat.* 1. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 35. *n* 66. *Bonac. q.* 4. *de ſim. §.* 7. *nu.* 2. *cum aliis Barb. ad*
63 *cap. Dilectus* 30. *de ſimon n.* 7. ubi confirmatur præſens concluſio, dum citati Doctores dicunt, abſque vitio ſimoniæ quem alteri dare poſſe aliquid, ut vitet peccatum, vel ut opus ſpirituale faciat; eſt autem opus ſpirituale ingredi religionem, & recipere volentem ingredi.

Quæres 44. An legatum relictum concubinæ, ſeù meretrici cum conditione, ut ad meliorem vitæ frugem ſe convertat, & deinceps caſtè vivat, ſit pium?

64 R. Eſſe pium, quia ordinatur ad ſalutem animæ legatariæ. Ità *Bald in l. hæreditas §. ſi defunctum C. de nupt. Bertachin. de Epiſc. part.* 4. *lib.* 4. *q.* 31. *nu* 82. *Anton. de Butr. conſ.* 14 *fine*, *Menoch. lib* 4. *præſumpt.* 115. *nu.* 26. *cum aliis Sperellus dec.* 159. *num.* 15. Dixi *cap.* 3. *nu.* 13.

Quæres 45. An legatum libertatis ſit pium?

65 R. Affirmativè, ut docet *glos. V.* Multis, ex §. Multis, inſtit. de libertinis, ubi dicitur, quod manumiſſio fit etiam in Sacroſanctis Eccleſiis, ex quibus dicta *gloſ.* benè infert, quòd tale legatum eſt pium, quia aliter ibidem non fieret, niſi eſſet pium, quia profana non fiunt in Eccleſiis.

Quæres 46. An hæres poſſit tranſigere cum legatariis.

66 R. Negativè. Probatur, quia tranſactio eſt ſuper re dubia, & incerta, ut docent omnes *in tit. de tranſact.* ſemper enim ſupponit rem dubiam, *Seraph. dec.* 138. *nu.* 3. *Rota par.* 2. *dec.* 104. *nu.* 2. & *par.* 5. *dec.* 181. *num* 78. Adeò quòd tranſactio ſuper re clara, non valet, *Rota par.* 5 *dec.* 337. *nu.* 12. & *par* 8. *dec.* 85 *n* 4. legatum autem, de quo hìc non poteſt dubitationem habere in ſua ſolutione, niſi voluntariam, cùm notum ſit, hæredem habuiſſe opulentam hæreditatem, quam totam obligavit, quoad fructus per quinque annos; undè ſi moveatur lis ab hærede, erit voluntaria, ne dicam calumnioſa; ſola enim præſumptio, aut occaſio præſumpta dubitandi non ſufficit ad tranſigendum, ut tradunt Doctores *in l.* 1. & *l. ſub prætextu C de tranſact. cum aliis Rota dec.* 34. *num.* 1.

67 Præterea in tranſactione ſemper diminutum manet legatum in præjudicium teſtatoris; natura enim tranſactionis ea eſt, ut aliquid ſemper remittatur, *Jaſon in tit. hoc Cod. in Rubr nu* 3 *Rolandus lib* 4. *conſ.* 78. *n.* 3. *Ludoviſ. dec.* 311. *nu.* 14 *Merlin. dec.* 309. *n.* 15. *Rota p* 10 *dec.* 144. *n* 14. Hoc autem arguit diminutionem, & reductionem miſſarum, quam ſola Congregatio de mandato Pontificis facit ex Decretis de celebr. miſſar. ergò tranſactio hìc locum habere non poteſt.

68 Urget præjudicium, quod ſit teſtatori, qui ſi interrogatus fuiſſet, dum viveret, de hujuſmodi diminutione miſſarum, reſpondiſſet nullam volviſſe diminutionem, & hoc eſt omninò certum, ut evidentèr colligitur ex verbis ab eo expreſſis in hoc ejus legato, quæ ſunt hæc. *Omnes, & quicumq; redditus, & proventus omnium, & quorumcumque ejus bonorum ubique exiſtentium ſpatio annorum quinque continuorum, incipiendorum à die obitus in ce-*

*lebrari faciendo tot missas à mortuis &c.* Cùm ergò obliget omnia ejus bona, quæ reverà extant, non est cur hæres quærat transactionem contrà ultimam testatoris voluntatem certam, & expressam super omnibus suis bonis; mens enim testatoris omnibus modis servanda est, *cap. ultima* 4. 13. *q.* 2. Ergò hìc locum habere non potest transactio.

69 Et quòd non possit hęres transigere, colligitur ex mente ipsius testatoris, qui expresè non vult, quòd hæres, & substituti possint se intromittere in executione hujus legati, dando Agentibus Confraternitatis Suffragii hìc Parmæ in Ecclesia S. Vitalis erectæ, ut propriis manibus possint illius redditus percipere sinè interventu hæredum; non poterunt ergò transigere, ex quo nullum jus, nullam actionem habent circà ipsum legatum. Verba autem testatoris sunt hęc: *Percipi debeant*, scilicèt, redditus *per Agentes Vener. Confraternitatis Suffragii absque interventu aliquo dicti ejus hæredis, & infrascriptorum substituendorum, imò ipsis, & quolibet eorum invitis, & absque eo ipsi redditus, & proventus percipi debeant de manu hæredis ejus, & hæredum, sed propria dictorum D. D. Agentium auctoritate, & absque interventu, tàm dictorum D. D. hæredis, seù hæredum, quàm aliorum quorumcumque percipi &c. dando, & tribuendo dictus D. Testator Confraternitati, & ejus Agentibus omnem facultatem ad id requisitam, itaut repræsentent toto tempore prædicto personam propriam dicti D. Testatoris, & hoc ad finem, & effectum, ut ipsi redditus in sinistrum non vadant.* Cùm ergò tota dispositio hujus legati sit in manu Confraternitatis, exclusis hæredibus, sinè dubio transactio hìc locum habere nõ potest, cum transactio uti contractus, *Barb. ad cap. 3. de transact. n. 4.* sit semper inter duos contrahentes, quorum alter hìc deest, excluſus à Testatore, qui proindè rejicit etiam transactionem.

70 Ed id confirmatur, tùm ex illis verbis: *Est enim hæc enixa mens dicti Testatoris.* Contemplandum enim est illud verbum *enixa* quod importat voluntatem firmã, & constantem, ac immutabilem tàm ex parte ipsius Testatoris, quàm ex parte legatariorum, qui ad unguem debent exequi ejus voluntatem omnibus modis, sinè aliqua ejus mutatione, aut diminutione; ad quod facit illud Cicer. *meam causam omnes boni enixè susceperant*, ideſt, maximo conatu, ut interprætatur illud *enixè* Nizolius; non potest autem mens Testatoris talis remanere, si transactio hìc misceatur. Tùm ex aliis *ne in sinistrũ vadant*, quod accideret, si fieret transactio, dum hæres prætendit dare vix mediam partẽ, per quam minuitur obligatio citrà medietatem missarum. Et ità respondi Confratribus Confraternitatis Suffragii Parmæ.

## CAPUT QUINTUM.

*De Legatis ex testamento imperfecto.*

### SUMMARIUM.

1 *Voluntas testandi non est testamentum in effeæu.*
2 *Testamentum perfectum est illud, cui nihil deest, ex illis, à quibus recipit suum valorem.*
3 *Perfectum, id est, cui nihil deest, constans omnibus suis partibus.*
4 *Testamentum non potest esse simul perfectum, & imperfectum.*
5 *Imperfectum testamentum utroque jure non valet nec quoad se, nec quoad legata.*
6 *Legata à testamento suam recipiunt existentiam, & valorem.*
7 *Clausula codicillaris sanat testamenta imperfecta.*
8 *Legata debentur exhæredatione, vel prætermissione malafiliorum.*
9 *Non verò respectu posthumorum.*
10 *Incapacis testamentum nullum, & legata in eo.*
11 *Fiscus non tenetur solvere legata, quia ex delicto rumpitur testamentum.*
12 *Non potest quis decedere testatus, & intestatus.*
13 *Adiens hæreditatem titulo intestati, adhuc tenetur ad legata.*
14 *Repudiata hæreditate, adhuc solvenda sunt legata.*
15 *Hæreditas jacens dicitur antè illius aditionem, vacans verò cum non invenitur hæres.*
16 *In utroque casu debentur legata, sivè vacet, sivè jacens sit.*
17 *Revocato testamento, pereunt legata.*
18 *Principali destructo, tollitur accessorium.*
19 *Instituti cum onere fideicommissi legata valent ex suis bonis.*
20 *Notarius utraq; auctoritate validè rogat, non obstante statuto.*
21 *Privandus nemo jure suo, nisi subsit causa.*
22 *Monopolium est conventio inter aliquos, ne alii exerceant tale munus, aut officium.*
22 *Dubium est, an licitè concedi possit à Principe.*
24 *Monopolium est, quòd solùm Notarii matriculati rogent.*
25 *Notarii Petri, aut Cæsaris ubique terrarum scribunt.*
26 *Eorum officium non est jurisdictionis, sed servitutis* 32.

27 Ubi-

27 *Ubique terrarum scribunt testamenta.*
28 *Inferior non potest destruere, quod facit superior.*
29 *Statutum est lex territorii non ligans extraneos.*
30 *Notarii non possunt prohiberi à suo officio.*
31 *Statuta contrà Notarios non matriculatos, loquuntur de creatis ab inferioribus Principibus.*
32 *Officium Notariatus nullius perturbat jurisdictionem, cùm non sit potestatis, sed servitutis* 26.
33 *Statutum Parmæ contrà non matriculatos.*
34 *Statuta non ligant, nec inhabilitant non subditos.*
35 *Confirmatio in forma, in qua non inseritur confirmatum.*
36 *Confirmatio in forma specifica in qua inseritur confirmatum.*
37 *Non matriculati in Urbe non scribunt ex Julio II. sed non servatur.*
38 *Statutum hoc nullo modo afficit testamenta pia.*
39 *Solemnitas à laicis inducta contrà causas pias non valet.*
40 *Statutum laicale non potest tollere jus canonicum.*
41 *Immunitatem Ecclesiæ violat tollens jus canonicum.*
42 *Statutum sivè in rem, sivè in personam loquens non variat ex parte subditorum.*
43 *Leges imponuntur rebus propter personas.*
44 *Statutum loquens in personam nullo modo afficit forenses.*
45 Diœcesis Parmæ, *ideſt, Ducatus Parmæ.*
46 *Error communis facit valere actum Officialis ficti, nisi desit impedimentum naturæ, aut juris divini.*
47 *Notarius probatur, qui per decennium exercuit hoc officium.*
48 *Notarii putativi acta valent.*
49 *Testes septem jus civile requirit in testamentis, aliter nulla sunt defectu unius tantùm testis.*
50 *Rusticorum testamenta quinque tantùm perficiuntur.*
51 *Testamentum scribitur, aliter non valet.*
52 *Parochus scribit testamentum sui Parochiani cum duobus testibus.*
53 *Cap.* cum esses *extenditur.*
54 *In quo agitur de testamentis profanis, & piis.*
55 *Caput.* relatum de testam. *extenditur.*
56 *Pater scribit suum testamentum filiis sinè testibus cum legatis etiam profanis.*
57 *Miles sinè testibus scribit suum testamentum.*
58 *Canonicum jus corrigit civile quoad septennarium numerum, vel quinquennarium testium in testamentis.*
59 *Correctio legum uti odiosa non extenditur.*
60 *Cap.* cum esses *locum habet in terris Ecclesiæ.*
61 In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.
62 Alienum, *ideſt, diversum, non adversum, nec contrarium.*
63 *Testes de summa majori, & minori, sunt diversi, non contrarii.*
64 *Qui facit plus, non facit contrarium.*
65 Alienum, *ideſt, remotum.*
66 In ore duorum, aut trium testium stat omne verbum *non includit taxativam.*
67 *Romæ adest statutum de septennario numero testium* 72. 73.
68 *Sacra Scriptura taxat numerum testium, ubi est necessarium.*
69 In ore duorum, aut trium testium, *ideſt, non paucorum.*
70 *Deus ergò non negat multiplicationem testium, sed tantùm reductionem ad unum, in præjudicium tertii.*
71 *Undè in condemnatione Cardinalium quamplures requiruntur.*
72 *Statum Urbis includit testamentum cum septem testibus* 67.
73 *Ex variis decisionibus Rotæ* 67.
74 *Ubique terrarum valet testamentum ad pias causas cum duobus testibus.*
75 *Testes in testamento etiam jure canonico,*
76 *debent esse idonei, præsentes, rogati, & masculi.*
77 *Ad recognoscendum manum testatoris scribentis suum testamentum, debent esse legitimi.*
78 *Legitimum id dicitur, quod est secundùm leges.*
79 *Testes præfati in omni testamento, sivè profano, sivè pio, requiruntur.*
80 *Fœmina non est testis idonea in testamentis etiam piis.*
81 *Testamentum nuncupativum, quod scribitur à Notario. In scriptis verò, quod scribitur à testatore, subscriptum à testibus.*
82 *De utroque testamento agitur in cap.* cum esses.
83 In ore duorum *verificatur etiam in teste tantùm scribente.*
84 Præsbiter *est proprius Parochus ordinarius, vel delegatus etiam nondùm Sacerdos scribens testamentum.*
85 *Cap.* cum esses *refertur tantùm ad infirmum testantem.*
86 *Legata profana debentur in testamentis factis ad formam utriusq; cap.* Cum esses. Relatum.
87 *Legatum non habet rationem contractus.*
88 *Juramentum in contractibus non habet*

*rationem accessorii, sed est causa æquivoca, obligans jurantem ad executionem contractus.*

89 *Defectus loci, & temporis non vitiant testamentum canonicè factum.*

90 *Testamentum primum civilitèr factum revocatur per aliud canonicè scriptum.*

91 *Testes duo, aut tres quoad valorem testa-*
92 *menti canonicè scripti, sunt necessarii respectu quorumcumque legatorum.*

93 *Scribens proprium testamentum non eget testibus ad valorem, sed tantùm ad probationem.*

94 *Testamentum ore factum valet cum legatis præsente hærede.*

95 *Cap* cum esses *habet locum in codicillis.*

96 *Legata pia in testamentis nutu, ad interrogationem, ad arbitrium alienum factis valent.*

97 *Testamentum Parochi examinandum est, & recognoscendum, cùm sit scriptura privata.*

98 *Examen hoc est mixti fori, faciendum ad formam cap.* Relatum *etiam si agatur contrà laicum, potest Judex Ecclesiasticus recognoscere.*

99 *Parochus validè scribit legatum, non sibi, sed suæ Ecclesiæ.*

AGgredior quæstionem perdifficilem, confusam, & turbidam, de legatis in testamentis imperfectis, seù minus solemnibus, aut ex scripturis privatis; procurabo nihilominùs omnia dilucidare, prout acies mentis mihi suggeret documenta in sequentibus quæstionibus.

Quæres igitùr primò, an legata scripta in testamento imperfecto defectu voluntatis, invalida sint, nullo existente testamento.

1 Præmitto primò, non esse difficultatem circà voluntatem volendi testamentum facere, quia cùm hæc non sit ipsa dispositio in actu, nec testamentum in effectu, sed tantùm voluntas, & propositum in actu primo, nullam inducit obligationem in actu, cùm nondùm sit; quod enim non est, obligare non potest, ad quod requiritur actus secundus, & in re nostra testamentum ipsum in actu, ut inde oriatur obligatio ad legata quæcumque, sivè profana, sivè pia etiam missarum. Intentio ergò faciendi aliquid non est ipsum factum; verbum enim *volo* junctum infinito non importat dispositionem non solùm inter vivos, ut insinuat *Seraph. decis.* 1079. *num.* 3. sed nec in testamentis, cum animi propositum, non effectum importet. Et in hoc nulla est difficultas, in terminis *Pasqual. de Sacrificio Missæ quæst.* 987. *& in quæst. moralib.* 151. & 152.

2 Præmitto secundò, voluntatem testatoris tunc esse perfectam, & testamentum ab eo factum esse perfectum, & valere, quandò ipsum sortitum est integrè suum effectum, quod contingit, quandò testator, & hæres ab eo instituti, ambo sunt inhabiles, & in eo sunt scripti testes idonei, & est lectum, & publicatum; his enim positis, sicut testamentum dicitur perfectum, ac proindè valere, quia nihil ei deest, *arg. l. librorum* 50. *§ sed nec cæpti libri scribi. ff. de legat.* 3. perfectum enim illud dicitur, quod ex omnibus suis partibus constat, *l.* 1. *C. de origine juris*. Undè nihil ei addi potest pertinens ad ejus essentiam, *l. Nihil* 2 *ff. de vind. libert.* Ità & voluntas ipsius, qui testatus est, dicitur jam perfecta; quoniam autem essentiæ rerum consistunt in indivisibili, & sunt sicut numeri, à quibus si demas unam unitatem, destruuntur, ex *Arist.* 8. *Metaph. cap.* 4. *tex.* 10. & in proposito nostro si testamento desit unum ex prædictis, vel habilitas, vel institutio hæredis, vel testis, aut publicatio testamenti, jam desinit esse, seù verius testamentum non est, nec subsistit defectu suæ essentiæ, ex quo patet, voluntatem testatoris esse quoque imperfectam, posito quolibet ex dictis defectibus, juxtà illud vulgatum, bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus.

3 Hinc inferre oportet, non subsistere, quod docet *Pasqual de Sacrif. Missæ q.* 988. *num.* 3. dicens, quòd potest voluntas esse perfecta in ordine ad unam partem testamenti, & imperfecta quoad alias, ut si sit perfecta quoad institutionem hæredis, & imperfecta quoad legata omnia, vel aliqua. Rursus potest esse imperfecta absolutè quoad omnia. Hæc ergò non subsistunt; quandocumque enim testamentū est imperfectum, & nullum, ac proindè talis quoque est voluntas testatoris: in tantùm enim voluntas testatoris perficitur, in quantùm testamentum absolvitur omnibus suis requisitis; voluntas enim perficitur executione testamenti, non intentione testandi sinè executione. *Confirmatur*, quia si voluntas testatoris ex una parte esset perfecta, & ex alia imperfecta, sequeretur, quòd testamentum esset simul validum, & invalidum, quod repugnat, nam sicut valor totam rei essentiam respicit, ità & nullitas totam corrumpit, & destruit; cùm ergò quis non possit decedere testatus ex parte, & intestatus ex parte *l.* 7 *ff. de reg. jur.* nec potest testator dici habuisse voluntatem imperfectam, & perfectam in eodem testamento, non obstante diversitate actuū ejusdem, quia imperfectum, & perfectum, quatenùs referuntur ad idem testamentum, quod firmant, vel infirmant, ad eundem effectum respectivè se habent divisim, & non conjunctim, dum contrarios effectus producunt.

4 Ex his declaratur proposita quæstio, an scilicèt, posita nullitate testamenti ex aliquo defectu ex prædictis, quāvis legata sint scri-

ſcripta in teſtamento imperfecto, adhuc illa ſunt nulla, & non debeantur, licèt ſint pia, & obligantia etiam ad Miſſas?

5 R. Legata etiam pia, & cum oneribus Miſſarum non valere, nec obligare hæredem ad eorum ſolutionem. Probatur expreſsè ex *l. Si quis* 25. *ff. de teſtam.* ubi ex teſtamento cæpto, & non perfecto nihil debetur etiam ex legatis. Item *l. Ex ea* 29. *eod.* ubi ſcriptura non lecta, vel publicata coram teſtibus non probatur teſtamentum, nec legata in eo expreſſa. *Item l. Fideicommiſſa* 11. *ff. de legat.* 3. *ibi: Quoties quis exemplum teſtamenti præparat, & priùs decedit, quàm teſtetur, non valent quaſi ex Codicillis, quæ in exemplo ſcripta ſunt, licèt verba fideicommiſſi ſcriptura habeat.* Ubi *Gloſ. V. Quoties*, ait, non valere; quia Tabellio non legit ſcripturam coram teſtibus. Ex quibus manifeſtè, patet ſcripturam, & ſi cætera habeat neceſſaria, non eſſe teſtamentum, niſi per illius lectionem factam coram teſtibus; perficitur ergo per lecturam, à qua, ut ajunt, teſtamentum recipit flatum, ſpiritum, & animam, ut ità dicam. Idem habetur *l.* 3. *C. de teſtam. Ex imperfecto teſtamento, nec Imperatorem hæreditatem vindicare poſſe ſæpè conſtitutum eſt.* Ubi *Gloſa V. Conſtitutum* citat alia jura, præter dicta; & ibidem exemplificatur in defectu teſtium, ſi tantùm adhibiti ſunt duo, ex quo teſtamentum dicitur

6 imperfectum, & nullum. Ratio prædictorum eſt, quia legata in teſtamento relicta, uti accidentia illi, aliud eſſe non habent, quàm eſſe teſtamenti; exiſtunt enim illius exiſtentia; ſed ex ſuppoſitis teſtamentum imperfectum nullũ eſt omnimoda carens exiſtentia, ergo neceſſe eſt, quòd legata in eo ſcripta omninò careant eſſe, dùm propriam in ſe non habent exiſtentiam exiſtentia per eſſe teſtamenti. Ità *Bald. in l. Habeat § Dico teſtamentum C. de Sacroſ. Eccl. in lect.* 2. *Imola in cap.* 1. *de teſtam. num.* 21. *Ancbar. num.* 10 *Clarus V. Teſtamentum q.* 7 *num* 4 *verſ. Priuſquã Miſinger. obſerv.* 28 *num.* 3. *cent.* 5. *Magdalenus de num. teſt. par.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. *Hodierna lib.* 1. *contr. cap.* 36 *num.* 71. *Facbin. lib.* 4. *contr. cap.* 3. *Rutber. de different. juris lib.* 4. *cap.* 1. *Vaſq de Succeſſ. lib* 3. *§.* 22 *num.* 7. quos contrà ſe citat *Paſqual. de Sacrif. q.* 988. *num* 4.

Contrariam ſententiam, quòd legata pia ut ſubſiſtant, non aliud requirant, niſi quòd voluntas teſtatoris de ipſis diſponens, ſit perfecta quoad ipſa legata, ſequitur idem Paſqual. citans pro ſe viginti quinque Doctores.

Ad id probandum adducit in primis duos textus. *Primum ex l.* 1. *§. Ex fundo ff. de bæredib. inſtit.* ubi Vulpianus ſcribit, quòd ſi ex fundo fuiſſet aliquis inſtitutus, valet inſtitutio, detracta illa mentione. *Alterum, ex l Quoties, §. Si duo eod.* ubi ſi teſtator duos hæredes inſtituat in re certa, partibus inter eos diſtinctis, detracta partium mentione, inſolidum hæredes manent.

Supradicti duo textus nullo modo faciunt ad propoſitum, cùm in illis non agatur de teſtamento imperfecto, quaſi in eis dicantur valere legata, nàm ambo eò referuntur, quòd valviſſet diſpoſitio, etiamſi non fuiſſet facta mentio de fundo, ex quo hæres fuit inſtitutus. Profero verba primi textus: *Si ex fundo fuiſſet aliquis ſolus hæres inſtitutus, valet inſtitutio, detracta fundi mentione*, ideſt, nulla facta fundi mentione, adhuc valviſſet inſtitutio, quia nõ eſt neceſſe rem nominare, adeò quòd ſic inſtitutus ex fundo, ſivè nominato, ſivè non, ſi non habet cohæredem, cenſetur hæres univerſalis, ac ſi nulla facta fuiſſet mentio fundi, *Gloſ. V. Inſtitutus*. Eundem ſenſum habet ſecundus textus, ubi duo inſtituti in fundo certo dividunt æqualiter hæreditatem, detracta fundi mentione, ideſt, perindè ac ſi de fundo nihil eſſet dictum, *Gloſ. V. Detracta*. Itaque hujuſmodi detractio nullam importat imperfectionem, ſed abundantiam verborum, ſine quorum mentione adhuc inſtitutio valviſſet. Quare cùm de teſtamenti imperfectione nullatenus fiat mentio, fruſtra illi textus folium denigrant.

Rationem adducit, quia voluntas teſtatoris determinata circà legata pia, non dependet à diſpoſitione circà alia, undè reſpectu legatorum jam ſcriptorum eſt perfecta.

Reſpondi jam ſuprà, voluntatem teſtatoris perfici ſolùm, cum teſtamentum ex ſuis eſſentialibus, & ſolemnitatibus requiſitis abſolvitur, lectione ejus coram teſtibus præſentibus ipſi teſtatori; voluntas enim effectu, & executione perficitur per ultimum actum lectionis teſtamenti, ut indicat ipſa dictio. *Actum eſt* ex adductis *à Barb clauſ.* 2.

Quæres 2. An per clauſulam Codicillarem ſanari poſſit teſtamentum aliàs imperfectum, ut indè valeant ſuſtineri legata?

7 R. Affirmativè de communiori ſententiâ, *cum Bart. in l.* 1. *ff de jure Codicill. num.* 3. *Claro q* 46. *Surd. conſ* 231 *n.* 17. *Gama dec. Luſitã.* 136. *n.* 3. *Riccius Collect.* 1186. *Barboſ. clauſ.* 21 *n.* 7 *de Lugo diſp* 74 *n.* 16. *&* 17. *Sperell. dec.* 146 *n.* 62. Ejuſdẽ virtutis eſt Clauſula: *Omni meliori modo*, quam habet Codicillaris, *ex l. Codicillis* 91. *§. Lucius ff. de legat.* 2. *Theodoſius Rubeus part. ſingul. clauſ.* 517. *num.* 24 plures citans.

Quæres 3. An debeantur legata ex teſtamento, in quo filii ſunt exhæredati, vel præteriti?

8 R. Debentur, quando malè exhæredati, vel præteriti fuerunt, non obſtante teſtamenti nullitate, ut expreſsè dicitur in Auth. *Ex cauſa exbęredationis, vel præterition is irritum eſt teſtamentum, quantùm ad*

*inſtitu-*

*institutionem, cætera namque firma manent.* Regiſtratur in fine *C. de liber. præter.* extenditur verò *in collat. 8. tit. 12. Novella* 115. §. *Sive igitur*. In qua dicitur, quòd teſtamentum ſivè ſit validum, quia exhæredatio, ſeù præteritio fuit juſta, ſive irritum, ex injuſta diſpoſitione, non facit perire relicta in eo, ſed debentur, etiam virtute ejuſdem teſtamenti [dico ego] quia teſtamentum non dicitur ſimpliciter, & undequaque nullum, & irritum, ſed ſolùm *quantùm ad inſtitutiones*, malè ſcilicèt factas, ergo in ordine ad legata, & fideicommiſſa non eſt irritum, ſed valet, ac proindè ſuum effectum producit in relicta, ut ſcilicèt, debeantur, quibus relicta fuerunt, & hoc ſvadeo ex vi illius particulæ *quantùm ad inſtitutiones*, nam ea reſtringit nullitatem teſtamenti ad inſtitutiones, ergo quoad reliqua remanet in ſuo robore, nam dictio *quantùm* operatur, ut diſpoſitio adaptetur pro ea parte, pro qua fieri poteſt, ut juribus, & Doctoribus citatis docet *Seraph. dec.* 545. *num.* 1. Quo poſito, viget noſtra ratio, nimirùm, tunc deberi legata, cùm teſtamentum validum eſt, ut eſt in præſenti caſu de præteritione, ſeù exhæredatione filiorum, ſivè bonâ, ſivè malâ, dùm dicitur irritum favore filiorum, non contrà ſubſtitutos, ſed tantùm adverſus inſtitutos. Quarè ſubſtituti, meo juditio, non ab inteſtato, ſed potiùs ex teſtamento veniunt, & capiunt legatum ab hæredibus neceſſariis, reſpectu quorum legatarii dici poſſunt recipere ab inteſtato, virtute tamen teſtamenti, cùm non ſit irritum reſpectu relictorum.

Clauſula Codicillaris etiam in his operatur, ut ſuſtineantur legata favore legatariorum, ut docet de communi *Clarus q.* 46 *num.* 2. *Theodoſius Rubeus par.* 4. *ſingul. clauſ.* 205. *num.* 24. multis citatis Doctoribus, & ſequitur *de Lugo diſp.* 24. *de juſt. n.* 17.

Dices in *l.* 1. *C. de poſth.* expreſsè dicitur, quòd per nativitatem filii poſthumi præteriti teſtamentum rumpitur omninò, & nihil debetur de relictis in eo, cùm ergo una lex alteri adverſetur, neceſſe eſt unam illarum vim ſuam amiſiſſe.

9 R. Non adverſari, ſed utramq; ſubſiſtere, nàm Authentica loquitur reſpectu filiorum jam natorum, quando pater condit teſtamentum, lex verò diſponit favore poſthumorum, & nondùm natorum, quando pater edidit ſuum teſtamentum, quod omninò rumpitur eorum morte. Et quòd ità ſit, manifeſtè patet ex tenore utriuſq; nam non poſthumi, ſed tantùm nati, & quidem jam adulti, ſunt capaces exhæredationis, non verò poſthumi, qui vitium ingratitudinis in patrem agere nõ poſſunt, cùm jam ſit mortuus, & ità docet *Gloſ. V. Nihil deberi, ſuper dictam l.* 1. *C. de poſth.*

Quæres 4. An teſtamentum ab incapaci factum ſuſtineat legata in eo ſcripta?

10 R. Non valere legata ex ea ratione, quia ex nullo teſtamento non debentur legata in eo ſcripta, cùm nullum aliud eſſe habeant, niſi ipſius teſtamenti, quod nullum eſt defectu voluntatis, quæ deeſt in teſtatore inhabili. *Eſt Paſqual. q.* 993.

Quæres 5. An quando bona tranſeunt ad fiſcum, debeantur per ipſum legata quæcumq; tùm profana, tùm pia?

11 R. Quovis modo bona teſtatoris tranſeant ad fiſcum, ſivè jure proprio fiſcus ſuccedat, vocatus ſcilicèt à lege, vel hæreditario jure; tenetur in hoc poſteriori caſu ad legata tùm profana, tùm pia, ſuſtinet etiam tunc perſonam hæredis, ut faciunt alii; expreſsè *l. quidam* 96. §. *quoties, ff. de legat.* 1. In priori caſu fiſcus ad nihil tenetur, quia teſtamentum rumpitur quoad inſtitutionem hæredis, ac proindè ceſſant quæcumque legata, cùm aliud eſſe non habeant, niſi teſtamenti. Ità *Gaſpar Anton. Theſaur. lib.* 4. *q. forenſ.* 38. *num.* 12. Contrà Paſqual. probantem, quia ſtante facultate, quam habuit defunctus diſponendi, tenetur fiſcus eam ſervare, quando ex ordinariis legibus venit jure proprio, & tamquàm vocatus à lege, quatenus non ſubeſt legibus civilibus, quia tunc non poteſt per leges civiles voluntas defuncti invalidari; ſed quatenùs diſponit de legatis piis, non ſubeſt legibus civilibus, ſed ſolùm canonicis, dum operatur pro anima, quibus ſubeſt etiam fiſcus, ergo is tenetur ſolvere legata pia?

Contrà eſt, quia voluntas teſtatoris infirmatur per fiſcum, dum efficaciter impedit, ne hæres bona acquirat, quibus ſatisfacere poſſit legatariis, cùm ergo corruat teſtamentum, neceſſe quoque eſt deficere legata, cùm nullus ſit, qui ea præſtare poſſit; fiſcus enim non ſuccedit hæredi, cùm inſtitutio ſit abolita, ſed ipſi teſtatori, ac ſi non fuiſſet teſtatus.

Quæres 6. An quis poſſit decedere partim teſtatus, partim non, favore cauſæ piæ?

12 R. In tali teſtamento non valere legatum, neque in eo inſtitutionem cauſæ piæ, ratio eſt; quia tale teſtamentum ex natura rei dabile non eſt, ex *l. Jus noſtrum 7. ff. de reg. jur.* ibi *Earumq; rerum naturaliter inter ſe pugna eſt, ut teſtatus, & inteſtatus quis ſit.* Undè *Duaren. de jure accreſc. cap.* 2. reddit rationem, quia non poteſt idem homo eſſe, partim vivus, ut inteſtatus, & partim mortuus, ut teſtatus.

Contrarium tenent *Jaſon, Bartolus, Decius, & alii cum Paſqual. q.* 89. nimirum favore cauſæ piæ poſſe quem decedere partim teſtatum, partim inteſtatum. Probat, quia quando agitur de cauſa pia, ceſſat omnis diſpoſitio juris civilis; quòd autem quis non poſſit decedere partim inteſtatus, & partim teſtatus, eſt de jure civili, conſtat, quia remitti poteſt de jure civili, *Inſtit. de hæred. inſt.*

*inſtit. §. Non autem, & §. fin. l. Si miles fundum, & l. Miles, §. Et quia ff. de teſtam. milit.*

℟. In diſpoſitione cauſæ non ceſſare jus civile in omnibus, ſed tantùm in ordine ad numerum teſtium, ut dixi ſuprà, & infrà probabo per jus Canonicum. Allata jura nihil habent favore adverſariorum.

Quæres 7. An debeantur legata in teſtamento valido ſcripta, quando hæres alio titulo, quàm ex teſtamento adit hæreditatem? Quod idem importat, quando hæres inſtitutus eſt, qui eam adire vult ab inteſtato, & non per viam teſtamenti?

13 ℟. Quando hæres adit hæreditatem titulo ab inteſtato, & non ex teſtamento, adhuc tenetur ſolvere legata tàm pia, quàm profana, *ex l. 1. §. fin. & l. 2. ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam. l. Eam, quam* 14. *ff. de fideicom.* Ratio, quia teſtamentum per hoc non amittit ſuas vires; & cùm hæres in tali caſu præſumatur id feciſſe in fraudem, ne ſolveret legatariis, lex volens obviare fraudibus, mandat ſolvi legata. Ità *Baldus in l. 1. ff. de legat. 1. in fine, Abbas in cap. Relatum, de teſtam. num.* 9. *Boer. dec.* 93. *fine, Lapus allegat.* 21. *cum aliis Paſqual. q.* 986.

Quæres 8. An, repudiata hæreditate, debeantur legata ab eo, qui ea bona ſibi acquirit?

14 ℟. Affirmativè, quia cùm immediatè ſuccedat ipſi teſtatori, ut probavi *cap. 1 q.* 10. *à n.* 42. nihil nocere poteſt repudiatio, vel non adita hæreditas, ut rem hanc ibidem probavi, & in tract. de fideicom *cap.* 6. *q.* 2.

Quæres 9. An ex hæreditate vacante, vel jacente debeantur legata? Tunc hæreditas dicitur vacare, cùm non invenitur
15 hæres, cui fuit relicta; jacere verò intrà illud tempus, quo hæres nondùm eam audivit, *Seraph. dec.* 1151.

16 ℟. In utroq; caſu debentur legata, quia non apparet nullitas teſtamenti, nàm hæreditati vacanti datur curator, qui ſolvat lagata, & hæres poſt aditam hæreditatem tenetur ſolvere legata, quia non ampliùs illa iacet, ſed ut exiſtens in bonis hæredis cum eo onere tranſit obligatio legatorum in ipſum hæredem. *Paſqual q.* 983. enumerat plùs quàm triginta Doctores, qui cum illis vult deberi legata, eſtò nullus adeat hæreditatem.

Quæres 10. An, revocato teſtamento, intelligantur revocata legata?

17 ℟. Affirmativè, ſivè teſtamentum primum revocetur expreſsè, ſivè tacitè dicendo, volo mori ab inteſtato, & nolo teſtamentum à me factum quicquam valere. Ratio, quia, revocato, & deſtructo illo, corruunt omnia in eodem ſcripta; &
18 facit illa regula: Deſtructo principali, & acceſſorium cenſetur deſtructum *l. 1. ff. de pecul. leg. l. ſi cum ità* 14. *§. Labeo ff. de eo, quod metus.* Ità docent *Jaſon conſ.* 124. *nu.* 4. *Pariſ. conſ.* 34. *n.* 33. *Menoch. conſ.* 1280. *n.* 5. *cum aliis citatis à Paſqual. q.* 994. qui docet ex ſimplici, ſeù tacita revocatione teſtamenti non revocari pia legata cum Socino, Anania, Carrocio, & aliis, quia cùm legata pia ſint facta in favorem animæ, motivum inducens ad revocandum teſtamentum, non ſe extendit ad legata pia, quorum revocatio debet eſſe expreſſa. Sed hæc ratio non urget, quia etiam in revocatione expreſſa teſtamenti, alia eſt ratio teſtamenti, alia eſt ratio legati, & tamen revocato expreſsè teſtamento, intelliguntur revocata legata ſine alia ſpecialitate, ergo idem dicendum eſt de revocatione tacita, præterquam quod adeſt illa communis regula, quod, ſublato principali, tollitur acceſſorium, & deſtructo ſubiecto, tollitur omne accidens, quę locum debent habere in legatis quibuſcumq; aliter deſtruerentur gratis omnes regulæ juris, quod abſurdum eſt.

Quæres 11. An legata pia in teſtamento facta ab inſtituto, qui debet reſtituere bona fideicommiſſa ſubſtituto, debeantur?

19 ℟. Valent, & debentur, quando extrahi poſſunt ex ejus propriis bonis non ſubiectis fideicommiſſo, aliter non, quia bona fideicommiſſo ſubiecta non poſſunt onerari legatis etiam piis, cùm debeant fieri ex propriis bonis, & non alienis, neq; enim pietas convertenda eſt in impietatem, & dammum proximi, & colligitur *ex l. fin. ff. ſi quis omiſ. cauſa teſtam. l. eam, quam* 14. *C. de fideicom.*

Quęres 12. An legata relicta in teſtamẽto rogato per Notarium non matriculatũ in loco, ubi illud ſcribit, vel per reputatũ talem, qui reverà nõ eſt creatus Notarius, ſint valida cũ ipſo teſtamẽto ità cõfecto?

20 ℟. Eſſe valida tùm pia, tùm profana cõfecta à Notario pontificio, & imperiali, à putativo verò, ſi pro reali Notario ab omnibus habebatur.

Primum de non matriculato probatur, reprobando ſtatutum prohibens confectionem inſtrumentorum, & teſtamentorum non deſcriptis in matricula, quia eſt iniquum, & monopolium.

Iniquum quidem eſt, quia ſine culpa,
21 niſi ſubſit cauſa, nemo privandus eſt jure ſuo, *cap. 23. de reg. jur. in* 6. quæ cauſa debet eſſe juſta, & reſpicere publicum Reipublicæ bonum; ergo Notarius jam legitimè creatus ad conficienda teſtamẽta, non eſt privandus jure ſuo ad hæc per hujuſmodi ſtatutum, niſi ex ejus culpa, aut niſi ſubſit cauſa; neutrum autem apparet ex ſtatuto, cùm in ejus editione non conſtet de culpa alicujus, nec omnium collectivè, vel diſtributivè. Et prætereà ſtatutum non eſt judicativum, nec condemnativũ, cum nulla præceſſerit culpa, nullus proceſſus, & tamen eſt punitivum, & privativũ, ergo aliud non continet, niſi iniquitatẽ.

Confirmatur primò, quia nemo poteſt auſer-

auferre, quod non dedit, ſicut nec dare, quod non habet, juxtà illud *Lucæ* 19. 21. *Tollis, quod non poſuiſti, & metis, quod non ſeminaſti.* Hoc dixit ſervus Domino ſuo ſe excuſando ab otio, & negligentia, quibus non negotiatus fuerat ejus pecuniam; cui Dominus rectè reſpondit, ſe abſtuliſſe, quod non poſuerat, quia fuerat otioſus, & negligens, atq; nequam; tolli ergo poteſt non poſitum, & meti non ſeminatum, quando præceſſit culpa, ut dixi; quæ non apparet in Notario; improbabile enim eſt, quòd omnes Notarii non matriculati ſint culpabiles.

Confirmatur ſecundò: Privatur quis ab exercitio ſuo ſine culpa, quando ſubeſt cauſa, hìc autem alia non poteſt aſſignari cauſa, niſi inſufficientia in exercendo officium; ſed id aſſignare eſt omninò irrationabile, cùm ea præſumi non poſſit, imò nec probari; tùm quia ea probanda eſſet ex mala confectione inſtrumenti, quod fieri non poteſt, dùm ex ſtatutaria prohibitione nullum exhiberi poteſt inſtrumẽtum malè confectum. Tùm quia de idoneitate, & ſufficientia conſtat ex eorum legitima creatione, ergo cùm tale ſtatutum ex nullo capite cohoneſtari poſſit, pro iniquo, & invalido habendum eſt, maximè cùm Notarios, tamquàm Reos, condemnet inauditos, non confeſſos, nec convictos de aliquo ſcelere ex hoc officio perpetrato.

22 Confirmatur tertiò: Quia monopolium eſt hujuſmodi ſtatutum, nàm illud eſt conventio facta inter aliquos ejuſdẽ profeſſionis, ne alii tale munus, & opus exerceant, quia ipſi tantùm volunt lucrari, excluſis aliis, *Bonac. diſp. 3. de contr. q. 2 p. 5. de Lugo diſp. 26. de Juſt. num. 170. Caſtropal. diſp. 5. p. 34. ubi num. 10. ait*, quamlibet mutuam conventionem proprium commodum ſpectantem, in detrimentum, & perniciem Reipublicæ eſſe illicitam, & monopolium vocari; & licèt de monopolio venditionis agant, tamen etiam in aliis actionibus datur, ac proindè etiam in arte Notariatus; undè *Jaſon. lib. 4. conſ. 122. col. 2 apud Decian. lib. 7. Crimin. cap. 21. n.* 15. ad propoſitum dicit, eſſe monopoliũ, cum Notarii inter ſe conveniunt, ut nullus poſſit ſcribere, niſi ſint ex tali factione, dic tu, de factione matriculatorum. Et Decian ibidem dicit, hujuſmodi monopolia eſſe omninò illicita, & iniuſta, quia alium finem non habent, niſi intereſſe, & lucrum in præjudicium aliorum.

23 Confirmatur quartò: Quia dubitatur, an Princeps id concedere poſſit, licèt enim id affirment nonnulli citati à Maſtrillo de Magiſtr. *lib. 3. cap. 4. num.* 441. tamen defendi non poteſt niſi in caſu, quo urget juſta cauſa, & communis utilitas præciſa, & neceſſaria, ut docet *Barb. lib. 3. Voto* 126. *num* 244. *ex Lopez lib. 2. Gloſ. 2. ad finẽ tit. 7. par.* 5. his verbis: *Advertant tamen Principes concedentes iſta privilegia, ne concedant contrà publicam utilitatem, neq; ad ditandum unum, alios deſtruant, neq; dona ingenii, & naturæ, quæ Deus dat hominibus, Principes prohibeant jubendo, quod unus ſolus exerceat talem artem, vel tale officium &c.* Ubi alii Doctores citãtur ab eodem Barboſa. Certum autem eſt, quòd hujuſmodi publica, & urgens neceſſitas dabilis nõ eſt in caſu noſtro, quòd tale ſtatutum ſit admittendum, quò enim plures ſunt Notarii, & diligentiùs, & commodiùs Reipublicæ ſervitur, maximè in cauſis teſtamentorum, quæ ſolent fieri in *Villis*, ubi vix unus quandoq; reperitur, & ut plurimùm nullus, cur ergo prohibendi ſunt Notarii ab hujuſmodi officio cum notabili præjudicio Reipublicæ? Iniquum ergo eſt tale ſtatutum.

24 Quòd tale ſtatutum ſit monopolium, docent *Imola, & Felinus in cap. cum P. Tabellio, de fide inſtr. Jaſon lib. 4. conſ. 122. num.* 1. *Ægidius conſ. 42. num.* 8. *Cæphal. conſ* 177. *num* 8. de magis communi, *Boer. deciſ. 242. num.* 4. *Surd. conſ.* 257. *à num.* 10. reſolvens contraria, *Maſcabr. conſ.* 58. *num.* 123. *Maſcard. concl.* 926. *num.* 19. *ad* 22. *Tuſchus lit. N. concl.* 72. *num.* 38. *Marta de juriſd. par.* 4. *caſu* 87. *à num.* 6. *Seraphin. dec.* 841. *quos pro ſe citat Ciarlin. cap.* 63. *num.* 2. Conſilium Placentinum declaravit, valuiſſe inſtrumentum factum à Notario contrà Statutum, quod habent Notarii Parmenſes, ut refert Andreolus vir doctiſſimus *contr.* 312. ubi citatur *Caſtrenſis lib 2. conſ.* 226.

25 Hæc procedunt in Notariis auctoritatibus Petri, & Cæſaris creatis, qui ubiq; terrarum per univerſum orbem exercere poſſunt ſuum officium, ut manifeſtè continetur in eorum diplomatibus his verbis: Dando eidem, & dedit plenam, & liberam licentiam, & facultatem; & amplã poteſtatem quæcumq; inſtrumenta, acta, teſtamenta, & ultimas voluntates, alioſq; contractus, & diſtractus, & alias ſcripturas tàm publicas, quàm profanas, tàm in judicio, quàm extrà judicium per omnes terras, & loca, quæ Romanum profitentur imperium, & Apoſtolicæ ſedi quoquo modo, & ejus juriſdictionatui ſubſunt, & ubique locorum, ſcribendi, & publicandi, & alia faciendi, quę ad ipſum Notariatus, ſeù Tabellionatus officium &c.

Et meritò ubiq; terrarum hoc officium exercere poſſunt, qui unam ex illis poteſtatem habent; ſi enim Petrus, & Cæſar totius orbis dominium habent, nihil prohibet, quin poſſint Notariis eorum auctoritate creatis tribuere facultatem ubique exercendam. Quod etiam ſuadet conditio, & officium hujuſmodi, quod reſpicit communem utilitatem, & omnibus prodeſt indigentibus, nulli nocet, cùm ſit merum officium publicũ aliis inſerviendi, nõ imperandi, cùm non ſit juriſdictionis, ſed meręę ſervitutis, *Caſtr. cit lib. 2. cõſ. 226 initio.*

26 Ubi-

27 Ubique ergò terrarum ſcribunt teſtamenta, & alia. Ità *Rota in novis dec. 5. de fide inſtr. Surd. dec. 257. num. 11. Tuſchus lit. N. concl. 72. initio. Ciarlin. cap. 63. n. 3. Belamera conſ. 42. nu. 2. Fagnanus par. 5. ad cap. ſicut re, ne cler. nu. 45.*

Quare cùm hoc officium habeant dependentèr à Petro, vel Cæſare, à nullo prohiberi poſſunt ab hujuſmodi exercitio; ſatis enim notum eſt, & certum, quòd inferior non poteſt tollere, quod ſuperior conceſſit, cùm inferior non habeat poteſtatem in ſuperiorem, *cap. inferior 4. diſt.* 28 *21. cap. cum inferior 16. de major. l. formam 2. C. de offic. Præfecti prætoriorum.* Adde ulteriùs, quòd ſtatutum hujuſmodi excludens Notarios non matriculatos, eſto eſſet validum, quod non eſt admittendũ, non poteſt ligare forenſes, ut manifeſti juris, cùm liget ſolos ſubditos, quos inhabilitare poteſt, non forenſes; eſt enim lex 29 ſolius territorii, *cap. Eccleſia, de conſt. cap. fin. de reb. Eccleſ. non alien.* & ibidem Canoniſtæ, *l. 1. §. hæc autem ff. quod quiſque juris, Bart. in l. omnes populi q. 1. de inſt.* Nemo enim agere poteſt ultra ſpheram ſuæ activitatis.

30 In terminis noſtris, quòd Notarii hujus generis non poſſint prohiberi ab inferiore, docent *Cantucius in ſpoliis hæred 22. Maii 1579. Seraph. dec. 841. apud Theodoſ. Rubeum par. 1. ſingul fol 428. Decius conſ. 17. n 2. Ruin. lib. 4. conſ. 201. n. 3.*

Contrarium, quòd Notarii utraque auctoritate creati, nequeant conficere inſtrumenta, & teſtamenta in alieno territorio, prohibente id illius ſtatuto, docent Abbas, Hoſtienſis, & Butriusin *cap.* cum P. Tabellio, *de fide inſtrum.* cum aliis, quos contrà ſe *citat Ciarlin. cap. 63. initio.* Perturbatur enim juriſdictio, ſi unicuique Notario liceat in alieno territorio ſcribere; ex hoc enim diſtinguuntur territoria, ut unuſquiſque ſuum munus poſſit exercere in proprio ſolo, & non in alieno, ne mittat falcem in ſegetem alienam.

31 Reſpondet Ciarlinus quoad ſtatuta, quæ ferè in omnibus civitatibus reperiuntur, ea loqui de Notariis creatis ab inferioribus Principibus, qui ſicut limitatam habent poteſtatem in ſuis ſtatibus, & non extrà, ità facultatem ſuis Notariis tribuunt conficiendi inſtrumenta in ſuis territoriis tantùm, cùm eorum poteſtas extra non extendatur. Panormitanus autem loco citato *nu* 9. non loquitur de Notariis reſpectu teſtamentorum, ſed tantùm de eiſdem reſpectu inſtrumentorũ, & eorum, quæ ſunt juriſdictionis, quæ loco cohærent, & perſonis.

32 Ad rationem adductam reſpondeo nullius perturbari juriſdictionem, cùm officium Notarii ſit actus ſervitutis nullam includens juriſdictionem, nec contentioſam, nec voluntariam, *ex Caſtrenſi citato lib. 2. conſ. 226. initio.*

Notarii ergò Papales, & Imperiales ubique ſcribunt inſtrumenta, & teſtamenta, non verò alii, niſi intrà territoriũ illius, qui eos creavit, & non extrà, niſi accedat conſenſus alterius Principis, in cujus territorio vocantur à contrahentibus, *Riccius p. 1. dec. 125. n. 5. & 6. Silveſter V. Tabellio n 4.*

Refero ſtatutum Notariorum Parmæ *lib. 3. fol 41.* quod juxtà ſupradicta non afficit Notarios Petri, nec Cæſaris, ſed tantùm Ducales, ejus tenoris, qui ſequitur.

Nullus, qui non ſit receptus in Collegio 33 dominorum Notariorum Parmæ, ſervatis ſervandis, per diſpoſitionem præſentium ſtatutorum poſſit conficere, vel rogare aliquod inſtrumentum contractuũ, diſtractuum, vel quaſi, nec aliquam ultimam voluntatem, nec acta, nec alia pertinentia ad officium Tabellionatus in civitate, vel diœceſi Parmæ. Et ſi quis contrafecerit, incidat in pœnam librarum 25. imperialium applicandarum dicto Collegio, & infametur, ſeù pœnam infamiæ incurrat; & omnia rogata ejus ſint nulla ipſo jure.

Super hoc ſtatutum excelſum Placentiæ Conſilium declaravit, valviſſe teſtamentum, aut aliud inſtrumentum per quemdam Notarium Placentinum rogatum in diœceſi Parmenſi contra præfatũ ſtatutum, ut retuli ſupra. Undè dicendum eſt, dictum Statutum non comprehendere, nec ligare Notarios forenſes, ſed tantùm Parmenſes, & incolas, qui non ſunt matriculati, quia communis eſt ſententia, quòd ſtatuta non ligant, nec inha- 34 bilitant niſi ſubditos, *cap. 2. de conſt. in 6.* ut ſupra notavi, & facit illud D. Pauli ad *Roman. 14. 4. Tu quis es, qui judicas alienum ſervum.* Audiant Notarii Parmenſes, quàm incongruè ſentiant Placentinos, & Burgenſes non poſſe ſcribere inſtrumenta, & teſtamenta in territorio Parmenſi, annullantes eorum acta, cùm tamen contrà eos nullam habeant juriſdictionem nec ab homine, nec à ſtatuto prædicta facere in eorum præjudicium, ut non ſemel probatum eſt.

Certum quoq; eſt præfatum ſtatutum non eſſe confirmatum in forma ſpecifica, ſed tantùm in forma communi, quæ rei confirmatæ aliàs nulli nullum tribuit valorem, ſed eam relinquit in ſuo ſtatu, in quo erat ante; nihil enim de novo conce- 35 dit, nec donat, *ca inter dilectos 6. de fide inſtr. l. quia ff. de juriſd. om. Jud. c. 1. & 2. de confir. Rota p. 6. dec. 58. n. 29. & 30.* Manifeſtum autem eſt, confirmationem præfati ſtatuti eſſe tantùm in forma communi, non verò in forma ſpecifica, cùm non ſit illud inſertum in tenore confirmationis, *Gloſ. V.* 36 *ex certa ſcientia, cap. Paſtoralis §. præterea de offic. deleg. Dec. in cap. Porrecta, de confirmat. n. 15. Gabriel. lib. 2. conſ. 183. n. 14. Surd. conſ. 419. nu. 24. Rota par. 6. dec. 157. num. 8.*

Et alii communitèr. Quòd si etiam ſpecificè confirmaretur, adhuc dubium eſſet, an robur reciperet tale ſtatutum, cum ſit merè lucrativum aliquorum, & aliorum meram inducat perniciem, ut ſuprà notavi ex Barboſa.

Obſervandum ulteriùs eſt, non ità facile aliorum acta, maximè in teſtamentis, eſſe judicanda irrita, & invalida, ex eo, quòd Notarii non ſunt matriculati, quia defectus matriculationis, Notariatu probato, nullatenùs attenditur ex æquitate, ne tot, & tàm laudabiles teſtantium diſpoſitiones corruant, ut conſiderat *Rota par.6. dec* 184 *n* 45 *ex aliis duabus deciſionibus Peniæ, & Mobedani deciſ.* 2. *&* 5. *de teſtam Puteo lib.*1. *dec* 296 *initio.*

37 Quòd non niſi matriculati in Urbe rogent inſtrumenta, & teſtamenta, decrevit Julius II in ſua incip *ſicut prudens* 15. quam non fuiſſe uſu receptam aſſerit ibidem compend. ex deciſionibus Putei, & Thani 113.

38 Adde inſuper, quòd illud ſtatutum non poteſt comprehendere teſtamenta, & legata ex cauſis piis, quia ſtatuta laicalia ſuper diſpoſitionibus ſpiritualibus, & operibus pietatis annexis, cujuſmodi ſunt præfata, nihil ordinare poſſunt, cum jus civile, & multò minus ſtatuta, ſolemnitatem præjudicialem cauſis piis, inducere non poſſint, & inducta non valeat, *ex*
39 *Abbate par.* 2. *conſ.* 32 *initio, Baldo conſ.* 118. *cum eis Barboſa lib* 3. *de jure cap* 27. *num.* 103.

Confirmatur ex dictis præced. *cap q.* 21. Ubi quòd pia cauſa non venit ſub generali prohibitione, & hoc patet *ex cap. Relatum, de teſtam.* ubi, quòd quilibet poteſt ſcribere ſuum teſtamentum ad pias cauſas, ut latiùs infra probabo. Quare ſtatuta laicorum non poſſunt afficere teſtamẽta ad pias cauſas, quia ſtatutum tollens jus commune canonicum eſt nullum, *Riccius par.*4. *dec.*134. *n* 5. Et tollens, quod jure
40 communi competit, eſt contrà immunitatem Eccleſiæ, *Felin. in cap. Eccleſia S. M.*
41 *de conſtit. n.*69 *Maynardus de privileg. Eccl. par.*1. *art.*1 *nu.* 34. *cum aliis allegatis à Barboſa in additam ad cap* 1. *de Immun. cap* 63. *nu.*30. Nulli autem dubium eſt, ſupradictum ſtatutum de ultimis voluntatibus non recipiendis niſi à Notariis matriculatis, maximè in cauſis piis, eſſe contra jus canonicum concedens ſingulis, etiam non Notariis, ut poſſint ſcribere teſtamenta ad pias cauſas, ut latiùs infra dicam.

42 Prædicta procedunt, ſivè ſtatutum loquatur in rem, ſivè in perſonam, ut neutro modo afficiat forenſem, nam licèt nonnulli aſſerant, ſtatutum loquens in rem extendi etiam ad non ſubditos, de quibus Barb. *Voto* 36. *num.* 26. referens cãſus, in quibus ſtatutum poteſt comprehendere bona extrà territorium exiſtentia, qui *ſub num.* 341. tandem concludit, ſtatutum quovis modo conceptum non extendi extra territorium, *ex Alex. conſ.*16. *Cancer. conſ.*76. *n.*19. *Alberto Bruno de ſtatuto exclud. fœm. art.*8. *q.* 25. *num.* 121. *Ploto conſ.*10. *num.* 6. ubi hanc opinionem veram, & indubitatam vocat. Ratio eſt, quia hujuſmodi diſtinctio tollit correlationem inter rem, & perſonas: nam quælibet res venit in commerciũ reſpectu perſonarum; ergò loquens de rebus comprehendit etiam perſonas de ipſis rebus agentes. Præterea leges, & ſtatuta fiunt de rebus non pro rebus, ſed pro perſonis; ergò quovis modo locutio concipiatur, ſivè in rem, ſivè in perſonas, ſemper afficit perſonam cum relatione ad rem; lex enim imponitur perſonis, non rebus, niſi pro-
43 pter perſonas, *cap. Commiſſa* 35. *de elect. in* 6. *l. Ut nullo* 28. *C de uſur.*

44 Quandò igitùr ſtatutum directè loquitur in perſonam, certius eſt, non comprehendere, niſi ſubditos, nullo pacto extraneos, ut omnes ſupracitati docent cum *Surdo vol.*1. *conſ.*3. *& vol.* 3. *conſ.* 310. *nu.* 66. *&* 76. *Sperell. deciſ.* 10. *num.* 18 *& dec.* 123. *num* 45. Sed ſtatutum Parmenſe de Notariis matriculatis loquitur in perſonam; ergò comprehẽdit tantùm Notarios Parmenſes non deſcriptos in Collegio, & non forenſes, cum non ſint ſubditi.

45 Reſtat explicandum, quid importent illa verba: *In Diæceſi Parmæ*, nam diæceſis Parmæ extenditur ultrà diſtrictum Ducatus Parmæ, ſiquidem verſus Regiũ diæceſis Epiſcopalis ſe extendit ad terras plures Ducatus Regienſis, & verſus Placentiam dilatatur etiam in Statu Palavicinatus, & olim territorium Burgenſe erat diæceſis Parmæ. Puto noſtris temporibus nomen *diæceſis Parmæ*, non eſſe ſumendum pro omni diſtrictu, in quem ſe extendit juriſdictio Epiſcopalis, quia e.g. Notarii Regienſes in toto Ducatu ſuę Civitatis ſcribere poſſunt contractus, & teſtamenta, etiam in illis locis Ducatus Regienſis, in quibus Epiſcopus Parmæ habet ſuam juriſdictionem, ſed importare, & ſignificare modo, *In diæceſi*, ideſt, Ducatu Parmæ, ac proindè non comprehendere ſtatum Palavicinatus inter Parmam, & Placentiam, cùm non veniat nomine Ducatus, ſed tantùm ſtatus, cujus non eſt Dux, ſed ſolùm Dominus Sereniſſimus Parmæ Dux.

46 Secundum de Notario putativo, quòd valeant ab eo geſta non ſolùm pia, ſed etiam profana, probatur *ex l. Barbarius* 3. *ff. de offic. Prætoris*, ubi Philippus incognitus conditione ſervitutis, electus fuit Prætor, & ejus acta pro validis judicata fuerunt, ſic dictante publica Reipublicæ utilitate, ne jura ſubditorum perverterentur, & ne altercationes odioſæ, & diſpendioſæ inter partes excitarentur; Poterat enim Populus Romanus dictũ ſeruũ à ſuo domino fugitivum eligere in Prętorẽ

ut

nt dicitur ibidem. Populi igitùr communiserror ſupplet juriſdictionem officialis putati, & non verè exiſtentis talis, ad id movente publicæ utilitatis ratione. Ità omnes ibi ſcribentes *cum Baldo vol. 4. conſ. 496. n. 3. Sperell. dec. 30. num 4.* qui *n. 10. cum Bartolo, & aliis dicit*, quòd licèt error communis actum à Judice putativo factum validet, non tamen perſonam ejus reddit habilem ad officium; ità lex ſupplet ejus defectum tribuendo valorem actibus, quibus non potuit tribuere fictus Officialis, qui caret juriſdictione; Lex autem non ſolùm Civilis, ſed etiam Canonica ſupplet juriſdictionem carenti, faciendo, ut ejus acta valeant, *in cap. Infamis V. Eorum tamen 3. q 7. apud Sanchez lib. 3. diſp. 22. num. 14. ad 2. & num. 27.* Ratio ergò, quæ eſt anima legis, fundata in humanitate, & publica utilitate, ne acta pereant, facit valida quęcumque geſta ab Officiali ficto, niſi præter hunc defectum adſint alia impedimenta juris naturæ, aut divini, quæ jus humanum tollere non poteſt, nec ſupplere, *ex Sanchez lib. 3. diſp. 22. n. 27. Bonac. de matrim. q. 2. p. 8. nu. 24. Sperell. dec. 30. nu. 14.* Tunc enim acta remanent nulla.

Hæc doctrina eſt communis omnibus Officialibus, ac proindè etiam Notariis fictis, qui non creati ſibi uſurparunt officium conficiendi inſtrumenta, & teſtamenta, quorum acta habentur pro validis, præſertim teſtamenta, ne pereant teſtantium diſpoſitiones in grave præjudicium aliorum, & ipſorum, qui reliquerunt legata pro ſua anima, & ſuorum defunctorum.

47 Notat *Baldus in l. 1. C. de fideicom. col. 4.* quòd qui per decennium ſe geſſit ut Notarius, præſumitur ſolemnitèr creatus, ut refert *Riccius par. 3. reſol. 509. num. 8.* & à fortiori talis eſt præſumendus ille, qui ſpatio triginta annorum exercuit officiũ, licèt nullibi reperiatur ſcriptus. *Craveta de antiq. temp. par. 3. ſect. 1. nu. 105. Puteus lib. 1. dec. 345. Seraph. dec. 1027. num. 9. dec. 1042. num. 2. Cavaler. dec. 122. num. 3. apud Rotam p. 6. dec. 184. num. 41.* Et ex hac præſumptione cenſetur probatus titulus, eſto is non ſit neceſſarius, ut probant *Gabriel de probat. concl 8 num 25. Pontius de matrim. lib. 5. cap. 20. Silvius par. 1. Var. V. matrimonium num 11. Caſpenſis tom 2. tract. 24. diſp. 5 ſect. 6. nu. 52. cum aliis Diana par. 2. tract.*
48 *16. reſol. 45. & par. 8. tract. 1. reſol. 94.* Et in terminis noſtris *Tiraquel. de legib. connub. gloſ. 8. num. 133.* ait, de conſuetudine obſervari, quòd Notarius, qui eſt in quaſi poſſeſſione ſinè ullo titulo, validè conficit inſtrumenta propter errorem communem, refert Vericellus *tract. 2. q. 25. num. 15.*

Notariatus autem probatur per atteſtationem alterius Notarii, *Ottob. dec. 75. num. 22.* & melius per matriculam, in qua ſit deſcriptus, *Rota p. 6. dec. 18. n. 3.*

Quæres 13. An teſtamentum nullum defectu teſtium, faciat corruere legata profana, & pia. Quòd ſint nulla certum eſt ex illo communi axiomate, quòd legata evaneſcunt, nullo exiſtente teſtamento, certum quoq; eſt, defectu etiam unius teſtis nullum eſſe teſtamentum ju-
49 re civili, expreſsè, *l. ſi unus 12. C. de teſtam.* Jus autem civile requirit ſeptem teſtes maſculos, & rogatos, *l. Hac conſultiſſima 21. C. de teſtam.* Ubi quoad hunc numerum excipitur teſtamentum imperfectum, ſcriptum ſcilicèt, & non ſcriptum factum inter liberos, quod valet. Pro
50 Ruſticis ſufficiunt quinque teſtes, *l. Et ab antiquis 31. C. de teſtam.* Videre autem debent teſtatorem, *l. Si non ſpeciali 9. C. eod.* Et in ſcriptis faciendum eſt, aliter non
51 valet, *ex eadem l. Hac conſultiſſima.* Remanet difficultas reſpectu teſtamenti in ordine ad cauſas, & legata pia, & profana de jure Canonico.

52 R. Teſtamentum factum cum duobus, vel tribus tantùm teſtibus maſculis, & rogatis, valet quoad ſe, & quoad legata tàm profana, quàm pia jure Canonico derogante in hoc ſeptennario, vel quinquennario numero teſtium in hoc præcisè, aliis ſolemnitatibus juris Civilis remanentibus in ſuo robore.

Concluſio hæc expreſsè probatur per duos textus relatos in tit. de teſtamentis, quorum primus pro teſtamentis profanis eſt tenoris ſequentis.

53 Cùm eſſes in noſtra præſentia conſtitutus, propoſuiſti talem in ſuo Epiſcopatu conſuetudinem obtinere, quòd teſtamenta, quæ fiunt in ultima voluntate penitùs reſcinduntur, niſi cum ſubſcriptione ſeptem teſtium, vel quinque fiant, ſecundùm quod leges humanæ decernunt. Quia verò à divina lege, & Sanctorum Patrum inſtitutis, & à generali Eccleſiæ conſuetudine id eſſe noſcitur alienum, cùm ſcriptum ſit: In ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum, prę ſcriptam conſuetudinem reprobamus. Et teſtamenta, quæ parochiani coram Præsbitero ſuo, & tribus, vel duobus aliis perſonis idoneis in extrema fecerint voluntate; firma decernimus remanere. Sub interminatione anathematis prohibentis, ne quis hujuſmodi audeat reſcindere teſtamenta.

54 In hoc textu agitur de teſtamentis non ſolùm profanis ad diſtinctionem ſequentis textus, in quo agitur tantùm de piis, ſed etiam de piis, quia in favorabilibus pia cauſa gaudet favore profanæ. Quod autem in hoc textu agatur de profanis, docent *Gemin. hìc & conſ. 40. n. 5. Fagnanus in cap. Relatum 11. de teſtam. n. 4. Rota p. 6. dec. 126. n. 2. Barboſ. ad ſequens caput nu. 2.*

55 Poſterior textus in cap. Relatum 11. de teſtam. decernens, teſtamentũ, in quo eſt inſtituta cauſa pia, valere, ſcriptũ à teſtato

re sinè testibus, recognita ejus scriptura, hujus est tenoris.

Relatum est, quòd cum ad vestrum examen super relictis Ecclesiæ causa deducitur, vos nisi septem, vel quinque idonei testes intervenerint, indè postponatis judicare. Mandamus quatenùs cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundùm Leges, sed secundùm Decretorum statuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis. Quoniam scriptum est: *In ore duorum, aut trium testium stat omne verbum.*

56 Textus iste confirmatur etiam jure Civili, nam in Auth. quod sinè relata post *l.* 22. *C. de testam.* dicitur, quod valet testamentum patris inter filios in scriptis, & legata in eo scripta sinè testibus; ergò & testamentum ad pias causas, ut docent *Joan. de Imola in l suis, qui ff. de testam. num.* 5. & 6. *Corneus vol.* 3. *cons.* 307. *fine. Tiraquel. privileg.* 5. Deindè valet argumentum à

57 milite ad Ecclesiam, & piam causam, *Ever.* ad hunc locum. Sed militis testamentum sinè testibus firmatur scriptum ab illo *l Lucius Titius* 41. *ff. de milit. testam. juncta Glos. V. Probationibus.* Hanc vocat æquiorem, veriorem, & communiorem. *Rota par.* 4. *dec.* 321. *num.* 2. *par* 8. *dec.* 166. *Gratian. cap.* 605. *num.* 20.

Quæres 14. An correctio juris civilis restringatur in præfatis duobus capitibus tantùm ad numerum testium, an etiam ad alias juris solemnitates?

58 R. Correctio restringitur tantùm ad numerum testium jure civili requisitum, itaut sinè illo valeat testamentum cum minori numero, quàm septem, aut quinque. Et id patet, quia uterque textus mentionem facit tantùm de numero jure civili præscriptum testibus; ergò correctio ulteriùs extendenda non est, sed restringenda juxtà tenorem verborum, *l. præcipimus* 32. *de appellat.* Expedit enim

59 jura juribus concordare, *cap. cum expediat* 29. *de elect. in* 6. quia correctio legis vitanda est, quantùm possibile sit, *l cum dilectus* 8. *de consuet. juncta Glos. V. juri communi.* Et ità docent *Beltrand. vol.* 6. *cons.* 47. *Lælius Mancinus tom.* 1. *contr. dissert.* 6. *cap.* 5. *Ever. cons.* 155. *n.* 16. *quos refert Albricius Placentinus Serenissimi Ducis Parmæ Consiliarius, & Cameræ Ducalis Præses in sua Allegat. in causa D. Thadeæ de Gambara del Verme impressa Parmæ cap.* 3. *Rot. p.* 9. *dec.* 372. *nu.* 6.

Quæres 15. An præfata duo capita locum habeant tantùm in terris Ecclesiæ, an etiam per universum Orbem?

60 R. Primum caput locum habet solùm in terris Ecclesiæ quoad ultimas voluntates profanas; secundùm verò ubique terrarum.

Prima pars probatur ex ipso textu, in quo dicitur, quòd in Ecclesia viget consuetudo testandi coràm duobus, aut tribus testibus, & ibidem causa deciditur in territorio Hostiensi, quod est de terris Ecclesiæ; ergò non extenditur per universum Orbem, sed restringitur ad terras Ecclesiæ, ac proindè extrà servandum est jus civile de numero septem testium. Ità docent *Covar. ad hoc cap. nu.* 12. *Molina disp.* 133. *cum Lugo disp.* 24. *nu.* 20. *vers. alii, Layman lib* 3. *tract.* 5. *cap* 2 *fine, cum multis aliis Barb. hic n.* 2.

Concluso hæc est contrà torrentem ferè omnium antiquorum asserentium apud Fagnanum hìc *nu.* 40. & 133. ubique terrarum valere testamentum factum coràm Parocho, & duobus, aut tribus testibus in causis etiam profanis, eo fundamento, quòd lex civilis de septennario testium numero sit contraria legi divinæ, quę ad omne negotium ait sufficere duos,

61 aut tres testes, *Beuter.* 17. 6. *cap.* 19. 15. quod à Christo autenticatum fuit *Matth.* 18. 16. *ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*, & alibi. Et ità decerni in eadem decretali *cap. cum esses*, asserunt Canonistæ per ea verba: *Quia verò à divina lege, & Sanctorum Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id esse noscitur alienum.* Undè Panormitanus ibidem cum aliis, quos sequitur Fagnanus, dicit, esse standum juri Canonico, & non posse multiplicari numerum testium ultrà tertium in testamentis, & esse peccatum mortale impugnare testamentum ex defectu septem testium.

62 Quibus respondendum est, eorum fuisse siniſtram interprætationem illius dictionis *alienum*, quam volverunt significare idem, quod contrarium; sed res aliter se habet ex vero ejus sensu, qui importat diversitatem, ità quòd idem est dicere *alienum*, ac dicere *diversum*, nam alienum derivatur ab *alio*, quod sinè dubio importat diversitatem; quod autem est diversum non est contrarium ei, à quo diversificatur, ex *cap. in nostra* 32. *de testib. ibi: Non solùm diversa, sed etiam adversa. Melius cap. cum Apostolica* 7. *de his, quæ fiunt à Prælat. §. auctoritates* illis verbis: *Auctoritates enim præmissæ, licèt diversæ sint, non tamen adversæ.* Sic in re nostra consuetudo septennarii numeri juris civilis, est diversa à consuetudine juris divini de numero terrario, vel binario, ideò lex canonica mandavit, ut sustineretur pro validis testamenta cum duobus, aut tribus testibus, juxtà consuetudinem Ecclesiæ, reprobando consuetudinẽ juris civilis, non uti contrariã, sed alienam, hoc est, diversã tantùm à jure divino, & consuetudine Ecclesiæ. Undè duo testes deponentes, unus de summa majori, & alter de minori, non sunt contrarii, sed diversi tantùm,

63 *Farin. q.* 63. *n.* 263. Et qui facit plus, quàm debet, non facit contrarium, sed tantùm diversum, imò idem in substantia, *Glos. V. Senior cap quia propter* 42. *de elect.* Qui

64 ergò utitur septem testibus in suo testamen-

mento non adverſatur alteri utenti ſolùm tribus, ſed diverſimodè, & non contrariè operatur. A prædictis non diſcrepat reſponſum Menochii *lib.* 1. *præſumpt.* 80. *num.* 3. explicans illud verbum *alienum*, ideſt, remotum, hoc eſt, ultrà jus divinũ, ac proindè non contrà jus divinum. 65

Confirmatur, quòd lex de numero ſeptenario non ſit contraria legi divinæ de numero ternario, nam Dei verba ſunt hæc: *In ore duorum, aut trium teſtium ſtat omne verbum*. Abſolutè prolata ſine ulla reſtrictione, ſi enim hæc ſententia expreſſiſſet taxationem *tantùm*, ſine dubio adverſaretur legi civili de ſeptem teſtibus, quorum numerus directè contrariaretur numero divino, ſed quoniam Deus numerum non taxavit, ſed reliquit in arbitrio hominum, ideò jus civile nullo modo contrariatur divino, ſed addidit majorem numerum teſtium ad evitandas fraudes, quę poſſunt accidere in ſcribendis teſtamentis, ubi enim aliquid prudenter fit, non eſt contrà jus divinum, quod nititur prudentia divina Undè Romæ adeſt ſtatutum ſervandi jus civile inter cives Romanos, & incolas *lib.* 1. *cap.* 42. *Ottobon. dec.* 145. *num.* 27. Uſus Sacræ Scripturæ eſt taxare numerum teſtium, quando illum non relinquit in arbitrio agentium. Profero exempla, *Num.* 1 12 4 *Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis* 3 *Reg.* 11. 18 *Erunt duo tantùm in agro*. Quare cum Deus ſuæ legi de teſtibus non adiunxerit taxativam, reliquit in arbitrio hominis multiplicationem teſtium. 66 67 68

Et ità docent omnes Moderni *cum Covar. ſuper dictum cap. cum eſſes, num.* 3. *Gloſſ. V. Duorum, vel trium in cap. Licèt* 23. *de teſtibus*, exponit, ideſt, Non paucorum. Undè Faber profeſſione Ordinis S. Franciſci *diſp.* 43. *de reſtit. num.* 33. *de Lugo diſp.* 24. *num.* 20. ait, leges civiles in hoc non eſſe contrarias legi divinæ, quæ non prohibet uſum plurium teſtium ultrà tres, ſed concedit juxtà exigentiam negotiorum. 69

Negat ergo Deus diminutionem teſtium, ne ed unum reducantur in præjudicium tertii, *Deuter.* 17. 6. *Nemo occidatur, uno contrà ſe dicente teſtimonium*, non verò multiplicationem, niſi expreſsè limitet, ut viſum fuit ſuprà, ſed data negotii præſtantia, multò plures admittit, nàm *Joſue* 24. 22. in teſtimonium promiſſionis ſibi factæ de derelinquendo Deos alienos, non vocavit duos, nec tres teſtes, ſed totum populum. Chriſtus Dominus divinæ legis zelantiſſimus obſervator *Act.* 1. 8. non tres, nec quinq; Apoſtolos, ſed duodecim voluit eſſe teſtes ſuæ paſſionis, & reſurrectionis in Jeruſalem. Si ſeptenarius teſtium numerus eſſet contrà jus divinum, Silveſter Papa in Synodo Romana *cap. Præſul.* 2. 2. *q.* 4. non multiplicaſſet teſtes uſq; ad 72. in condemnatione Epiſcoporum, &c. Manifeſtum ergo eſt, numerum ſeptenarium non contrariari juri divino, & aſſertum in contrarium eſt omninò improbabile. 70 71

Et ex his tolluntur argumenta Fagnani, dùm dicit jus civile eſſe contrarium juri divino, decretis Patrum, & conſuetudini Eccleſiæ; id enim omninò falſum eſt, cùm hactenus probatum ſit eſſe ſolùm diverſum, non adverſum.

Idem Fagnanus ad numerum pro condemnandis Epiſcopis Cardinalibus, & aliis, de quibus ibi, reſpondet ſub nu. 144. intelligendum eſſe, quando teſtes non ſunt omni exceptione majores, tunc multiplicari numerum tertium ultrà ſeptenarium ex Gratiano in dicto *cap. Præſul.* 2. *q.* 4. Sed Gratiani expoſitio non evacuat difficultatem, ſed potiùs eſt cõtrà ipſum, dum dicit: *Teſtes autem, & accuſatores ſine aliqua ſint infamia*, ergo ille magnus numerus teſtium intelligitur de idoneis, habilibus, & omni exceptione majoribus ſeptem teſtes.

Ad Statutum Urbis reſpondet numer. 163. in alio ſtatuto mandari, ut obſerventur leges civiles in genere, nulla facta mentione de teſtamentis; ideò ne illud ſtatutũ dicatur eſſe contrà jus divinum, pro cujus conſervatione ſummus Pontifex debet ponere animam, non loquitur de teſtamentis requirentibus.

Non habeo Codicem Statutorum Urbis, nihilominus ex verbis illis, *ut obſerventur leges civiles* ipſius Fagnani, & ex adiuncta ratione, quòd excipiendum eſt teſtamentum, ne ſtatutum dicatur eſſe contrà jus divinum, colligitur, gratis excepiſſe teſtamenta, ex falſitate rationis adductæ, cùm luce clarius pateat ex dictis, jus civile de numero ſeptem teſtium nullo modo eſſe contrarium legi divinæ. 72

Demùm, quòd Statutum Urbis loquatur etiam de factione teſtamenti cum ſeptem teſtibus, præter allegatam *deciſ.* 145. *Ottob.* idem deciſum fuit in Romana *de Stocbis* 27 *Maii* 1588. *coram Cardin. Pamphilio apud Farinac. impreſſionis Lugdunenſis dec.* 396. & ideò non ſuſtineri ea, quæ fiunt ad formã *cap. cum eſſes apud Theodoſ. Rubeum par.* 6 *ſingul. ad dictum cap. fol.* 628. 73

Secunda pars, quòd valeat ubique terrarum teſtamentum à teſtatore ſcriptum favore cauſæ piæ, & legata in eo facta ſimiliter pia, ſine teſtibus, modò ſcriptura pro certo recognoſcatur eſſe ipſius teſtatoris, patet ex præfato textu *cap. Relatum*, quò ad dictas ſolemnitates de teſtibus non requiſitis, ut probavi ſuprà ſub num. 56. Quantùm ad præſens, quòd ubique terrarum tale teſtamentum probatur. Tùm quia ubique terrarum valet teſtamentum ſcriptum à patre ſine teſtibus, ex probatis ſub eodem num. 56. ergo & ſcriptum favore cauſæ piæ, cum non minùs latè pateat jus Canonicum, quàm Civile. Tùm quia leges civiles ni- 74

hil

ihil disponere possunt contrà leges Canonicas, ut probavi *cap. 3. q.* 41. Ità docent citati à Diana *resol. 2. de testam.*

Quæres 16. Quales debeant esse testes præsentes Parocho scribenti testamentum, *ex cap. cum esses*, & testes requisiti ad recognoscendam scripturam testatoris ad pias causas, *ex cap. Relatum*.

75 R. Debere esse masculos, idoneos, præsentes, & rogatos respectu cap. primi, respectu verò secundi masculos, & idoneos probantes scripturam esse testatoris.

76 Quòd testes præsentes testamento, dū fit à Parochiano, & scribitur à Parocho suo ad formam capitis *cum esses* debeant esse masculi, idonei, rogati, & præsentes, sicut exigit jus civile *l. Qui* 20 *§. Eum, qui ff. de testam.* ubi, quòd testis debet esse talis in testamento, qualis valet esse in judicio, exclusis fœminis; *& §. Veteres*, dicitur, quòd testes debent esse præsentes, & sensu; ac intellectu percipere, quod dicitur à testatore; & seq; *l. Hæredes* 21. *§. in testamentis eod.* debent esse rogati, hoc est moniti, & certiorati, quòd ad hoc sunt adhibiti: sed hæc omnia comprehenduntur sub eodem cap. *cum esses*, illis verbis. *Coram duabus, vel tribus aliis personis idoneis*, non enim jus Canonicum, ut probavi hìc *q.* 14. in alio correxit jus Civile, nisi in numero testium, dum probavit numerum septennarium, ergo illud reliquit in suo robore, quo ad qualitatem testium. Confirmatur id, quia idoneitas testium in eo consistit, ut non sint in aliquo suspecti, id enim important ea verba *personis idoneis*, ut tradunt *Host. hìc num. 7. & Joannes Andreas num. 3. apud Fagnanum num.* 33.

77 Quod procedit, sivè adhibeantur coram testatore, sivè ad recognoscendam scripturam per manum testatoris, nàm & in *cap. Relatum* utitur urgentioribus verbis *Legitimis testibus requisitis*, quæ important in testibus prædictas qualitates à lege requisitas; ideò enim dicuntur legitimi, quia sunt secundùm leges, illud enim legitimum dicitur, quod à lege procedit, *§. Sed istæ instit. de Act. Glos. V. Generalioris, extr. com. 2. de sepult.* Et quidem si his qualitatibus debent esse prædíti testes secundùm leges de numero septennario, à fortiori de numero ternario secundùm Canones, cùm testes multiplicentur ad evitandas fraudes, quæ non ità facilè evitantur in paucioribus, & minùs quoque idoneis, sicut in pluribus omnibus existentibus legitimis: necesse est ergo dicere jus Canonicum excludens numerum septennarium, non ideò excludere pauciorum qualitates jure civili requisitas, cùm nulla lex foveat fraudes, & deceptiones.

79 Itaque in omnibus testibus testamentorum ad causas tùm profanas, tùm pias factorum ad formam utriusque capitis, requiruntur præfatæ conditiones, ut docent *Boer. dec. 34. num. 5. Roman. in Auth. Similiter, ff. ad leg. Falcid. special. 11. Vasq. de testam. num. 10. Didacus Spino in Speculo testium Glos. Princip. 31. num. 30 & 45.* Requirentes, ut testes sint rogati in causis etiam piis; ex quo sequitur etiam debere esse etiam præditos aliis qualitatibus, quæ majoris sunt ponderis, & augent fidem in testibus.

Contrarium, quòd non requiratur rogitus testium, docent multò plures apud *Dianam resol. 17. de testam. Barb. ad cap. Relatum num. 8. Gratian. cap. 93 num. 8.* dicens esse multò veriorem hanc opinionem, qui tamen id concedunt in testamentis profanis, cum Fagnano ad cap. *cum esses* multos citans *à num. 15. ad 23.* sed non video, qua ratione subsistere possit hæc differentia, quòd qualitas rogitus, & similium requiratur in profanis, non in piis, cum idem cap. *cum esses* diversimodè non sit intelligendum, dùm habet eandem dispositionem indifferenter ad utrumque genus testamenti; neque enim hæc differentia colligi potest ex cap. *Relatum*, quod non requirit testes in confectione testamentorum, dùm scribuntur per manum ipsius testatoris, sed tantùm in probatione manus illius.

Nec quidquam prodest eorum responsio, probantium in testamentis profanis requiri testium supradictas qualitates jure civili petitas, quia in eis potest esse suspicio fraudis, & falsitatis, non autem in testamentis piis. Siquidem, & in his idē periculum suspicari potest, dum scribitur à Notario, aut Sacerdote ad formam *cap. cum esses*; non autem dum scribatur ab ipso testatore, in quo casu sicut non requiruntur testes, ità nec locum habere potest dicta differentia.

80 Deducitur ex his fœminam non esse testem idoneam non solùm jure civili, *ex cit. l. 20. ff de testam.* sed nec de jure canonico, tùm quia in utroq; capite requiruntur testes idonei, & legitimi, quales non sunt mulieres, quorum testimonium est fragile habentium cor instabile, *cap. Forus* 10. *de verb. signif.* ubi, quòd fœmina varium, & mutabile testimonium semper producit. Tùm quia jus canonicum non corrigit jus civile, nisi quoad numerū testium. Ità docent *Covar. ad cap. cum esses n. 14. aliis citatis cum Barb. ibid. n. 7.* dicente veriorem; contrà alios, qui nulli nituntur solido fundamento. Idem tamen *Covar. in sequenti cap. relatum, n. 5.* sequitur *Glos. in Auth.* quòd sine *post l. 21. C. de testam.* asserentem duas fœminas esse idoneas testes in testamēto patris pro suis filiis, undè ne sibi contrarietur, videtur in priori locutus de profanis, in posteriori de piis. Sed quid quid sit de hoc.

Ego hìc obsérvo, prędictā authenticam nō requirere testes, quando pater conficit, & pro-

& propria manu ſcribit teſtamentum filiis, fruſtra ergo quæritur de eorum qualitate, dum non adhibentur, quod idem dicitur, ſi piè teſtetur, cum non poſſit ſeipſum, nec hæredes decipere, dum poteſt de ſuis bonis ſic, vel alio modo diſponere. Si verò ab extraneo ſcribatur teſtamentum ſivè profanum, ſivè pium ad præſentiam duorum teſtium, requiritur, quòd ſint idonei, quia tunc diſpoſitio fit ad formam non poſterioris capitis, ſed prioris.

Quæres 17. An in *cap. cum eſſes* agatur tantùm de teſtamentis noncupativis, an 81 etiam de ſcriptis per manum teſtatoris? illa noſtris temporibus ſunt in uſu, & vocantur nuncupativa, quia in illis manifeſtatur à Notario coram teſtibus quicquid facit teſtator, & ſine ſcriptis dicuntur, quia teſtes non ſe ſubſcribunt, ut faciunt in ſcripto per manum teſtatoris. Vide *l. hac conſultiſſima* 21. *l. jubemus* 29. *C. de teſtamentis.*

82 R. Sermo eſt de diſpoſitione utriuſque teſtamenti, cùm textus hujus *cap. cum eſſes* reprobando numerum ſeptennarium teſtium, qui requiritur jure civili non ſolùm in nuncupativo, ſed etiam ſcripto teſtamento, comprehendat utrumq; teſtamenti genus. Quidquid dicat Aloyſius Albricius in ſua allegatione, reſtringens caput ad teſtamenta nuncupativa, ea ratione ſacri textus: *In ore duorum &c.* nàm teſtis in teſtamento in ſcriptis non loquitur, ſed tantùm ſcribit: in nuncupativo verò non ſcribit, ſed tantùm loquitur.

83 Nihilominùs hæc ratio non convincit, quia ſacer textus alio modo adduci non poterat, niſi in ſuis formalibus verbis. Nomen ergo *oris* utique teſtamento inſervit, nàm in ſcripto interrogatur, an velit ſubſcribere, & ſic ore reſpondens in eo verificãtur ea verba: *In ore duorum*, cum ea ſola differentia, quòd in ſcripto præter locutionem ſcribit, in nuncupativo ſolùm loquitur. Teſtis ergo ſcribens, ore etiam loquitur, quia non ſcribitur conceptus, niſi priùs è corde exeat per os ad ſcripturam, id experior in me, qui ſine oris opere non ſoleo ſcribere.

Quæres 18. Quis veniat ſub nomine *Preſbiteri*, de quo in *cap. cum eſſes*, coram quo ejus Parochianus facit teſtamentum?

84 R. Nomine Preſbiteri venit Parochus ejus, qui vult condere teſtamentum, ibi: *Et teſtamenta, quæ Parochiani coram Preſbitero ſuo*. Quo nomine venit etiam delegatus ad curam animarum. Et in hoc cõveniunt omnes, cùm textus ſcriptum declaret, ut *ex Corneo lib. 2. conſ. 12. n. 12. verſ. ponderandum eſt*, qui idem dicit de Confeſſario audiente teſtatoris confeſſionẽ, *lib. 4. conſ. 26. num. 31. verſ. tamen intervenit, cum aliis Rota par. 9. deciſ. 312. n. 12. & dec. 372. num. 14. 18. ad 22. & 34.* referens prædicta, *cum Ottob. deciſ. 145. num. 14. & 15.*

Quòd Corneus dicit de Confeſſario nulla ratione Parocho ab aliis reprobatur, adeò quod teſtamentum factum coram alio Parocho, quàm proprio, non valeat. Ità *Genvenſis in Practic. q. 660. apud Barb. ad hoc cap. cum eſſes, num. 6. Fagnanus ibidem à num. 24. Marinus lib. 2. Reſol. Quotid. cap 229. n. 2. ex eod. Corneo lib. 1. conſ. 77. num 2. Tuſchol. lit. T. concl. 113. num. 8.* Ità quòd alter Sacerdos non poteſt ſupplere vices ejus, ſi non habet curam animarum ab eo delegatus, *Magdalenus par. 2 de numero teſt. cap. 8. num 5. Renatus Chopinus de ſacr. forenſ. polit. lib. 3. tit. 1. num. 13. Borella par. 3 deciſ. de teſtam. num 208.* Non eſt autem neceſſe, quòd Parochus ſit Sacerdos, quia nondùm Sacerdos, imò cùm ſola prima tonſura poteſt eligi, & aſſumi ad beneficium Curatum, cui ſufficit infrà ſemeſtre recipere omnes Ordines. Preſbiter ergo fungitur officio Notarii in tali caſu, dum teſtamentum ſcribit, ut inſinuat Barboſa.

Quæres 19. An hujuſmodi forma teſtãdi coram Preſbitero, reſtringatur ad teſtamentum factum à teſtatore laborante infirmtate, an etiam extendatur ad ſanum teſtatorem?

85 R. Is modus teſtandi conceſſus eſt ſolùm infirmis, ut clarè colligitur ex illis verbis *In extrema voluntate*, nàm ad hanc ſequitur mors, & mors ex infirmitate. Ità *ex Rubeo in reſol. Practicab. cap. 33. num. 51. Albricius cap 3 Verſ. Minùs obſtat. ex Cenedo Barboſa hìc num 8. Rota par. 9. dec. 369. num. 8.* ubi quando teſtatur in aliena Parochia, quod dicendum, *num 15.*

Quæres 20. An debeantur legata profana in teſtamento ad formam utriuſq; capitis condito ad pias cauſas?

86 R. Affirmativè, quia legata, quæcumq; ea ſint, ſivè pia, ſivè profana, ſequuntur naturam teſtamenti, in quo ſcripta ſunt, quia ei ſunt acceſſoria, & ejus partes, ergo ſi valet teſtamentum, etiam legata quæcumq; non enim eſt major ratio, cur valeãt pia, cum cauſa pia eſt iſtituta, & non profana, cum ambo ex æquo accedant teſtamento. Confirmatur, quia pietas relucẽs in teſtamento, non poteſt generare impietatem, qualis eſſet, ſi legata profana eſſent invalida in præjudicium ad ea vocatorum. Ità *Covar. in cap. Relatum num. 11. Leſſius lib. 2 cap. 19 dub. 2. num. 9. Rubeus in Practic ab. cap. 55.*

Contrarium, quòd non debeantur legata profana in teſtamento Canonicè facto ad pias cauſas, deficiente ſeptem teſtium ſolemnitate, docent *Bonac. diſp. 3. de contr. q. 1. par. 3. num. 18. Jaſon. in l. 21. C. de teſtam. num. 10. cum aliis, quos proſe congerit Albricius cit. cap. 3. Verſ. Quidquid autem ſit.*

Probant *primò*, quia *ex l. 21 cit.* in fine, in teſtamento minùs ſolemni facto à patre inter filios, legata non debentur ab eo facta

cta extraneis. *Secundò*, quia jus civile irritat contractus sine solemnitate factos, inter quos est legatum profanum. *Tertiò*, quia si sunt valida, maximè, quia sequũtur principale validum; sed hæc ratio non convincit, quia accessorium sequitur principale non quoad validitatem, sed quoad conditionem. *Quartò*, imò sequeretur juramentum cadens super testamentum, vel alium contractum aliàs invalidum, nõ confirmare contractum, cum juramentum sit accessorium, & contractus principale. *Quintò*, sequeretur legata pia contenta in testamento, facto sine solemnitate ad pias causas esse invalida, cum testamentum sit principale, & legatum accessorium.

Ad primum respondeo primò, ibidem sermonem esse de institutione præcisè facta favore filiorum, & extraneorum simul, sine scriptis, in sequenti verò *Auth. quod sine*, decernitur valere testamentum factum, & scriptum à patre filiis institutis, & legata extraneis relicta, ergo valent legata profana in institutione pia, sicut valent in institutione paterna.

87 Ad secundum, nego legatum esse contractum, cum ex sua definitione constet esse donationem in testamento relictam quæ propriè contractus non est de cujus natura est, ut sit irrevocabilis ex una tantùm parte, legata verò vera quandocumque revocari possunt, sicut testamentum à quo pendent.

Ad tertium, natura accessorii est, ut sequatur principale quoad valorem suum, cum aliud esse non habeat, nisi principalis.

88 Ad quartum, juramẽtum in confirmatione contractum non habet rationem accessorum, sed est causa legalis obligans jurantem ad sui observationem, juxtà dicta à Theologis cum *Sanchez lib. 3. cap* 22. Non potest ergo habere rationem accessorii, cùm causa non sit inferior suo effectu, sed vel æqualis, si sit univoca, vel major, si sit æquivoca, ut est juramentum in iis, quibus adiicitur. Modò legata testamentis adiecta nihil penitùs operantur circa illa, sed res è contrà se habet eò, quòd testamenta dant esse legatis.

Ad quartum, verum est, quòd nullo existente testamento simpliciter, & ex defectu formæ Juris canonici sint quoque invalida legata etiam pia, ut patet ex supradictis, in casu autem præsenti tenet testamentum pium, ergo & legatum pium, & profanum, de quo agitur.

Quæres 21. An defectus loci, & temporis in testamẽto vitiẽt legata in eo scripta.

89 R. Non vitiare defectum loci, neque temporis, quia non sunt de essentia testamenti, proindè cum subsistat testamentum posita legalizatione deputatorum, subsistunt quoque legata quæcumque præsertim pia. Ità *Alex. cons.* 4. *num.* 15. *vol.* 7. *Corneus cons.* 307. *num.* 17. *vol.* 3. *cum aliis Diana resol.* 23. *&* 24. *de testam.*

Quæres 22. An testamentum primum solemniter factum, ideſt, cùm omnibus requisitis juris civilis, revocetur per secundùm minùs solemne, ideſt factum ad formam juris canonici?

90 R. Affirmativè, quia secundùm testamentum validum infringit primum pariter validum, hoc enim ipso, quòd primum non ampliùs est ultima voluntas, cum illi nova successerit sequitur, quòd primum expiraverit, cùm testamentum essentialiter sit ultima voluntas. Est communis *cum Molina tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 153. *Silv. V. testamentum q.* 7. *fine*, *de Lugo disp.* 22. *num.* 270. *Bonac. q.* 1. *de restit. par* 3. *nu.* 16. *cum aliis Diana resol.* 26. *de testam.* Quare legata quæcumq; etiam pia evanescent scripta in priori testamento, ex ea communi ratione, quòd non valent legata etiam pia, quandocumq; nullum est testamentum, vel ex se, vel ex revocatione.

Quæres 23. An testes in testamento sivè jure civili, sivè canonico sint necessarii nõ solùm ad prohibitionem, sed etiam ad valorem testamenti tàm pii, quàm profani.

91 R. Testes non solùm jure civili, sed etiam jure canonico duo, aut tres in quolibet testamento tàm profano, quàm pio sunt necessarii, non solùm pro probatione, sed etiam pro valore testamẽti ad formam capitis *Cum esses*; Non verò si testator ipse illud scribat, & subscribat, in quo pia causa instituitur. Est communis de *Lugo disp.* 22. *num.* 266.

Prima pars, quòd numerus testium septennarius sit etiam pro valore testamenti, probata manet suprà, ità quòd defectu unius testis sit nullum *l. si unius ff. de testam. l. distantibus* 22. *C. eod.* ibi: *Ad efficiendam voluntatem adhibitis*, ideſt, testamẽtũ.

Secunda pars, quòd jure canonico requisiti sint pro valore testamenti cujuslibet, probatur 92 *ex cap. cum esses*, cùm præscribantur pro forma qua non servata corruat actus. Ità *Pasqualig. q.* 260. *in Centur.* 3. *num.* 4. *&* 6. *Covar. num.* 8 *in cap. Cum esses.*

93 Tertia, pars, quòd testes non sint necessarii ad valorem, sed tantùm ad probationem, quando testator propria manu scribit, & subscribit testamentum, in quo instituitur pia causa; probatur ex *cap. Relatum*, ubi testes requiruntur ad probationẽ tantùm, ex illis verbis. *Quatenùs cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta*, ex quibus verbis supponitur factũ testamentum, *eam non secundùm leges, sed secundùm decretorum statuta tractetis, tribus, aut duob. testibus requisitis* cùm scilicèt examinatur scriptura testamenti, an sit ejus, qui se subscripsit illius auctorem. In hoc casu ergo non sunt necessarii testes ad valorem, sed tantùm ad probationem, ut etiam probavi suprà *q.* 13. *vers.* Textus iste. Ità *Rota par.* 8. *decis.* 166. *num.* 4. *&* 19. *cum aliis ibidem citatis & à Gratian. cap.* 605. *num.* 20.

Quæ-

Quæres 24. An teſtamentum ore tenus factum, obliget hæredes ad exequendam teſtatoris mentem tàm quo ad profana, quàm pia legata?

94 R. Si hæres propriis auribus audivit voluntatem teſtatoris, ſivè expreſsè promiſerit exequi ejus voluntatem, ſive tacitè, adeundo hæreditatem, tenetur in foro conſcientiæ, quia ſe obligavit altero ex dictis modis *de Lugo diſp. 22. nu. 267.* Dixi *in foro conſcientiæ*, quia cùm in judicio id non poſſit probari defectu teſtium, fruſtra recurritur ad Judicem.

Quæres 25. An forma cap. *cum eſſes*, habeat locum in codicillis?

95 R. Affirmativè, quia codicilli ſunt partes teſtamenti, *Rota vol. 1 dec. 228. num. 1. Gratian. cap. 922. num. 20* Pars autem regulatur ad rationem totius, cui dicitur ineſſe, ergo quidquid dictum eſt de teſtamentis, locum habet in codicillis. Ita *Rota p. 9 dec 312. num 14. aliis citatis*

Quæres 26 An legata expreſſa in teſtamento nutu facto; vel ad interrogationem; vel commiſſa alterius arbitrio, valeant præſertim pia?

96 R. Jure civili ſicut non valet teſtamentum illis tribus modis factum, *ex l. Jubemus 29 C. de teſt. & l. Illa 32. ff de hæred inſtit.* ita neque legata in eis expreſſa; Jure verò Canonico valent teſtamenta, & legata in eis expreſſa pia, ut colligitur *ex cap. Cum tibi 13. de teſt.* Teſtamentum ergo nutu factum cum legatis piis valet, medo percipiatur, quid voluerit ſignificare. Ità *Gloſ. in cit. cap. Tiraq. privil 8 Clarus V. Teſtamentum q. 6 num 7 Barb lib. 3. de jure cap. 27. num 97. & ad hoc caput.* Quoad interrogationem, *Covar. ad dict. cap. num. 11. Verſ Tertius Barb. hìc. Diana reſol. 20 de teſtam. Verſ. Adde, Rota par 9. dec. 288. n. 11* Demùm quo ad arbitrium alienum expreſsè *cap. cum tibi, & omnes ibidem à Barboſa citati Merlin dec 805 nu 10 Diana reſol. 20.* debet tamen clarè conſtare de prædictis circumſtantiis per teſtes legitimos; non enim credendum eſt aſſerenti talem in ſe tranſtuliſſe propriam voluntatem teſtandi, etiamſi teſtamentum ſit futurum in favorem extraneorum, & non ſolùm pro ſe, cui tunc nulla ratione credendum.

Quæres 27. An teſtamentum factum coram Parocho, & duobus teſtibus, ſeu tribus ad formam cap. *cum eſſes*; vel à ſolo teſtatore ſcriptum, & ſubſcriptum ad formam alterius cap. *Relatum* ſit recognoſcendum, ut ſuum ſortiri poſſit effectum?

97 R. Affirmativè, quia ſcriptura, in qua exprimitur teſtamentum cum ſuis legatis, eſt privata, licèt ſcripta à Præsbytero, qui tamen per hoc non dicitur Tabellio, *Rota p. 9. deciſ. 372. num. 34.* ac proinde recognoſcenda, *ex l. Inſtrumenta 5. l. Rationes 6. l. Exemplo C. 7. de probat.* & in formam authenticam redigenda, *ex l. Publicari 2. C. de teſtam.* In qua actione citandi ſunt intereſſe habentes, aliter non valet, parte incitata, *ex allatis à Genua lib. 2. de ſcript. privata cap. 3. num 39.* Et manifeſtè colligitur in terminis noſtris ex cap. *Relatum* illis verbis: *cum aliqua cauſa talis*, ideſt, pia, *ad veſtrum fuerit examen deducta, eam tractetis tribus, aut duobus legitimis teſtibus requiſitis.* Illi enim teſtes, ut dixi: *ſub q 20. Verſ Tertia*, referuntur ad probandam, & recognoſcendam ſcripturam. Ità *Neviz. conſ. 26. cum aliis Rota par. 6. dec. 126. num 3.*

Quæres 28 Ad quem Judicem pertineat hæc recognitio deducenda in formam autenticam?

98 R. Cauſa hæc cùm ſit mixti fori, datur locus prævention, *ex allegat. à Ciarlin cap. 21. num. 10. ex cap. Tua, Cap. Joannes de teſtam Barb. Allegat. 82 num. 13. & 14.* conſequenter Judex Eccleſiaſticus poterit procedere in hac cauſa pia examinando Parochum, & teſtes, recognoſcendo ſcripturam etiam contra laicum hæredem ex tali teſtamento, *ex eiſdem, & Rota par. 6 dec. 126. num 6. ex Tiraquel. privil. 149. Gutier. practic. cap 44. num. 2. lib. 1.* iterùm *Ciarlin. cap. 28 num. 18.* plures referens. Et in hoc examine Judex non ſolùm Eccleſiaſticus, ſed etiam laicus debet procedere ad formam juris Canonici, *cap Cum eſſes, cap Relatum, & cap. Cum tibi, de teſtam* ut expreſsè dicitur in cap. Relatum.

Quæres 29 An Parochus in teſtamento poſſit ſcribere legatum factum à Parochiano Eccleſiæ ſuæ?

99 R. Affirmativè, quia eſt intereſſe Eccleſiæ, & non proprium, ergo ei credendum, *ex cap. Cum inter 13. de ſent. & re jud. ubi Hoſt. Joan. Andr. & alii cum Rota coram Merlino dec. 536* Si pro ſe illud ſcribat, non valet, nec ei creditur, cùm agatur de proprio intereſſe, ut dicit ibidem Rota. Si ſit legatum miſſarum credendum eſt, quia tendit in cultum Eccleſiæ, honorem Dei, & ſalutem animæ.

---

## CAPUT SEXTUM.

### *De Legatis Miſſarum.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Uſus eſt in Eccleſia celebrandi miſſas legatorum pro defunctis.*
2 *Antiquiſſimus cum ipſa Eccleſia natus.*
3 *Legatum miſſarum eſt ipſum onus celebrandi, non ejus ſtipendium.*
4 *In legatis duo ſpectantur, onus celebrandi, & ſtipendium.*
5 *Legata aliàs ut plurimùm erant gratioſa ſine onere.*

6 *Legatum ſimplex, quod relinquitur à teſtatore extrà limen fundationis juriſpatronatus.*

7 *Conventionale eſt illud, quod totum ſuum eſſe habet ex mutua obligatione inter viventes.*

8 *Conventio cum hæredibus de ſalario non facit conventionale, quod erat ſimplex jam inſtitutum à teſtatore.*

9 *Impoſitum à donatore ſimplex eſt, cum non ſit mutua obligatio.*

10 *Legatum, præſente legatario acceptante, remanet ſimplex.*

11 *Eſt conventionale, ſi teſtaturus conveniat ante ſuper ſalario.*

12 *Alteratio ſtipendii non mutat legatum de ſimplici in conventionale.*

13 *Non fit conventionale, ſi teſtator diſponat, quòd non ſoluto ſtipendio, certus fundus tranſeat ad legatarium.*

14 *Legatum in limine fundationis eſt illud, quod propoſitum à teſtatore inſtituitur beneficium patronale ab Epiſcopo, & non ab alio. Dicitur dos Eccleſiæ.*

15 *Capellania alia Ecclesiaſtica ex fundatione beneficii, alia laicalis ex conſtitutione puri ſalarii.*

16 *In beneficiis attenditur ultimus ſtatus, quando ignoratur qualis fuerit ab initio.*

17 In limine fundationis *intelligitur de beneficio Ecclesiaſtico.*

18 *Ecclesia indotata in erectione, poſtmodum dotari poteſt.*

19 In limine fundationis *importat tantùm canonicam erectionem.*

20 *Legata alia perpetua, alia ad tempus determinatum.*

21 *Perpetuum dicitur tribus modis, uſque ad centum annos, non habet locum in*

22 *miſſis ad vitum hominis relictum uſq; ad finem mundi; & ità durant legata perpetua miſſarum.*

23 *Legata perpetua ſunt ultrà centum annos, quia eorum emolumentum non eſt uſusfructus, ſed merces, & ſtipendium.*

24 *Omnia ſub ſole finem habent numer. 22. Perpetuum tempus, quod durat in ſæcula ſæculorum.*

25 *Capellania dicit onus celebrandi annuatim miſſas.*

26 Capellæ *nomine venit omnis Ecclesia.*

27 *Capellania Ecclesiaſtica eſt illa, quæ erigitur ab Epiſcopo cum onere celebrandi, & dicitur beneficium.*

28 *Epiſcopi ſolius auctoritate Capellania fit Ecclesiaſtica.*

29 *Ea ſoli clerico confertur.*

30 *Super præſentatione Capellani, & collatione nullum pactum.*

31 *Capellania laicalis, quæ à ſolo teſtatore erigitur, & confertur.*

32 *Dos dicitur reſpectu Ecclesiaſticæ, non laicalis.*

33 *Capellanus beneficialis tenetur reparare Capellam non laicalis.*

34 *Ille dicitur Sponſus ſuæ Capellæ, iſte tantùm mercenarius.*

35 *Capellania laicalis eſt ſub patrono, non ſub Epiſcopo.*

36 *Capellania Ecclesiaſtica à ſolis Epiſcopo, vel Prælato confertur.*

37 *Laicalis ab aliis quoque, & poteſt eſſe patrimonium pro Clerico.*

38 *Laicalis de conſenſu Patroni poteſt converti ab Epiſcopo in beneficium.*

39 *In dubio ſuæ fundationis cenſetur Ecclesiaſticè fundata, etiam per unicam collationem, aliter non.*

40 *Erectio Capellaniæ in beneficialem fit à ſolo Epiſcopo.*

41 *Beneficium onus habet adiunctum ſpirituales celebrandi.*

42 *Regulares non poſſunt erigere Capellanias ecclesiaſticas, ſed tantùm officiaturas recipere, ſeù capellanias laicales.*

43 *Beneficium Sacerdotale eſt illud, quod habet annexum onus celebrandi miſſam. Ajunt, eſſe illud, cui Sacerdos per ſeipſum ſervire debet.*

44 *Conferri poteſt Clerico etiam primæ tonſuræ.*

45 *Modò ſit ingreſſus ad annum decimum quartum.*

46 *Faciens per alium dicitur facere per ſeipſum.*

47 *Teſtator requirens Sacerdotium exaudiendus eſt, ità quòd fiat Sacerdos infrà annum.*

48 *Teſtator cenſetur ſe accomodare cum diſpoſitione juris.*

49 *Argumentum valet à Lege ad Teſtatorem.*

50 *Beneficia quęcumque conferuntur Clerico, modò infrà annum fiat Sacerdos, licèt per ſe debeat celebrare.*

51 *Capellanus tunc ſolùm per ſe celebrat, quando teſtator adiecit hanc clauſulam.* Per ſeipſum celebret.

52 *In æquipollentiis reperitur neſcio quid ambiguitatis.*

53 *Sacerdotale beneficium, cui perſonaliter tantùm inſervitur.*

54 *Coginõ poteſt Capellanus ab Epiſcopo celebrare per ſe, quando à teſtatore non fuit expreſsè obligatus.*

55 *Teſtator dat licentiam, ut poſſit etiam per alium celebrare.*

56 *Id facere non poteſt Epiſcopus nec hæredes, quando per ſe Capellanus commodè poteſt celebrare.*

57 *Teſtator poteſt obligare Capellanum reficere omiſſas ex quacumque cauſa.*

58 *Vocatio in miſſis quotidianis ſemel in hebdomada ex quacumque cauſa honeſta conceditur.*

59 *Et eo die poteſt pro alio celebrare ſtipe accepta.*

60 *Procedit, sivè obligetur personaliter, sivè non.*
61 *Expressio ejus, quod tacitè inest, non inducit novam dispositionem.*
62 *Missæ ex non quotidiana omissæ ex quavis causa reficiuntur.*
63 *Etiam affixæ diei, licèt non cæteræ obligationes, ut jejunii, officii, quia hæ non fundantur in obligatione Justitiæ, sicut illæ.*
64 *Omissæ verò ex causa infirmitatis à Beneficiario non reficiuntur à Mercenario post bimestre tantùm.*
65 *Infirmitas autem debet esse notabilis, ne possit nisi cum gravi incommodo sui corporis accedere ad Altare.*
66 *Impedimentis aliis justis excusatur à celebratione, & refectione.*
67 *Impeditus non dicitur, qui potest commodè removere illud.*
68 *Excommunicatus excusatur non negligens absolutionem.*
69 *Non excusatur existens in peccato mortali, etiam carens Confessario, quia debet conteri.*
70 *Neque occupatus in Confessionibus, Concionibus, & Studiis.*
71 *Obligatus per se celebrare peccat mortaliter celebrans per alium.*
72 *Residentia non obligat in beneficiis simplicibus.*
73 *Capellanus etiam laicalis, qui celebravit per alium, cùm teneretur per se, non tenetur quicquam restituere.*
74 *Vacatio in missis interpollatis non datur, nec mutatio diei in diem.*
75 *In die Natalis sufficit una missa pro patrono. Et in die commemorationis defunctorum non est necessarium applicare pro testatore, sed pro omnibus indifferenter.*
76 *Celebrans illo triduo ante Pascha non tenetur pro patrono, undè potest pro alio celebrare.*
77 *Nomine* diei festi *venit festum de præcepto, non ex devotione.*
78 *Anticipari non possunt missæ affixæ certis diebus.*
79 *Plus dat, qui dat ante tempus. Qui tardiùs, minùs dat.*
80 *Qui tardiùs solvit, minùs solvit.*
81 *Peccat mortaliter non celebrans hora præfixa à testatore.*
82 *Peccat mortaliter contraveniens menti expressæ testatoriis.*
83 *Peccat mortaliter celebrans ultrà vicies in alio Altari.*
84 *Hæredes non habent potestatem mutandi Altare.*
85 *Episcopus potest etiam sinè hæredibus, si adsit legitima causa.*
86 *Ut si Altare sit reparandum, disacratum, & interdictum &c.*
87 *Sinè causa nec Capellanus, nec Episcopus Altare mutare possunt.*
88 *In translatione non transfertur onus, quandò in priori Ecclesia est sepulchrū, vel Capella testatoris.*
89 *Legatum absque designatione loci debetur, ubi testator sepellitur.*
90 *Legatum factum contemplatione Religiosorum, totum transfertur ad secundam Ecclesiam.*
91 *Legatarius præsumitur minus gravari à testatore.*
92 *Expressio Ecclesiæ fiat taxativè, cum ei factum fuit legatum, expressio verò Capellani demonstrativè, & è contra.*
93 *Prima Ecclesia destructa, jura, & privilegia transeunt ad secundam, sicut & in translatione.*
94 *Non valens celebrare in una Ecclesia, celebret in alia.*
95 *Suffragium animæ est causa principalis, quæ perpetuò durat.*
96 *Celebrans extrà locum designatum ad nullam tenetur restitutionem.*
97 *Simonia committitur, si pactum referatur immediatè in celebrationem, non autem relatum ad obligationem, & ad operas, & laborem.*
98 *Non celebrans in Altari designato, infidelis est, non contrà justitiam facit.*
99 *Nec in Altari privilegiato potest celebrare, quandò aliud signavit.*
100 *Procuratori assimilatur Capellanus.*
101 Si voluisset expressisset.
102 Noluit, quia non expressit.
103 *Missæ defunctorum non celebrantur in diebus dominicis, & duplicibus, nec diebus provilegiatis, loquendo de privatis.*
104 *In die obitus occurrentis in festis de præcepto cantatur missa.*
105 *Exceptis festis primæ classis, quæ omnia præseferunt magnam solemnitatem etiam Jovis, & Sabbati Sanctorum.*
106 *Comparativum non tollit positivum.*
107 *Cadaver debet esse tunc expositum in Ecclesia.*
108 *Corpus tunc est præsens, cum apparet visibiliter in loco.*
109 *Tunc etiam missæ privatæ dici possunt, ut partes accessoriæ solemni.*
110 *In diebus Sanctis Jovis, & Sabbati non possunt celebrari missæ nec solemnis, quia sunt magnæ solemnitatis, & lętitiæ.*
111 *Missæ solemnes anniversariorum, & de diebus tertio, septimo, & trigesimo celebrantur in duplicibus non præceptis, in quibus præcedunt, vel postponuntur.*
112 *Missa privata in rigore non debet dici in festo duplici ad instantiam vivorum pro mortuis.*
113 *Capellanus non tenetur dicere de mortuis in dominicis, & duplicibus, & privilegiatis.*

114 *Mens testatoris interpretanda secundùm dispositionem juris.*

115 *Testator non potest excludere leges à suo testamento.*

116 *Verba ejus ità sunt intelligenda, ut non inferatur peccasse in factione sui testamenti.*

117 *Missam currentem celebrans satisfacit suæ obligationi.*

118 *Animæ defunctorum solvuntur oblatione, precibus Sanctorum, eleemosinis, & jejuniis.*

119 *Missæ defunctorum magis prosunt, quàm de vivis, sed nihilominùs satisfit per æquivalentiam devotionis, & Sanctorum intercessionem.*

120 *S. Gregorii missæ celebrari possunt juxta rubricas, debent tamen continuari, & ab eodem sacerdote celebrari.*

121 *Casus omissus relinquitur dispositioni juris communis.*

122 Omninò *importat decretum irritans.*

123 *Licentia necessaria pro recipiendis legatis perpetuis missarum.*

124 *Decretum super licentia extensum.*

125 *Interdicti pœna ab ingressu Ecclesiæ contrà recipientes onera perpetua sinè licentia sæculares tantùm.*

126 *Capsulæ auferendæ, nec restituendæ sub eisdem pœnis.*

127 *Regulares superiores, & consentientes receptioni missarum perpetuarum sinè licentia, sunt rei privationis officiorum, inhabilitatis, & vocum, etiam privati recipientes manuales non satisfacientes quamprimùm, ideſt, infrà trimestre* 137

128 *Regulares non sunt Rei interdicti.*

129 *Tres sunt actiones pœnarum, receptio onerum perpetuorum sinè licentia, eleemosinarum manualium, & non ablatio capsularum.*

130 *Pœna interdicti statim incurritur.*

131 *Censuræ enim habent paratam executionem.*

132 *Pari passu illæ currunt.*

133 *Aliæ pœnæ incurruntur post sententiam.*

134 Absque alia declaratione *non excludit declarationem criminis.*

135 *Absolvuntur, & dispensantur à suis Superioribus, facta satisfactione.*

136 *Pœnæ sunt reorum respectu missarum defunctorum tantùm.*

137 *Non possunt recipere manuales, nisi satisfecerint infrà trimestre.*

138 *Episcopus, & Generales dant licentiam recipiendi onera perpetua, quandò Sacerdotes habent non obligatas.*

139 *Aliter injustè agunt, & damnificant animas defunctorum.*

140 *Legatum est meritorium, & satisfactorium tunc, cum quis moritur in gratia Dei, quamvis testatus sit in peccato mortali.*

141 *Testamentum morte confirmatur.*

142 *Dispositio spectatur pro eo tempore, pro quo confert suum effectum.*

143 *Testamentum morte testatoris perficitur, & absolvitur.*

144 *Obligatio missarum non præsumitur, licèt pingues sint fructus.*

QUamvis legatum sit onerosum semper hæredi, cùm illud solvere debeat legatario, cui est lucrativum, privando se illo emolumento, nihilominùs quandoque etiam legatario est onerosum, dum illi imponitur aliquid exequendum, & hoc contingit in legatis missarum, & anniversariorum, quæ imponuntur Ecclesiis, & de his hìc agendum.

Quæres 1. An in Ecclesia Dei sit jus apud fideles quoscumq; activum onerandi Ecclesias ad celebranda divina officia, & missas; & passivum apud Ecclesias recipiendi hujusmodi onera cum suis stipendiis, & emolumentis.

1 R. Affirmativè, utrumque jus innatum esse Ecclesiæ ab origine mundi, nam filii Adam obtulerunt munera Domino *Gen.* 4. 4. Melchisedech obtulit panem, & vinum, *ibid.* 14. 18. Judas Machab. ut legitur *lib.* 2. *cap.* 12. 43. duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolimam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium; undè *in cap. Animæ* 22. 13. *q.* 2. dicitur, quòd animæ defunctorum quatuor adjuvantur, orationibus, & sacrificiis Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut Jejuniis, & eleemosinis cognatorum, & refert

2 *cap. Cum creatura* 11 *de celebr. miss. ar. Glos. V. Pro anniversariis.* Usus ergò legatorum in Ecclesia Dei pro defunctis existit; de fide tenendum, & nullus contradicit.

Quæres 2. In quo consistat ratio legati missarū? In onere celebrandi, an in stipendio dato pro onere, & labore celebrationis?

3 R. Ratio legati missarum consistit in onere celebrandi, non in stipendio, quia legatum specificatur non à stipendio, sed ab ipso onere, à quo appellatur onerosum, nam hoc est causa illius, ac proindè non potest illi dare esse, cum causa det esse effectui causæ, & non effectus causæ. Confirmatur, quia onera missarum reducibilia sunt, posita exiguitate stipendii, & non ipsa stipendia; ergò in illis consistit ratio legati, & non in istis.

Dices, contrarium colligi ex definitione legati, quod est donatio quædam relicta à testatore solvenda ab ejus hærede, undè importat diminutionem hæreditatis; sed onus hoc non est donatio, nam hæc utilis est legatario lucranti rem legatam, sed gravamen impositum legatario; nec importat hoc onus de se diminutionem, nisi per reductionem missarū ad favorem legatarii tantùm, nihil diminuendo de bonis hæreditariis; ergò ratio

tio legati non consistit in onere missarum, sed in stipendio; solent enim testatores legata sic exprimere, lego centum, lego domum, lego fundum cum onere tot missarum, in his ergo rebus consistit legatum, cui adiungitur onus celebrandi.

Resp. Argumentum procedere de legatis sine onere; cum enim in illis nihil reperiatur præter rem legatam, ideò ipsa est legatum, & materia, quam respicit
4 ratio legati, nihil enim aliud ibi est considerandum. In legatis verò onerosis alia ratio ineunda, dum in illis duo spectantur, onus, & salarium, in eo sita est ratio legati, in isto tamquam in suo effectu spectatur merces onerisexerciti; in tantùm enim datur merces, in quantùm operans illam meruit. Nec obstat conceptus verborum, per quæ ratio legati tribuitur rei relictæ, quia non est attendendus ordo verborum, sed eorũ sensus, poterat enim testator suum legatum sic scribere, lego
5 missam quotidianam Ecclesiæ N. præcipiendo, & obligando meos hæredes ad dandum &c. Nec mirum est jura referre mentes testatorum è contrario, quia illis temporibus antiquis magis erant in usu legata gratiosa, quàm onerosa, ideò aliter loqui non poterant, quem modum loquendi etiam nostri observantes, non mutant naturam legatorum, quæ sunt onerosa.

Quæres 3. Quid sit legatum missarum simplex, conventionale, & in limine fundationis? Facit ad intelligentiam reductionis missarum, nàm S. Congr. reductionem simplicium legatorum cõmittit, aliorum verò solus Papa, & sic servat stylus Curiæ.

6 R. Primò simplex legatum est illud, quod relinquitur à testatore extrà institutionem juris patronatus cum onere celebrandi divina officia, missas, anniversaria, vel eleemosinas distribuẽdi inter pauperes, vel faciendi quodvis aliud opus bonum, assignato salario, vel non assignato, sed assignando ab hæredibus, vel executoribus testamentariis. Assignatio autem facta ab illis Ecclesiæ legatariæ, vel alteri volenti accipere onus celebrandi, non mutat naturam legati simplicis, etiam inita conventione inter partes, quia illud jam supponitur in suo esse formali simplicitatis, & salarium, seù stipendium stabilitur inter partes, ac proindè tamquàm illius effectus nullum esse illi dari potest, nec transferre in aliam speciem, sed illi accidit in rationem mercedis dandæ celebranti.

Confirmatur, quia illud pactum inter hæredes, vel executores, & Ecclesiam, non est propriè conventio specificans legatum conventionale à simplici, cum illud intercedat inter viventes simul ponẽtes onus, & stipendium, quæ anteà non extabant; pactum verò hoc super stipendio supponit legatum celebrandi jam institutum, & perfectum in seipso, cui necesse est, ut accedat stipendium, de quo sit stipulatio inter partes, quorum una nẽpè hæres, cum repræsentet personã testatoris jam defuncti, sequitur, stipulationẽ, & conventionẽ hujusmodi non esse propriè legatũ conventionale, cum tunc non sit creatũ, nec inter vivos formaliter spectatos initum, cum hæres non agat negotium viventis, sed defuncti, proindè idem est, ac si ipse testator in suo testamento salariũ determinasset, in quo hujusmodi determinatio virtualiter, & implicitè cõtinebatur, stipendiũ enim sequitur onus. Et ità ex me docet *Pasqual. de sacrif. Missæ q.* 1173. *n.* 2. alia ratione, quia determinatio salarii nõ dependet à conventione partiũ, sed ab Ordinario, ad quem spectat determinare salarium missæ non determinatũ à testatore, ut respondit S. C. ad quintum dubiũ super Decretis *de celebr. miss.* Sed quandoq; accidit determinatio ejus inter partes sine interventu Ordinarii, maximè apud Regulares, ideò prior ratio est universalior; cum ergo pactũ conventionis non det esse legato, sed illud supponat, remanet legatum in sua simplicitate, qua primò à testatore institutum fuit.

7 R. Secundò, conventionale legatum est illud, quod totum suum esse recipit ex mutua, & simultanea partium conventione, introducente utramq; obligationẽ eo ipso inter viventes circà suspectum onus celebrandi, ex parte Ecclesiæ, & salarium tribuendum ex alia parte.

Ex hac descriptione *Pasqual. q.* 1173. approbat nonnulla à me determinata *resol.* 25. & sunt sequentia.

8 Primò, quòd onus missarum à testatore impositum non est conventionale, sed simplex, licèt legatarius cum hæredibus cõveniat in determinatione salarii, quia pactum hoc non dat esse legato, quod jam erat institutũ *Pasqual. ea p.* 1173. *n.* 2 *ego n.* 40.

9 Secundò, quòd onus impositum à donatore, licèt rẽ donatam cum onere acceptaverit donatarius, quin acceptatio non habet rationem simultanæ obligationis, nec dat esse legato; sed illud supponit cũ donatione, *Pasqual n.* 3. *Ego num.* 44.

10 Tertiò, si legatarius præsens testamento acceptet legatum, dum scribitur testamentum, adhuc est simplex, quia acceptatio non dat esse legato, sed illud supponit ex testamento; & præterea indè non oritur mutua obligatio, cum testator possit recedere à sua voluntate faciendo aliud testamentum, primum cassando cum legatis, imò censetur cum illis revocatum, ut dixi *cap.* 1. *num.* 166. *Pasqual. num.* 4. *Ego num.* 42.

11 Quartò, onus est convẽtionale, si testator ante factionem testamẽti conveniret cum legatario de quantitate salarii, pro onere missarum se invicem obligantes, quia reverà contractus est mutuus, & simul-

multaneus inter viventes, in quo legatum missarum simul recipit esse cum illis obligationibus. Nec obstat, quòd postea redigatur testamentum in scriptis, quia testamentum non constituit legatum, sed supponit factum jam inter viventes, alio precedenti eloquio etiam verbali tantùm *Pasqual. num.* 6. *Ego num.* 45.

12 Quintò, si inter partes alteretur stipendium, vel res tradita pro perceptione fructuum salarii, adhuc legatum remanet simplex, quia per eam alterationem, dum mutatur res, vel alteratur stipendium, non variatur legatum, cum aliud sit stipendium, seù res stipendii, & legatum ipsum, ut probavi hìc q. 2 Docui oppositum *num.* 44 & sequitur *Pasqual. num.* 8. ea ratione, quia nō suscipitur onus secundùm dispositionem testatoris, sed secundùm aliam novam, & diversam ex conventione partium, quòd arguit mutationē simplicis legati in conventionale. Sed id non obstat, quia alteratio hujusmodi facta in stipēdio, seù in re stipēdiata non se extendit in legato missarum, cum omninò maneant eædem.

13 Sextò, legatum non est conventionale, si testator disponat, quòd non soluto stipendio, certus fundus transeat ad manus legatarii, quia unum stipendium, seù unus fundus loco alterius non mutat legatum, sed ipsummet mutatur; & præterea est executio mentis testatoris, non constitutio novi legati.

14 Tertiò, legatum in limine fundationis, quod voco Beneficiale, est illud, quod propositum a testatore instituitur auctoritate Episcopi in fundatione Ecclesiæ, seù Capellæ, cujus beneficium dicitur collativum, & in titulum datur ab Episcopo, vel alio Prælato alicui Clerico, & appellatur hujusmodi legatum dos Ecclesiæ, seù Capellæ, & Altaris. Illud autem verbum in limine fundationis refertur nō tantùm ad ipsam Ecclesiam, seù Altare, quàm ad ipsum beneficium dotem ipsius Ecclesiæ, seù Capellæ, & Altaris. Potest enim dotari Altare vetus carens dote. Posita ergo approbatione Episcopi hujusmodi beneficiorum patronalium, quæ conferuntur ab eodem Episcopo, vel alio Prælato tùm sęculari, tùm regulari cum suo titulo, dicitur ea dos legatum in limine fundationis.

Et pro ejus rei confirmatione sciendum est, quòd quibuscumq; oneribus missarum satisfit per sacerdotes, qui dicuntur capellani, & officium eorum appellatur capellania; est autem duplex capellania, una
15 Ecclesiastica, altera laicalis. Ecclesiastica autem dicitur illa, qua clericus beneficiatus inservit per se vel alium suæ Ecclesię, vel capellæ, in qua per collationem institutus fuit ad celebrandas missas cum jure percipiendi fructus sui beneficii, & hoc onus celebrandi dicitur propriè impositū in fundationis limine, quando scilicèt fuit dotata Ecclesia, vel capella auctoritate Episcopi. Laicalis vero capellania est illa, quæ sine auctoritate Episcopi à quolibet institui potest laico, clerico, imò ab ipso Episcopo, quam censetur instituisse, si nō usus fuit forma ordinaria istitutiva beneficii collativa in titulum. De hac duplici capellania *Gonzal. Glos. V. præsertim. num.* 3. *Castropal. de benef. disp.* 1. *p.* 6 *per totum*, *Gratian, cap.* 397. *num.* 74.

Legatum igitur factum cum onere celebrandi missas per Sacerdotes eligendos ab hæredibus, non est beneficium Ecclesiasticum, sed laicale, dum ab initio non intervenit auctoritas Episcopi erigentis
16 illud in beneficium formale, ut firmat *Rota par.* 5. *Recent tom.* 1. *decis.* 238. *num.* 2. Doctoribus citatis. Nec evadit beneficiū, si post fundationem quandoq; Episcopus instituat capellanum, quia in judicanda qualitate beneficii attenditur tantùm factum fundationis, erectionis illius, *cap. Porrò, de privileg. ex eadem Rota n.* 3. Nec obstat, quòd in beneficiis attendendus sit ultimus status, *ex cap. cum de beneficio, de præbend. in* 6. quia id procedit in redubia, non in re certa, cum clarè constat de anteriori statu laicali, *ex adductis à Rota ibidem num.* 4. & 5.

17 Quare hujusmodi capellaniæ in exercitio celebrationis missarum quotidianarū, vel mensualium, quando non habent adiunctam rationem beneficii defectu auctoritatis Episcopi, non dicuntur esse in limine fundationis, cum non sint beneficia, neq; propriæ dotes Ecclesiarum, seù capellarum, sed simpliciter salaria, & stipendia Sacerdotum celebrantium. 19

Et quòd beneficia laicalia, & hujusmodi Capellaniæ sint exclusa à limine fundationis Ecclesiasticę, probatur, quia aliter omnia legata dicerentur esse in limine fundationis, dum omnia habent limen fundationis suæ, cum de non esse trāseunt ad esse. Cum ergo omne legatum habeat suum initium in limine fundationis, hæc verba non sunt generaliter accepta, sed 20
prout restringuntur ad fundationem factam auctoritate Episcopi erigentis legatum, seù dotem in beneficium Ecclesiasticum sub titulo alicujus Sancti. Hæc dixi pro intelligentia primi Decreti de celebr. missar. ubi Episcopis prohibetur reductio missarum in limine fundationis, 21
scilicèt, beneficiorum impositorum. Ità docent *Farin. sect.* 7. *Remed.* §. *Ult. num.* 5. & 6. *Vers. Beneficii autem & num.* 12. *Miranda tom.* 1. *q.* 41 *art.* 24. *Tambur. tom.* 2. *disp.* 5. *q.* 10 *Vers. Stante, & num.* 5.

18 Quòd si extet Ecclesia, vel Capella indotata, & quis velit eā dotare, & sibi facere jus patronatū, id auctoritate propria facere nō potest, sed ad hoc debet implorare 22
auctoritatē Episcopi, qui legatum erigat in beneficiū collativū, patrono præsentā-

te;

te; & in hoc casu onus impositum missarum dicitur in limine fundationis positũ, quia fingitur ab initio dotata; retrotrahitur enim ad tempus fabricatæ Ecclesiæ, & id ad favorem Ecclesiæ, quæ sinè dote non debet erigi, & si malè fuit fundata, hoc modo ei succurritur, & dotans fit patronus, *Joan. Andr. in c. 1. apud Fagnan. ad cap. Quoniam, de jure patr.*

Pasqualigus *qu.* 1171. sub illis verbis *in limine fundationis* comprehendi vult etiam Capellaniam, non Canonicam, & probat, quia verba legis accipienda sunt secundùm latam suam significationem propriam, citatis legibus, & Doctoribus, sed fundatio secundùm propriam significationem non solùm dicitur de fundatione Canonica, quæ fit de consensu Episcopi, sed etiam de fundatione laicali; ergò utrumque comprehendit. Confirmat, quia ad salvandam rationem fundationis sufficit, si erigatur fundus, & destinetur pro Capellano.

Contrà est, quia hæc generalis ratio fundandi reperitur etiam in omnibus aliis legatis tàm simplicibus, quàm conventionalibus, cum habeant initium suæ fundationis à dispositore; ergò ab eis non differt hoc tertium genus legatorum. Et cùm omnia legata habeant suum fundum, nullum erit reducibile per Episcopum neque simplex, contrà illud primum Decret de celebratione missarum. Ad evitanda ergò hæc inconvenientia, dicendum est sub illis verbis *in limine fundationis* 19 venire tantùm Canonicam fundationem; in odiosis enim verborum significatio restringenda est, ne auctoritas jure communi competens Episcopis, destruatur per latam verborum significationem, quæ in materia præsenti est potius impropria, quàm germana, & propria.

Quæres 4. Quot sunt genera legatorum missarum in ordine ad tempus, quo illis est satisfaciendum?

20 R. Duo sunt genera legatorum de missis, nam alia sunt perpetua, quæ certum finem non habent in sua obligatione, quæ durat usque ad finem mundi. Aliâ verò tempore præfiniuntur certo, & ulteriùs eorum obligatio non extenditur, sed tempore præfinito extinguitur. Pro uberiore rei intelligentia.

Notandum est, quòd licèt sub sole nihil 21 sit perpetuum, *Eccl. 2. 11. Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem, & nibil permanere sub sole. Sap. 14. 13. Neq; erunt in perpetuũ, l. Cum debere 32 ff. de servit.* omnia enim finem habẽt, tamen aliquid dici potest perpetuum, in quantùm certum finẽ non habet, & in hoc sensu, ad nostrum propositũ *Perpetuum* dici potest tribus modis.

22 *Primò* Perpetuum dicitur aliquid usq; ad centum annos, undè legatum ususfructus factum communitati, quę nunquàm moritur, dicitur perpetuum, & durare tantùm per centum annos, *l. an ususfructus 63. ff. de usufructu, & quemadmodum*, ubi redditur ratio, quia sicut hominis vita durans per centum annos, longæva dicitur, ità fruitio legati licèt facti communitati, quæ nunquàm moritur, censetur longæva, & sufficiet hominibus, qui ultrà centum annos non vivunt, in quorum gratiam factum est legatum, mensuratur ergò homo politicus homini singulari ad hunc effectum, ut cum eo extinguatur ususfructus. Et in *l. Si ususfructus 8. ff. de usufr. legat.* ad id redditur alia ratio, quia inutilis foret proprietas domino, si nunquàm fructus cum proprietate conjungeretur pro domino. Vide *cap. 1. hìc num 39. & Alex. lib. 1. cons. 60. Ruin. lib. 4. cons 143. col. 4. Nactam tom 4. cons. 67 num. 31.* An autem hæc perpetuitas centum annorum 23 locum habeat in legatis missarum. Dic pro nunc negativè, quia in legatis missarum non spectatur ususfructus, sed stipendium celebrationis. Pro qua re vide *Ciarlin. cap. 143.* ubi latè de hac re, & ego dicam infrà in *cap.* de cessatione legatorum.

*Secundò* perpetuum dicitur, quod durat ad vitam hominis; cum enim dies mortis hominis sit omninò incertus, non potest dici habere certum finem vitæ suę, limitatum ad tot annos, quod solùm cognoscitur morte adveniente. *Glos. V. perpetua cap. hoc jus 2 10. q. 2. ex l. 1. ff pro laico, Glos. V. perpetua*, ideſt, donec vixero, *cap. si gratiosè 5 de rescr in 6. & cap fin. eod & V. perpetuum cap. 17. de elect in 6. Barb. hac dict. 254. nu. 6.* Quare legatum missarum celebrandarum à tali Sacerdote præcisè dicitur perpetuum, & esse celebrandas usque ad ejus mortem, nisi aliter dixerit testator.

*Tertiò* dicitur perpetuum, quod durat 24 usque ad finem mundi, ità quòd ulteriùs durare non possit, cum tunc omnia sub sole finem accipiant; extenditur ergò hoc tempus usq; in infinitum, & in sæcula sęculorũ pręsentis temporis duraturi usque ad diem judicii, quo omnia hominum negotia cessabunt. *Perpetuum* ergò importat tempus in sæcula sæculorum, *Paris. vol. 2. cons. 30 n 24. Ancbar. q. 72. n 10 & 13. apud Barbos. hìc n. 3.* Quare missa quotidiana, vel hębdomadalis, aut mẽsibus singulis celebranda, exigit hanc perpetuitatẽ in sęcula sęculorum, quandò non fuit limitatum tempus per tot annos à testatore.

Quæres 5. Quotuplex sit Capellania in ordine ad celebrationem missarum?

25 R. Capellania importat onus, & obligationem celebrandi annuatim missas, nomine accepta à capella, in qua missæ celebrantur, quo vocabulo omnis Ecclesia est nuncupabilis etiam parochialis, ex allatis à *Gonzal Glos. 5. super 8. regul. Cancell. num. 62.* Est autem Capellania duplex, una Ecclesiastica, altera 26 laicalis

laicalis, de quibus aliquid tetigi suprà *nu.* 25. hìc latiùs dicendum est.

27 Capellanía Ecclesiastica est illa, quæ ab homine instituta cum obligatione missarum, ab Episcopo erigitur in beneficium Ecclesiasticum, collativum, vel ab ipso Episcopo, vel ab alio Prælato Ecclesiastico, præsentante, seù nominante Patrono per se, vel alios juxtà ejus dispositionem, clericum, qui per se, vel alios celebret missas, gratis conferendum sinè pretio, & pacto, cùm sit Capellanía spiritualis, & beneficium Ecclesiasticum, & Capellanus nominatus, cui fuit collata, acquirit jus consequendi fructus tali beneficii pro sustinendo onere celebrationis.

28 Erectione igitùr per Episcopum facta, evadit beneficium, quod solet vocari jus patronatus, *Rota apud Farinac. par. 2. tom. 2. decis. 254. num. 1 & p 5. Recent. tom. 1. dec. 238. nu. 2.* Quòd si in principio hæres non curavit, ut erigeretur ab Episcopo in Capellanìam Ecclesiasticam, potest is defectus suppleri ab eo, cujus auctoritate evadit Ecclesiastica, licèt ab initio talis non fuerit, ut docent *Rebuff. in praxi benef. tit. de dispens. ætat. num 6. Perez de anniversi. lib. 1 cap. 2. nu. 50. Pasqual qu. 1116. num. 2.* Rota præcitata negat fieri Capellanìam Ecclesiasticam per solam institutionem Capellani, quia id non est supplere defectum erectionis, quæ extare debet, ut fieri possit collatio propriè dicta.

Ab Ecclesiastico tantùm à testatore nominato, & non à laico conferri potest, cùm collatio sit actus merè spiritualis fundatus in jurisdictione Ecclesiastica, cujus est incapax laicus, competens soli Ecclesiastico. Ità *decis. 254 citata, num. 1. Guidop. dec. 187. Pasq q. 1116. n 6.*

29 Soli quoque Clerico à patrono præsentato conferenda est, quia cùm sit beneficium, conferenda est solis beneficiorum capacibus, cujusmodi sunt solùm Clerici. Ità *Vivian. lib 6. de jurepatr. cap 5. nu. 136. Riccius par 4 resol. 13. Pasqual q. 1116 n. 4.*

30 Super ejus præsentatione, aut collatione nullum pactum, nullus actus simoniacus fieri potest, cùm sit beneficium, quod datur sine aliquo simoniæ vitio. De præsentante docet *Castropal de simon. p. 14 & de Benef. tract. 13 disp. 3 par. 1. Palud. in 4. dist. 25. q 5 art. 2. S. Bonav ibidem art. 1 q 3. Suar. tom. 1. de Relig cap 28. n. 13 & 17. cum eis Layman lib 4. tract. 2. cap. 13. num. 21. & tract. 10. de simon. num 47 & 58.* de beneficiis sinè pactis conferendis.

31 Capellanía verò laicalis, hoc est, non Ecclesiastica, instituta solùm à testatore, vel alio sinè auctoritate Episcopi, est illa, quæ consistit tantùm in assignatione salarii, & stipendii dandi ab ipso hærede testatoris, vel à quocumque alio, Capellano electo ad celebrandum. Et ex dictis patet differentia inter utramque Capellanìam, quæ potissimùm cognoscitur ex fundatione facta, vel non facta ab Episcopo, ad quem spectat, vel ad alium Prælatum collatio Capellaniæ Ecclesiasticæ, quæ ideò vocatur collativa, & ex objecto,

32 quòd ex collatione Capellano acquiritur jus ad fructus beneficii, in quo ejus consistit dos, in laicali verò dos non dicitur dari, sed solùm stipendium laboris celebrantis; undè Capellanus beneficialis ex

33 superfluis tenetur reparare Capellam, quæ ejus est sponsa; laicalis verò nequaquàm, cùm ejus salarium non superabundet, sed æquale sit labori; & præterea ille dicitur sponsus suæ Capellæ, non verò iste, qui est tantùm mercenarius conductus ad celebrandum. *Capella Tolos. dec*

34 *400. Genuens. in praxi cap 92. num. 13. Riccius par. 4. resol. 553. ex illis Pasqual q. 1116. num. 4.*

De hac duplici Capellanía *Gonzal glos. 5 à nu. 20 Layman lib 4. tract 2. cap. 5. fine, Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. de orat. cap. 22. num. 11. Castropal. de Benef. disp 1. part. 6. Rota p. 2. dec 254. & p 4. tom. 1. dec. 571.*

Nonnulla dubia oriuntur. *Primò*, an testator, vel institutor Capellaniæ laicalis possit adjicere conditionem prohibendo, ne Episcopus eam transferat in Ecclesiasticam? *Secundò*, à quonam sint conferendæ? *Tertiò*, an de consensu patroni possit ad Episcopo erigi in Capellanìam beneficialem? *Quartò*, in dubio an potiùs censenda sit Ecclesiastica, quàm laicalis? *Quintò*, an Capellanía à Prælato regulari, vel sæculari de laicali erigi possit in Ecclesiasticam?

Primò respondetur, *institutorem*, qui voluit Capellanìam fore perpetuò laicalem, statuere potest, ne Episcopus in ea

35 se ingerat, relinquendo eam sub dispositione suorum hæredum. Ità *Covar par 2. cap. 3 §. 1. num 20. Gonzal. glos. 5 num. 41. & colligitur ex sess. 22. cap. 9 Castropal. disp. 1. de benefic. p. 6. num. 7.* Dixi, qui volvit Capellanìam esse laicalem, quia si instituit eam fore Ecclesiasticam, in nullo potest excludere Episcopum, cùm implicet, quòd velit Capellanìam Ecclesiasticam cum exclusione Episcopi, sub cujus potestate necessariò sunt beneficia ecclesiastica, quæ sola institutione Canonica fundantur, *cap. Beneficium 1 de Regul. jur. in* 6. ex eisdem Doctoribus.

Secundò, Ecclesiastica Capellanía ab

36 Episcopo, vel alio Prælato ab institutore nominato, confertur, laicalis verò etiam à laicis, & quibuscumque aliis ab institutore nominatis, ut dictum fuit suprà. Collata autem à laico, vel etiam à Clerico, laicalis numquàm per hoc transit in beneficium, quia deest Canonica institutio. Potest verò habere rationem patrimonii, ad quod Acolytus ordinari potest, ab ea tamen sic ordinatus removeri non

37 potest, nisi ad formam Trident. *c 2 sess 31.* ibi: *sinè licentia Episcopi alienari, aut extingui,*

*gui, vel remitti nullatenùs possit, donec beneficium Ecclesiasticum &c. Garzias par. 7. de benef. cap. 1. numrr. 107. Castropal. numer 6.* contrà quamplures *allegatos à Barb. 19. num. 35.* Ego puto omninò ordinari posse, si patronus instrumento promittat, se non esse ipsum remoturum à Capellanía.

38 Tertiò, certum est, laicalem Capellaníam de consensu Patroni converti posse in Ecclesiasticam, & fieri beneficium, dummodò institutor expresè hoc non prohibuerit, quia id est Ecclesiæ favorabilius, & meliùs conservatur in sua perpetuitate. Ità *Gonzal. glos. 5 num 58. Garzia par. 1. de benef. cap. 2. num. 108. Castrop. p. 6. n. 3.*

39 Quartò, in dubio an ab initio fundata fuerit ut Ecclesiastica, an ut laica, si nihil constat, habenda est pro Ecclesiastica, maximè si constet de aliqua collatione facta ab Episcopo, vel alio Prælato, licèt quandoque patronus dederit Capellaníã, quia non est præsumendum Prælatum sibi usurpasse jus alienum. Ità *Merlin dec. 501. num 7. Rebuffus de pacifica possess. num. 349. Perez. de Lara lib 2. de Capell. cap. 1. num 54. & 58 Garz. part. 1 de benef cap 2. num. 113. ex illis Castropal. p 5 num. 2.* & sufficit unica collatio *ex eodem Rebuffo, & Crescentio dec 12. de probat. Vivian. lib. 1. cap 1. nu. 134.* Quare si non constet de fundatione auctoritate Episcopi, neque de collatione ab eo facta, censenda est Capellanía laicalis. *Gonzal. glos. 5. num. 57. Castropal. cit.*

40 Quintò, ut beneficium dicatur Ecclesiasticum, necessarium est, ut sit erectum ab Episcopo cum titulo, hoc est, sub invocatione alicujus Sancti; cùm enim sit jus spirituale percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ jam factis per talem erectionem, necessè est, quòd Episcopus rem de laicali, sua deputatione faciat Ecclesiasticam, & spiritualem, ut deindè possit conferri canonica institutione alicui Clerico. Quòd hanc erectionem faciant Episcopi, docent *Castrop de benef. disp. 1. p. 1. n. 3.* quia ipse solus habet potestatem sacrandi fructus *per cap. ad hæc 4. de relig. domib* M. Anton. *lib. resol. 111. cas 53 vers tertio, ubi vers Tamen,* dicit, quòd terræ numquàm faciunt beneficium, nisi concurrat titulus perpetuus, & onus spirituale adnexum, *ex Cassador. dec. 3 de præb. n 34.* hoc est obligatio recitandi divinum officium, quia beneficiũ,

41 datur propter officium, *cap fin. de rescr. in 6.* benè Vivian. *lib. 1. cap. 1. num 61. Glos. 1. cap. si beneficiorum 2. Clem. de decim. in fine, ex cap. quæstum 1. q 3. cap. penult. de præb.* Illud ergò propriè est beneficium, quod in limine fundationis erectum est ab Episcopo, cum obligatione recitandi officium divinum, *ex citato cap. fin. de rescriptis in 6.* conferendum solùm clericis, *capit. cum adeò, de rescr. ibidem Glos. nec clericus;* à solo Episcopo, vel aliis Prælatis ad mentem patroni, non ad tempus, sed perpetuò ad vitam beneficiati, *cap Sanctorum dist. 70* apud dictum Vivian. *à n 61. ad 66. ex*

42 *cons. 47. Abbatis p. 2.* Itaq; Prælati Regulares non possunt erigere Capellanías beneficiales, seù beneficia Ecclesiastica, cùm id sit proprium Episcoporum, ac proindè in eorum Ecclesiis officiaturæ erunt simplices Capellaniæ, quibus correspondent annua stipendia sinè ulla spiritualitate officii, aut tituli beneficii nisi ex Episcopali erectione. Hoc dixi ad confirmandum, quæ dixi sub *q 3.* Capellanías apud Regulares institutas ex legatis, non venire sub illis verbis *in limine fundationis,* quę restringuntur ad beneficia propriè dicta, erecta scilicèt auctoritate Episcopi.

Quæres 6. De Beneficio, seù Capellanía Sacerdotali. *Primò*, quid sit beneficium Sacerdotale? *Secundò*, an conferri possit non Sacerdoti? *Tertiò*, an Capellanus possit satisfacere celebrando per aliũ?

43 Primò, beneficium Sacerdotale est illud, quod habet adnexum onus celebrandi, ut patet ex adjuncto; ex quo enim nullus potest celebrare missam, nisi sit Sacerdos, hinc est, quod beneficium vocatur Sacerdotale. Hæc definitio est vera, & germana ex vi sui vocabuli, licèt omnibus non placeat dicentibus, illam esse Capellaníam Sacerdotalem, quandò in ejus fundatione dictum fuit, quòd conferri debeat Sacerdoti, qui per seipsum celebret missas. Ità *Decius cons. 129. num. 5. Gonzal glos. 5. nu. 75. & 100 apud Vivian. lib 1. cap. 1. num. 98. Ciarlin cap 38 num 15. Gratian. cap 133. nu. 10.* Rota coram Pamphilio, cujus decisionem extendit *M. Ant. lib. 1. resol. 4* dicit Capellaníam non esse Sacerdotalem, quandò ex verbis fundationis non adstringitur Capellanus ad celebrandum per seipsum. Sed hæc non obstant nostræ definitioni, *Glos. siquidem V. Anexi Clem 2.* de ætate vocat Sacerdotale beneficium, quod habet anexum ordinem Sacerdotalem, & ità docet *Fagnan. ad cap Ut Abbates de ætate num 61.* subdens ex eo, quòd Capellanía est Sacerdotalis, non benè infertur; ergò obligat Capellanum ad celebrandum per se ipsũ Itaque supradicti Doctores non attendũt. ad definitionem, sed ad ejus certum effectum, quòd Capellanía Sacerdotalis constringat Capellanum ad celebrandum per seipsum, sed reverà id benè ex eo colligi non potest, sed ex tenore verborum disponentis, obligatio personalis Capellani colligenda est, ut probatur in sequentibus.

Secundò, Capellanía Sacerdotalis ab

44 Episcopo conferri potest Clerico etiã primę tonsurę, modò inchoaverit decimum

45 quartum annũ ad formã Trident *sess. 23. c. 6.* nisi fundator petat, quòd Capellanus sit Sacerdos, quia tunc servanda est mens

fundatoris. Illius ratio eſt, quia in tali caſu poteſt celebrare per alium, juxtà *Reg.* 72. *in* 6. per ſe enim videtur facere,
46 qui per alium expedit negotium. *Facit lex* 1. *§. Omnia noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impartimur C. de jure veter. enucl. ità docent Barb. allegat.* 24. *num.* 43. *cum Garzia par.* 7. *de Benef. cap.* 1 *num* 85. *Caſtropal. diſp.* 1. *de Benef. p.* 6. *num.* 18. *Monetacap* 10. *num.* 140. *&* 143. *Rota præcitata coram Pamphilio, Perez. de Larà de Capell. lib.* 1. *cap.* 7. *& cap.* 8. *num.* 41. *Paſqual. q.* 1119. *num* 2. referens pluſquàm triginta Doctores, & diverſa reſponſa Sacræ Congregationis: itaque Capellanus poteſt per alium celebrare, licèt in fundatione cautum ſit, ut Capellanus celebret, niſi celebratio reſtringatur ad actionem perſonalem ipſius Capellani. Hæc autem opinio, cujus anteſignanus eſt Lapus *Allegat.* 35. *in antiquis*, *&* 116. *&* 117. valdè placet Prælatis, qui dote fruuntur, non ſponſa, quam nunquàm viderunt.

47 Dixi, niſi fundator petat, quòd Capellanus eligendus ſit Sacerdos, quia tunc mens illius ſervanda eſt; intelligi autem hoc poteſt, quòd eam qualitatem habeat habitu, & aptitudine, ideſt, quod infrà annum poſſit ordinari Sacerdos, vel actu, quòd ſcilicèt ſit Sacerdos, antequàm ei conferatur Capellanía. Et quandò fundator non ſe declarat de actu, aut aptitudine, Epiſcopus poteſt conferre beneficiũ Sacerdoti aptitudine, quia in dubio teſta-
48 tor cenſetur ſe volviſſe conformare cum juris diſpoſitione. *Doct. in l. Hæredes mei §. cum ità ff. ad ſen. conſ. Trebell. Sanch lib.* 7. *diſp* 4. *num* 5 *& lib* 5. *diſp* 5 *num* 25. *Verſ. Et confirmatur*. Undè valet argumentum
49 ad teſtatorem, *Ludoviſ. dec* 209 *numer.* 2. jus autem commune beneficia etiam curata mandat conferri Clericis, dummodò intrà annum ſint Sacerdotes, *cap. Licèt,*
50 *canon.* 14 *cap. Commiſſa* 35. *de elect. in* 6. aliter elapſo anno, non ordinatus perdit beneficium curatum; ergò teſtator requirens Sacerdotium intelligitur, quòd ordinetur ante elapſum annum à collatione. *Ità Spinus in ſpeculo teſtamenti gloſ.* 4. *num* 68. *Cevall. commu. qu.* 693. *num.* 6. *Parlad. difer.* 120. *nu.* 14 Procedit, etiam ſi dicatur, quòd Capellanus per ſeipſum celebret, *ex deciſ.* 3 *de Præbend & reſponſo Sac. Congregat. Fagnanus ad cap. ut Abbates, de Ætat. numer.* 51. *&* 52. ubi fusè hanc materiam triturat. *Merlin. dec.* 803. requirit Sacerdotem actu.

51 Tertiò, Capellanus non tenetur per ſe celebrare, ſed per alium ſatisfacere poteſt, niſi teſtator dixerit expreſsè, quòd per ſeipſum celebret, vel jure, aut conſuetudine ſit inductum ſervitium perſonale ab alio non implendum.

Per alium ergò celebrare poteſt, quandò ſervitium non reſtringitur ad perſonam; præſumitur enim teſtator velle ſe accommodare illi Reg. qui per alium facit per ſeipſum facere videtur.

Aliqui verò dicunt reſtringi ſervitium, 56
ſi teſtator dixerit Celebret per ſeipſum, reſideat perſonalitèr. Aliud non habeat onus, nec recipiat. Præferatur aliis Capellanis. Ut refert *Fagnanus cit. numer.* 78.

Nihilominùs probabiliùs eſt dicere, Capellanum poſſe celebrare per alium, excepto caſu unico, quandò dixit *per ſeipſum celebret*, in omnibus aliis caſibus ſu-
52 pradictorum modorum, quia cum in æquipollentiis neſcio quid ambiguitatis reperiatur; mens teſtatoris interpretari poteſt, ut minorem obligationem, quam ſit poſſibile, impoſuerit ſuo Capellano, cùm æquè benè ſatisfecerit ejus voluntati, ac ſi per ſe ipſum celebraſſet, cùm miſſæ ſacrificium ex opere operato non magis ſit efficax defunctis, ſi fiat ab uno Sacerdote, 57
quàm ab alio. Ut ergò Capellanía ſit Sacerdotalis, ideſt, ut Capellanus electus teneatur per ſe celebrare, neceſsè eſt, ut teſtator ſuam mentem explicet hac particula *per ſeipſum*, aliter celebrationem
53 aliis committere poteſt. Ità multis probat *Merlin. dec.* 825. *per totam*, ubi *num* 19. *ex Reſponſis Sacræ Congregat.* ait, illud beneficium ſolùm dici Sacerdotale, ſi adſint 58
hæc præciſa verba: *per ſeipſum celebret.* Sequitur *de Lugo lib.* 5. *Reſponſ. Moral dub.* 26. *num* 5.

54 Hinc eſt, quòd Epiſcopus non poteſt cogere Capellanum, ut ipſemet celebret, licèt in ejus fundatione diſponatur, quòd celebret, nam iſtis oneribus miſſarum rectè per ſubſtitutum ſatisfit. Ità reſpondit S. Congr. *in una Parmenſi Paſqual. q* 1117. *num.* 3. ubi alias ſimiles refert. *Piaſecius par.* 2 *cap.* 3. *art* 5. *num.* 6. & tradit noviſſimè Prauctionomus, hoc eſt Cæſar de Panimollis Vicarius Generalis Nonantulæ in ſuo 27. Conſtituto *n.* 10. *citans Garziam par.* 3 *de benef. cap.* 2 *n.* 8.

55 Fundator ipſe, non obſtante erectione Capellaniæ in beneficium facta ab Epiſcopo, poteſt concedere Capellano, qui deberet per ſeipſum celebrare, ut per alium ſatisfaciat muneri ſuo, quia ſi id facere poteſt Epiſcopus de ejus conſenſu, ut docent allegati *à Garz. par* 7. *de benef. cap.* 1. *num.* 104. *cum Caſtropal. diſp.* 1. *de benef. p.* 6. *nu.* 20. *Barb. allegat.* 25. *num* 46. ergò à fortiori ipſe fundator. Non verò patroni hæredes, quia non poſſunt mutare voluntatem teſtatoris etiam de conſenſu Epiſcopi, qui voluntatem teſtatoris, quæ commodè adimpleri poteſt, commutare non valet, ut 59
pluribus citatis docet *Garz. eo cap.* 1 *num.* 107. *cum eo Caſtropal. cit. num.* 22. Quia id prohibetur in Trident. *ſeſſ* 25. *cap.* 5. contrà quamplures ab eodem Caſtrop. citatos, quia voluntas teſtatoris præſumitur ſubjecta diſpoſitioni Ordinarii. Sed hæc ratio non ſuffragatur, cùm in hoc caſu

cāsu nihil possit ex decreto præfati Concilii: ergò &c.

56 Dixi, nisi de jure, seù consuetudine appareat beneficium habere adjunctum personale servitium, ut habent Canonici in Cathedralibus, & Collegiatis, & alii, qui tenentur inservire choro canendo horas Canonicas, Epistolam, Missam, Evangelium, ut colligitur *ex cap 4 sess. 22. & cap. 12. sess. 24 ità Fagnan. ad dictum cap. ut Abbates de æt. num. 80. & seq. ubi num. 83.* ait, non loqui de missis privatis, quæ possunt celebrari per tertium, quandò testator non apposuit clausulam *per seipsum celebret*. Undè manet firma ea opinio *Merlini in sua decis. 825* quæ dicit, satisfieri per tertium, quandò non exprimitur præfata clausula.

Quæres 7. An Capellanus teneatur supplere missas omissas?

57 R. Certum est, quòd testator potest obligare Capellanum ad supplendū missas omissas ex quacumque causa etiam legitima, quia quilibet rei suæ moderator est, *ex l. sed & si 28. §. consulvit, ff. de petit. hæred l. in re mandata 21. C. Mandati. Navar. cons. 15. de testam. initio*. Nam singulis missis supponitur correspondere sufficiens, & competens salarium. *Pasqual. q. 1119. initio*.

58 In missis quotidianis omissas ex justa causa e. g. ex honestate, & conscientia nō tenetur supplere, ratio est, quia *in cap. significatum 11. de præbend.* dicitur, quòd obligatus quotidiè celebrare, id faciat quantò frequentiùs potest, salva honestate; ergò si ex causa honesta aliquas omittat, nō tenetur eas supplere. Et talis debet præsumi esse mens testatoris, cùm censeatur dispositisse ad formam juris communis, cui se conformasse benè, & justè creditur, ut dixi suprà sub *num. 48. ex Jason. in l. causas C. de transact. num 6. Grammat. cons. 34. num. 3. Decius cons. 582. num. 2. Gozadin. cons. 101. nu. 10. ex illis Pasqual. q. 1119. num. 4.* Est communis *cum Navar. cap. 25. num 134 Tabiena V. Missa q. 44. Silv. qu 7. Armilla num 28. Corduba lib. 1 qu. 4. dub. 5. Barbos. in dictum cap num. 9. cum eis Pasq. alios plures citans, contrà Bonacinam, & Baunium*.

Potest ergò Capellanus sivè sæcularis, sivè regularis semel in hæbdomada vacare à celebratione, non solùm ob honestatem, sed etiam ex honesta recreatione, quia attento eo capite, communis consuetudo se habet, ut possit eo die etiam ex recreatione cessare à celebratione, *Pasqual.* 59 *q. 1128. num. 6.* imò eo die potest pro aliis celebrare, accepto stipendio, quia non est obligatus pro testatore nisi pro sex missis, dum illi expressè non interdicit vacationem, & hoc multis probat *Pasqual. quæst. 1130 nu 4.* à fortiori pro se, pro consanguineis, & amicis gratis, & cum stipendio, quicquid dicant nonnulli apud ipsum.

60 Procedunt dicta, non solùm si per se teneatur celebrare, sed etiam si per alium possit celebrare, quia causa honestatis omnibus communis est, nec expressio, quòd per alium possit celebrare, mutat obligationem, quia expressio ejus, quod tacitè inest, non inducit novam dispositionem, 61 *l 3. ff de legat. 1. l. Non rectè C. de fidejuss. l. conditiones, ff. de condit. & dem. Alex. cons. 30. vers.* nec adhuc obstet, *Ruin. vol 1. cons. 169. num. 15. Castr. lib. 2. cons. 138. nu. 1. cum aliis Pasqualig q. 1120 nu. 4.*

62 Quandò autem missa non est quotidiana, sed tot missæ sunt dicendæ in hæbdomada, vel in mense, aut in anno, sivè sint annexæ diei, sivè non, si omittantur ex quavis causa etiam justa, supplendæ sunt omissæ, quia ad tot missas celebrandas se obligavit; ergò eas celebrare tenetur aliis diebus non præfixis, quia talis præsumitur esse mens testatoris non solùm respectu missarum non fixarum certis diebus, sed etiam fixarum, quia hujusmodi affixio non tollit obligationem, sed tantùm denotat diem celebrationis.

Contrà *Pasqual. q. 1118. num. 2.* ubi ait, Capellanum non teneri supplere missas prætermissas certis diebus affixas, ea ratione, quia quandò à fundatore determinantur dies, obligatio est affixa illis; sed obligatio affixa diei extinguitur simul cum ipso die, nec ampliùs recurrit, itaut debeat suppleri; confirmat id, quia non jejunans, non recitans divinum Officium, non audiens missam illis diebus, quibus tenetur, hæc supplere non tenetur altero die, licèt peccaverit illa omittendo.

63 Respondetur latam esse disparitatem, nam in exemplis allatis non habet obligationem supplendi, quia nullius læditur justitia, sicut in omissione missarum ex justitia debitarum; sequitur ergò, quod hæc læsio illata testatori resarcienda sit supplendo missas omissas, sivè ex causa justa, sivè aliter.

Quæres 8. An supplendæ sint missæ ex causa infirmitatis omissæ?

64 R. Negativè, & quidem Capellanus ex Capellanía collativa, quæ scilicèt est beneficium, non tenetur toto eo tempore, quo est infirmus; Capellanus verò mercenarius ex Capellanía laicali per menses duos excusatur, & sic non tenetur supplere missas in infirmitate omissas, procedit sivè infirmitas sit quotidiana, sivè intermissa, tertiana, seù quartana.

Prima pars ex Capellanía collativa, quòd Capellanus excusatur, & fructus facit suos, nec tenetur missas supplere illis diebus, quibus est infirmus, intellige, sit sit obligatus per seipsum celebrare, & nisi testator velit missas esse supplendas, omissas etiam ex causa infirmitatis. Probatur ex cap. Significatum de Præbend. ibi: *Nisi infirmitate corporis fuerit impeditus*, scilicèt, non tenetur celebrare,

ac proindè neque ſupplere. Confirmatur, quia infirmus abſolvitur à recitatione horarum Canonicarum, & ab interſſentia Choro, & tamen lucratur diſtributiones, *ex cap. Un de cler. non reſid. in 6. Garz. par. 3. de Benefic. cap. 2. num.* 363. ergò & à celebratione miſſarum. Eſt opinio ſingularis *Paſqual. q.* 1122. *n* 7.

Secunda pars de Capellano mercenario, quòd per duos menſes in longa infirmitate ſit abſolutus à ſuppletione miſſarum omiſſarum in infirmitate, docetur *à Petro Navar. lib 2 cap. 2. num.* 210. *Nald V. Miſſa nu.* 11. *Vega in ſumma cap.* 28. *de Miſſa caſ.* 14. *Rodriq. in ſumma cap.* 256. *concl.* 3. *cum aliis apud Paſqual. qu.* 122 *num* 3. *fine*. Ubi diverſas refert opiniones circa id tẽpus. *Concilium Mediol.* 6. *in tit. de Miſſa*, per menſem abſolvit infirmum à celebratione, modò ante infirmitatem per annum ſervierit.

65 Tertia pars de qualitate infirmitatis explicatur, nam infirmitas talis eſſe debet, ut Sacerdotem reddat ſaltem moralitèr impotentem ad celebrandum eo die, quo eſt infirmus, vel etiam ſequenti die, quo ità debilis eſt, ut ſinè periculo ſuæ ſalutis non poſſit accedere ad Altare; dum ergò dubitat celebrando poſſe pati grave damnum corpori ſuo ægrotanti, liber eſt à celebratione, & à ſuppletione miſſarum. Aliis citatis *Paſqual. q* 1124. *ubi n.* 5. quòd dolor ſtomachi, capitis, aut oculorum, & ſimilium non ſemper excuſat, ſed ſolùm, quandò eſt notabilis, & alterativus corporis.

Quæres 9. An ſupplendæ ſint miſſæ ex aliis impedimentis omiſſæ? e. g. Non celebravit, quia erat cenſuratus; quia non potuit domo exire; quia non habet copiam Confeſſarii; quia eſt occupatus in confeſſionibus, concionibus, lectura &c. quia eſt Eccleſia interdicta, vel eſt ceſſatio à divinis.

66 R. Non tenetur celebrare, ac proindè nec ſupplere, quandò detinetur tali impedimento, quod à ſe pro eo tunc non poteſt removere. Quòd ſi illud ſuperare poteſt, non excuſatur à celebratione, quia non
67 dicitur impeditus, qui poteſt tollere impedimentum, & non tollit, *l. qui poteſt* 135. *ff. de reg. jur. Decius in cap cum fuero, de appellat. num.* 3. *Verallus par.* 2. *deciſ.* 72.
68 Quare excuſatur excommunicatus diligens in petenda abſolutione. Item excuſatur non potens exire domo ob inimicitiam, ob prohibitionem, ob periculum furti &c. neque enim in ejus poteſtate eſt removere hujuſmodi impedimenta. E
69 contrà non excuſatur Sacerdos exiſtens in peccato mortali, carens etiam copia Cõfeſſarii, quia per contritionem poteſt re-
70 movere impedimentum. Neque occupatio in confeſſionibus, concionibus, aut lectionibus, quia hæc ſunt impedimenta magis voluntaria, quàm obligationes, præterquamquòd magis urget obligatio ex juſtitia commutativa, quàm ex alio capite. Nec tenetur ſupplere miſſas tempore ceſſationis, aut interdicti omiſſas, quia omiſſio non fuit voluntaria. Quòd ſi alio ſe transferat, debet celebrare pro teſtatore, quia obligatio eſt perſonalis, *Paſqal. qu.* 1132.

Quæres 10. An obligatus celebrare per ſe ipſum de mente teſtatoris, peccet celebrando per alium, & teneatur ad reſtitutionem aliquam? 74

71 R. Certum eſt peccare mortalitèr, quia deficit in re gravi, cujuſmodi eſt ſervitiũ perſonale. *Bonac. diſp* 4. *de ſacr. q. fin. par.* 7. *§.* 1. *cum aliis Paſqual. q.* 1127. *nu.* 2. Excuſatur tamen, ſi abſit celebrando per tertium tempore vacationis, quæ ſolet concedi Canonicis, & Epiſcopis trimeſtris, quam teſtator præſumitur concedere ſuo Capellano, dum cenſetur in ſua diſpoſi-
72 tione ſe juri conformaſſe, *Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. maximè cùm reſidentia in his Capellanis ex ſimplici beneficio nullo jure præſcribatur, *Merlin. dec.* 825. ſed ſola teſtatoris voluntate imponatur Capellano; 75
ideò eorum vacatio comparari poteſt cũ exemptione Epiſcoporum.

Ad nullam verò tenetur reſtitutionem, quia injuſtus non fuit, ſed tantùm infidelis, non ſtando promiſſis. *Bonac. de ſacram. diſp* 4. *q. ult. p.* 7. *§.* 1. *num.* 2. *Barb. alleg.* 24. *num* 36. *Diana par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 29. *cum aliis Paſq. q.* 1127. *num.* 5. *ubi num.* 6. diſtinguit inter Capellanum Capellaniæ beneficialis, & laicalis, quòd ille ad nihil teneatur, quia Capellanſa collativa cùm ſit beneficium, importat *jus* adminiſtrandi fundum Eccleſiaſticum, & faciendi fructus illius ſuos; *ſequitur*, quòd beneficiarius percipit fructus non ratione alicujus partis, aut obligationis, ſed ratione tituli, ſeù inſtitutionis, quam cùm non inficiat celebrando per tertium, ad nihil tenetur. Sicut tenetur Capellanus laicalis 76
Capellaniæ, quandò ſalarium excedit ſolitam miſſarum eleemoſinã; debet enim Capellanus tribuere illum exceſſum, & non poteſt eum ſibi retinere, quia correſpondet ex ſui diviſione ſingulis miſſis, inquit *Paſqualig.*

73 Sed iſta ratio diverſitatis non convincit, quia in utroq; Capellano datur jus percipiendi fructus in recompenſationem, & propter laborem, & operas conſumatas, tàm in recitatione divini officii, quàm celebratione miſſarũ, nam talis eſt expreſſa mens omnium teſtatorum, antequàm fiat electio Capellanorum ſivè per inſtitutionem Canonicam, ſivè per nominationem 77
Capellani factam à teſtatore, vel ejus hæredibus; in utroque enim caſu Capellanus ſivè Eccleſiaſticus, ſivè laicalis fit dominus fructuum fundi frugiferi quoad totum, ut de ſe patet; ergò ſi Capellanus Eccleſiaſticus non debet tradere exceſſum

cessum singularum missarum tertio Sacerdoti celebranti, neque laicus Capellanus, cùm salarium per modum unius sibi competat sicut Ecclesiastico.

Quæres 11. An detur vacatio in aliis missis, quæ non sunt quotidianæ? Vel saltem variatio de uno die in alium?

74 R. Neutrum dari potest, non primum, quia *cap.* significatum 11. de præbend. à quo sumitur vacatio, loquitur tantùm de missis quotidianis, non verò de aliis, ergo ad has non est extendenda vacatio in præjudicium testatoris. Non secundum, quia omnibus modis servanda est mens testatoris, maximè quando ea est expressa, aliter peccat mutando diem sine legitima causa. Ita *de Lugo disp.* 21. *de Eucbar. num.* 43. *Aversa q.* 11 *sect* 18. *Pasqual. q.* 1131 *num.* 2.

Quæres 11. An tres Missæ in die Natalis Domini, & Commemorationis defunctorum à Capellano obligato quotidie celebrare, sint applicandæ testatori? Idem quæritur de missis celebratis in triduo ante Pascha?

75 R. Quotidie obligatus celebrare non tenetur applicare nisi unam missam pro testatore, quia ad obligationem quotidianam unica numeratur missa pro singulis diebus. *Ita Fraxinel sect.* 4. *concl.* 4 *§.* 21. *Diana par* 4 *tractat.* 4 *resol.* 86. *Acursa q.* 31. *de Eucbar sect.* 18 *Pasqual. q.* 1133. Neque in die Commemorationis omnium defunctorum tenetur specialiter celebrare pro testatore, cùm Ecclesia præscribat sacrificium indifferenter, & generaliter pro omnibus, ne ergo detur acceptio personarum pro testatore, non est specialiter celebrandum, cum sub generali commemoratione & ipse veniat, cessat ergo illa specialis obligatio Capellaniæ. Ità Alphonsus de *Leone par.* 3. *de Jubil. & de Officio Capell. q.* 7. *sect.* 9. *num.* 55. *Diana par* 4. *tractat.* 4. *resol.* 166. *Aversa cit. Pasq. q.* 1134. *num.* 2.

76 Demùm celebrans in illo triduo non tenetur offerre pro testatore, quia non est obligatus ratione Capellaniæ; Ecclesia enim illo triduo non obligat nisi ad missam conventualem in Parochiis, & conuentualibus, ergo poterit celebrare pro alio, & talis quoque præsumi debet mens testatoris, qualis est intentio Ecclesiæ non obligantis illis tribus diebus. *Pasqual. q.* 1132. *num.* 3. *contra Card. de Lugo disp.* 21. *de Eucbar. num.* 1.

Quæres 13. Quid veniat nomine *dierum festivorum* in quibus Capellanus tenetur celebrare pro testatore?

77 R. Veniunt propriè illi dies, in quibus ex præcepto abstinendum est à servilibus, ac proinde solùm dies Dominici, & alii dies sanctorum ex præcepto, non autem alii dies, quos populi ex devotione alicujus sancti colunt. Illi ergo dies de jure sunt festivi, qui sunt ex præcepto ad formam constitutionis Urbani VIII. extensæ *in B. N. post Appendicem. Pasq. q.* 1137. *ex Dicastillo tract.* 5 *de sacram. disp.* 4 *dub.* 81 *num.* 411. quia mens testatoris interpretanda est secundùm sensum, quem habent ea verba jure Canonico, ut enim sæpius dictum fuit, verba testatoris intelligenda sunt ad sensum juris communis, cui censetur se conformare, nisi aliud expresserit in suo testamento.

Quæres 14. An Capellanus obligatus celebrare sibi, aut quater in hebdomada possit anticipare hebdomadam?

78 R. Non potest, quia dum testator missas distribuit in hebdomadas, & menses, affigendo obligationem certis diebus, alligavit eandem hebdomadibus, & mensibus, ergo expresse voluit, ne ulla hebdomada, nullus mensis vacet à celebratione missarum præscriptarum. Non est ergo licita anticipatio, quæ est contra expressam mentem testatoris, & certè distributio missarum censetur esse earum obligatio in hebdomadas, & menses, ergo hæc tempora non sunt anticipanda, nisi subsit aliqua legitima causa, ut adest, si anniversarium celebrandum die lunæ, anticipetur in præcedenti hebdomada, quia dies lunæ sequens est festum de præcepto, in quo non licet celebrare missas de mortuis. Itaque non videtur dabilis anticipatio in his missis non quotidianis, quia sunt affixæ, si non diei, ad minus hebdomadæ, seu mensibus.

Confirmatur, quia hæc distributio est valdè utilis fidelibus, qui ferè continuò missas habent in Ecclesiis, qua commoditate carerent, si possent anticipari, & ad hanc communem populi commoditatem solent testatores respicere, ideo & ad hanc respicere debent Capellani, qui esto satisfacerent animæ testatoris quoad suffragium, nam qui dat ante tempus, plus

79 dat, *instit. de action. §. plus autem*, sicut è contra, qui tardiùs dat, minùs dare videtur, *l. solidum ff. de solut.* & qui tardiùs solvit, minùs solvit, *l. si cui* 12. *ff. de verb. sign.*

80 Non tamen satisfaciunt ejus menti adæquatæ, qui præsumitur distributionem missarum affixisse tempori ad utilitatem fidelium. Ita *Cardin. de Lugo disp.* 21 *num.* 44. *cum aliis Pasqual. q.* 1149. Quod si missæ sint concessæ sine hujusmodi distributione, in eo casu possunt anticipari, & celebrari initio mensis, aut anni, e.g. si testator dicat celebrentur singulo mense decem missæ; vel in singulis anni centum missæ, obliationi huic satisfieri potest initio, medio, & fine temporis præfixi. Itaque in diebus affixis non licet anticipatio, unde nec videtur ea habere locum in aliis, quia nulla anticipatio, ubi obligatio habet latitudinem temporis, ad celebrandum.

Quæres 15. An non celebrans tali hora, ut in aurora, vel in meridie sibi cõstituta à

testa-

teſtatore peccet, & teneatur ad aliquam reſtitutionem?

81 R. Peccare quidem, & graviter, ſi ſæpius horam tranſgrediatur, quia facit contra expreſſam voluntatem teſtatoris, ad quam ſervandam ſe obligavit, præſertim cùm hujuſmodi tranſgreſſio horæ ſit etiam præjudicialis fidelibus eam horam expectantibus, unde contraveniens menti teſtatoris peccat mortaliter, ut docent 82 *Abbas in Repetit. cap. cum eſſes, de teſtam. num. 7. Cæpbal. conſ. 624. nu. 17. Bonac. diſp. 3. de contr. q. 1. p. 3. num. 6. apud Ciarlin cap. 33. num. 28.* Tenetur ergo ſervare mentem teſtatoris, ut docent omnes cum *Paſqual. q. 1147.* ad nihil autem tenetur, quia jam laboravit, ergo in hoc meretur ſuam mercedem, ac ſi celebraſſet in hora aſſignata.

Quæres 16. An Capellanus ſit obligatus celebrare in Eccleſia, & Altari deputato à teſtatore, & quæ cauſæ poſſint eum excuſare, ſi alibi celebravit?

83 R. Tenetur ſub mortali celebrare in Eccleſia, & Altari deſignato à teſtatore, quia in re gravi tranſgreditur mentem ejus, & pactum cum ejus hæredibus factum ex aſſumpto onere, quouis deinde fine teſtator deſignaverit locum ſacrũ ad celebrandum, ſive quia habet ibi ſepulchrum, ſive Capellam ſuam, ſive ob commodum populi, aut alio fine. Ità omnes cum *Navar. cap. 25 num. 135 Bonac. diſp. 4. de ſacram. q. fin. §. 4. nu. 2. Diana par. 2. tract. 14. reſol. 29 Barb. ad cap. ſignificatum de præbend. & alleg. 24. num. 33. Paſq q. 1139.* Rationabilis cauſa excuſat celebrantẽ in alio Altari, quando proprium eſt impeditum, ut quia reficitur, vel ibidem ſolemniter celebratur in Altari alio, ut pluribus miſſis honoretur feſtum Sancti titularis ejus Altaris; ſi ibidem expoſitum ſit ſacramentum, ſi propè aliquid fiat, quod perturbet mentem celebrantis &c. Parvitas materiæ excuſat celebrantem circa 20. vices extra Altare deſignatum, nam ille numerus relativè ad dies totius anni paruæ eſt materia, inquit *Paſq. q. 1139 n 5.*

Quæres 17 An hæredes teſtatoris, ſeu Epiſcopus poſſint dare licentiam, ut Capellanus poſſit celebrare in alio Altari, vel etiam Eccleſia?

R. Hæredes non poſſunt aliquo modo diſpenſare, nec concedere, quod alibi celebret Capellanus. Epiſcopus verò non ſolùm cum conſenſu hæredum, ſed etiam illis inſciis, poteſt diſpenſare, quod celebret in alio Altari, ſi ſubſit legitima cauſa, quæ reddat impoſſibilem celebrationem non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter.

84 Primùm de hæredibus patet, quia illi nullam poteſtatem habent alterandi mentem teſtatoris, quæ omnibus modis ſervanda eſt, *cap. ultima 4. 13. q 2.* Ità omnes *cum Barb. alleg. 24. num. 35. Bonacin. diſputation. 4. de ſacrament. q. fin. p. 7. §. 4. numer. 3. Riccius par. 1 reſol. 353. numer. 5. Averſa quæſt. 11. ſection. 18. Paſqualigus q. 1140.*

85 Secundum de poteſtate Epiſcopi colligitur ex *Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 6.* Poteſt enim commutare voluntates teſtatorum, non ſolùm, quando exequi non poſſunt, ſed etiam quando eorum executio eſt difficilis, etiam ſine conſenſu hæredum. Ità omnes *cum Bonacin. citat. Barboſ num 36. Marchino de Ordine tract at 3. par. 2. cap. 24. numer. 5. cum aliis Paſqual. q. 1141. numer. 4.*

86 Cauſæ autem legitimæ diſpenſandi, ut celebretur in alio Altari ejuſdem Eccleſiæ, ſunt, ſi Altare ſit reparandum, ſi diſacratum, ſi pluvia, vel alio modo ſit indecens ibi celebratio, vel Eccleſia interdicta, & alia hujus generis impedimenta ſunt legitima cauſa diſpenſandi, imò ipſemet Capellanus tunc accedere poteſt ad aliud Altare, dum in proprio celebrare non poteſt; talis enim præſumitur eſſe mens teſtatoris, qualis de jure eſſe debet, ſi enim ſuper his interrogatus fuiſſet, dum viveret, ſine dubio reſpondiſſet, poſſe tunc Capellanum in alio celebrare.

87 Epiſcopus ergo, multò minus Capellanus non poteſt ſine cauſa celebrare in alio Altari, ità de Epiſcopo non valente diſpenſare *Genuenſ. in Paſtorali cap. 72. Riccius par. 1 reſol 353. Bonac allegat 24 num. 35. Bonac diſp. 4 de ſacram q. fin p. 7. §. 4. num 3 cum aliis Paſqual. q. 1140 num. 1. Serapbin. dec. 1149 num. 2.*

Quæres 18. An legatum factum Religioſis cum onere celebrandi in ſua Eccleſia, tranferri poſſit cum fructibus, & miſſa celebranda in ſecunda Eccleſia, ad quam tranſeunt, relicto priori monaſterio?

88 R. Non transferuntur celebratio, ſed ſolùm fructus cum proprietate in ſecundum monaſterium, quando in priori Eccleſia eſt Capella, ſeu ſepulchrum ipſius teſtatoris ibidem ſepulti; ſi verò ibidem nihil horum habet, fit translatio omnium ad ſecundum monaſterium, ſi legatum factum fuit contemplatione magis Religioſorum, quàm Eccleſiæ nominatæ.

Prima pars, quòd in priori loco ſit continuò miſſa celebranda, probatur, quia à teſtatore magis contemplata fuit Eccleſia, in qua eſt ſepulchrum, vel Capella ſuorum aſcendentium, quam ipſum monaſterium, ergo ibidem miſſa eſt celebrãda ab iiſdẽ, à quibus antea celebrabatur. Confirmatur, quia teſtator nunquam cogitavit de ſecunda Eccleſia, neq; de translatione monaſterii, ergo præſumendum eſt voluiſſe, obligationem celebrandi perpetuò remanſuram in priori Eccleſia. Inſuper, ſi fiat legatum abſque deſignatione Eccleſiæ, in qua celebrandum ſit, illud adimplendum eſt in Eccleſia loci, ubi habi-

habitat, vel quò solitus erat accedere, *Specul. in tit. de instr. edit. §. Nunc verè, num.* 64. *ibid. Joan. Andr. Guidopapa de præsumpt. num.* 69. Ergo à fortiori in Ecclesia nominata celebrandum est.

Secunda pars, quòd onus, & emolumentum transferatur ad secundam Ecclesiam, probatur, quia in eo casu legatum missarum præsumitur factum contemplatione personæ Religiosorum, qui sunt legatarii, *l. pater filium, §. Tusculanus, ff. de legat.* 3. *Ruin. lib.* 2. *cons.* 75. *num.* 8. *Mantica lib* 6. *de conject. tit.* 14. *num.* 18. Ergo utrumque sequi debet legatarios, in quorum favorem factum facit legatū.

Confirmatur, quia mens testatoris ità est interpretanda, ut legatarius minus gravetur, quàm sit possibilis, *arg l. si ità relictum ff. de legatis* 2. sed minùs gravatur, si utrumque transferat in secundum monasterium, ergo præsumendum est, talem fuisse mentem testatoris. Quæstionem hanc tractat *Rota coram Serapbin. decis.* 1149. *& ex eo Pasqual. q.* 1134. sed Rota unum supponit in suo casu, quòd si legatarii nolent facere celebrare missam, onus transiret ad aliam Ecclesiam, & firmat Rota, legatum transisse ad secundum monasterium, quia censebatur factum monasterio, non Ecclesiæ, quam reliquerant, quæ erat expressa in testamento non taxativè, sed demonstrativè ad Moniales, in quarum favorem fecerat eis legatum.

Itaque in similibus casibus, si appareat locum fuisse contemplatum, vel quia ibi est Capella, vel sepulchrum, vel affectus devotionis ad aliquod Altare, seu Imaginem miraculosam, tunc legatum cum suo onere ibidem remanet, quia est reale, & taxativè factum, demonstratis ministris ad eam functionem; si verò nihil horum apparet, nisi affectus erga personam, tunc legatum uti personale sequitur legatarium. Et hæc patent ex dictis.

Quæres 19 An onera missarum à priori Ecclesia cum Religiosis transeant ad secundam, in quam transferuntur mutatione loci?

R. Si prima Ecclesia destruatur, certum est omnia onera, & privilegia transferri ad secundam, quia ne pereant censentur transferri in secundam, dum de se sunt perpetua, neque enim piæ testantium mentes perire debent. Quod verum quoque est, quando fit translatio à priore existente ad secundam, tunc enim omnia prioris transferuntur ad secundam, *ex cap. & hoc diximus* 9 16. *q.* 7. *& cap. si quis* 41. *ead.* ubi de translatione monasterii à loco ad locum, & *Glos.* ait, priorem Ecclesiam perdere privilegia, *& Glos. in cap. Abbate, de verb. sign. Joan. Andr. in cap. cum persona de privil. in* 6 *ubi Anchar. not.* 13. *Lapus alleg.* 68. *apud Seraph. decis.* 1149 *num.* 16. *in bis terminis*. Intellige, nisi hujusmodi onera, & jura sint adnexa priori Ecclesiæ existenti ratione sui, ut dictum fuit in præcedenti quæstione. Unde relicta intuitu personarum inservientium Ecclesiæ, transferuntur ad secundam Ecclesiam, nam prior desinit esse regularis, translata hac qualitate ad secundam, ratione cujus qualitatis jura priora dicuntur transire, quia relicta fuerant intuitu illius qualitatis, quæ desinit à priori Ecclesia ad posteriorem. Vide *Pasqual. q.* 1145.

Quæres 20. An Capellanus non potens celebrare in loco deputato, teneatur alibi celebrare?

R. Capellanus tenetur in alio Altari, imò in alia Ecclesia, si designata impeditur, sive sit Capellanus Ecclesiasticus, sive laicalis, quia gaudet fructibus, propter quos obligatur celebrare pro anima disponentis; beneficium enim animæ est principalis causa, quæ sicut nunquam cessat, ità neque cessare debet celebratio, non obstante quovis impedimento, aut alio fine; ad manutenendum enim obligationem sufficit existentia perennis principalis causæ, quæ est suffragium animæ, semper enim attendenda est causa principalis magis, quàm secundaria, si quandoque deficiat; cum ea potissimùm moverit agentem ad disponendum, *l sed & si plures, §. in arrogato ff. de vulgar & pupill. Riccius par.* 1. *dec.* 10. ità docent *Bonac. disp.* 4. *de sacram. q fin. p* 7. *§* 4 *num.* 3 *Moneta de commut. cap.* 10. *q.* 5. *num.* 242. *cum aliis Pasqual. q.* 1146. itaque nominatio Ecclesiæ, seu Altaris stat demonstrativè, non verò taxativè, non enim præsumitur sibi velle præjudicium afferre in eo, quòd velit eo casu impedimenti animam suam carere eo suffragio.

Alii cum *Barbosa allegat.* 24. *num.* 35. *& de Lugo disp.* 21. *de Eucbar. num.* 42. non teneri celebrare alibi, quando instituit missam præcisè ad cultum Dei, vel ad commoditatem populi, quia missæ obligatio censetur alligata tali loco. Sed rarò id accidit, & communiter legata missarum fiunt pro suffragio animarum defunctorum, ideò tunc obligatio celebrandi non restringitur loco, qui non taxatur, sed demonstratur.

Quæres 21. An Capellanus celebrans pro testatore extra locum designatum, teneatur ad aliquam restitutionem?

R. Ad nihil teneri, quia eodē labore satisfecit in loco designato, quo in loco non designato, & eodē modo sustentatur, si celebret in uno, sive in alio, quibus, dicūt Doctores correspondere stipendium, ergo cū par stipendiū utrique loco respōdeat, nulla ratio suadet aliquid esse restituendū à Capellano. Imò vadens ad aliam Ecclesiam celebraturus, videtur dignus majori stipendio, cum suprabundet in servitio. Ad nihil teneri asserunt *Possev. c.* 2. *de off. Curati num.* 25. *Fraxinel. sect* 4. *concl.* 5. *§.* 3. *Bonac. citat. §.* 4 *num.* 3. *Barbos. alleg.* 24. *num.*

*num.* 35. *Diana par.* 1. *tract.* 14. *resol.* 29. *cum aliis* contra Azorium *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 7. *Cenedum q.* 38. *num.* 6. *Graff. p* 1. *lib.* 2. *cap.* 53. *num.* 11 *cum aliis Pasqual. q.* 1148. *cui num* 4 displicet fundamentum prioris opinionis, quòd scilicet, non teneatur Capellanus ad aliquam restitutionem, eò quòd non celebravit in Altari designato, quia non defraudavit testatorem de suo suffragio, quod illi applicari potest à celebrante ad quoduis Altare, cum ergo non fecerit contra justitiam, quia dedit quod ex pacto debebat ad nihil tenetur. Displicet, inquam, illi is modus loquendi, quia per eum videtur significare, quòd applicatio sacrificii veniat in contractum, & sit id, quod sit debitum ex justitia, per quod induceretur simonia, si contractus super ipsa interveniret.

97 Responderi potest, pactum immediatè, & directè cadere super contractam obligationem pretio de se æstimabilem circa laborem, non verò super ipsam sacrificii applicationem, quæ connotatur tantùm in ea obligatione, quæ ex parte cognitionis qualificatur ab ipsa applicatione, sine cujus notitia non est intelligibilis ejusmodi obligatio. Itaque eorum fundamentum in eo saluatur, quòd non sit simonia, quia pactum directè afficit obligationem, & in consequentiam bonæ intelligentiæ etiam applicationem sacrificii, quod non inducit simoniam, nam hæc oritur ex pretio dato pro re spirituali, juxta illud Act 8. 20. contra Simonem, ibi: *Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri;* stipendium autem missæ non datur pro missa, sed pro ea obligatione, & labore; *Glos. V. sanitatis, cap. Qui studet* 11. 1. *q.* 1.

98 Quare esto non satisfaciat voluntati testatoris, quia non celebrat in Altari designato, non facit tamen cõtra justitiã, quia per hanc variationem nullum illi præjuditium attulit quò ad Suffragium animæ illi promissum, cum missa celebrata in alio Altari non sit minoris efficaciæ, sed tantùm peccat contra infidelitatem, quia non stat promissis.

Quæres 22. An Capellanus possit celebrare in Altari Privilegiato, relinquendo designatum à testatore?

99 R. Negativè, quia quamvis procurator debeat utiliter tractare negotia dominī sui, quia talis præsumitur esse ejus voluntas, neque enim potest deteriorem, sed meliorem facere debet conditionem domini sui, *l. Ignorantis* 49 *ff. de Procur.* nihilominus non potest excedere fines mandati, sed secundùm illos clarè expressos operari, *l. Diligenter* 5. *ff Mand. cap. Cum dilecta* 22. *de rescr. fine, cap. Cui de non* 21. *de præbend. in* 6. *ad finem.*

100 Procuratori autem comparari potest Capellanus, cum agat negotia testatoris sibi commissa, celebrandi scilicèt ad tale Altare, ergo non debet excedere fines mandati; si enim voluisset, ut missas celebraret ad Altare Privilegiatum extans tempore conditi testamenti, id expressisset, *l. Si servum* 70. *§. Prætor ait, Vers.* Non dixit, *ff de aquir. hæred cap. Ad audientiam*
101 12. *de decim. l. Un. § Ubi autem, ad finem, ibi:* Nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas conjunctim ea disponere. Quare cum testator nullam fecerit mentionem de Altare privilegiato, sed tantùm de alio, præsumitur noluisse, quòd non dixit, *ex l. Labeo ff. de supellect. Rot par.* 3 *Re-*
102 *cent. decis* 358. *nu.* 10 Consequenter non potest celebrare nisi in designato. Ità *Pasqual. q.* 1142. ubi dicit contrarium sentire, *Card. de Lugo disp.* 21 *n.* 38. *alterum de Lugo nomine Franciscum, lib* 5 *de sacr. cap.* 11. *q.* 5 *n* 52 *Dicastill. de sacr. tract* 5. *disp.* 4. *dub.* 21. *n.* 385. posse scilicet celebrare, quando fundator non respexit ad cultum, vel splendorem Altaris, *Aversa verò q.* 11. *sect.* 18 absolutè dicit posse. Sed reverà non percipio, quomodo possit celebrare in Altari Privilegiato, quando designavit aliud Altare, quod præsumitur designasse propter cultum Dei, & splendorem ejus, maximè si ejusdem Altaris, aut Capellæ est patronus; infidelis ergo est, non servando pactum cum hæredibus testatoris initum in receptione Capellaniæ celebrandi ad tale Altare.

Quæres 23. Circa missas pro defunctis celebrandas quibusnam diebus celebrari possint?

103 R. Primò, missæ privatæ defunctorum celebrari possunt quolibet die, præterq; in festis duplicibus, & Dominicis diebus, ut dicitur in rubrica de missis defunctorũ *par.* 1. *tit.* 5. Extat Decretum S. Congr. firmatum à Pontifice 5. Aug. 1662. Declaratum autem fuit à S. Congreg. hujusmodi missas defunctorũ privatas non posse dici in feriis privilegiatis, in quibus non potest fieri de officio duplici, cujusmodi sunt dies Cinerum feria quarta, & infra *hebdomadam* Sanctam, in Vigiliis *Nativitatis*, & Pentecostes; & infra octavas Paschatis, Pentecostes, Epiphaniæ, & Corporis Christi, in quibus non potest fieri de semiduplicibus, ergo nec dici missa privata defunctorum, quæ comparatur cum officiis semiduplicibus, ergo iis prohibitis, etiam missæ defunctorum prohibentur.

104 R. Secundò, in omnibus festis de præcepto, sub quo venit etiam Dominica, exceptis primæ Classis festis, potest celebrari missa solemnis defunctorum, præsente defuncti corpore exposito in Ecclesia, cum nonnullis missis privatis.

Prima pars de missa solemni in die obitus canenda, probatur ex declarat. S. Cõgr die 23 Maii 1603. & supponitur in Rituali Pauli V. in tit. de exequiis, illis verbis: *Nisi obstet magna dici solemnitas.* Ità docent *Ga-*

*vantus*

*vantus par. 1. tit. 5. lit. X. Quartus ibidem dub. 2. diff. 1. Castald. in praxi cerem. lib. 2. sect. 5. cap. 4. Pasqual. q. 285.*

105 Secunda pars, exceptis festis primæ classis, probatur ex dicto Rituali, nam ea exceptio: *Nisi obstet magna diei solemnitas*, refertur ad omnia festa primæ classis, quæ cum magna solemnitate celebrantur; totus enim Clerus, & magnus populi concursus in festis primæ classis interest divinis officiis in Ecclesia cum magna lætitia, ergo abesse debet mæstitia, quæ reperitur in celebratione pro defunctis, quicquid dicat *Pasqual. q. 285 num. 2. & 3.* qui magnam solemnitatem non agnoscit, nisi in diebus Natalis, Paschæ, & Pentecostes, certè licèt in his appareat major solemnitas, propterea magna solemnitate non carent alia festa, cum comparativum, neque superlativum in aliis non tollat po-
106 sitivum à sua qualitate, *l Ubi autem non apparet ff. de verb. obligat. Anchar. cons. 215. n. 6. Surd. dec. 65 n. 8. & 12. ex illis Rot. par. 3. dec. 548. n. 3.*

107 Tertia pars, quòd Cadaver debet esse expositum in Ecclesia, exprimitur à S. Congr. sub die 23. Maii 1603. his verbis: *In diebus festis præsente corpore potest celebra-*
108 *ri missa solemnis de Requiem*. Esse autem præsens aliquid in aliquo loco, est ibidem apparere, & in hoc sensu proprio intelligenda sunt illa verba: *Præsente corpore*, cum enim agatur de re odiosa, & correctiora Rubricarum, verba sunt accipienda in propria, & non lata significatione. Ità *Quartus dub. 2. diff. 1.* contrà Pasqual. *q. 285. n. 4.*

109 Quarta pars de missis privatis probatur. Tùm quia sunt partes accessoriæ solemnitati, non enim cantatur missa in die obitus sine aliis missis privatis. Tùm quia concesso majore, censetur concessum, quod minus est, *cap. ex parte 21. de decim. cap. Per venerabilem 13. Qui filii sint legit. cap. Præcipimus 12. q. 1.* Tùm quia minùs obstat missa privata solemnitati festivæ, quàm cantata, sed hæc conceditur, ergo & privata. Ità *Pasq. q. 283. Quartus dub. 2. diff. 1.*

110 R. Tertiò, in diebus Jovis, & Sabbati Sancti non potest celebrari missa pro die obitus solemnis, nec privata, quia illa duo festa sunt sub prima classe, & cùm magna solemnitate celebrantur, ut omnibus manifestum est, contrà Pasqual. *q.* 286. cujus ratio, quia sunt dies mæstitiæ, non placet, quia magis participant de festo, & gaudio solemnitatis, cum referantur illę ad augustissimum Eucharistię Sacramentum, & hìc ad initium solemnitatis Paschalis, magna ergo solemnitas apparet in illis diebus, apparet in Ecclesia.

R. Quartò, missæ solemnes defuncto-
111 rum in diebus Tertio, Septimo, Trigesimo, & Anniversario cum missis privatis celebrari in festis duplicibus non præceptis, quia id conceditur pro satisfactione mentis testatoris, etiam in casu, quo missa solemnis non cantatur. Ità *Gav. par. 1. tit. 5. lit. A. Garzia in summa tract. 3. diffic. 8. dub fin. p. 2. num. 21. Tambur. de Missa lib. 2. cap. 6. §. 2. num. 1. Quartus par. 1. tit. 5. dub. 2. diffic. 3. Pasq. q. 282. & 284.* Ubi quòd si ea officia occurrant in festis de præcepto, tunc missa solemnis pro defunctis cum privatis celebratur die antecedenti, vel sequenti festum de præcepto.

112 R. Quintò, in rigore loquendo non potest dici missa de Requiem in festo duplici, exceptis in casibus supradictis, ad instantiam viventium, quia id est contra Rubricas missalis, ergo non possùt dici sine violatione ejus. Ità *Gavantus p. 1 tit. 5. litt. A. Garzias cit. Quartus cit. Vers. Colligitur primò, Lezana par. 1 cap. 21. n. 28.* contrà Pasqual. *q. 289. n. 3.* Quia admittitur in aliis casibus pro satisfactione mentis testatoris, & id exigit pietas ipsorum defunctorum. Sed non urgent, nàm menti testatoris satisfacere convenit, non viventis, qui alio die potest petere missam; neque actus pietatis est facere contra Rubricas, cum possit pro defuncto celebrare missam currentem, quæ illi proderit. Et satis fit ex citato Decreto sub num. 103.

Quæres 24. An Capellanus satisfaciat muneri suo celebrando missam ut plurimùm de die, licèt legatū ei impositum sit de missa quotidiana defunctorum, ut expressit testator?

R. Obligatus ex legato quotidie celebrare missam de Requiem, non tenetur ad illam in Dominicis, neque in festis duplicibus, & aliis privilegiatis, de quibus suprà sub num. 103. sed tantùm aliis diebus, in quibus etiam quandoque satisfacit muneri suo recitando missam currentem.

113 Prima pars, quòd non tenetur celebrare missas Defunctorum in Dominicis, & duplicibus, ac privilegiatis, probatur. Tùm quia mens testatoris intelligenda est juxtà juris communis dispositionem *Doct. in l. Hæredes mei §. cum ità ff. ad sen. cons. Trebell. Rota Vol. 1 dec. 584. num. 2. Sancb. lib.*
114 *7 disp. 4 num 25 Vers. Et confirmatur.* Jus autem commune in *cap. Quidam 2. de cel. miss.* non permittit, ut ex consuetudine dicantur votivæ de Trinitate, vel de Sancto Michaele, nisi suis temporibus, unde ibidem mandatur, ut missæ cantentur de die pro salute vivorum, & etiam defunctorum, ergo cum mens testatoris debeat se conformare juri, & Rubricis, interpretanda est, se velle missam quotidianam de Requiem illis diebus, quibus dici possunt ad formam Rubricarum, testator enim facere non potest; quò minus leges in suo testamento locum habeant
115 *l. Testandi 13. C. de testam.* Tùm quia verba in testamentis ità sunt intelligenda, ut

non sit peccatum in eorum constitutione,
116 *l. Plautius 9. ff. de aumo, & arg. legat.* Sed esset peccatum, si aliter intelligerentur verba testamenti, quàm suprà diximus: ergo ità ejus mens interpretanda est. Quòd debeat celebrare Capellanus de festo, docent quamplures apud *Barb. ad dict. cap. 2. de celebr. missarum, ut Armilla V. Missa nu. 28. Tabienanum. 48. Silv. §. 4. Beja par. 1. casu 23. Vers. Primùm. Rodriq. par. 1. cap. 248. num. 9. Miranda tom. 1. q. 41. art. 21. Bonac. disp. 4. de Sacram. q. ultim. p. 7. §. 3. num. 4.*

117 Secunda pars, quòd celebrando missam currentem quandoque illis diebus, quibus ex Rubrica potest dici missa defunctorum, satisfaciat suæ obligationi, & æquivalenter etiam menti testatoris, probatur, quia commemorationes, quæ fiũt de sanctis tantùm prosunt defunctis, quantùm propriæ orationes designatæ pro eisdem ab Ecclesia, unde S. Gregorius relatus
118 *cap. Animæ 22. 13. q. 2. Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosinis, aut jejunio cognatorum.* Ergo recitando missam currentem Capellanus satisfacit menti testatoris æquivalenter nihil enim refert, quid ex æquipollentibus fiat, dum creditor consequitur intentum suum. Confirmatur, quia cum majori devotione recitantur missæ vivorum, quàm mortuorũ; & celeriùs istorum, quàm illorum, & missæ defunctorum sunt breviores, quàm vivorum. Demùm Sacerdos magis se conformat Rubricis Missalis, recitando missam currentem, quàm defunctorum. De hac re Gavantus in fine sui operis super *Rubr. Miss. §. 9.* innumeros ferè Doctores recenset, ad quem remitto lectorem.

119 Notandum est pro confirmatione dictorum, quòd omnes conveniunt, quòd missa defunctorum, quantùm est ex se, est magis proficua, quàm missa currens de die; nihilominus id non obstat, quin possit dici à Capellano missa currens, & sic satisfacere suæ obligationi, quia ille major fructus compensari potest, vel ratione devotionis offerentis, vel respectu devotionis dantis eleemosinam, vel intercessione Sanctorum, pro quorum honore missa celebratur. Est communis *S. Thomæ in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. quæst. 1. ad 5. D. Anton. par. 1. tit. 10. cap. 2. §. 3. Angelus V. missa 34. Navar. cons. 9. de celebr. miss. num. 5. Rodriq. tom. 1. q. 43. art. 8. Miranda tom. 1. q. 41. art. 21. Diana par. 2. tract. 14. resol. 31. Barbos. alleg. 24. num. 31. Fraxin sect. 4. concl. 4. §. 4. num. 1. & 22. Pasqual. q. 187. quamplures alios citans.*

Quæres 25. Quomodo celebrandæ sint missæ Sancti Gregorii pro defunctis?

120 R. Interrogatus S. Gregorius, quomodo esset suffragandum certo defuncto, ut liberaretur à pœnis Purgatorii', respondit *lib. 4. Dialog. cap. 55. Vade ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium, stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione Hostia illius salutaris non offeratur.* Non est autem necesse, quòd omnes sint de Requiem, cùm non sint dicendæ diebus festivis, nec in duplicibus, melius verò est aliis diebus dicere de Requiem, & ad formam Rubricarum. Ità *Gavantus par. 1. tit 4. n. 3 lit. D. Lezana p. 1. cap. 21. n. 23. cum aliis Pasq. q. 293. n. 5.* Ratio est, quia S. Gregorius qualitatem missarum non designat, sed numerum tantùm, cum ergo casus omissus relinquatur dispositioni juris communis
121 *l. si extraneus 6 ff. de cond. caus. data l. commodissimè 10 ff. de liber. & postb Rota par. 3. Recent. decis. 358. n. 14. & dec. 468. n. 2.* in dicendis hujusmodi missis oportet servare Rubricam. Istæ autem triginta missæ continuò celebrandæ sunt, ut id expressè dicit S. Gregorius, nisi adsit legitima causa interpellandi, ut in triduo ante Pascha. Ità *Gavant cit. §. Quartus sect. 4 in qu. proæm. p. 4 Pasq. q. 294 contrà Fraxin sect. 4. concl. 4. §. 5. Bonac disp. 4. de sacr. q. ult p. 7. n. 7. Diana res. 32. de celebr. miss. Lezana p. 1. cap. 21 n. 23.* Quorum opinio absolutè rejicienda est, cùm manifestè aduersetur S. Gregorio; & cùm servus Dei utatur dictione *omninò*, quæ importat decretum irritans,
122 ex citatis à Barbosa hac *dict. 240. nu. 15.* illam continuationem intendit, aliter, licèt defunctus recipiat fructum ex missis, non tamen ex missis prout sunt ad mentem D. Gregorii, ideò nec sunt tàm fructuosæ, quales fuissent continuatim dictæ. Debent autem dici ab uno, & eodem Sacerdote, quia sanctus uni loquebatur, nempè Pretioso Abbati, qui has 30. missas celebravit pro F. Justo ejus Monacho. Ità *Pasq. q. 295. & 296.* Contrà Gavant. Tambur & Lezanam; qui supradicta verba non benè interpretantur, sumentes passivè *offerri* loco *Vade offerre* scilicèt, *tu Abbas*. Quo autem modo, an certò anima in fine mensis liberetur, nescitur, piè tamen creditur ex meritis S. Gregorii liberari ea anima, pro qua dicuntur illæ triginta missæ. *Vide Pasq. q. 296.*

Quæres 26. An in recipiendis legatis missarum, sit necessaria licentia superiorum?

123 R. Affirmativè per Decretum Sacræ Congregationis de mandato Urbani VIII tenoris sequentis.

124 Ad hæc SACRA CONGREGATIO quibusuis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tàm sæcularium, quàm regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterùm onera perpetua suscipiant, Missarũ celebrandarum, sęculares quidẽ, sine

sinè Episcopi, vel ejus generalis Vicarii, Regulares verò sinè Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam privationis omniũ officiorũ, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosinas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ità demùm jidem accipere possint, si oneribus anteà impositis ità satisfecerint, ut nova quoq; onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab hujusmodi Eleemosinis, etiam spontè oblatis, & in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, Eleemosina pro Missis, vel alia simili sub jisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seù ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligentèr inquirant de singulis Missarũ celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec anteà assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes, tàm novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adjunctis secundùm morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in Novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Occurrunt dubia super dictum Decretum. *Primum*, quinam incurrant pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ? *Secundum*, quinam incurrant pœnas privationis officiorum, cum inhabilitate ad ea, & vocis utriusque? *Tertium*, propter quas actiones, seù transgressiones præfatæ pœnæ incurrantur? *Quartum*, an ille pœnæ incurrantur statim posita transgressione, an post sententiam, & declarationem criminis? *Quintum*, quis possit absolvere ab interdicto, & dispensare in aliis pœnis? *Sextum*, an Decretum loquatur tantùm de missis pro mortuis, & eorum Anniversariis, an etiam pro vivis? *Septimum*, an recipere possint nova onera eleemosinarum manualiũ, nondùm veteribus adimpletis? *Octavũ*, quid agere, & observare debeant Superiores concedentes licentiã recipiendi onera hujusmodi? *Nonum*, an licentiam concedentes contrà tenorem Decreti sint rei dictarum pœnarũ? Et similitèr Superiores inferiores eadem onera recipientes?

125 Primo dubio respondetur, soli sæculares, sivè clerici, sivè laici, administratores onera recipientes perpetua missarũ sinè licentia Episcopi, aut ejus Vicarii Generalis, sunt Rei interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Paritèr ipsi, & cæteri alii eleemosinas recipientes, sivè sint personæ privatæ, sivè officiales, ut collectores earum, sivè Sacerdotes sæculares, incurrunt idem interdictum, quandò non possunt satisfacere intrà debitum tempus, de quo infrà 126 sub *dub* 7. Similitèr eandem pœnã agunt administratores non auferentes capsulas habentes missarum inscriptiones. Idem dic, si denuò restituant, nam id est facere contrà Decretum, quod, uti lex, semper loquitur in prohibitivis; præceptum enim prohibitivum semper obligat. Hæc omnia ex verbis ipsius Decreti colliguntur.

127 Secundo, Regulares consentientes, superiores, & subditi in receptionem onerũ missarum perpetuorum sinè licentia sui Generalis, aut Provincialis, incurrunt privationem officiorum, inhabilitatẽ ad ea, & vocis activæ, & passivæ, & nullo modo pœnam interdicti, cujus sunt Rei tantùm sæculares, ut dictum fuit. Recipientes verò missas manuales tàm ipsi Superiores, Sacristæ, & alii Sacerdotes, quibus satisfacere non possunt debito tempore sunt Rei prædictarum pœnarum privationis. Et idem puto dicendum de aliis oneribus missarum ad tempus, quia habent quandam rationem eleemosinarum manualium. Idem dic de non auferentibus capsulas, vel restituentibus ablatas.

128 Quòd autem Regulares non sint obnoxii censuræ Interdicti, sicut sæculares, manifestè probatur ex illa clausula adversativa *Regulares verò sinè Generali*. Pontifex enim postquàm pœnam Interdicti inflixit sæcularibus transgressoribus, subjunxit dictam adversativam *verò* proindè excludentem pœnã interdicti superiùs expressam contrà sæculares, qua nolvit Regulares afficere, & quidem rationabilitèr, quia non sunt augendæ pœnæ uni, & alteri minuendæ respectivè, cum amborum transgressio est æqualis super eadem re in genere. Et id supponitur à *Pasq q.* 1112. dum agit de Interdicto contrà sæculares, & *q.* 1113. de privatione contrà Regulares.

129 Tertio, actiones, propter quas incurruntur illæ pœnæ, tàm à sæcularibus, quàm à Regularibus respectivè, sunt tres. *Prima*, recipere onera perpetua missarum sinè licentia. *Secunda*, recipere eleemosinas manuales, quibus non potest quamprimùm satisfieri. *Tertia* non auferre capsulas, vel illas ponere in Ecclesia cum inscriptione missarum. Singulæ seorsim inferunt pœnas transgressoribus.

130 Quarto, pœna interdicti statim incurritur, sinè alio Judicis facto, quia censuræ paratam semper habent executionem, 131 *c. Pastoral. 53. §. Verùm quia, de appell. ibi Glos. V. Excomm.* & licèt ibi sermo sit de excom-

municatione, idem tamen dicendum est
132 de cæteris censuris, quia omnes pari passu currunt, *Glos. V. Excommunicatio, cap. Licet* 14. *de sent. excomm. in* 6. *Glos. V. Suspendendum, cap. Dilectis* 55. *de appellat.* In terminis nostris *Pasqual. q.* 1112.

133 Aliæ verò pœnæ privationis officiorum, inhabilitatis, & vocum, statim non incurruntur, sed solùm post sententiam à Judice latam super crimine, propter quod imponitur pœna transgressoribus à lege, ut tenet communior opinio Doctorũ, quos magno numero refert *Pasqual. q.* 1113. *nu.* 3. & 9. Procedit, non obstante clausula:
134 *Absque alia declaratione*, quæ non excludit declarationem criminis; declarandũ enim est prius, an inculpatus sit verè reus, & transgressor legis, atque subsequentèr obnoxius pœnæ à lege jam taxatæ, & declaratæ, *Sanch. lib.* 9. *disp.* 30. *initio, Thesaur. Jesuita de pœnis par.* 1. *cap.* 5. Pasqual. rem hanc latè prosequitur loco citato.

135 Quintò, à prædictis pœnis, tàm Interdicti, quàm privationis possunt irretiti absolvi, quidem sæculares à suo Episcopo, Regulares verò dispensari à suis majoribus Superioribus, *arg. cap. Nuper de sent. excom* cùm non sint reservatæ. Ità *Tamb. de Missa lib.* 3. *cap.* 1. *§.* 7. *num.* 9. *ex eo Pasqual. quæst.* 1114. ubi notatur, quòd debet emendari delictum suscepti oneris sinè licentia, hoc est, petere licentiam, si oneri potest satisfieri, aliter renuntiandum est. Idem dic respectu manualium.

136 Sextò, Bulla hæc Decretorum de celebr. missar. loquitur tantùm de missis, & anniversariis Defunctorum, ut manifestè patet initio illius, ideò pœnæ non afficiunt transgressores missarum pro vivis.

Septimò, Non possunt sub eisdem pœ-
137 nis respectivè recipere eleemosynas manuales, & quotidianas, nisi oneribus antèà impositis ità satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin abstineant. Ibi clarè idem dicitur. Itaque incurrunt pœnas, si missis receptis quamprimùm satisfacere non possunt, hoc est, infrà trimestre saltem; dixi enim *cap.* 9 *qu.* 30. bimestre esse breve tempus. Peyrin. dicit hìc triennium esse modicum tempus, sed laxat nimis habenas; sicut enim creditor rei temporalis ægrè fert tàm morosum debitorem, ità & defuncti creditores ejus, qui recepit eleemosinã debi-
138 tor effectus ad celebrandũ quãprimùm.

Octavò, Nec Episcopus, nec Generalis possunt dare licentiam recipiendi onera missarum, quandò omnes Sacerdotes onerati sunt missis perpetuis, ut notum est, & deducitur ex textu; in tantùm enim hanc licentiam concedere possunt, in quantùm habent Sacerdotes non obligatos, qui possunt satisfacere.

139 Nonò, Esto dantes licentiam hanc illicitè, & injustè, nullam ex dictis pœnis incurrant, peccant tamen mortaliter, & sunt cooperatores damni, sciéntèr dant licentiam, illati defunctis, pro quibus non celebratur, *Pasqual. q.* 1115. & satis clarè colligitur extremis verbis dicti textus. Recipientes verò cum tali licentia, quæ nulla est, non videntur excusari à pœnis, non ex capite licentiæ invalidæ, sed quia satisfaciunt oneribus susceptis.

Quæres 27. An testamentum faciens in peccato mortali cum legatis missarum sit satisfactorium, & meritorium?

140 R. Legatum missarum est meritorium, & satisfactorium, quamvis fuerit factum in peccato mortali, si decedat in gratia Dei, & non est necessaria ejus ratificatio. Probatur primùm, quia sicut testamentum per mortem confirmatur, *ad Hebr.*
141 9. 17. *l.* 1. *C. de sacros. Eccles. instit. quibus modis testam. §. Posteriore*, ità cum tunc sit perfectum, & absolutum, suum sortitur effectum in omnibus, ac proindè cum sit actus bonus, erit quoque meritorium, & satisfactorium in suis legatis. Confirmatur, quia dispositio consideratur pro eo tempore, in quod ejus effectus confertur,
142 *l. Titio cùm moreretur ff. de usufr. l quod sponsa ff. de donat. ante nupt.* ut notant *Bart. & Bald. ibidem cum aliis Pasqual. qu.* 1094. *num.* 4 & 5. *cum Gabriel. in Supplem. disp.* 45. *q.* 2. *art.* 2.

Contrarium, quòd testator ex legatis piis factis in peccato mortali, nullum acquirat meritum, nec satisfactionem, nisi in gratia constitutus ratificet, quod fecit, tenent *Ricard. in* 4. *dist.* 45. *q.* 4. *art.* 2. *Gabriel. lect* 46 *in Can. Missæ, Suarez tom.* 4. *disp.* 48. *de suffrag. sect* 8. *num.* 15. asserens oppositum non esse probabile, ea ratione, quia ut opus sit meritorium, & satisfactorium, debet provenire ab agente existente in gratia Dei. Sed facilis est resolutio, dicendo, non attenditur initium factionis testamenti, sed ejus perfectio, quæ morte
143 absolvitur. Undè ratificatio quoque semper remanet imperfecta, quoadusque sequatur mors perficiens ipsum testamentum ab initio inchoatum; satis enim tritum est illud axioma, quòd *voluntas* testatoris ambulatoria est usque *ad* mortem, & sic secunda pars conclusionis remanet probata.

Quæres 28. An Ecclesia habens pingues redditus, præsumatur obligata ad celebrationem missarum?

144 R. Negativè, quia in dubio non præsumitur obligatio; cùm enim sit gravamen, de eo constare debet, nam quælibet res in dubio præsumitur libera, nisi probetur serva, *l. si altiùs C. de servit. & aqua.* Undè & res præsumitur allodialis, non feudalis, nisi talis probetur, *Alex. vol.* 1. *cons.* 129. *Decius cons.* 269. *num.* 1. *cum aliis Riccius par.* 1. *resol.* 356. in terminis nostris, nullam præsumi obligationem in Capellanía, licèt habeat pingues redditus.

CAPUT

## CAPUT SEPTIMUM

### *De Altari Privilegiato Defunctorum.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Usus Altarium Privilegiatorum à Gregorio Papa.*
2 *Qui unum concessit Ecclesiæ SS. Cosmę, & Damiani in Urbe.*
3 *Ubi duplex Ecclesia, utrobique Altare privilegiatum.*
4 *Altare privilegiatum liberat animam, pro qua ibidem celebratur.*
5 *Per modum suffragii, quia fideles porrigunt preces pro ipsis, & Pontifex defunctos absoluit à pœnis.*
6 *Altare dicitur privilegiatum, non Sacrificium, & est locale.*
7 *Privilegium dat virtutem privilegiato.*
8 *Indulgentia tàm vivis, quàm mortuis infallibiliter prodest, ex divina ne promissione, an ex Dei benigna acceptatione? Hinc inde rationes afferuntur per numeros sequentes usque ad num. 42.*
9 *Baptismus omnes pœnas peccatis debitas extinguit, Indulgentiæ solùm actualium post Baptisma contractas pœnas.*
10 *Infallibilis effectus provenit ex divina promissione.*
11 *Indulgentias dari est de fide, ex illis verbis:* quodcumque solueris.
12 *Eadem clavis jurisdictionis remittit pœnas vivis, & defunctis.*
13 *Suffragia infallibiliter prosunt.*
14 *Ex articulo de communione Sanctorum, & ex illis verbis:* Petite, & accipietis,
15 *Opposita sententia cum suis Authoribus Communior.*
16 *Mortui judicantur à Papa.*
17 *Pœna, & peccatum connexionem habent.*
18 *Judicium finiendum est ab eo, à quo fuit cœptum.*
19 *Damnati excommunicantur, & puniuntur, licèt nondum accusati.*
20 *Absoluuntur defuncti ab excommunicatione, qui dederunt signa pœnitentiæ.*
21 *Mortuus creatur Doctor, & miles.*
22 *Homo excommunicatur ratione animæ, à quo vinculo non absoluitur morte, sed judiciali absolutione.*
23 *Absolvi indirectè defunctum, est viventes absoluere ab obligatione, quæ illis ineft ob censuram.*
24 *Sed reverà directè, & immediatè ipse defunctus excommunicatur, absoluitur, vel ligatur, vel declaratur.*
25 *Mors non tollit excommunicationem, sed sola absolutio.*
26 *Indirectè factum supponit directè factum.*
27 *Anatematizare est cum solemnitate excommunicare.*
28 *Scriptura Sacra plures sensus habere potest.*
29 Super terram *refertur ad ministrum ligantem, vel soluentem, qui debet esse vivens.*
30 Super terram, *ideſt*, in terra.
31 *Sic docent Sancti Augustinus, Adrianus Papa, & Gregorius VII.*
32 *Unde nomen* Terræ *accipitur ut condistincta à Cælo.*
33 Ut à peccatis soluantur, *ideſt à pœnis.*
34 *Papa excommunicat decedentes in peccato mortali, mortuos verò in gratia absoluit ab excommunicatione, à pœnis, & à probibitione sepulturæ.*
35 *Mortuus nullus absoluitur sacramentaliter à peccatis.*
36 *Mortuus licèt à Deo judicatur, adhuc judicari potest à Papa, ut mox dictum fuit.*
37 *Claves proximiùs exercentur à Papa pro mortuis, quàm pro vivis; sunt membra hujus Ecclesiæ.*
38 *Dicunt Christum recusare posse oblatum pretium à Papa pro anima defuncti, sicut Princeps respuere gratiam petitam.*
39 Per modum suffragii, *fiat cum judiciali absolutione data à Papa ex æquo tàm vivis, quàm defunctis; suffragium enim refertur ad fideles, absolutio ad Papam.*
40 *Suffragari ergo est fideles viventes auxiliari defunctis mediantibus præscriptis operibus in charta Indulgentiarum.*
41 *Judicium Dei pro defunctis non aduersatur judicio Pontificis, qu adhuc animas habet sibi subjectas ratione pœnæ, quã contraxerunt, dum viverent in terra.*
42 *Altare privilegiatum requirit applicationem sacrificii illi animæ, quæ liberanda est.*
43 *Celebrans in privilegiato, ubi non obligatur, potest dividere Indulgentiam à sacrificio, & satisfacere duobus, sed sine stipe.*
44 *Non satisfacit extra Altare privilegiatum, applicando Megdaleam.*
45 *Sacrificium, & Indulgentia spectantur per modum uniut principii liberantis animam.*
46 *Quod non potest efficere megdaleæ opus, cùm sit quid prævium disponens, non producens effectum.*
47 *Non celebrans in Altari privilegiato petito peccat mortaliter, non tamen tenetur missam reficere.*
48 *Missam defraudans ratione loci non peccat contrà Justitiam, sed tantùm contra fidem datam.*
49 *Missa de Requiem dicenda, si ea exprimitur.*
50 *Exceptis diebus probibitis, quibus satisfit currenti.*

51 *Mens Principis talis præsumitur, qualis de jure debet esse.*

52 *Responsum Sacræ Congr. non posse dici missam de Requiem in Altari privilegiato diebus duplicibus, & de præcepto.*

53 *Missa currenti satisfit diebus probibitis celebrari de Requiem.*

54 *Favorabilis est materia de Altari privilegiato.*

55 *Responsum aliud. Missa nisi sit de Requiem, non satisfit, licèt in Indulto non exprimatur.*

56 *Explicatur non suffragari, si non dicatur illis diebus, quibus non probibetur dici.*

57 Licèt in Indulto non exprimatur *scilicèt, vel nullitas suffragii, vel probibitio Rubricæ.*

58 *Forma censetur adimpleta, quando legitimè impeditur.*

59 *Forma per æquipollens impletur, quando consideratur effectus.*

60 *Probibitio celebrandi missas de Requiem non cessat etiam respectu Altarium privilegiatorum.*

61 *Revocatio cum sit odiosa, non præsumitur.*

62 *Correctio jurium vitanda est.*

63 *Ecclesia militans servit triumphanti orando pro mortuis.*

64 *Bonum bono non opponitur, quando referuntur ad eundem effectum.*

65 *Octava commemorationis defunctorum prorogatur, quando primus dies venit in Dominica.*

66 *Missa quæcumq; dici potest, quando non exprimitur de Requiem.*

67 *Obligatio non cadit supra modum, si non est expressus.*

68 *Qualitas non præsumitur, sed probanda est.*

69 *Missa currens æquè proficua defunctis, sicut vivis.*

70 *Responsa S. C. non sunt leges, nisi Papa approbante.*

71 *Missa de Requiem non requiritur in aliis Altaribus pro Megdaleis.*

72 *Sacrificium, & Indulgentia liberant animam, in aliis sola Indulgentia Megdalearum.*

73 *Recipiens Indulgentiam pro mortuis, non est necesse, quòd sit in gratia.*

74 *Nisi quando præscribitur Sacra Communio, quæ non prodest pro mortuis recepta in peccato à vivente.*

75 *Papa concedendo Indulgentias dicitur elevare bona opera præscripta pro lucro Indulgentiarum secundùm Cardin. de Lugo.*

76 *Concessio alicui facta, ei immediatè acquiritur.*

77 *Bulla Indulgentiarum pro vivis, & defunctis Leonis X. Missa Cajetano.*

78 Transferre *Indulgentiam est offerre Deo bona præscripta pro consecutione Indulgentiæ defunctis.*

79 *Absoluuntur defuncti à pœnis mediante Indulgentia.*

80 *Transferre Indulgentiam, est propriam Indulgentiam non receptam pro se tribuere defunctis.*

81 *Elevatione operum deprimitur virtus Indulgentiarum.*

82 *Indulgentia operatur ex opere operato.*

83 Ex opere operato *agens alterius consortium excludit.*

84 *Sacramenta quia ex opere operato agùt, non egent alterius consortio.*

85 *Dormiens adultus anteà dispositus baptizatur.*

86 *Recipiens remissionem omnium peccatorum, & pœnarum.*

87 *Dispositio est voluntas, fides, & attritio in adultis.*

88 *Attritio est de actualibus, non originali.*

89 *Complacens de veniali, illius pœna non liberatur, cum non sit remissa culpa hæc baptismo.*

90 *Veniale non est obex ad gratiam.*

91 *Sed solùm impedit solutionem pœnæ illi respondentis.*

92 *Baptismus non est Indulgentia, cum non dependeat ab auctoritate Apostolica.*

93 *Baptismus non requirit aliquem actum satisfactorium, sicut Pœnitentia, quæ totam pœnam non delet, sicut Baptismus.*

94 *Baptismus non operatur cum alio Sacramento.*

95 *Satisfactio Sacramentalis nulla, elevatur Indulgentia ad producendum suum effectum, cum in sua virtute sit perfecta.*

96 *Opera Dei opera perfecta sunt.*

97 *Sacramenta ita sunt perfecta, ut non egeant elevatione per Indulgentias.*

98 *Opera præscripta pro lucro Indulgentiæ non elevantur, nec sunt pretium, nec liberant, sed tantùm disponunt subjectum.*

99 *Opus pium pars Sacramentalis operatur ex opere operato, aliàs solùm ex opere operantis.*

100 *Afflictio non est danda afflicto, nec duplex consurgit tribulatio.*

101 *Infantes ad Baptismum disponuntur per Ecclesiam, sicut mortui ad Indulgentiam per viventes.*

102 *Nulla dispositio ex parte defuncti, sola gratia ei sufficit.*

103 *Sacrificii fructus etiam ignorantibus acquiritur.*

104 *Altaria privilegiata prosunt solùm defunctis.*

105 *Sacrificium missæ, propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium.*

106 *Fructus ejus triplex, generalis ex communione Sanctorum, specialis celebrantis, & medius ejus, qui petiit.*

107 *Celebrans non dat Indulgentiam, sed Papa.*

108 *Al-*

108 *Altaria non sunt in usu pro vivis, quia ignoratur eorum status, scitur verò defunctorum, qui est gratiæ.*

109 *Indulgentia sortitur effectum, dum applicatur, non manet in suspenso.*

110 *Egens expectat beneficium, non beneficium egentem.*

111 *Pluralitas Altarium non repugnat, tamen non datur.*

112 Alius *refertur ad similia quamvis non ejusdem rationis.*

113 *Altare designatum non potest mutari.*

114 *Privilegium non conceditur rei nondùm existenti.*

115 *Transfertur privilegium ad secundam Ecclesiam, si prior fuit destructa, vel profanata, si construatur Altare ejusdem tituli, si ministri transeunt.*

116 *Translatis personis, etiam earum jura, & privilegia.*

117 *Defectu illorum trium sub nu.* 115. *remanet privilegium in priori Ecclesia, vel expirat.*

118 *Resoluta Ecclesia, vel Altare ex nimia vetustate, refectum vires habet sui privilegii.*

119 *Refecta res in totum, non est eadem numero quoad aliquos effectus, nempè quoad consecrationem, utique quoad privilegia.*

120 *Refectum in totum, non est idem numero naturali, utique morali.*

121 *Altare nondùm consecratum capax Indulgentiæ, quam non amittit execratione.*

122 *Mutato Altaris titulo, evanescit Indulgentia.*

123 *Numerus Sacerdotum initio necessarius.*

124 *Debet enim reperiri in ipso actu constitutivo rei.*

125 *Qualitate deficiente, deficit dispositio.*

126 *In Altari spectantur suffragium animarum, & numerus Sacerdotum, ut illud exequatur.*

127 *Altaria conceduntur solis Cathedralibus, & Collegiatis.*

128 *Numerus Sacerdotum importat conditionem.*

129 *Non modum contrà Pasqualigum.*

130 *Modus deficiens casu non tollit dispositionem.*

131 Quotidè, *ideſt, ut plurimùm.*

132 *Sub nomine* Familiæ *veniunt Generalis, Provincialis, & hospes.*

133 Familiaris *est serviens domino, cujus panem concedit in domo ejus.*

134 *Hospes dicitur de familia, sed non de Capitulo*

135 *Septennium incipit à die celebrationis.*

136 *Privilegii indultum recognoscitur ab Ordinario.*

137 *Septennium non potest interrumpi, nec ulteriùs prorogari.*

138 *Quare in anno Sancto perditur pro illo anno vivis, non mortuis, quia non suspenditur illis.*

139 *Aliud peti potest ante finem privi, sed non exponi nisi post terminum prioris.*

140 *Dari nihil potest pro ejus expeditione, impetratione, præsentatione, admissione, vel publicatione officialibus deputatis.*

141 *Admittunt, si detur titulo liberalitatis, non placet.*

142 *Anima illa, pro qua celebratur, liberatur.*

143 Super terram, *ideſt, in terra, prout contradistinguitur à Cœlo.*

144 *Papa dominus benefactor animarum Purgatorii.*

145 *Aperit januas Cœli potestate Apostolica, ergò easdem absolvit.*

146 *Aperit proximè defunctis, remotè viventibus.*

147 *Major, & præstantior Papæ potestas, quàm Imperatoris.*

148 *Mortui subduntur judicio Superioris.*

149 *Judicium finiendum est, ubi cæptum fuit.*

150 *Unica missa liberatur anima, non ideò frustrà est quotidiana, cum sit ad cultum Dei, & aliorum, & de mente expressa testatoris*

151 *Altare privilegiatũ non communicatur.*

152 *Privilegium Altaris Sacerdotibus Benedictinis, communicabile.*

153 *Aliud Sacerdotibus Minimis Trinitatis de Urbe, incommunicabile.*

154 *Aliud Vallisoletanis S. Benedicti, communicabile.*

155 *Aliud Cœlestinis Parisiensibus, incommunicabile.*

156 *Aliud Capucinorum, communicabile.*

157 *Communicantur ergò, primum, tertium, & quintum tantùm.*

158 *Nomine Sacerdotum veniunt etiam Novitii.*

159 *Primum, & secundum, quamvis oracula adhuc vigent.*

160 *Non enim revocantur, quæ nulli præjudicant.*

161 *Et quæ sortita sunt suos effectus.*

162 *Non enim Pontifices revocant eorum executionem, sed tantùm concessionem.*

163 Indulgentiæ *ex præstantia sui nominis non veniunt sub generalibus revocationibus, nisi proprio nomine exprimantur.*

164 *Licèt sint gratiæ, quia gratis dantur, sub eo tamen non veniunt.*

165 *Quomodò genus prædicetur de suis speciebus.*

166 *Quandò genus morale revocatur in totum, etiã omnes ejus species revocantur*

167 *Revocato genere, non revocatur semper omnis ejus species.*

168 *Anno Sancto non suspenduntur Indulgentiæ defunctorum.*

169 *Neque per Bullam Cruciatæ.*

170 *Persona est incommunicabilis existentia naturæ*

*naturæ completæ intellectualis.*

171 *Non fuerunt revocatæ Indulgentiæ à Paulo V. mortuorum etiam vivis concessæ pro ipsis.*

172 *In concessione Indulgentiarum pro vivis, non veniunt pro defunctis, nisi exprimantur.*

173 *Destruitur unumquodque eo modo, quo fuit constructum.*

174 *Destructio easdem petit solemnitates, quas habuit constructio.*

175 *Ex Altari, & Megdalea non lucratur duplex Indulgentia.*

176 *Unico enim opere non satisfit duabus obligationibus.*

177 *Tot Indulgentiæ, quot opera præscripta.*

178 *Claus.* dummodò simili privilegio non sit decorata.

179 *Concessio Altaris privilegiati, nondùm elapso priore, valet, si fiat publicatio post lapsum prioris.*

180 *Concessio facta tempore prohibito valet, si ejus effectus differatur in tempus non prohibitum.*

181 *Dispositio valet facta tempore prohibito, si ejus executio referatur in tempus non prohibitum.*

182 *Initium non inspicitur, sed finis.*

183 *Reg. Cancell. de Indulgentiis.*

184 *Claus.* Volumus *refertur sub diversis verbis.*

185 *Verbum prolatum activè, seù passivè non diversificat sensum.*

186 *Indulgentiæ conceduntur Ecclesiis in universali, vel in particulari, clausula afficit eas in particulari tantùm*

187 *Sivè sint Indulgentiæ similes, sivè dissimiles.*

188 *Duas Indulgentias similes, vel dissimiles idem Papa non intendit concedere in eodem loco particulari.*

189 *Etiamsi non adsit verbum* dissimilem.

190 *Clausula* Volumus *non loquitur de Indulgentiis concessis Ordinibus.*

191 *Neque clausula Altarium, & aliarum Indulgentiarum includit unam, & alteram.*

192 *Clausula* Volumus *loquitur solùm de plenariis.*

192 *Stipendium duplicatum pro Altari privilegiato est simoniacum.*

QUoniam Christifideles solent Altaribus privilegatis relinquere legata missarum in suis testamentis, abs re non erit hìc tractare de hujusmodi Altaribus, ut Capellani sciant, quomodò sit satisfaciendum menti testatoris.

1 Usus decorandi sacra Altaria privilegiis pro animabus defunctorum, est antiquissimus, nam S Gregorius Papa, qui electus fuit anno 590. tertio Septembris Altari majori Sanctorum Cosmæ, & Damiani Romæ in foro Bovario, ubi degunt Regulares mei Ordinis, concessit privilegium pro animabus defunctorum, ut patet in subjecta Bulla Urbani VIII. quam extendimus hìc excerptam ex nostro Archivio Parmæ impresso omnium Bullarum ejusdem nostri Ordinis fol. 646. Bulla 279. his verbis.

2 Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdùm loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut indè fidelium defunctorũ animæ Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Volentes igitùr Ecclesiam Sanctorum Cosmę, & Damiani de Urbe Domus Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci, & in ea situm Altare Majus, quod olim à S. Gregorio Papa simili privilegio, ut infrà, decoratum fuisse, piè creditur, hoc speciali dono illustrare auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi.

Ut quandocumque Sacerdos aliquis sæcularis, sivè cujusvis Ordinis regularis, missam defunctorum pro anima cujuscũque fidelis, quæ Deo in charitate convincta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur, itaut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. Incontrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romę apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti MDCXXXI. Pontificatus nostri anno 9.

3 Nota autem, quòd Ecclesia est *duplex*, inferior, quæ est antiqua, in qua S. Gregorius quandoque orabat, nam dum transibat per forum Romanum, tunc sic dictũ, nunc Bovarium, solebat ingredi templũ, & salutare Sacram Imaginem Gloriosæ Virginis. Quodam verò die pertranseundo interpellatur ab eadem, cur non fuisset ingressus, rediit, & ingressus genibus flexis hujus negligentiæ veniam petiit, & gratiam obtinuit, petendo eam indulgentiam pro defunctis. Altera superior, & nova ab Urbano VIII. felicis recordationis magnificentissimo ornatu ædificata fuit anno 1633. in cujus Ara majori collocata Sacra Imago veneratur à fidelibus, & utrumq; Altare majus, tàm superius, quàm inferius est privilegiatum. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres igitùr primò, quid sit Altare privilegiatum? R. Al-

4 R. Altare privilegiatum est illud, in quo Papa concedit Indulgentiam plenariã pro mortuis liberãdis per modũ suffragii, mediante celebratione missæ in eodẽ Altari.

Dixi primò, quòd hæc concessio fit à Pontifice Romano; solus enim ipse habet clavem aperientem Sacrum Ærarium Thesauri satisfactionum Christi, & ejus Sanctorum, ad eum finem, ut ex illo Sacrum pretium extrahere possit pro solutione Deo facienda, ad extinguenda debita per Christifideles contracta ob eorum peccata jam remissa, per Dei misericordiam, qui in Purgatorio existentes dicuntur liberari, & conduci ad vitam æternam.

Dixi secundò, quòd hæc concessio consistit in Indulgentia plenaria, nam Altaris privilegiati virtus in eo consistens est, ut, posita celebratione, liberetur anima, pro qua fuit celebratum Sacrificium, ab omnibus pœnis volando in Cœlum, mediantibus ipsis Sacrificio, & Indulgentia plenaria, quibus conjunctim ab omnibus pœnis eximitur ea anima, pro qua celebratum fuit; si enim Indulgentia non esset plenaria, non esset remissio omnium pœnarum, sed aliquarum tantùm; dum ergò anima ab omnibus pœnis liberatur, exigitur, ut Indulgentia sit plena, & totalis, non pars relinquens portionem debiti, aliter Altare non esset perfectè privilegiatum, neque anima diceretur liberari, sed refrigerari à pœnis.

5 Dixi tertiò, eam animam per modum *Suffragii* liberari à pœnis; alio enim modo liberantur viventes, alio modo defuncti, nam viventes seipsos disponunt exercentes pia opera, quæ præscribuntur necessaria ad acquirendam Indulgentiam, quibus expeditis, Indulgentia suum sortitur effectum, Romano Pontifice absolvente eos à pœnis, & cassante debitum. Mortui verò cum per se ipsos ad lucrum Indulgentiarum se disponere non possint, egent fidelium viventium auxiliis, & Suffragiis ad exequenda opera, quæ præscribuntur in diplomatibus Indulgentiarum, quæ fiunt ab ipsis viventibus pro defunctis, & ideò Indulgentiæ dicuntur hoc modo cõcedi pro defunctis per modum Suffragii, & auxilii; nisi enim adjuvarentur à viventibus, non liberarentur à pœnis per Indulgentias. Positis ergò his omnibus tùm ex parte fidelium, tùm ex parte Pontificis Deo oblatis tamquàm pretium extinctivum debiti, Pontifex alio actu jurisdictionali absolvit animas defunctorum, pro quibus celebratum fuit, vel suffragatum. Sed de his latiùs infrà in quæst. sequenti, ubi de efficacia Indulgentiarum pro mortuis.

Dixi quartò, *mediante celebratione* non simpliciter, sed in Altari privilegiato. Hoc complexum ità necessarium est, ut sinè eo anima defuncti non consequatur hunc effectum liberationis ex vi Altaris privilegiati.

Pasqualig. *q.* 728. de sacrif. definit, quòd privilegium, quod conceditur Altari, est potiùs privilegium Sacrificii in eo celebrati, quàm Altaris; cum enim in eo consistat, quòd habeat vim liberandi animas à pœnis Purgatorii, & hoc præstet celebratio Sacrificii, privilegium erit concessum Sacrificio, quamvis sit concessum ratione Altaris, in quo offertur. Quod confirmat, quia hujusmodi privilegia non sunt semper absoluta, sed aliquandò limitata ad certos dies, & etiam aliquandò ad certas personas, quod est signum non esse proprium Altarii, quia si esset proprium, se haberet ut privilegium locale, quod semper permaneret, & valeret respectu quorumcumque. Hoc autem factum est ad determinanda Sacrificia, quibus conceditur talis efficacia; undè ad magis restringenda facta est coarctatio ad
6 dies, & ad personas. Hæc ille.

Non placet; reverà enim privilegiatur Altare, quia Sacrificium in alio Altari factum non operatur talem effectum, quem producit factum in Altari privilegiato; ergò non Sacrificium, sed Altare appellandum est privilegiatum. *Deindè*, ut dixi, & omnes dicunt: Entitas hujus privilegii est Indulgentia plenaria, quæ non Sacrificio conceditur; habet enim de se operari proprium effectum, licèt non hunc, neque indiget elevari ab hac Indulgentia, cum sit illa efficacius in operando; non eget ergò hac denominatione, sed competit tantùm ipsi Altari, tamquàm conditioni, sinè qua Sacrificium non operatur hunc specialem effectum, requirentem complexum utriusque, nempè celebrationem in Altari privilegiato. *Præterea* nullus ex Pontificibus aliquandò denominavit Sacrificium privilegiatum, sed tantùm Altare, ut patet suprà in diplomate Urbano; Sacrificium enim de se est tàm sublime, excelsum, & infinitum, ut
7 aliquo non egeat privilegio; natura enim privilegii est dare virtutem non habenti, vel illi conferre aliquod beneficium, quod facit præsens privilegium Indulgentiæ plenariæ, quæ unita Sacrificio cũ eo extinguit pœnas omnes ejus, pro quo celebratur.

Ad confirmationem respondeo, ex eo quòd hoc privilegium diversimodè conceditur, potiùs sequitur, quod sit Altaris, & non Sacrificii, quia Altaria diversa sunt, & non omnibus competunt, ut patet, cũ regularitèr unius Ecclesiæ unicum sit Altare privilegiatum, Sacrificium verò unũ in omnibus Ecclesiis reperitur, solùm numero diversum. Et quidem privilegium hoc est locale, quia suum effectum producit solùm celebratione missæ in eo Altari, & nõ extrà; ergò ei cõpetit ratio privilegii.

Neq; ex eo, quòd est locale, debet necessariò manere perpetuò, quia Princeps privilegia pro suo arbitrio concedere potest, ea limitando non solũ loco, sed etiã tempore.

Quare cùm possit privilegium tempore limitari, manifestè apparet concedi Altari, & non Sacrificio, quia elapso tempore respectu Altaris adhuc in Sacrificio perseveraret privilegium, si ei esset concessum, quod nemo dicet, quia finito tempore, omninò cessat privilegium.

Quæres 2. An hoc privilegium debito modo adhibitum, infallibilitèr producat suum effectum, liberando animam, cui fuit applicatum?

8 R. Indulgentia Altaris privilegiati, sicut quælibet alia à summo Pontifice concessa, si debito modo adhibeatur, & sumatur, suum effectum infallibilitèr producit, tàm in defunctis, quàm in vivis, liberando earum animas à pœnis debitis pro peccatis actualibus jam ritè remissis; dico *actualibus*, quia pro originali, imò & pro actualibus pœnæ omnes per baptismum unà cum peccatis omninò tolluntur, ut docet Tridentinum *sess. 6. cap. 14.*

9 Probatur, quia id operatur infallibilitèr suum effectum, quod ex divina institutione, & promissione agit; sed Indul-
10 gentia est ex divina institutione, & agit ex ejusdem promissione; ergò operatur infallibilitèr suum effectum, qui est liberatio à pœnis Purgatorii. Major patet, quia divina bonitas, cùm sit summa, non patitur, ut decipiat quemquam in suis promissionibus; non enim Deus infidelis est, sed promissis stat. Minor probatur, quia de Fide est earum institutio à Christo Domino, ut definierunt Concilia, Constant. *sess.* 8. contrà Joannem Viglephum negantem ibi num. 42. credendum esse Indulgentiis propterea damnatum, & *Trident sess. 25.* in fine, Leo X. contrà Lutherum, in sua 40. *incip. Exurge Domine, à num.* 19. definitione per Theologos accepta à Christo Domino, dum Petro, &
11 ejus successoribus dixit *Matth.* 16. 19 *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quocumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quas claves illi dedisse colligitur ex Joanne 21. 18. cum eidem dixit: *Pasce oves meas.* Ecce, quod institutio Indulgentiarum conjungitur cum promissione ex illis verbis: *Quodcumque solueris super terram*, dum scilicèt, hic vives, ecce institutio; *erit solutum, & in cælis*, ecce promissio.

Quòd hæc potestas clavium referatur etiam ad Indulgentias, non est dubitandum, quia nullus decedens in gratia Dei debitor pœnarum potest introire in regnum cœlorum, nisi prius ab illis sit liberatus, propter quod Deus Petro, & ejus successoribus dedit claves Regni cœlorū, ut fideles possent absolvere, & liberare non solùm à peccatis, verùm etiam à pœnis, remissis culpis, aperiendo illis Regnū cœlorum. Theologi à dicta auctoritate colligunt Indulgentiarum institutionem, ut insinuant *Faber disput. 38. num. 239. de pœnit. Suarez disp. 49. sect. 1. num 5. Castrop. par. 4. tract. 24. p. 2. num. 6.* Indulgentia ergò suum effectum infallibilitèr producit, dum operatur ex divina promissione.

Confirmatur *primò* ex Bulla Leonis X. extensa *p. 3. q. 48. ar. 5.* per Cajetanum, ibi: *Omnes, tàm vivos, quàm defunctos, qui veracitèr omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, à tanta temporali pœna secundùm divinam justitiã pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ, & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet.* Comparantur hìc viventes, & defuncti, sed viventes digni infallibilitèr consequuntur effectum Indulgentiæ; ergò & defuncti; ea-
12 dem enim est clavis remittendi peccata, & solvendi pœnas, *ex Scoto in 4. dist. 18 Vers. Contrà, & dist. 19 à num. 21. Fabro disp. 32. num. 28.* & docet Trident. *sess. 10. cap. 14.* cùm ergò liberatio à culpa, & à pœna proveniat ab eadem clave jurisdictionis, non minus erit infallibilis respectu unius liberati, quàm alterius.

Confirmatur *secundò*, quia Sacramenta, & suffragia infallibilitèr producunt suos effectus; ergò & Indulgentiæ, ne sint
13 minoris virtutis suffragiis; de Sacramentis pro vivis constat; de suffragiis pro se, & proximo, tàm vivo, quàm defuncto, quòd infallibilem habeant effectum ex Dei promissione, & acceptatione, probant *Suar. disp. 48. sect. 2. nu. 6. etiam pro mortuis ibidem sect. 6. num. 6. Castropal. par. 4. tract. 24. p. 1. §. 1. num. 8. Faber disp. 37. à num.* 20. desumitur ex articulo communionis
14 Sanctorum, quam Deus voluit communicari inter omnes fideles, tàm viventes, quàm defunctos, qui magis sancti sunt, quàm viventes, qui aberrare possunt.

Confirmatur *tertiò*, *ex cap. 7. 7. Matth. Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis: Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperitur.* Sed non solùm vivi, sed etiam defuncti petunt liberari à pœnis Purgatorii; juxtà illud Job 19. 21. *Miseremini mei, saltem vos amici mei*, ergò si Indulgentiæ eis ritè applicentur, infallibilem eis producent effectum liberationis, cum eis Deus non possit deesse ex promissione data, ut colligitur ex præfata Christi sententia. *Petite, & accipietis*, quæ arguit promissionem; & pulsanti defuncto per Indulgentiam aperitur porta Purgatorii, ut possit ingredi in Regnum Cœlorum, cujus porta per Indulgentiam aperitur. D. August. *in lib. sent. Prosperi apud S. Thomam in Catena Aurea super cap. 7. Matth.* mentionem facit de ea promissione. *Si autem id postulat, quod & Deus præcipit, & promittit, fiet omninò, quod poscit.* Dat ergò Deus, quod promisit omnibus, tùm vivis, tùm defunctis, qui sinè dubio dignè petunt, dum Deo in charitate ex hoc mundo migra-

runt,

runt, nec eis aliud deeſt, niſi ſuffragium vivorum dignè applicatum.

Hanc ſententiam, quòd Indulgentia habeat effectum infallibilem ex Dei promiſſione, docent *Scotus in* 4 *diſt.* 21. *qu.* 2. *art.* 3. *Verſ. Eſt tamen; Navar. de Indulg. Notab.* 22. *Suarez diſp.* 53. *ſect.* 3 *Caſtropal. par.* 4. *tract.* 24. *p.* 10. *num* 4. *de Lugo diſp.* 27. *num.* 58. *Sanctar. de Jubileo cap* 4. *dub.* 11. *apud Paſqualig. qu.* 729. alii citantur, qui cum dictis ſunt ſeptemdecim Doctores.

15 Contrarium tenent plerique, Indulgentias non prodeſſe defunctis infallibiliter, ſed tantùm ex Dei *benigna acceptatione*, non autem ex *divina promiſſione*, & ſunt treſdecim Doctores relati à Paſqual. *ea q.* 729. *nu.* 4. quos ſequitur, & probat *primò*; quia licèt de promiſſione acceptandi ſatisfactiones theſauri Eccleſiæ oblatas pro vivis conſtet ex illis verbis: *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*, ex quibus colligitur infallibilitas Indulgentiarum pro vivis, cum Deus non deficiat in ſuis promiſſionibus, non tamen conſtat de hac promiſſione pro mortuis, qui non ſunt *ſuper terram*, ſicut vivi; ergò promiſſio non extenditur ad mortuos. *Secundò*, debitum pœnæ relictum poſt remiſſionem peccatorum refertur ad ſolum Deum creditorem illius; ergò ab hoc ſolo tale debitum eſt remiſſivum modo juriſdictionali, cum Papa non ampliùs habeat defunctos ſub ſua juriſdictione, undè eos abſolvere non poteſt, ſed tantùm rogare Deum, ut abſolvat. *Tertiò* probat ex differentia remittendi pœnas per Indulgentias vivis, quibus proſunt per modum *abſolutionis*, defunctis verò per modum *ſuffragii*, ex omnium ſententia; ergò Indulgentiæ pro defunctis non habent effectũ infallibilem, quia non abſolvuntur à pœnis judicialitèr, ſicut abſolvuntur vivi ex divina promiſſione, qui ſolùm ſubduntur juriſdictioni Pontificiæ.

Quibus tamen non obſtantibus, dico probabilitèr loquendo, ut ſuprà, Indulgentias ſuos producere infallibilitèr effectus ex divina promiſſione, & Romanum Pontificem habere poteſtatem judicialem tùm condemnatoriam, tùm abſolutoriam defunctorum Purgatorii. Primũ patet ex dictis ſuprà, ſecundum probatur, ex quo primum magis confirmatur.

16 Probatur ergò, Pontificem Romanum judicare etiam mortuos. *Primò*, quia mortui adhuc ſunt membra Eccleſiæ militantis, ut probat Faber *diſp.* 37. *de pœnit. num.* 27. *ex S. Auguſtino lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 9. *Neque enim piorum animæ defunctorum ab Eccleſia ſeparantur, quæ eſt Regnum Chriſti.* Purgantes nondùm ſeparatæ ſunt ab Eccleſia militante, quia adhuc in ea militant, & laborant in ſolutione ſuarum pœnarum, dum ingentia tormenta ſuſtinent pro ſuis peccatis, dum laborant, non quieſcunt; quies enim perfecta ſolùm in Cœloeſt, in quo non ſunt; ergò in terra, ubi eſt Eccleſiæ militia.

*Secundò*, quia connexorum idem eſt 17 judicium, ex vulgatis juribus, *Barb. Axiom.* 51. ſed peccatum, & pœna ſunt connexa ex quadam neceſſitate, nam pœna ſequitur culpam, & peccatum, *l. Sancimus* 22. *C. de pœnis ex Reg.* 23. *in* 6. *D. Thoma* 2. 2. *q.* 108. *art.* 4. quia pœna eſt medicina culpæ, inquit *S Auguſt. lib.* 1. *Retract. cap.* 9. eſt enim pœna delictorum ſatisfactio à lege, vel legis miniſtro impoſita, ut dicitur in *Rubr. ff. de pœnis*; ſed homo vivens eſt ſubditus Eccleſiæ quoad liberationem peccati, & pœnarum; ergò & mortuus quoad reliquum pœnarum.

*Tertiò*, Pontifex Romanus totum mundum habet pro ſuo territorio, in quo judicare poteſt omnes, qui in eo habitant, *cap. Cuncta per mundum* 17. & 18. 9. *q.* 3 ſed defuncti omnes patientes ſunt in hoc mundo terreno, dum non ſunt in alio cœleſti nuncupato, in quo nulla paſſio, tormentum nullum, nec ullus dolor ſentitur; non enim datur alius mundus præter terrenum, in quo ſunt viventes ſuper terram, & mortui patientes ſub terra; & cœleſtis, juxtà illud Gen. initio *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, & quod dicitur in *Pſal.* 113. 16. *Cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Etiam in Oratione Dominicali ponitur hæc diſtinctio, *fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*. Eſt ergò certa diſtinctio ſuperiorum, & inferiorum, in quibus ſunt vivi, & mortui in eodem territorio terreno, ac proindè ſub eodem judice terreno.

*Quartò*, facit *l. ſi quis* 7. *l. ubi* 30 *ff. de judic.* 18 quia judicium cæptum ab eodem eſt finiendum, ſed judicium cæptum contrà viventem, vel pro vivente, quandoque non finitur, dum vivit; ergò finiri poteſt poſt mortem; neque enim fas eſt negotium relinquere imperfectum; ergò poſt mortem terminari poteſt, evidens argumentum, quod mortui ſunt de territorio hujus mundi.

*Quintò*, quis ſortitur forum ratione delicti, *cap. fin. de foro comp.* ſed delicta mortuorum perpetrata fuerunt in hoc mundo, dum viverent, & nondùm plenè judicata; ergò poſt mortem ulteriùs judicari poſſunt. Et id quoad condemnationem, & abſolutionem infrà magis patebit ex Sanctis Patribus.

19 Condemnantur ergò judicialitèr defuncti, poſtquàm ex hac corporali vita tranſierunt ad tabernacula inferiora, ut patet ex dictis, & in ſpecie magis confirmatur. *Primò*, auctoritate Synodi *V. Act.* 1. *relata in cap. Sane* 6. 24. *qu.* 2. decernentis, hæreticos defunctos, & eorum benefactores, qui eis facultates reliquerunt, poſſe anathematizari, licèt ante mortem, dum viverent, non fuiſſent accuſati,

ubi dicitur à S. Synodo, id esse traditionẽ Ecclesiasticam, & doctrinam S. Augustini. *Secundò*; usus est antiquissimus non dandi sepulturam Ecclesiasticam certis peccatoribus, ex Rituali Pauli V. de qua pœna plura dixi *Resol.* 51. *à num.* 93. ergò Ecclesiæ Pastor potestatem judicialem condemnatoriam habet super defunctos, dum eos privat Ecclesiastica sepultura, non vivos, qui non sepelliuntur, sed mortui. *Tertiò*, Ecclesia ligare potest, & solvere mortuos, ut dicitur *cap. A nobis* 28. *de sent excom.* quia illi subduntur ratione territorii, & delicti, ac proindè ex duplici capite. *Quartò, in l. Meminisse* 6. *l. post. divi* 7. *C. ad l. Juliam, læsæ majest.* hujus criminis Rei post mortẽ accusari possunt, & damnari eorum memoria. Quare, ut inquit Caramuel vir subtilissimi ingenii, in sua Theologia fundamentali *nu.* 1242. defunctos posse accusari, citari, & condemnari meridie mero clarius est.

20 Absolvuntur quoque defuncti, & favores eisdem præstãtur à Judicibus Ecclesiasticis, eadem auctoritate judiciali, qua possunt cõdemnari; potest enim ille absolvere, qui condemnare potest, *l. qui condemnare* 3. *ff. de re jud. l. Nemo* 38. *ff. de reg. jur. cap. inferior.* 4 *dist.* 21 *cap cum inferior* 16 *de major.* se se enim invicem inferunt.

Probatur *Primò ex cit. cap. A nobis* 28. *de sent. excom. ibi: Et in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos, ac solvisse.* Nam excommunicatos, qui pœnitentes parati obedire decesserunt, absolvit Superior verè, & judicialiter, sicut absolvisset, si ulterius vixissent, nam mors ab eo non sustulit excommunicationem; ergò ab ea absolvitur verè sicut alter vivens, cum morte non tollatur pœna spiritualis, sed ejus vis duret ulteriùs, ut docet *Ricciull. de jure person. extrà Eccl. grem lib.* 4. *cap.* 60. quam sententiam, multis citatis, dicit esse receptiorem, & verissimam, qui *nu.* 41. & 42. apertè dicit mortuos excommunicatos absolvi. Probatur *Secundò*, quia quibus vivi communicavimus, mortuis quoque communicare possumus, *cap. Sanè* 3. 24. *qu.* 2. ergò & eos absolvere ab excõmunicatione, qui actus absolutionis est quædam communicatio. *Tertiò*, defunctus creari potest miles, & doctor, quia in his actibus honoratur memoria defuncti, *Bart. in l.* 1. *C. de dignit. lib.* 12. *alii in citatum cap. A nobis de sent. excom. Ricciull. lib.* 4 *cap.* 60. *n* 8. si defuncti in his honorantur; ergò etiam in ablatione excommunicationis verè, propriè, & directè, & à fortiori in absolutione directa, & judiciali à pœnis peccatorum per Indulgentiam, sicut viventes.

21

Confirmatur, quia licèt moriatur homo quoad corpus, vivit tamen quoad animam, quæ est immortalis, respectu cujus homo dicitur excommunicari, & etiam absolvi ad excommunicatione, quæ non

22

corpus, sed animam afficit, dum eam privat à communione Ecclesiæ, ex sentẽtia omnium, qui agunt de excommunicatione, quæ ab anima tolli non potest neq; in hac vita, neque in alia, nisi per formalem absolutionem, & sicut cœptum fuit judicium, dum persona viveret, à Judice Ecclesiastico, ità ab eo terminandum est, ut habent jura superiùs citata; dum ergò anima non moritur, cum ea manet auferenda ab eo, qui eam fulminavit, vel ab ejus Superiore.

Probatur *Quartò* magis ad rem nostrã, fidelis dum in hoc vivit sæculo, peccando contrahit pœnam, quæ ex necessitate sequitur culpam; utrumque autem tollitur per Sacramentum Pœnitentiæ, culpa quidem in totum, pœna verò de æterna commutatur in temporalem, & aliquid illius temporalitatis per absolutionem tollitur, *Trid. sess.* 6. *c.* 14. in quo conveniunt omnes Theologi; remanet ergò pœna in hoc mũdo contracta etiam post mortem, si non fuit sublata per actiones satisfactorias, aut Indulgentias, solvẽda in Purgatorio; ergò eadem auctoritate, qua Superior, applicatione Indulgentiarum, judicialiter absolvit à pœnis viventes, absolvit quoque animas defunctorum; in utroque enim statu absolutio cadit super animam, cum semper sit vivens, & immortalis, & absolutio semper est eadem quoad ablationem pœnarum, cùm Superior eadem potestate utatur respectu utriusque, præsertim cùm debitum fuerit contractum in hoc sæculo; ergò anima ab hac vita ad aliam migrando, secùm trahit idem debitum, quod proindè remanet sub dispositione Superioris, sicut erat ante.

Communior Theologorum sententia docet apud *Suar. disp* 5. *sect.* 1. *Castr disp.* 16. *de cens p.* 6. *n.* 1. *Bonac. p* 4. *de cens. disp* 1. neminem excommunicari posse post mortẽ, quia mortuus est incapax excommunicationis, cùm feratur, ut inobediens resipiscat, & corrigatur, quod in mortuis dari nõ potest. Tùmquia non sunt ampliùs subditi, cum Judex Ecclesiasticus judicet tantùm, qui sunt super terram *Matth.* 16. dicunt ergò, quòd mortuus indirectè potest excommunicari, & absolvi ab excommunicatione, in quantùm per indirectam excommunicationem prohibentur fideles suffragari defunctis, & dare excommunicatis sepulturam ecclesiasticam; potestate ergò indirecta excommunicant, in quantùm viventibus ea prohibent; declarant enim illos esse censura affectos, & indirectè prohibent viventibus cõmunicare cũ illis. Pari modo, qui petierunt absolutionẽ dantes signa pœnitentiæ defuncti absolvuntur indirectè, hoc est declarãtur absoluti ipsi, & fideles viventes eximuntur ab illa prohibitione communicãdi cũ excommunicatis jam indirectè absolutis.

23 Quare hoc indirectè absolvere, vel ligare de-

defunctum, eſt viventes ligare, vel abſolvere ab obligatione, quæ illis ineſt ob cenſuram, quà defunctus ligatus erat. Et ità intelligunt *cap. Anobis de ſent. excom.* & alia jura ſuperiùs citata de ligatione, & abſolutione indirecta favore ſcilicèt, vel contrà viventes.

24 Ego autem dico, probabiliter defunctum poſt mortem propriè, & directè declarari incidiſſe in excommunicationem propter delictum commiſſum ante mortem, habens adnexam excommunicationem non ſolùm latæ ſententiæ, ſed etiam ferendæ, reſpectu cujus tranſgreſſor non ſolùm declaratur, ut fit reſpectu latæ ſententiæ, ſed etiam excommunicatur; ratio eſt, quia reſpectu delicti, anima defuncti, quæ non moritur, adhuc eſt de foro Eccleſiaſtico, latio enim cenſuræ, & ejus declaratio pertinent ad eandem poteſtatem, dum verſantur circa eandem cauſam, & ſubjectum. Defunctus autem, qui dedit ſigna pœnitentiæ petendo abſolutionem, non eſt declarandus excommunicatus, quia reſcipuit, ſed ab excommunicatione abſoluendus, & quidem directè, quia anima cum hoc vinculo tranſivit, ergo ab eo directè liberatur, dum ſibi prodeſt, non ſolùm ablatione ligaminis hujus, ſed etiam dum per hujuſmodi abſolutionem cæteri fideles eximuntur à prohibitione ſuffragandi pro eo defuncto; cùm ergo magna utilitas acquiratur animæ defuncti tũ reſpectu ſui, tùm aliorum per hujuſmodi abſolutionem, neſcio, qua ratione non ſit dicenda directa, & propria, cùm præcipuè ejus attendatur beneficium, & non viventium, qui licèt eximanatur ab illa prohibitione, non tamen illi ſerat oneroſa, ſicut talis eſt reſpectu excommunicatorum viventiũ. Ex quo ulteriùs patet, lationem, & declarationem excommunicationis eſſe directè, & propriè actum juriſdictionis reſpectu ipſius patientis ſententiam contrà ſe, cùm ſit directè nociva animæ excommunicati, qui privatur Eccleſiæ ſuffragiis non indirectè, ſed directè, dum ille privatur immediatè tot beneficiis, indirectè aliis; reſpectu quorum prohibitio non dicitur beneficium.

25 Confirmatur, quia abſolutio dirigitur ad defunctum; dicitur enim in citato *cap.* 28. *de ſent. excom. defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur*, non dicitur, beneficium impendi viventibus abſolutionis à prohibitione communicandi cum excommunicato mortuo, ſed quòd abſolutio datur ipſi defuncto, & ibi redditur ratio: *Quamuis abſolutus apud Deum fuiſſe credatur, nondùm tamen habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus*. Cùm ergo mors non tollat excommunicationem, auferenda eſt à Superiore, & conſequenter directè, dum dirigitur ad defunctum, & non ad viventes. *Vide Martam par.* 5. *cap.* 19. *num.* 26. ubi quòd ſepulchrum, ſi Cadaver haberi non poteſt, percutitur, & formam abſolutionis directam in mortuum refert; in defunctum extendit Fagnanus ad dictum *cap. n.* 14.

Quare ex his patet reſponſum ad rationes ſupradictas de ligatione, & abſolutione indirecta, nimirùm falſum eſſe defunctos eſſe incapaces excommunicationis, cùm Pontifex abſolutè in eo textu defunctos ligari, & ſolvi poſſe aſſerat, id quod, & ſimpliciter ſtatuit, quinta Synodus generalis, ut dictum fuit ſuprà, non diſtinguendo inter abſolutionem, & ligationem directam, vel indirectam, ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, *ex vulgatis juribus*, & reverà ea locutio maximè impropria eſt, cùm præferat actum juriſdictionis ligativum, vel abſolutivum referri ad viventes, non ad defunctos, in quantùm per ligationem viventes prohibentur communicare cum
26 mortuis excommunicatis, & per abſolutionem auferri ab eis prohibitionẽ communionis, eſto enim id ſit verum; cùm nihilominùs ſupponat alium priorem actum directum in mortuum excommunicatum, vel abſolutum, neceſsè eſt dicere, priùs directè excommunicari, vel abſolvi defunctum, quàm quòd prohibeatur viventibus communicatio per excommunicationẽ, vel eximantur à dicta prohibitione per abſolutionem, hæc enim duo reſpectu viventium veniunt in conſequentiam, & indirectè, ergo neceſsè eſt, quòd excommunicatio, & ejus abſolutio ſint directè in mortuum, cùm illum tantùm tangant, & non viventes, qui nullo modo ligantur, nec abſoluuntur, ſed prohibitio, vel ab ea liberatio provenit, illa quidem ab ipſa cenſura, hæc verò à deſtructione excommunicationis, non ex vi verborum, quæ immediatè diriguntur in cenſuratum. Et ità docent omnes Canoniſtæ, & alii ſcribentes ante recentiores. Neque verbum
27 *Anathematizare*, aliud ſignificat ab excommunicare, niſi in eo, quòd importat quandam ſolemnitatem in excommunicando, ſuprà actum excommunicationis ordinariæ, quæ fit ſine tali ſolemnitate, ambo igitur omninò verè, & propriè important primam cenſuram, ut docent omnes in Bulla cœnæ Domini.

Reliquum eſt, ut reſpondeamus ad argumenta probantia Indulgentias non prodeſſe infallibiliter ex promiſſione, ſed tantùm per modum ſuffragii, quia Papa ſuper animas defunctorum non habet directè juriſdictionem, ut colligunt ex illis verbis. *Quodcumq; ſolueris ſuper terram.* Magnam enim vim faciunt, *ſuper terram*, dũ volunt includere ſolùm vivẽtes, ideò.

Reſpondeo, illam ſententiam Domini, per quam fideles docentur, Petro traditam fuiſſe poteſtatem juriſdictionis circa gu-

ca gubernationem ſuarum ovium, tùm cùm dixit, *Paſce oves meas*, plures poſſe habere ſenſus ex interpretatione illius
28 clauſulæ *ſuper terram*; ſacra enim ſcriptura pluralitatem ſenſuum catholicorum non reſpuit, ſed amplectitur, ut docent omnes cum S. Aug. *tom. 3. lib. 3. de doctrina Chriſt. cap.* 26. illis verbis. *Quando autem ex eiſdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, ſed duo, vel plura ſequuntur, etiam ſi latet quid ſenſerit ille, qui ſcripſerit, nihil periculi eſt, ſi quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis Sanctarum Scripturarum doceri poteſt.* Quam veritatem ulteriùs oſtendit *lib. 1. de Geneſi ad liter. cap.* 19.

29 Duobus autem modis illa verba, *ſuper terram*, interpretari poſſunt, nam *primò* referri poſſunt ad miniſtrum ligantem, vel abſolventem, qui debet eſſe ſuper terram, hoc eſt, hìc vivere ſecundùm animam, & corpus, quia in alio ſtatu ab hoc diverſo, & poſt hanc vitam, ulteriùs poteſtatem nec Ordinis, nec juriſdictionis Dei miniſter exercere poteſt, ideò hanc Chriſtus limitavit per ea verba, *ſuper terram*, quem sēſum ſuadent ipſamet alia verba: *Quodcumq; ligaveris ſuper terram*, tu ſcilicet Petre, dum vixeris ſcilicet, *ſuper terram*, non in Cælo, quia ego dominus, & Judex, tu ſervus, & ſubditus, ut enim dicitur in Pſalmo: *Cælū Cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, ut hìc exerceant ſua opera, & nō in Cælo, quod eſt ſolius Dei tribunal. Referuntur ergo ea verba ad miniſtrum *ſuper terram*. Et ità docent duo Canoniſtæ M. & H; forſan Marianus Socinus, & Hoſtienſis citati *à Gloſ. V. Et in Cælis cap. Legatur* 2. 24. *q* 2. D. Antonius *in 2. parte 3. part. ſum. in Rubr. de Pontif.* interpretatur *ſuper terram* eſſe referendum ad abſolventem, & ad eos, qui purgandi ſunt in terris, & non in Cælo, ſivè vivi, ſivè mortui, quem ſequitur in terminis de Indulgentiis *Martha par. 3. de juriſd. cap.* 20 *num.* 27.

Corduba *de Indulg. lib.* 5. *q.* 16. *verſ. tertiò patet* ad præfatum ſenſum, quòd verbum *ſuper terram* referatur ad abſolventem, adducit *S. Thomam in* 4. *diſt.* 20 *S. Bonaventuram q. pen Alexand. de Hales par.* 4. *q.* 83. *memb.* 5. *Durandum q.* 4 expreſſiùs Michael Medina *de Indulgentiis diſp.* 7. *cap.* 34. *&* 36. dicens, Papam habere juriſdictionem in Purgatorio, intelligens illa verba *ſuper terram*, omnem terram etiam ſecundùm profunditatem, & non tantùm ejus ſuperficiem, nam animæ purgantes ſunt de Eccleſia militante, quia non triumphant, quia adhuc militant, cum nondum receperint triumphum.

30 Senſus ſecundus ſuper ea verba *ſuper terram* talis eſt, quòd *ſuper* ſupponat pro *in*, *ſuper terrā* ideſt, *in terrā*, ac proinde terra in hoc ſenſu accipitur non ſolùm ſecundùm profunditatem, in cujus viſceri-
31 bus ſunt animæ patientes in Inferno, & purgantes in Purgatorio, & in hoc ſenſu diſtinguūtur ſublunaria à cęleſtibus, ut ſo-
32 let Sacra Scriptura diſtinguere cælum à terra. Quòd autem dictio *ſuper terram*, idem ſit, quod *in terram*, docet S. Auguſtinus *tom.* 10. *ſerm.* 8. *de verbis Domini*: *Quæ ſolueris in terra, ſoluta erunt in cælis.* Quæ repetit eodem tomo *Homil.* 23. & 49. Eodem modo loquendi *in terra* utuntur Lyranus ibidem; Adrianus Papa *Epiſt.* 1. *ad Conſtant. Imperat Sanctis Apoſtolis Romanæ Eccleſiæ poteſtas à Deo data eſt ligandi, atq; ſoluendi peccata in cælo, & in terra.* Nomine *peccatorum* veniunt etiam pœnę, juxtà illud Judæ Machabæi. *Ut à peccatis ſoluantur* Gregorius VII. in Concilio Romano. *Omnis mundus intelligat, quòd Petrus,*
33 *& Paulus poſſunt in terra ligare, & ſoluere.* Et is ſenſus confirmatur ex verbis Domini, *Matth. cap. fin.* 18. *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*, tamquàm ſi dixiſſet *ſuper cælum, & ſuper terram*, quàm Chriſtus Dominus in cælum aſcenſurus delegavit Petro in terra, quoad oves ſuas, & ſuper terram, quoad ſe, & ad exercitium, quia eam retinuit, quoad vixit, & non ulteriùs.

Atq; is poſterior ſenſus eſt valdè congruus, quia priorem confirmat, ex quo enim miniſter poteſt exercere poteſtatem ſibi à Deo traditam ſuper omnes, qui ſunt in terra, neceſſe quoq; eſt, quòd ipſe vivat ſuper terram, ut valeat ligare, & ſoluere, qui ſunt in terra, ſive viventes ſuper terram, ſive mortuos excommunicando eos, qui ſunt in inferno, & abſoluendo eos qui in charitate ſunt defuncti, tùm ab ex-
34 communicatione, tùm à prohibitione ſepulturæ, tum à pœnis Purgatorii.

Nec his obſtat *cap. Legatur* 2. 24. *q. mortuos ſuſcitaſſe Chriſtum, legimus in errore mortuos abſolviſſe non legimus. Et qui certè hoc faciendi ſolus habuit poteſtatem, Beato Petro principaliter mandat Apoſtolo: Quæ ligaveris ſuper terram, ligata erunt & in cælis &c. Super terram, inquit, nam in hac ligatione defunctum nuſquàm dixit abſolvi.* Quia hìc ſermo eſt etiam de abſolutione Sacramentali, quæ nullo modo dari poteſt mortuis,
35 imò nec abſolutio à cenſuris, dum ſunt mortui in ſuis erroribus, ut inſinuat ipſe textus ibi: *In errore mortuos*, ſivè ſit error peccati ſimplicitèr, ſivè conjuncti cum excommunicatione, ut innuit idem textus extremis verbis: *Super terram, inquit, nam in hac ligatione*, ſcilicèt, excommunicationis, *defunctum nuſquam dixit abſolvi.* Et ità eſt, quia in *ſeq. cap.* 4. idem Gelaſius Papa dicit Achaſium hæreticum *abſolutionem, quam ſuperſtes nec quæſivit omninò, nec mervit, mortuus jam non poteſt impetrare*, potuit verò excommunicari, ut deciditur in quinta Synodo *tom* 2. Concil. impreſſionis Venetæ Nicolini *fol.* 713 *& fol.* 771.

Multa congerit Corduba *ex quæſt.* 16. *de Indulg.* contrà Michaelem Medinam probans

bans ea verba *ſuper terram*, eſſe intelligenda ſolùm reſpectu vivorum, non verò mortuorum; ſed ex probatis colligitur reſponſio adæquata ad ejus argumenta, quæ non multùm urgent. Et ex his patet reſponſio ad primum argumentum allatum ſupra ex Paſqualigo, quòd fundabatur ſuper auctoritatem Sacræ Scripturæ. *Quodcumque ſolueris ſuper terram*. Mirabile dictu, quòd ferè omnes poteſtatem, per quàm Pontifex Romanus concedit Indulgentias, colligunt ex ea auctoritate, tàm reſpectu vivorum, quàm mortuorum, & nihilominus neſcio qua ratione excludant mortuos ab earum ſolutione per ea verba *ſuper terram*, cùm referantur ad ſoluentem ſecundùm priorem ſenſũ, vel præpoſitio *ſuper* importat idem, quod præpoſitio *in* comprehendens quicquid ſub Cælo eſt, ac proindè non ſolùm viventes, ſed etiam mortuos. Et hæc ſatis, quo ad primum argumentum.

36 Ad ſecundum, in quo dicebatur, debitum pœnæ poſt hanc mortem relinqui judicio tantùm Dei, qui ſolus eſt Judex, non ampliùs Pontifex, qui ſolum Deum rogare poteſt, ut abſoluat, quod ipſe facere non poteſt. Reſpondetur id gratis aſſeri, ut enim probatum eſt ſuprà, Dei miniſter retinet eandem poteſtatem juriſdictionis ſuper mortuos, quam habebat, ante quam morerentur, ſunt enim mortui Purgatorii de Eccleſia militante, donec illis aperiatur porta Cæli à Deo, quod etiam contingit, per applicationem Indulgentiæ factã à Papa, qui non ſine cauſa dicitur habere claves Regni Cælorum, non ſolùm pro vivis, ſed etiam pro mortuis, & quidem proximiori modo, ut eos à ſua Eccleſia militante transferat in Eccleſiã
37 triumphantem, uſque enim ad ultimam purgationem remanent membra Eccleſiæ militantis, ut dixi ſuprà, & docet Michael Medina apud dictum Cordubam *q.* 16. *verſ. Tertiò idem, & verſ Ad tertium à quo ipſe non diſſentit. Faber. diſput.* 3 *de Pœnit. num.* 27. *D. quoq; Thomas in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 2. *arg.* 3. *ait, apud Fabr diſp.* 38. *num.* 238. quòd illi, qui ſunt in Purgatorio, ſunt de foro Eccleſiæ, & quod hac ratione illis proſunt Indulgentiæ.

Quare verum quidem eſt, quòd pœnarum defuncti ſolus Deus eſt creditor, & reus in Purgatorio ſolus eſt debitor, id tamen non tollit, quin Pontifex poſſit illud debitum extinguere; videmus enim, quòd Judex non eſt creditor, & tamen ex officio precurat, judicat, cogit, & ſoluit quandoq; de ſuo ſuffragando, cùm debitor non eſt ſoluendo; & cùm defunctus in Purgatorio ſit quò ad hoc ſubditus Pontifici, debitum enim contraxit ſub ejus juriſdictione, abſolui poteſt judicialiter ab hoc debito, eo modo, quo poterat, quando viveret.

Ad tertium argumentum, quòd conſtit in modo concedendi Indulgentias per modum *abſolutionis* ſolùm vivis, quia iſti tantùm judicialiter abſoluuntur à pœnis, cùm ſint ſubditi; mortuis verò ſolùm per modum *ſuffragii*, undè volunt conceſſionem per modum *abſolutionis* ſignificare infallibilitatem effectus, non verò quando conceditur per modum *ſuffragii*, quia quando Papa concedit Indulgentiam viventi, acceptum pretium de Theſauro acceptat pro debito pœnæ, & fert ſententiam abſolutionis nondùm à Chriſto prolatam, mortuum verò jam à Chriſto judicatum non poteſt liberare judicialitèr, & abſoluere, cùm non ampliùs ſit ejus ſubditus, quare ſolùm offerre pretium pro illo, ut Chriſtus pro ſua miſericordia dignetur illud acceptare, ut docent *Cajet. tom.* 1. *opuſ. tract.* 17. *q.* 5. *&* 6. *Corduba q.* 15. *opin* 4. Non habet ergò Deus debitum
38 acceptandi illud pretium, ſed illud reiicere poteſt, ſicut in libertate eſt Principis reiicere pretium oblatum pro amico, ut valeat ſoluere debitum pro ſuo creditore.

Ad hoc, inquam, argumentum reſpondeo, illud continere duo, primum, vivis tantùm conceduntur Indulgentiæ per modum *abſolutionis*, mortuis verò per modum *ſuffragii*, priorem modum importare infallibilitatem, non poſteriorem, quia non conſtat de promiſſione poſterioris, ſicut prioris per illud verbum Domini. *Quodcumque ſolueris ſuper terram*. Alterum eſt mortuos non eſſe ſubditos Papæ. Quamvis utrumque ex ſupradictis ſit reſolutum, & pateat, illud verbum *ſuper terram*, in quo præcisè eſt vis argumenti, referri ad miniſtrum, & ad mortuos ſicut ad vivos, cum idem importet, ac *in terra* ex Sanctis Patribus ſub *num.* 32. ac ſubſequenter mortuos eſſe ſub Eccleſia militante, & ſic adhuc eſſe Pontificis ſubditos, nihilominus ulteriùs aliquid dicendum eſt ſuper utrumq; modum, ut veritas magis manifeſta fiat, etiam mortuos per Indulgentias abſolui à pœnis, ſicut viventes.

Nam ille modus ſuffragii non tollit
39 modum abſolutionis, cùm is præcedat, & ſit communis tàm vivis, quàm defunctis, ut clarè probatur ex Bulla Leonis X. dicentis: *Auctoritate Apoſtolica Theſaurum Jeſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſando, & per modum abſolutionis Indulgentiam ipſam concedendo, vel per modum ſuffragii illam transferendo*. Poteſtas ergò Papæ eſt abſolvere à pœnis tàm defunctos, quàm vivos, applicando illis Theſaurum Eccleſiæ, & per pia fidelium opera præſcripta ſuffragando, ità quòd ſuffragium referatur ad fideles viventes, & abſolutio ad Papam ſequens ad ultimum opus perfectum per ventem ſuffragantem mortuo. Suffragium ergò nihil aliud importat, niſi auxiliari
40 defunctis, quibus Papa nunquam concedit Indulgentias niſi ſuffragantibus vivis, *num.* 5.

Eſto

Esto quilibet mortuus à Deo judicetur, & deputetur pœnis in Purgatorio soluendis, ideò non aufert potestatem, quam habet Pontifex concedendi Indulgentias defunctis, eos absoluendo efficaciter à pœnis, cùm illos non exemerit ab ejus jurisdictione, cùm adhuc sint membra Ecclesiæ militantis, intra quam dum viverent, contraxerunt debitum, ideò potest illis concedere Indulgentias mediãtibus quoq; suffragiis vivorum, sine quibus Papa nunquam illas confert nec vivis, nec defunctis. Et cùm damnentur in fine *sess.* 25. asserentes, Indulgentias esse inutiles, certò sequitur, eas esse efficaces, & infallibiles ex divina promissione, ut probatum est. Et hæc satis pro corroboratione præsentis quæstionis, quæ cum sit inter celeberimos Doctores maximè digladiata, eam relinquo judicio S. Matris Ecclesiæ, cui me ipsum, & mea dicta subiicio, transeundo ad tertiam.

Quæres 3. An animæ, pro qua celebratur in Altari privilegiato, applicanda sit non solùm Indulgentia, sed etiam missæ Sacrificium, ut suum possit sortiri effectum?

42 ℟. Utrumq; applicare tenetur Sacerdos pro anima, pro qua data fuit eleemosina, nam petens missam in Altari privilegiato utrumq; intendit, quia desiderat illi animæ suffragari eo meliori modo, quo potest, nulla autem melior suffragatio, quàm utrumq; applicare defuncto. Confirmatur ex tenore Altarium privilegiatorum, quæ hanc duplicem obligationem exprimunt similibus verbis: *Missam defunctorum pro anima cujuscumq; fidelis celebrabit*. Ità docent Suarez *de Pœnit. disp.* 53. *sect.* 4. *num.* 3. *Castrop. par.* 4. *tract.* 24. *disp. Un. p.* 10. *num.* 9. ubi ait, non semper esse applicandum Sacrificium pro defuncto, sed solùm, quando dicitur in charta concessionis: *Qui pro defuncto missam dixerit, liberet animam ejus à Purgatorio*. Si autem illud verbum *pro defuncto* non sit expressum, non est necesse applicare Sacrificium: quos citat, & sequitur Pasqualig. *q.* 730 Sed ego observavi, Altaria privilegiata concedi sub prioribus verbis, ideò semper Sacrificium applicandum est ei, pro quo dispensatur Indulgentia. Celebrans ergò in Altari privilegiato, & non applicans Sacrificium, sed solam Indulgentiã, non satisfacit muneri suo, nec liberat animam defuncti sibi commendati. Ità docẽt *Quartus super Missale par.* 1. *tit.* 5. *dub.* 17. *Pasq. q.* 734. *n.* 2. *ubi me citat. q.* 91. *n.* 5.

Quod dicit Suarez cum prædictis, locum habet in Indulgentiis quinq; Sanctorum à Gregorio XV. concessis primariò vivis, & ab illis communicatis defunctis. Refero exemplum his verbis: Qui confessus, & Sacra Communione refectus audiet, aut celebrabit missam tàm ex devotione, quàm ex obligatione consequetur Indulgentiam plenariam, & orando pro mortuis, liberabit pro qualibet vice animam secundùm propriam intentionem à pœnis Purgatorii. Non est necesse applicare Sacrificium missæ, cùm dicat *orando*, non celebrando, verum quidem est quòd debet præscripta opera facere pro mortuis, sicut pro se facit, si vult lucrari Indulgentiam. Et ità docet *Pasq. q* 730. *n.* 4.

Quæres 4. An obligatus celebrare non in Altari privilegiato, si ibi celebret, possit Indulgentiam applicare pro alio, & Sacrificium pro eo, pro quo regulariter celebrat, & sic recipere duo stipendia?

43 ℟. Posse dividi applicationem, & sic offerre Sacrificium pro amico, qui eum obligavit celebrare in Altari privilegiato, & Indulgentiam referre ad aliam animã, si pro ea non tenetur dicere missam. Patet id, quia ex propositione casus neutri tenetur utrumq; indivisibiliter applicare. Et colligitur ex dictis in præcedenti quæstione, nàm celebratio missæ est opus injunctum, sine quo non conceditur Indulgentia. Ità intelligo *Puteum apud Pasq. q* 735. *cum aliis Quartũ par.* 1. *tit.* 5. *dub.* 12. *Dianam par.* 9. *tract.* 2. *resol.* 5. & 25.

Duo autem stipendia recipere non poterit, tùm quia casus noster supponit unicam obligationem celebrandi pro defuncto non petente Indulgentiam, sed solùm Sacrificium, duplex autem stipendium refertur ad applicationem Sacrificii duplicis. Tùm quia uni missæ unicum debet respondere stipendium, quandocumque illud sit, & non multiplex, ex Decretis de celebr. missar.

Quæres 5. An obligatus celebrare in Altari privilegiato, celebrando in non privilegiato cum applicatione Indulgentiæ e.g. quinque Sanctorum, de qua sub q. 3. satisfaciat suæ obligationi?

44 ℟. Non satisfacit, quia fidem non servat benefactori, quærenti missam in Altari privilegiato, non acquisitionem Indulgentiæ extrà illud. Confirmatur, *quia* non potest relinqui Altare simplex designatum à testatore, ut probavi *præced. cap. q.* 22. *nu.* 99. *cum Pasqual. q.* 1142. A fortiori non potest relinqui privilegiatum. Ità docent *Bonac. de Sacram. q. ult. p.* 7. *S.* 4. *num.* 5. *fine*, *Diana part.* 1. *tract.* 14. *resol.* 19. *de Lugo disp.* 20. *de Euchar. nu.* 39. *Aversa q.* 11 *de Euchar. sect.* 18 *vers. Specialitèr.*

Contrarium plerique tenent cum Pasqual. qu. 736. asserentes, obligatum celebrare in Altari privilegiato, satisfacere celebrando in non privilegiato, applicando tamen Indulgentiam plenariam cum Sacrificio, quia idem est, ac si celebrasset in Altari privilegiato; Indulgentia enim eadem est, sivè sit localis, sivè personalis. Confirmatur, quia Sacerdos Indulgentiam, quæ non necessariò est conjungenda cum Sacrificio missæ, ut fit, cum celebratur in Altari privilegiato, conjungere

potest

potest cum Sacrificio missæ celebratæ in Altari licèt non privilegiato; ergò suæ satisfacit obligationi, cũ utrumq; præstiterit ad mentẽ testatoris, seù alterius petentis.

Respondetur, hujusmodi celebrationem licèt æquipolleat quoad effectum satisfactorium, in quantùm non tenetur reficere missam in Altari designato, nunquàm tamen satisfacit voluntati petentis missam in designato Altari, si alio celebret, dum potest celebrare in illo; est enim illi infidelis, dum non stat promissis; voluntas enim testatoris omnibus modis servanda est, ac proindè etiam respectu Altaris. Quamvis ergò Indulgentia sivè localis, sivè personalis sit eadem in substantia, & in effectu, non tamen eadem est quoad locum, quem intendit testator. Ad confirmationem dico celebrantem facere contrà mentem testatoris, qui requirit conjunctionem utriusque in radice Altaris privilegiati, non conjunctionem Indulgentię personalis ex Megdaleis cum Sacrificio missæ; nunquàm enim cogitavit de Megdaleis, dum expressè elegit Altare privilegiatum, in quo Sacrificium, & Indulgentia spectantur per modum unius principii producentis liberationem animæ à pœnis Purgatorii. In Megdaleis verò alia est ratio, nam Indulgentia in illis se habet, ut causa liberans animam; celebratio verò in Altari, ut opus prævium, sinè quo Indulgentia suum non sortitur effectum, imò in hoc intellectu, non videntur posse conjungi in ratione unius principii productivi, cum ratio dispositiva non habeat rationem principii, dum unum alterum præcedit. Demùm ipse *Pasq q.* 738. fine, ait, defunctis magis prodesse Sacrificium oblatum in Altari privilegiato, quàm quælibet Indulgentia seorsim accepta, adde, & conjuncta, quia non est certa hujusmodi conjunctio ob diversitatem extremorum, ut patet ex dictis.

Quæres 6. Ad quid teneatur non celebrans in Altari privilegiato, in quo celebrare tenetur?

℟. Si alibi celebravit, defectu Altaris privilegiati, non videtur obligari supplere missas, neque ad aliquid aliud teneri, & multò minus si non potuit celebrare in Altari privilegiato. Ratio est, quia suæ obligationi satisfecit quoad substantiam ex parte, licèt enim defuerit quoad Indulgentiã, ac proindè peccaverit mortaliter, cum defecerit in re gravi, ad nihil tamen tenetur ex hoc, quia in aliis Sacrificiis satisfacit celebratis in Altari privilegiato; toties enim defunctus lucratur Indulgẽtias plenarias, quoties in eo celebratur à Capellano. Ità *Pasq. q.* 743. ea ratione, quia obligatio recompensationis oritur ex læsione justitię alterius; hìc autem nulla lęsio, quia Indulgentia, qua defraudatur anima defuncti, non debetur ex justitia, cum non veniat in contractum, nec pro illa detur stipendium, sed tantùm ex promissione, ex qua tantùm defraudatur, non ex justitia contrà Graffium *p.* 1. *dec. lib.* 2. *cap.* 59 *n.* 2. *Azor. p.* 2. *lib.* 6. *Fagund. Præcepto* 1. *lib.* 3. *cap.* 4 *n.* 2 *Castrop. p.* 2. *tract.* 13. *disp.* 1. *p.* 6. *n.* 27. obligantes ad supplendum omnia Sacrificia, quæ prętermisit alibi celebrando, quia non adimplevit voluntatem testatoris. Contra Bonac. & alios, asserentes non teneri ad restitutionem, sed ad aliud, hoc est, ad alia bona opera satisfactoria, ut explicat Garzias. Verùm quidem est, quod non adimplevit mentem testatoris adęquatè, sed tantùm inadęquatè, ideò peccavit mortalitèr, & eam inadęquationem Indulgentiæ supplet per tot recitationes missarum in Altari privilegiato. A fortiori ad nihil tenetur, si legitimè impeditus non potest celebrare, juxtà *cap. præced. qu* 7.

Quæres 7. An Sacerdos celebrans in Altari privilegiato, satisfaciat muneri suo celebrando missam currentem, & non de Requiem?

49 ℟. Missa de Requiem necessariò celebranda est in Altari privilegiato, quandò id exprimitur in Bulla, exceptis diebus, in quibus fit de duplicibus, vel Dominica, & aliis diebus privilegiatis, juxtà dicta *cap. præced. q.* 23. in quibus satisfieri potest animabus defunctorum etiam ratione privilegii, dicendo missam currentem. Quandò verò Altare est privilegiatum, nec specialis missa defunctorum exigitur, satisfit, & Indulgentia lucratur animabus cum quavis missa, sivè sit vivorum, sivè defunctorum.

Prima pars, quòd dicenda sit missa de Requiem, quandò ea exprimitur, est communis, & nullus contradicit; qualitas enim missæ habetur pro forma, qua non servata, nihil Indulgentiæ lucratur ea anima, pro qua fuit celebratum, sed tantùm consequitur fructum missæ, ac si fuisset celebrata in Altari non privilegiato.

50 Secunda pars, quòd missa præscripta defunctorum intelligatur tantùm pro illis diebus extrà festa duplicia, & illis æquivalentia, probatur, quia Papa non præsumitur velle prejudicare Rubricis Breviarii, nisi se explicet; ejus enim mens talis esse præsumitur, qualis de jure esse debet,
51 *Bald. in l. ex facto ff. de vulgar. & pupill. cum aliis Megdal cons.* 33 *n* 13. cum ergò Papa in hujusmodi concessionibus non deroget Rubricis Breviarii, intendit nolle obligare quotidie ad missam de Requiem, sed Capellanũ posse, & debere celebrare missam currentem in illis diebus, in quibus prohibentur missæ defunctorum. Et ego sic intelligo chartam nostri Altaris privilegiati Romæ extensam initio capitis Confirmatur id ex Doctoribus citandis, qui asserunt, non posse celebrari in Alta-

ri privilegiato missas de Requiem in diebus destinatis pro Indulgentia, si occurrat duplex, aut Dominica. Ità *Gavant. par. 1. tit. 5. num 2. Diana part. 4. tract. 4. resol. 233. Barb. in decis. 478.* nixi responso
52 Sacræ Congregationis sub his verbis: *Missa de Requiem in Altari privilegiato non potest dici in die festo duplici, & de præcepto, qui incidit in diem assignatum pro dicto Altari privilegiato.*

53 Tertia pars, quòd diebus festivis, & deplicibus, atque similibus, in quibus prohibentur missæ defunctorum, sivè privatæ, sivè solemnes, satisfiat non tantùm ratione Sacrificii, quàm Indulgentiæ, probatur. *Tùm quia*, Papa diversimodè quoad tempora concedit Altaria privilegiata, aliquandò perpetuò, aliquandò ad tempus, & ex his alia sunt quotidiana, alia dies habent assignatos singulis hæbdomadibus, & præcipuè conceduntur pro omnibus diebus infrà octavam diei commemorationis defunctorum, & nihilominùs scit infrà dictam octavam necessariò incidere diem Dominicum, & octavam diem festi Omnium Sanctorũ, in quibus prohibentur missæ defunctorũ, & tamen vult omnibus illis diebus Altare privilegiatum sortiri suum effectum, & non transgredi Rubricas; ergò intendit Altare privilegiatum in ratione privilegii prodesse animabus defunctorum per missam currentem, dum alia dici non potest. *Tùm quia*, materia de Altaribus privilegiatis est favorabilis valdè, cum agatur de libertate, & liberatione animarum à pœnis Purgatorii; ergò latè est interpretanda, cum omnibus prosit, & nulli no-
54 ceat, *ex allatis à Fagnano in cap. quidam, de celebr. missar. à nu* 25. *ad* 28 ergò cum latè sit interpretanda, dicendum, Altare privilegiatum prodesse non solùm per missas defunctorum, sed etiam vivorum. *Tùm quia*, ex præcitato Responso S. C. hoc potiùs videtur inferri, quàm oppositum; solùm enim dicit, quòd missa de Requiem in Altari privilegiato non potest dici in die festo &c. non verò negat posse dici currentem, & satisfieri. Vide Fagnanum suffragantem huic opinioni.

Dices *primò*, obstat aliud S. Congr. Decretum apud Barbosam in *dec. Apostol. Collect.* 478. & apud *Dianam par.* 4. *tract.*
55 4 *resol.* 233 in hæc verba: *Missa pro defunctis celebrata in Altari privilegiato, non suffragatur, nec indulto satisfit, nisi sit de Requiem, licèt in indulto non exprimatur*. Præterea *secundò* non servata forma præscripta de missa defunctorum, nihil fit; ergò corruit suffragium Indulgentiæ; *tertiò* potest saltem in duplicibus, si non in festis de præcepto, *Pasqual. q.* 740. *num.* 6. reddit rationem, quia tota prohibitio celebrandi missas de Requiem in duplicibus, habetur tantùm ex Rubricis Missalis, quæ cessat, quandò agitur de Sacrificio privilegiato, ac proindè dicenda est missa de Requiem, ut anima fruatur hac Indulgentia. Probat in hoc casu cessare eam prohibitionem, quia si esset tantùm directiva, non solùm non obligat, verùm etiam directio in ratione directionis non habet ampliùs vim, quia jus dirigendi in eo consistit, quòd conveniens est, ut missa congruat officio, ut etiam in ipsa celebretur festũ. Sed quandò agitur de liberandis animab. à Purgatorio, magis conveniens est, & utile utrique Ecclesiæ, quòd liberentur, quàm quòd illi sancto exhibeatur honor, quia illa augetur in consortio civium cœlestium, hæc verò proficit in trãsmittendo suos cives ad Requiem, & ideò hæc major convenientia facit cessare convenientiam Rubricæ. Si verò hæc est etiã præceptiva, cum obliget solùm sub veniali, & adsit rationabilis, & urgens causa liberandi animas, cessabit prohibitio, quia hæc etiam sub mortali non obligat cum magno incommodo, quod esset, si animæ liberari non possent. Ulteriùs procedit dicendo, & simul probando, quia prohibitio cessat, quando impedit bonum commune, undè privilegium Altaris derogat Rubricæ circà missas de Requiem.

56 Primo respondetur, illud S. C. Responsum habere hunc sensum, ut missa celebrata, nisi sit de Requiem, non suffragetur illis diebus, quibus potest celebrari sinè violatione Rubricarum, undè non celebrans missam de Requiem in festo semiduplici non lucratur Indulgentiam defũcto, *licèt in indulto hoc non exprimatur*. Idest, licèt non exprimatur nullitas suffragii. Vel dic ad hæc posteriora verba forsan congruentiùs, Sacerdotem debere dicere missam de Requiem in illis diebus, quibus celebrari potest, licèt in indulto hoc non
57 exprimatur, nam mens Principis præsumitur esse conformis juri, *Jason. in l. causas de trasact. num.* 6. *Gozad conf.* 100. *num.* 10. *Decius conf.* 64. *num.* 7. *Gramm. conf.* 34. *num.* 3. Sacerdos ergò non satisfacit muneri suo, quandò non celebrat missam de Requiem præscriptam, vel *non* præscriptam in indulto, in illis diebus, in quibus non prohibetur; secundùm hanc posteriorem responsionem S. C. aliis verò diebus prohibitis celebrare de Requiem satisfacere muneri suo, dicendo missam currentem, ad formam prioris Responsi.

58 Secundo respondetur, formam datam non servantem tunc facere actum nullũ, quando aliqua necessitas non impedit, ne forma adimpleatur, quia tunc ejus omissio actum non vitiat, cum sit rationabilis, *Tiraq ad leges connub Glos.* 6. *n.* 34. *Paris. lib.* 2. *conf.* 33. *n* 29 *cum aliis Barb. Axiom.* 100 *n.* 9. In casu constat de necessitate servandi Rubricas. Vel dic, circunstantiam qualitatis missæ de Requiem requiri tantùm quãdò à rubrica nõ prohibetur celebratio missa.

missarum defunctorum, cujus omissione anima non recipit suffragium Indulgentiæ. Ulteriùs dic, quòd forma per æquipollens impletur, quando in dispositione consideratur effectus, *Cæphal. lib. 1. consil. 35. num. 46. Menoch. cons. 131. nu 15. Osasch. Ped. dec. 92 nu. 25 Tusch. lit. F. concl. 414. n 38.* Hìc autem consideratur effectus suffragii annexi Sacrificio missæ, quæ dicta de vivis pro defunctis tantùm illis prodest, quantùm si diceretur de Requiem, unde cùm æquivaleant in proficiendo defunctis, ut docui *cap. præced. q. 24. n. 118. & 119.* celebrans satisfacit muneri suo.

Tertio argumento respondetur, non posse dici missam de Requiem in duplicibus, cùm sit expressè contra Rubricam, juxta dicta *cap. præced. q. 23. num. 104.* nisi missa solemnis, exposito cadavere in Ecclesia, & in aliis diebus, prout ibi dixi in seq. Quod servandum est etiam in Altaribus privilegiatis, ne Responsa Sacræ Congregationis adversentur ad invicem.

60 Quòd prohibitio celebrandi missas de Requiem non cesset, ut contrarium voluit Pasqualigus, respectu Altarium privilegiatorum, probatur evidenter, quia tunc cessat aliqua prohibitio, quando à prohibente revocatur; resenim, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; in indultis autem hujusmodi nulla fit mentio revocationis Rubricarum, cùm tamen esset exprimenda, quia odiosa non præsumuntur, uti revocatio, *ex cap. 1. de*
61 *constit. in 6. Paris. lib. 9 de Resignat q. 25. num. 15. Gonzalez. Glos. 36. num. 7.* sed de his debet constare, quare cùm non constet, dicendum est, non cessare hanc prohibitionem, proinde missis currentibus de duplicj satisfieri animabus defunctorum in Altari privilegiato, hac enim ratione expedit jura juribus concordare, *cap. cum expediat 29. de elect. in 6.* vitandæ enim sunt eorum correctiones, quantùm fieri potest, *l. Præ-*
62 *cipimus 32. C. de appellat. Surd. dec. 21. nu. 19. Tusch. lit. C concl. 10. n. 6.* Ita quòd in dubio non est asserenda, nec facienda correctio, *l. si quando 35. C. de inoffic. testam.* ubi dicit: *Neq; enim credendum est, Romanum Principem, qui jura tuetur, hujusmodi verbo totam observationem testamentorum multis vigiliis excogitatam, atque inventam, velle everti.* Itaq; cùm de hac correctione non constet, non cessavit prohibitio celebrandi missas defunctorum in duplicibus, sed adhuc viget.

63 Pasqualigus igitur probat cessationem hujus prohibitionis, sive sit directiva, sive præceptiva. In ratione directionis, quia Ecclesiæ magis congruit, ut celebratione missæ de Requiem liberetur anima à Purgatorio; quam quòd honoretur sanctus celebratione ejus missæ, quia Ecclesia militans proficit in transmittendo suos cives ad Regnum, triumphans verò solùm augetur honore Sancti, per celebrationem verò missæ de Requiem utraque Ecclesiæ proficit, militans transmittendo animas Purgatorii in Regnum Dei, triumphans verò illas recipiendo.

Sed contra est, quia ejus argumentum supponit, Altare privilegiatum non prodesse, nisi dicatur missa de Requiem in Officio duplici, quod tamen non probat, ut nos contrarium probavimus suprà; ideò ad ejus rationem dico, non cessare prohibitionem, & sic non posse dici in festo duplici missam de Requiem ad suffragandum defunctis, cùm æquè benè satisfiat per missam currentem dictam de Sancto duplici, & de aliis, in quibus prohibetur missa defunctorum; unde directio Rubricæ prohibentis non aduersatur directioni suffragandi defunctis, dùm utraq; simul stare potest, & sic unum congruit alteri, & Ecclesia militans servit triumphanti, & hæc honoratur ex utroq; modo, dum celebratur de Sancto, & suffragatur defunctis.

Eadem ferè responsio danda est, si Rubrica spectetur præceptivè, ut potissimùm spectanda est, cùm ergo missa currente satisfiat defunctis, locum non habet rationabilis causa, ut cesset Rubrica, quovis modo obliget ad satisfaciendum defunctis, dum in hoc casu non est necessarium celebrare missam defunctorum; cum ergò commune bonum suffra-
64 gii haberi possit per missam currentem in Altari privilegiato, non est dicendum cessare Rubricam, dum ejus observatio non officit suffragiis defunctorum, bonum enim bono non opponitur, dum ambo concurrunt ad eundem effectum.

Moderni Doctores innixi Responso S. C. suprà relato, quòd missa pro defunctis celebrata in Altari privilegiato non suffragatur, nisi sit de Requiem, inferunt, eâ dici posse non solùm in festo duplici, sed etiam die Dominica, & in festis de præcepto; dum enim Papa concedit, ut in Altaribus privilegiatis possit celebrari per totam octavam Commemorationis defunctorum, bene scit, intermediare Dominicam, ergò eo die volens uti privilegiato Altari, debet celebrare de Requiem, ut lucretur defuncto suffragium illud, ut docet *Pasq. q. 741.* de die Dom. *& q. 742.* de festo præcepti, ubi in posteriori dicit posse in die festo de præcepto celebrari missam de Requiem in Altari privilegiato, præscribendo ab alio Responso S. Congr. decretantis, quòd missa de Requiem in Altari priuilegiato non potest dici in die festo duplici, & de præcepto; hoc ergò Responsum negat missas defunctorum in diebus Dominicis, & festis tùm duplicibus, tùm præceptivis, & tamen Dominica occurrit infrà octavam Commemorationis fidelium defunctorum, ergò hic dies erit inutilis pro defunctis, si illis non possit suffragari per missam de Re-

quiem, ut negat hoc Reſponſum poſſe eam dici miſſam in die de præcepto, ut eſt Dominica; quod etiam confirmatur ex priori Reſponſo, per quod decernitur, non ſuffragari defunctis in Altari privilegiato niſi per miſſam de Requiem, quæ tamen non poteſt dici in die Dominica, & ſecundùm Rubricam, & ſecundùm illud Reſponſum, ergò ille dies remanet prorſus inutilis, ſcilicèt, Dominicus infrà octavam Commemorationis defunctorum; quod dicere videtur abſurdum, dū Papa concedit unum diem pro utili, quē ſcit eſse inutilem, & expreſſione ſpeciali illum non declarat vtilem, dum illi obſtat Rubrica, quo diebus Dominicis non celebrentur miſsæ defunctorum. Imò non ſolùm Dominica, ſed etiam dies octava Feſti Sanctorum omnium erit inutilis per totum Orbem, & in Diœceſi Mediolanenſi, erit inutilis quoq; dies feſtus S. Caroli, qui ibidem ſub ritu duplici celebratur, & ſervatur de præcepto. Quid igitur dicendum? *Paſqual locis citatis*, ad tollendam hanc inutilitatem admittit miſſam de Requiem in die feſto de duplici, & de præcepto, & in Dominica, cùm & ipſa ſit de præcepto, quod quidem eſt contra Rubricas, & contra præfatum Reſponſum, tollit ergò eam inutilitatem per depreſſionem Rubricæ, & præciſionem Reſponſi.

Ego autem puto melius eſse tollere eā inutilitatem alia vis ſine præjudicio Rubricæ, & Reſponſi, dicendo, prout ſupra probatum fuit, ſatisfieri defunctis ſuffragio Altaris privilegiati, celebrando miſſam currentem illis diebus, quibus non poteſt dici miſſa de Requiem, cui æquivalet ex dictis ſuprà, hac enim ratione omnibus ſatisfit, defunctis, Rubricæ, & Reſponſo poſteriori, de non dicenda miſſa de Requiem diebus prohibitis dici, nec violatur alterum Reſponſum, quòd ſine miſſa de Requiem non ſuffragatur defunctus, quandò ſcilicèt ea dici poteſt ad formam Rubricæ, & non dicitur, ex vi enim hujus Reſponſi currens non æquipollet miſſæ de Requiem, aliis verò diebus ſatisfit per miſſam currentem, dum de Requiem dici non poſſunt, certum enim eſt, cùm rationabile ſit, Papam concedere Altaria privilegiata favore defunctorum, & ſine tranſgreſſione Rubricarum, ac proinde Sacerdotem eodem modo prodeſſe animabus defunctorum ſine violatione Rubricarum. Confirmatur, quia ſicut Eccleſia, quando ſecunda dies Novembris eſt Dominica, tunc officium, & miſſam defunctorum transfert in tertium diem, ne Rubricæ violentur, ac proindè tota octava transfertur in favorē ipſorum

65 defunctorum, ità Pontifex concedendo Altaria privilegiata, non præſumitur vel. le præjudicare Rubricis, ſed debere dici miſſas de Dominica, & duplicibus occurrentibus diebus aſſignatis pro defunctis, non obſtante expreſſione miſſæ de Requiem, quæ intelligitur dicenda ſolùm illis diebus, quibus à Rubrica non prohi-

66 betur.

Quarta pars, quòd dici poſſit quæcumq; miſſa ſive currens, ſive votiva, & non de Requiem in Altari privilegiato, quando expreſsè non præſcribitur miſſa de Requiem, probatur. Tùm quia nulla obligatio conſtringit ad operandum hoc, vel illo modo, niſi de eo conſtet expreſsè,

67 *l. Quidquid 99 ff. de verb. ſignif* ibi, *Id niſi palàm verbis exprimatur*. Tùm quia qualitas non præſumitur, ſed probanda eſt, *ex allegatis à Sperello deciſ. 79. num. 51.* Alio autem modo probari non poteſt, niſi inſpectione indulti Altaris privilegiati, ubi nihil exprimitur de qualitate miſſæ. Tum quia quælibet miſſa prodeſt defunctis, cùm à Chriſto Domino inſtituta ſit non magis pro vivis, quàm pro defūctis, & dicitur *in cap. Quidam, de celebrat.*

69 *miſſar.* Eſt communis, quam docent *Navar. conſ. 37 de Pœnit. Rodriq. tom. 2 q 96 n. 6. cum ſuo Compend. reſol. 77 n. 70.* cum aliis 20. *apud Paſq. q 731. n. 2.* Ea ratione, quia cùm non exprimitur miſſæ qualitas, relinquitur arbitrio celebrantis. Hanc fusè defendit D. Fagnanus *ad cap. Quidam, de celebr. miſſ. à n. 24 uſq. ad fin.* reſpondendo objectis, inter quæ non connumerat Reſpōſum Sacr. Congr. quod videtur obſtare huic concluſioni his verbis: *Miſſa pro defunctis celebrata in Altari privilegiato non ſuffragatur, nec indulto ſatisfit, niſi ſit de Requiem, licèt in indulto non exprimatur*. Quæ ultima verba urgent, *licèt in indulto non exprimatur*, ſcilicèt qualitas miſſæ. Sed ſuprà *ſub n. 57.* reſpondi, cùm illud Reſpōſum referatur ad illas miſſas, quæ de Requiem dici poſſunt extrà duplicia, Dominicas, & alia feſta privilegiata, intelligendum eſt, non ſatisfieri per miſſas, niſi ſint de Requiem illis diebus, quibus ex Rubrica conceduntur, licèt id non exprimatur in indulto.

70 Alia reſponſio dari poteſt, quia Reſponſa hujuſmodi non habent rationem legis, ſed opinionis, & quidem probatiſſimæ, ob honorem Patrum, nam & ipſi colligunt ex aliis Doctoribus. Quòd ſint opiniones, & quidem reverendæ, docent viginti Doctores, quos pro ſe citat *Vericell. tract. 2 q 6 n. 15.* & efficaciter probat; ideò Fagnanus non curavit de illis, quamquā alioquin teneat ad *cap. Quoniam de conſtit.* & probet multis Declarationes S. Congr. habere vim legis, & omnes obligare, ideò prior noſtra reſponſio videtur melior, quia ea Reſponſa relinquit in eo ſtatu obligationis, in quo ſunt ex natura rei.

71 Quinta pars, quòd in Altaribus non privilegiatis nō requiratur miſſa de Requiē, ut cōtīgit in Megdaleis, ſed ſufficiat currēs miſſa, vel votiva, probatur, quia ſi nō requi

ritur

tur in Altaribus priuilegiatis, juxta quod dictum fuit ſupra, à fortiori nec in alijs. Confirmatur, quia in his exprimuntur opera facienda cum ſolà celebratione non diſtinguendo inter vnam, & alteram miſſam, ergo ſufficit qualitercumq; celebrare; in hoc enim caſu miſsa non eſt cauſa
72 liberationis ſicut in Altari privilegiato, ſed opere præſcripto poſito anima lucratur Indulgentiam; non enim eſt neceſsè offerre Sacrificium pro defunctis, cum tenor hujuſmodi Indulgentiarum non obliget celebrantem ad applicandum Sacrificium pro anima liberanda. Et ità docet Paſqualig. *q.*731. *num.*6. qui ait his non obſtare S. Congr. Reſponſum, quod loquitur tantùm de Altaribus privilegiatis.

Quæres 8. An celebrans in peccato mortali ſuper Altare privilegiatum, lucretur Indulgentiam illi animæ, pro qua celebravit? Idem quæritur de aliis orantibus pro mortuis?

73 R. Non eſt neceſsè, quod celebrans, aut alius orans, aut faciens aliquod pium opus præſcriptum in lucratione Indulgentiæ pro mortuis, ſit conſtitutus in gratia. Ratio eſt, quia ut quis ſibi lucretur Indulgentiam, neceſsè eſt, quòd ad illam ſe diſponat per actus meritorios, ſaltem per ultimum, ad quem immediatè ſequitur acquiſitio Indulgentiæ, quod aſſequi non poteſt ſinè ſtatu gratiæ; ſed qui lucratur defunctis Indulgentiã, eam ſibi non acquirit; ergò non eſt neceſsè, quod ſit in gratia pro illis, ſed tantùm pro ſe, ne ponat obicem peccati, quod ſtare non poteſt cum Indulgentia recepta à vivo, ſed animæ defunctorum in Purgatorio ſunt in ſtatu gratiæ; ergò ex parte earum nihil eis nocet ad lucrum Indulgentiarum.

Confirmatur, quia opera præſcripta ſunt conditio, ſinè qua Pontifex non diſpenſat Theſaurum Eccleſiæ, nomine ipſius Eccleſiæ, ſicut ipſum Sacrificium, licèt à malo miniſtro confectum non caret ſua efficacia, ſed efficacitèr operatur, cum oblatũ ſit nomine Chriſti, & Eccleſiæ ſponſæ ejus, in quibus cùm nulla ſit ruga, neque in diſtributione Eccleſiaſtici Theſauri contingente nomine Chriſti, & Eccleſiæ; offerentes verò tantùm materialitèr, & miniſterialitèr ſe habent, in quibus nulla ſpectatur de neceſſitate qualitas gratiæ, quæ debeat dignificare illa opera, cum illis non competat ratio productiva, & remiſſiva pœnarum, cum id proveniat ex vi ipſius Sacrificii, & Indulgentiæ applicatæ per dicta opera. Cum ergò animę defunctorum ſint capaces Indulgentiarum, quia ſunt in ſtatu gratiæ, non eſt neceſsè, quòd offerens pro eis in tali ſtatu reperiatur, ſicut ſi offerret pro ſeipſo, ut dictum eſt; quodlibet enim ſubiectum receptivum formę debet ſe prius diſponere, ſi non eſt diſpoſitum ad receptionem formæ, qua caret. Eſt communis Navar. *de Indulg. Notab.* 17. *num.* 4. & *Notab.* 19. *nu.* 6. *Corduba lib.* 5. *q.* 26. *propoſ.* 7. *Rodriq. tom.* 2. *q.* 96. *art.* 4. *Suar. de Pœnit. diſp.* 53. *ſect.* 4. *num.* 6 *cum aliis Paſqual. q.* 732. *Diana part.* 9. *tract.* 2. *reſol.* 4.

Nota tamen, quòd ſi concedat Indul-
74 gentiam pro mortuis ſacram communionem recipientibus, ſinè aliis operibus, recipientem illam in peccato mortali, non ſatisfacere defuncto, quia Deus tale opus mortiferum abominatur, nec Pontifex præſumitur velle ſic illam concedere, quia Theologi communitèr docent, opus mortiferum, quod eſt aliud à bono opere facto in peccato mortali, eſſe inſufficiens ad lucrandum Indulgentiam pro defunctis, & ipſis vivis, ut docent Navar. *de Indulg. Notab.* 18 *num.* 19. *Notab.* 82. *num.* 45. *Rodriq. par.* 1. *cap.* 186. *num.* 4. *Paſqual. cit. & de Jubilæo q.* 46. & 76.

Cardinalis *de Lugo de Pœnit. diſp.* 27. *nu.* 75. dicit requiri ſtatum gratię lucranti Indulgentiam defunctis. Probat, quia Indulgentia defuncto acquiritur ſolùm indirectè, quatenùs opera alicujus viventis elevantur ad majorem valorem ſatisfactionis ex opere operato; ad hoc autem neceſsè eſt, quòd ipſe operans ſit capax illius valoris, & fructus; dixit enim ſuprà hanc elevationem procedere à poteſtate Pontificis, quæ per ſe ordinatur ad utilitatem ſubditi; ergò poteſtas illa eſt ad elevanda opera ſubditi capacis, & potentis frui illo beneficio, quo frui non poteſt, dum eſt ſinè gratia propter incapacitatem ſubjecti.

Ponit autem ſub *num.* 70. dictam elevationem, quam ſic explicat, dicendo Pon-
75 tificem concedendo viventibus Indulgentiam pro defunctis, eam non concedere immediatè defunctis, nec viventibus, ſed ſolùm ex Theſauro Eccleſiæ elevare opera pia fidelium viventium, itaut non ſolùm ſint ſatisfactoria ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato, ſi pro defuncto offerantur; non enim apparet repugnantia in hoc modo diſpenſandi Theſaurum Eccleſiæ, ut ſicut Chriſtus Dominus, qui eſt ſupremus illius diſpenſator, aliquandò applicat ex Theſauro pretium ad ſolvendum pro aliquo, ut in Baptiſmo, qui licèt recipiatur per actum non ſatisfactorium, ſed potiùs, vel in ſomno, vel per actionem malam venialitèr, adhuc ex võluntate Chriſti confertur ſolutio totius pœnæ; aliquandò verò Chriſtus elevat ſatisfactiones noſtras, ut ex opere operato, & ultrà condignum habeant majorem effectum, ſupplendo ex Theſauro id, quod deeſt condignitatis in noſtra ſatisfactione, prout Confeſſarius nomine Chriſti elevat ſatisfactionem Sacramentalem. Sic Pontifex, qui eſt Vicarius Chriſti diſpenſat Theſaurũ utroq; modo in utilitatem noſtrã, aliquando ſcilicèt accipiẽdo ex Theſauro ad ſolvendum pro aliquo, ut quãdo

non

non petito aliquo opere, concedit Indulgentiam propter cauſam præteritam, ut ſæpè fit, aliquandò verò petito opere ſatisfactorio, quod elevat ad majorem effectũ ſatisfactionis ſuprà condignum, ſicut Sacerdos elevat illa opera diviſibiliter, prout ſucceſſivè fiunt, itaut ſingulæ orationes impoſitæ prout ſucceſſivè recitantur, ſucceſſivè offerant fructũ aliquem ex opere operato. Pontifex verò, quia vult elevare totum illud opus ad aliquem effectum determinatũ v.g. ad decem annos Indulgentiæ, vel ad plenariã remiſſionẽ, quem effectũ eſſet difficile diſtribuere inter ſingulas partes illius operis, ideò elevat totum opus per modum unius, & indiviſibilitèr, ut in ultima parte habeatur totus effectus. Qui etiam modus elevationis non videtur repugnare, ut conſtat in opere martyrii, quod eſt ſatisfactorium ex ſe, & rurſus elevatur à Deo ad majorem effectum ſuprà condignum, ſcilicèt ad remiſſionem totius pœnæ, pro qua ſatisfacit ex opere operato, elevantur tamen indiviſibilitèr, itaut totus effectus correſpondeat toti operi per modum unius. Suppoſita ergò hac poſſibilitate elevationis concludit, ſummum Pontificem, quandò concedit Indulgentiam pro defunctis, ità elevare indiviſibilitèr opus bonum, & ſatisfactorium, ut poſſit habere effectum ſatisfactionis ultrà condignum, ut in fine operis detur ejus fructus ex opere operato, ea ergò opera ſic elevata antecedentèr, & ab operante applicata defuncto, illi afferunt totum ſuũ fructũ per modũ ſuffragii, &c.

Supradicta à Cardinali reduco ad ſequentes propoſitiones. *Prima eſt*, Indulgentiæ pro defunctis à Papa immediatè non conceduntur defunctis, nec vivis pro illis. *Secunda*, Papam concedere Indulgentiam viventibus pro defunctis, eſt opera pia à viventibus facta elevare ex Theſauro Eccleſiæ, ut ſint ſatisfactoria non ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato. *Tertia*, baptizato Chriſtus ex Theſauro Eccleſię applicat pretiũ, & ei aufert totam pœnam, licèt illum recipiat per actum non ſatisfactorium, ut in ſomnis, vel ex veniali. *Quarta*, Confeſſarius nomine Chriſti noſtras ſatisfactiones ſacramentales elevat ex Theſauro Eccleſiæ, ut ex opere operato habeant majorem effectum ultrà eorum condignitatem. *Quinta*, Papa duobus modis diſpenſat Theſaurum Eccleſiæ, primò, accipiendo ex Theſauro pretium ſolvendũ pro aliquo, nullo opere præſcripto, ob aliquam cauſam præteritam. Secundò, opere petito, quod elevat ad majorẽ effectum ſatisfactionis ſuprà condignum.

76 Contrà primam eſt, quia videtur imperceptibile, quomodò conceſſio in fieri, & ſubſequentèr in actu immediatè non perveniat ad illam perſonam, cui fit, ſivè ſit vivens, ſivè defuncta, cum inter concedentem, & conceſſionarium nulla alia perſona interveniat, quæ illis extremis qualificetur; ſed in materia Indulgentiarum, Papa concedendo Indulgentiam vivis, illis eam concedit immediatè, cum nulla alia perſona mediet, ut patet in Indulgentiis omnibus conceſſis, extrà propoſitum enim eſt, quòd uni viventi concedatur Indulgentia lucranda per ipſum alteri. Si verò ſermo ſit de Indulgentiis defunctorum, certum eſt de fide, illas concedi mortuis duobus modis, vel per abſolutionem, vel per modum ſuffragii, ut tanquàm verum tradit Leo X. in ſua Epiſtola ad Cardinalem Cajetanum contrà
77 Lutherum tranſmiſſam in Germaniam, ubi erat Legatus, ibi: Ac tàm pro vivis, quàm pro defunctis Apoſtolica auctoritate Indulgentiam concedendo theſaurum meritorum Jeſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſare, & per modum abſolutionis Indulgentiam ipſam conferre, vel per modum ſuffragii illam transferre conſueviſſe, ac propteteà omnes, tàm vivos, quàm defunctos, qui veracitèr omnes Indulgentias hujuſmodi confecuti fuerint, à tanta temporali pęna ſecundùm divinam juſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita liberari, quanta conceſſæ, & acquiſitæ Indulgentiæ æquivalet. *Extenditur hæc decretalis in Comment. ejuſd. ad ar. 5. q 48. p 3.*

Ex hac igitùr decretali infertur, conceſſionem Indulgentiæ factam mortuis per abſolutionem eſſe immediatam, ſicut ſimilis immediatio reperitur in Confeſſario, à quo immediatè tranſit in pœnitentem; ipſe enim abſolvitur: & non alius pro ipſo; beneficium enim eſt immediatè illius, cui confertur. Si verò conceſſio Indulgentiæ pro mortuis ſpectetur per modum ſuffragii, tunc conceditur immediatè viventi, cui prodeſt ex hoc capite, ità quòd ſi eam ſibi applicet, lucratur remiſſionem pęnarum ad ejus menſuram, tunc incommunicabilis mortuis, quia jam ſortita eſt ſuum effectum reſpectu *viventis*; quoniam verò eam, qua uti non *vult* pro ſe, applicare poteſt mortuis, ideò Papa dicitur illam concedere defunctis mediatè, & immediatè viventibus, qui eam non
78 adhibentes *transferunt* ut utar verbo Leonis X. in anima defunctorum, pro quibus exercuerunt pia opera præſcripta deſignãtes eas, quæ liberantur à pœnis virtute Indulgentiæ. Certum ergò eſt ex his, Papã
79 immediatè concedere Indulgentias vivis non tàm pro ſe, quàm pro mortuis, ſivè id faciat per modum abſolutionis, quæ ab abſolvente immediatè tranſit in abſolutum, ſivè per modum ſuffragii; vivens enim mortuis ſuffragatur per propriã Indulgentiam ſibi conceſſam in ejus utilitatẽ, & mediatè conceſſam ipſis defunctis, quandò vivens ea uti non vult pro ſe. Itaq; tunc Indulgentia dicitur conceſſa vivis pro mortuis per modũ ſuffragii, quandò

vivens

vivens piis operibus peractis pro designata anima lucratur illi Indulgentiam concessione Pontificia, quæ suum sortitur effectum, positis operibus præscriptis in carta concessionis. Lucrari ergò Indulgentiam
80 pro defunctis per modum suffragii, est propriam Indulgentiã transferre in mortuum, pro quo oratum fuit. Itaque suffragatio ea duo importat, exercitium operum, & translationem Indulgentiæ, quæ non contingit, nisi præcisis operibus, in quibus determinatur anima, ad quam transfertur Indulgentia auctoritate Apostolica; ministerio viventis rogantis Deũ, ut dignetur in cœlo approbare concessionem Indulgentiæ, quam Papa in terris fecit pro defunctis.

Contrà secundam, in qua dicitur, opera præscripta ad lucrandum Iudulgentiam pro defunctis elevari, & fieri satisfactoria non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato; in hoc enim, ait Cardinalis de Lugo, consistit concessio Indulgentiæ vivis pro defunctis, ut ex Thesauro applicato eleventur illa opera, ut fiant utroque modo satisfactoria, & per Thesaurum suppleatur, quod deest illis operi-
81 bus. Contrà (inquam) est, quia deprimitur infinita Thesauri efficacia, quasi sinè ista sublevatione non valeat per se ipsam liberare à pœnis Purgatorii, nisi cum illis operibus sublevatis operetur. Tùm quia esset Thesaurus minoris efficaciæ, quàm quodlibet bonum opus hominis justi viventis, quod sinè elevatione prodest non solùm operanti, sed etiam defunctis, si pro illis Deus oretur; id autem esse absurdum, omnibus notum est; ergò pia opera sicut non egent simili elevatione extrà Indulgentiam, ità neque quandò respiciunt Indulgentiã, quæ est ipse Thesaurus operans sufi effectum sinè cooperatione piorum operum. Prætereà hæc sublevatio importat concursum piorum operum, & Thesauri per modum unius ad producendum effectum liberationis pœnarum, dũ per hanc elevationem opera pia agunt non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato; ergò ex æquo pia opera cum Indulgentia concurrunt ex eodem titulo operis operati, sicut Indulgentiæ, quæ operantur liberationem ex vi operis operati, ex sententia ferè omnium Theologorum *cum Benzanio lib 4. de Jubilæo cap.* 4 docente habere vim liberandi ex opere
82 operato, *Fabro de Pœnit disp 38. num.* 197.
83 Quod tamen verum esse non potest, cum unaquæque causa agens ex opere operato ex hoc quòd sic operatur, non eget consortio alterius sic operantis, quia est satis perfecta in seipsa ad operandum; quare cum Indulgentia ex vi operis operati producat suum effectum, non eget consortio illorum operum, ac proindè non sunt elevabilia, sed manere debent in suo genere conditionum, sinè quibus non operatur Indulgentia, ut omnes concedunt apud *Bonac. de Indulg. q.2. p.5. n.14.* & docet ipsemet *de Lugo ead. disp.25. n.24.* Sacramenta
84 ex eo, quòd operantur ex opere operato, unum alterius consortio non eget in productione sui effectus, ut patet examinando modũ, quo conficiuntur; ergò idem dicendum est de Indulgentia, quæ cũ operetur ex opere operato, nõ oportet, ut refundat in opera pia eam qualitatem operis operati, præterquamquòd id non pertinet formalitèr ad ipsam Indulgentiã elevare illud opus, sicut nec unum Sacramentum potest elevare alterũ, sed id est propriũ solius Dei, qui quodlibet elevabile extollit, & qualificat ad agendũ ex opere operato, ut patet in Sacramentis, & in Indulgentiis.

85 Tertia conclusio de dormiente baptizato vera est, si antecedentèr petiit Baptismum; nam hoc Sacramentum ex sua efficacia illi à Christi Domino tributa, non solùm delet omnem culpam, tàm actualem, quàm originalem, sed etiam tollit omnem pœnam, ut expressè definit Concilium Florentinum, Eugenio IV. approbante Bulla 19. incipit. *Exultate §.* 10.
86 his verbis. *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa debetur.* Hinc est, quòd nullus actus satisfactorius requiritur ex parte baptizandi, cui sufficit, *si est adultus*, ut petierit Baptismum, cum actu
87 Fidei, & Pœnitentiæ, scilicèt contritus existens; nam ut Baptismus suum conferat effectum tùm gratiæ, tùm solutionis pœnæ, quæ non relaxatur sinè prævia gratia, supponit dispositionem in baptizato, nempè voluntatem recipiendi illum, quæ sufficit pro receptione Characteris, & attritionem peccatorum actualium, si quæ adultus habet, ut dicitur *Act. 2. 38. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*, ut etiam id proponitur in *Trident. sess. 6 cap 6. & S. Aug.* de fide ad Petrum *cap* 30. ait hoc esse indubitatum. Itaque iste dormiens habet remissionem non solùm omnium culparum, sed etiam omnium pœnarum, si adultus antè dormitionem, cujus tempore baptizatur, petierat Baptismum, & ad illum erat dispositus, per Fidem, & attritionem, aliter non, ut expressè patet definitum in sacris literis, & Conciliis, quæ loquuntur de adultis habentibus peccatum actuale, dico actuale, quia de originali non datur pœ-
88 nitentia, cùm non sit contractum propria culpa, & malitia, undè loquendo de infantibus, & adultis amentibus, & furiosis, perpetuò nulla dispositio ex parte eorũ requiritur, cum solùm habeant originale. Hanc communẽ vocat Laurentius Brancatus de Lauria Minorum Conventualium vir pietate, & eruditione illustris in
89 4. *sent. disp.14. art.3. n.26. & 27 & seq.* Qui verò accedit ad Baptismum cum alicujus

pec-

peccati venialis complacentia, licèt habeat remissionem peccatorum actualium mortalium, de quibus doluit, non habet tamen remissionem omnis pœnæ. Veritas illius est, quia peccatum veniale non est obex impediens in Sacramentis effectum gratiæ, cui tantù m adversatur mortale,
90 unde bene dixit Scotus *in 4. dist. 4. q. 5. vers. alio modo*, loquendo de fictione ejus, qui recepit Baptismum, impediente effectum gratiæ, consistere in eo, *quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur.* Potest ergò cum solo veniali recipere gratiam, & condonationem etiam pœnarum, sed non omnium, cùm reverà non habeat solutionem pœnæ debitæ illi veniali adhuc vigenti, & ità docet expres-
91 sè *Bonac. de Baptismo par. 2. num. 10. Vers. Dixi.* De dormiente autem dicitur *cap. 3. de Baptis. adultum*, qui petierat catechumenus Baptismum, in somnis ablutum recipere Sacramentum, & rem Sacramenti.

Itaque ad propositum dico in casu Baptismi, sivè dormiat, sivè vigilet adultus bene dispositus, non eget aliquo actu satisfactorio, cùm Sacramentum Baptismi ex opere operato omnem tollat pœnam, quam totam tamen non tollit ab eo, qui cum peccati venialis complacentia recipit Baptismum, unde is eget aliquo actu satisfactorio ad solutionem pœnæ, respondentis peccato veniali, & sic vel ex opere operantis extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel ex ipso Pœnitentiæ Sacramento, vel ex Indulgentia, cum non possit remitti ejus pœna in receptione Baptismi, cum nundùm sit remissa culpa, dum in receptione Baptismi peccat venialiter. Itaq; quòd dicit de Lugo, in Baptismo ex voluntate Christi conferri solutionẽ totius pœnę ei, qui recipit Baptismum, per actũ non satisfactorium, ut contingit in somno, vel per actionem malam venialiter, quia tunc Christus applicat ex thesauro pretium ad solvendum pœnas pro baptizato, quando dormiens nihil egit, vel recepit Baptismum cum peccato veniali in
92 eo se complacẽte. Non videtur usquequaque verum, tùm quia huiusmodi applicatio thesauri non est Indulgentia, cum non dependeat ex dispensatione Apostolica, sed ex institutione ipsius Sacramenti, cui Christus in institutione ex meritis suæ passionis, in qua est thesaurus Ecclesiæ, ex quo etiam eruuntur Indulgentiæ, contu-
93 lit semel virtutem inseparabilem abluendi totam culpam, & totam pœnam, sine aliquo actu satisfactorio ex parte subiecti, quod non est necessarium, sicut in Sacramento Pœnitentiæ, cujus absolutio tollit solùm peccata, & pœnam illis debitam de æterna facit temporalem, & aliquid illius etiam abstrahit sed non totam, ideò Pœnitentiæ adjungitur satisfactio, non Baptismo, dum totam pœnam destruit rectè dispositio. Ei verò, qui baptizatur cum actione peccaminosa venialiter, tota pœna non remittitur, maximè correspondens huic veniali, unde aliis mediis ex supradictis tollenda est, post remissionem talis culpæ.
94 Igitur exemplum de Baptismo allatum nihil habet similitudinis cum Indulgentiis; hæ enim ordinantur tamquam satisfactoriæ ad deletionem pœnarum post remissionem peccatorum, Baptismus verò simul utrumq; delet, ac proinde in suo exercitio non potest supponere alterius Sacramenti operationem, ut facit Indulgentia, quæ supponit Pœnitentiam.

95 Contra quartam probo, Confessarium nomine Christi, mediante thesauro Ecclesiæ, non elevare satisfactiones pœnitentis ad habendum majorem effectum ultra condignitatem, quia Christus in institutione Sacramentorum omnem illis tribuit virtutem, quæ erat necessaria ad remissionem non solùm peccatorum, sed 97
etiam pœnarum, & quidem regulatam, & inalterabilem, nec augibilem, nec diminuibilem, quia cum Deus aliquid facit, illud perfectum absoluit, aptum in sua entitate ad faciendum omne id, ad quod in sua institutione ordinatur, ne imperfectionis sit redarguendus. Modò Sacramentum Pœnitentiæ, cujus pars est etiam Sacramentalis satisfactio ordinata ad solutionem, & extinctionem pœnarum, à Christo Domino ità institutum fuit in tota sua perfectione, ut producere possit omnes, & quoscumque effectus, ad quos ex sua institutione ordinatur; ergò nec ipsum Sacramentum absolutionis, nec ejus pars satisfactoria, est capax elevationis ad majorẽ effectum suprà suam condignitatem, ex quo utrunq; est perfectũ in suo genere *Præterea* hæc elevatio satisfactionum supponit aliquam imperfectionem in illis, inquit enim: *Aliquandò verò Christus elevat satisfactiones nostras, ut ex opere operato, & ultrà condignum habeant majorem effectum, supplendo ex thesauro id, quod est condignitatis in nostra satisfactione, prout Confessarius nomine Christi elevat satisfactionem sacramentalem.*

Sed hoc dicendum non est, quia omnia,
96 quæ Deus facit, perfecta sunt, *Deut.* 32. 3. ergò non egent elevatione, maximè Sacramenta, quia habent omnem perfectionem in summo ad producendos omnes illos effectus, ad quos ordinantur. *Ulteriùs* Sacramentum absolutionis elevari non potest ad producendam majorem remissionem peccatorum, cùm ex sua institutione deleat omnem culpã ex opere operato, & nihil ulteriùs sit delebile; ergò ista elevatio inutilis est, & ad nihil deservit; neq; ista elevatio referri potest ad destructionem pœnarum, itaut per absolutionẽ elevatam deleatur omnis pœna, quia indè sequeretur, satisfactionem sacramentalẽ 98
esse

esse inutilem, dum ei non posset correspondere proprius effectus sublatus mediante ea elevatione. Quare sequitur, quòd nec ipsa satisfactio Sacramentalis sit elevabilis; cum enim sit pars Sacramẽtalis habet ex institutione Christi, & ex opere operato, ut tot pœnas, & non ulteriùs solvat juxtà mensuram præscriptam in sua institutione; ergò non est capax elevationis, cum de se sit perfecta in sua ratione operãdi ex virtute ei collata à Deo. *Insuper*, data hac elevatione jam satisfactio non operaretur, ut pars Sacramenti, sed ut aliud, & extrà rationem Sacramẽti, quia ut pars Sacramenti debet producere remissionem pœnæ e.g. triduanæ, ratione verò elevationis deleret, & solveret aliquid ulteriùs, ac proindè totus effectus tribueretur elevationi, vel partìm illi, & partìm isti, quod tamen dicendum non est, nam si totus effectus tribuatur elevationi, sequitur hanc esse majorem in perfectione, quod dicere absurdum est, quia Sacramenta perfectiora sunt in se, & in suis partibus ipsa elevatione, quæ Sacramentum non est, nec Sacramenta dignificare potest, cum in se habeant omnem perfectionem, & dignitatem illis necessariam, & competentem in ordine ad suos effectus. Quòd si effectus dividantur in suis causis, itaut satisfactio Sacramentalis producat suos effectus, & superaddita elevatio proprios efficiat sibi correspondentes, jam ipsa satisfactio non poterit dici elevata, dum non producit effectus correspondentes ulteriùs ad elevationem, præter illos, quos produxisset sinè elevatione, undè talis elevatio non potest generare nisi confusionem in effectibus, & imperfectionem in parte Sacramentali, & in ipsis Sacramentis, quibus videtur indecens talis elevatio propter eorum eminentem virtutem, quæ in suis operationibus non eget consortio alterius rei majoris efficaciæ, ut importat verbum elevationis; Sacramenta enim ab origine eorum institutionis ità justè fuerunt elevata, ut ulteriori elevatione non indigeant, ne eorum natura, & status mutetur.

Contrà quintam, in qua dicit, Papam aliquandò concedere Indulgentias, & quidem sæpè propter causam præteritam, aliquo opere non petito; interdùm verò pio opere petito satisfactorio, quod elevat ad majorem effectum satisfactionis supra cõdignum, quamvis enim isto duplici modo concedatur Indulgentia, ut etiam docet Faber *disp.* 38. *de Pœnit. n.* 202. & alii communitèr, loquendo pro vivis, non pro mortuis, ut insinuat etiam ipse Card. de Lugo *eadem disp.* 27. *n* 86. nihilominùs præfatus elevationis modus, quem hactenùs impugnavimus, non placet.

Quare probandũ est, pia opera præscripta non elevari ad majorem effectum satisfactionis suprà condignum, nec alio quovis modo, quia opera hæc non sunt pretiũ, nec causa destructiva pœnarum, quas sola Indulgentia remittit; ergò hæc elevatio non est necessaria, cum ad nihil deserviat, nam opera ipsa non producunt solutionẽ pœnarum, sed sola Indulgentia. *Prætereà* opera præscripta ratione pietatis suæ, & bonitatis, habent tantùm disponere subjectum, ut sit aptum recipere Indulgentiã remittentem illi peccata; sed hoc præstant de se, dum ex præscriptione ordinantur ad disponendũ subjectũ; ergò nulla egent elevatione. *Deindè*, sicut se habent dispositiones in homine recepturo Sacramentũ aliquod, ità & hæc pia opera à Pontifice præscripta ad sumendam Indulgentiam; valet enim paritas, quia utrobique disponunt subjectum ad formam; sed respectu Sacramentorum non elevantur, aliter de condigno subjectum reciperet primã gratiam ex ea condignitate, quam importat hæc elevatio; ergò nec elevantur ea opera in ordine ad Indulgentiam, ne dicatur eã per se inefficacem esse, & egentẽ alterius consortio ad solutionem pœnarum; sicut ergò Sacramenta ex opere operato producunt primam gratiam, positis dispositionibus prævìis, sinè aliqua earum elevatione, cum sint tantùm conditiones dispositivæ, & non productivæ gratiæ, ità Indulgentia positis operibus piis sinè ulla elevatione eorum, cum sint conditiones tantũ dispositivæ ex opere operato, producit suũ effectum solutionis pœnarum.

*Ulteriùs*, quid sibi vult iste major effectus suprà cõdignitatem, causatus ab hac elevatione, nam vel opus illud reddit satisfactorium illa elevatio, vel ejus virtutẽ auget, vel ei tribuit excessũ in operando, vel facit magis condignum, quàm sit sinè elevatione. Nullum horum dici potest; *non primum*, quòd scilicèt elevatio faciat opus satisfactorium, quia præscriptum opus non solvit debitum, sed sola Indulgentia, quę essentialitèr est remissio peccatorum, hoc est, pœnarum ex peccatis contractarum, positis operibus tamquàm dispositionibus subjecti, quæ sicut in naturalibus non attingunt principalem, & ultimum effectum, ità neque in moralibus; cum ergò sola Indulgentia sit satisfactoria, hæc actio non competit, nec competere potest pio operi, ne deprimatur virtus Indulgentiæ. *Nec secundum* scilicèt, quòd augeat virtutem operis, quia prævium opus de se natum est disponere subjectũ secundùm virtutem, quam illi Deus tribuit, ac proindè augmento non eget, dum in suo genere dispositivi habet quicquid requiritur ad disponendũ, neq; enim Deus imperfectus est in suis operibus. *Nec tertium*, quòd, scilicèt, ei tribuat excessum in operando, quia cũ sit illud opus præscriptũ in ordine ad disponendum, non est opus excedere, cum habeat determinatum effectum, quem consequi debet, & non ulteriùs

teriùs producere. *Nec quartum*, quòd ſcilicèt illa elevatio faciat magis condignum illud opus, quia cum non ſit ſatisfactoriũ, nec majorem recipere poteſt condignitatem, ſi nullam habet ſatisfactionis figuram. Opus ergò pium in gratia factum, eſt quidem dignum Indulgentia, ſed de ſe non producit ſolutionem pœnæ, quandò habet rationem diſpoſitivi, & conditionis, ſinè qua non confertur Indulgentia, nec tollitur debitum. Si verò opus 99
pium ſpectetur ſinè ordine ad Indulgentiam, eo in caſu eſt ſatisfactorium, ex opere operato, ſi fuit impoſitum à Confeſſario, quia eſt pars Sacramentalis Pœnitentiæ; aſſumptum verò voluntariè pro ſatisfactione, tunc ſi fiat in gratia, non ex opere operato, ſed ex opere operantis delet tantum pœnarum, quantum ipſum opus meretur; juſtum enim eſt, ut deleatur illi pœna, cui ſatisfecit in hoc ſæculo, itaut illam ampliùs pati non teneatur, cum de- 100
bitum ſit extinctum; neque enim afflictio addenda eſt afflicto, *cap. cum percuſſio 2. 7. q. 1. l. Pœna 9 ſ fin ff. ad leg. Pompejam de Parricid.* Non enim conſurgit duplex tribulatio. *Nahum cap. 1. 9.*

Ex his in lõgũ protractis colligitur, opus pium præſcriptum à Pontifice pro acquirendis Indulgentiis ſibi, vel defunctis, nulla indigere elevatione, ut ſatisfactorium magis ſit ſuprà condignum, cum nec habeat rationem ſatisfactorii, dum non eſt opus, quod tranſgrediatur limites ſuæ operationis, quod ſi excederet, Indulgentiæ vim, & efficaciam deprimeret. Et ex his quoque patet reſponſio ad objectionẽ ejuſdem Cardinalis ſuperiùs allatam *ſub num 75* requirentis, ut hoc opus pium fiat in ſtatu gratiæ ob eam elevationem, pro acquirendis Indulgentiis animabus defunctorum; ea enim ſublata, non eſt opus requirere ſtatum gratiæ in acquirendis Indulgentiis, pro defunctis, quia cũ opus ſit præſcriptum à Pontifice, ſuam diſpoſitionem, uti factam nomine Eccleſię, & favore defunctorum, qui ſunt in gratia, certum eſt eſſe dignam, ut Indulgentia his nominibus proſit defunctis; non enim vivens in hoc dicitur ſe diſponere pro ſe, cũ effectum Indulgentię ſibi non quærat, ſed mortuis, qui ad eam quodammodò dicuntur ſe diſponere per viventes, illa pia opera exequentes, ſicut pia Mater Eccleſia, & tenentes infantem, dicuntur diſponere illum ad recipiendum Baptiſmum, ut di- 101
citur cap. *Parvuli 74. alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui, vel credere neſciunt, ſicut etiam ægri, muti &c. à S. Iſidoro relato hoc capite diſt. 4. de conſecr.* Itaque ſicut in Sacramentis requiritur prævia diſpoſitio, ità & in Indulgentiis, quæ ex opere operato producunt in fidelibus piè diſpoſitis condonationem pœnarum. Hæc ſatis; proſequamur dubia.

Quęres 9. An, ut Indulgentia proſit mortuo ex Altari privilegiato, ſivè ex alio capite, requiratur in eo aliqua diſpoſitio perſonalis, e. g. acceptatio, & voluntas recipiendi illam?

102 R. Ex parte defunctorum, nulla eſt neceſſaria ſpecialis diſpoſitio in illo ſtatu gratiæ, præter hunc, cum non ſint capaces ſicut viventes, qui pro ipſis orant, ut poſſint lucrari Indulgentias, undè non eſt neceſſarium, quòd, dum viverent, habuerint devotionem ad Claves, vel quòd oraverint pro mortuis, vel ſatisfacerent &c. ut volunt *Cajet. Gandavenſis, & Nav apud Paſq. q 733.* Neque acceptatio tanti beneficii eſt neceſſaria ex parte ipſorum, cum quilibet naturalitèr ſibi ipſi bonum exoptet, & exonerari à debitis cupiat; formalis ergò beneficii acceptatio neceſſaria non eſt; ſed ſufficit pium deſiderium, quia etiã ignorantibus acquiritur fructus non ſolũ
103 Sacrificii, ſed etiam aliorum ſuffragiorũ, ut docet de Lugo *diſp. 26. ſect. 3. de Pœnit.* Nullam ergò acceptationem ex parte defunctorum requiri, docent *Suar ſect. 4. n. 10. ex eo de Lugo diſp. 27. n. 78. verſ. Ult. Paſq. q. 733.* Sufficit ergò, quòd Eccleſia præſcripta opera exequatur pro ipſis ſinè dubio exoptantibus, ut propria debita ſolvantur virtute Indulgentiæ.

Quæres 10. An Altaria privilegiata pro defunctis, proſint etiam vivis? Vel an vivis
104 poſſint concedi hujuſmodi Altaria?

R. Non prodeſſe quoad fructum ſatisfactorium, quia Sacrificium conjunctum cum Indulgentia per modum unius, ſolvit pœnã ejus defuncti, pro quo celebratũ fuit, ſicut enim hæ duæ cauſæ indiviſibilitèr operãtur, ità ab eis effectus ſatisfactionis indiviſibilitèr exit. Celebrãti prodeſt quoad tria, ad *Propitiationẽ, Satisfactionẽ, & Impe-*
105 *trationem*; ex his enim ſemper habet portionem ſuam, ſinè præjudicio petentium miſſam pro ſe, aut ſuis defunctis. Sacrificium ergò Altaris privilegiati non videtur prodeſſe ſpecialitèr aliis, qui non dederunt eleemoſynam, ſed ſolùm generalitèr, juxtà doctrinam Scoti *Quol. 20. art. 2.* & 3. de triplici miſſæ fructu generali, medio, qui ex Juſtitia debetur danti ſtipendium, & ſpeciali proprio celebrantis, do-
106 cet Fraxinellus, aliis citatis *ſect. 3. Prænot. 3. de obligat. Sacerd.* Quo verò ad Indulgentiam non prodeſt niſi defunctis, pro quibus emanavit: Indulgentiæ enim tantùm valent, quantùm ſonant, ex vulgatis juribus; & cum Papa concedit Indulgentiam, & non celebrans, ut
107 dicunt omnes *cum Fagnan. in cap Quidam, de celeb. miſſ. num. 15.* tenetur eam applicare ad mentem Pontificis, ſcilicèt, pro defuncto, pro quo celebravit, & non aliis etiam defunctis, multò minus viventibus, ad quos Papa illam non direxit. Ità *Fraxin. ſect. 3 Prænot. 4. ſ. 3. num 5. Suarez de Pœnit. diſp. 50. ſect. 3. concl. 2. cum aliis Paſqual. q. 739. Megal. conſ. 19. n 6.*

Ego

Ego autem *Resol.* 91. *q.* 2. quoad aliam partem dixi, posse Papam concedere Altaria, etiam pro vivis; id enim non repugnat, sed non expedit, quia contingeret
108 ut plurimùm Indulgentiam frustrari suũ effectum, dum celebrans ignorat, an pro quo celebrat pro consequutione Indulgentiæ, sit in gratia; loquendo autem de defunctis, scit, quia certò credit, animas Purgatorii, pro quibus offertur, esse in statu gratiæ, ac proindè Indulgentiam non prodigi, sicut respectu vivorum; nec oportet dicere ejus suspendi effectum, usque dum erit constitutus in gratia ipse vivens, pro quo celebratum fuit, quia Indulgentia suum sortitur effectum, dum
109 applicatur, aliter evanesc.it, quod dedecet tantùm thesaurum. Ità supradicti cum Pasqual. cit in quantùm Indulgentia nõ potest manere in suspenso, *Megal. cons.* 19. *n.* 3. & 4. qui aliorum refert opinionem, posse fructum Sacrificii manere in suspenso, sed non placet, tùm quia aut persona, pro qua oblatum fuit, est indigna tanto beneficio, ac proindè sicut prodesse non potest tunc, ità neque deinceps, cum nulla virtus supersit conservandi illum applicandum tempore habili, quo erit in gratia; non enim rationabile est, quòd bene-
110 ficium expectet personam, sed excellentia beneficii exigit, ut persona parata expectet illud, quod cupit habere. Aut est digna, & eget fructu, & tunc sortitur suum effectum, si non eget, frustrà implorat beneficium, quo non eget, & sic facit illi magis injuriam, quàm honorem.

Quæres 11. An valeant plura Altaria privilegiata in eadem Ecclesia, sivè sint ejusdem rationis, sivè diversæ? E. g. In Ecclesia est Altare commune omnibus defunctis, quod dicitur generale; utrum Cordigerorum Confraternitas in eadem Ecclesia erecta possit petere alterum Altare speciale, scilicèt, pro Confratribus, & validè illud obtineat, non facta mentione de Altari generaliter privilegiato jam concesso?

111 R. Quamvis non repugnent plura Altaria privilegiata in eadem Ecclesia secundùm præfatam diversitatem, vel alio modo, ut ex diversitate temporum, & dierum, nihilominùs dum conceduntur cum clausula exclusiva aliorum, videntur per eam excluſa quæcunque sivè in omnibus similia, sivè in genere personarum, ut pro omnibus fidelibus, sivè pro Confratribus
112 talis Societatis, nam dictio *aliud* refertur ad similia ex allatis à Barbosa 5. eodem; certum autem est, quòd omnia Altaria privilegiata sunt similia, & ejusdem rationis quoad beneficium Indulgentiæ, respectu cujus omnimodam habent similitudinem; continent enim liberationem animarum à pœnis Purgatorii, quod est principale beneficium Altaris, undè concessio unius cum dicta clausula irritam facit subsequentem impetrationem; per eam enim clausulam Papa se declarat nolle ulteriùs aliud concedere Altare, & sic defectu intentionis nulla est impetratio facta alterius Altaris. Intellige prædicta, si indultum obtinuit suum effectum, nam petitum Altare si non fuit positum in usu, aliud impetrari potest. *Pasq q* 763.

Nec adducta ratio à *Pasq. q.* 754. *sequendo Cobat. & Quintanad.* habentes unum Altare generalitèr privilegiatum, posse obtinere aliud diversæ rationis, scilicèt speciale, quia dictio *aliud* appellat similia, & ejusdem rationis, qualia non sunt præfata Altaria generale, & speciale; ergò habens generale non potest petere aliud generale, utique aliud, quod sit speciale, quia *aliud* excludit simile, & ejusdem rationis, non diversarum rationum per jura ibidem ab eo allegata.

113 Hæc, inquam, adducta ratio à Pasqualigo convincit minimè, nec quidquam probat, quod ostendo referendo illos duos textus, qui potiùs pro me sunt, nam in *l.* 3. *C. de servis fugit.* dicitur, quòd servi fugitivi puniuntur mutilatione pedis, aut pœna metalli, *aut qualibet alia simili*, explicat *Glos.* id est, extraordinaria; conceditur ergò castigatio non solùm per pœnam ordinariam, quæ est mutilatio pedis, seù metalli, vel *alia simili* scilicèt, extraordinaria, quæ habet similitudinem cũ illis, & non excedar delictum, ecce pœnæ sunt diversæ in materia, similes verò in ordine ad delictum, quod excedere non debent, quia pœna debet proportionari culpæ. Applico, sicut dictio *aliud* inclusiva comprehendit similia in ratione formali, quamvis materialitèr sint dissimilia; ità eadem dictio exclusivè sumpta, excludit similia, quæ talia sunt non solùm in ratione formali, sed etiam diversa, in ratione materiali; sed Altare privilegiatum excludens per eam dictionem *aliud* Altare, illud excludit, sivè sit tale secundùm rationem formalem liberandi quascunque animas, sivè sit tale liberandi animas tantùm Confratrum; hęc enim diversitas est materialis, nullam ponens rationem diversitatis in intrinseca ratione liberandi animas; dum enim Altare privilegatum generale est pro omnibus animabus, est etiam pro animabus Confratrum, licèt hoc non sit pro illis propter restrictionem; in exclusione ergò similis Altaris attendenda est similitudo respectu privilegii liberandi animas, non illarum restrictio, quæ venit tantùm objectivè, & non formalitèr, quod potissimùm intendit Papa, ne sint duo Altaria privilegiata in eadem Ecclesia; id enim videtur occasio nescio quid avaritiæ propter stipendia, quæ offeruntur duobus Altaribus.

In alia lege, quę est *fin C. de jis*, qui à nõ dominis manumittũtur, decernitur, ut manumittendũ de conscientia ficta Principis

ſervum alienum, cogatur duos reddere domino, & *alios tres ſi ſco eadem ratione ſimiles*, ſcilicet ejuſdem ſexus, ætatis, & artis, ut dicitur ſuprà. Ecce hic textus explicat hanc ſimilitudinem uſquequaq; tàm materialem, quàm formalem; ſi enim dictioni, & *alios tres* non adjuxiſſet, *eadem ratione ſimiles*, Reus ille ſatisfeciſſet reddendo tres ſervos in ratione formali ſervorum, licèt in ætate, ſexu, & arte fuiſſent diverſi; dictio ergò *alius* includit ſimilitudinem cum diverſitate, ſi aliud non addatur, ut patet ex hoc textu. Quare in caſu noſtro, primum privilegiatum habens dictionem *aliud*, excludet aliud ſimile Altare habens diverſitatem ex qualitate perſonarum, ſcilicèt, animarum Confratrũ.

Confirmatur id, quia ſi non adeſſet in indulto excluſiva nulla, adhuc non poſſet impetrari alterum Altare generalitèr privilegiatũ; eſſet enim petitio impertinens, & irrationabilis, inducens Papam in aliquam ſiniſtram opinionem, velle nimirùm Sacerdotes mercari ſpiritualia; ergò hinc ſequitur, illam excluſivam reverà eſſe referendam ad Altare ſpecialitèr privilegiatum, & non ad aliud generale, cum hactenùs non inveniantur conceſſa alicui Eccleſiæ duo Altaria generalia.

Quæres 12. An Altare privilegiatum poſſit transferri de loco ad locum? Id autem contingere poteſt duobus modis, primò ab uno Altari ad aliud in eadem Eccleſia; ſecundò ab una Eccleſia ad aliam renovatam, vel diverſam, priori remanente, vel deſtructa.

114 R. Deſignato ſemel Altari, non poteſt fieri translatio Indulgẽtiæ ab illo ad aliud Altare ejuſdem Eccleſiæ, utique ſi nondùm ſit deſignatum, intellige id; ſi tenor indulti det electionem Rectori Eccleſiæ deſignandi Altare, quæ non cenſetur cõceſſa, quandò in diplomate exprimitur Altare, pro quo petita fuit Indulgentia, debetque illud extare, quo petito, non poteſt transferri Indulgentia ad aliud Altare, licèt ejuſdem tituli, & nominis Sancti. Hæc quoad mutationem Altaris in eadem Eccleſia. Reſpectu verò diverſarum, dicendum eſt, licere translationem, quandò erecta nova Eccleſia, profanatur vetus, vel deſtruitur, ità quòd non ampliùs ſit in uſu, ad quam nova habet ſucceſſivã relationẽ, aliter non contingit utilis translatio. Demùm deſtructo Altari, vel Eccleſia ex vetuſtate, etiam in totum cũ animo reficiendi, ſi ſtatim incipiat reſtauratio non perditur Indulgentia. Singula probo.

Prima pars, quòd non poſſit fieri translatio Indulgẽtiæ à primo Altari deſignato, ad aliud probatur, quia per eam deſignationem dicitur Altare eſſe in poſſeſſione ſuæ Indulgentiæ; ergò hęc ab eo auferri non poteſt, cum ſit illi ità affixa, ut nullum alterum jus habeat ad illius acquiſitionem. Facta ergò deſignatione non datur mutatio, nec translatio Indulgentiæ. Ità *Navar. de Horis Canon. c. 5. n. 11. Lavor. de Indulg. p. 2. c. 30. n. 112. ex illis Paſq. 762.* Et licèt quandoque quis privari poſſit jure quæſito etiam ſinè culpa, ſi ſubſit cauſa, tamen in præſenti materia non poteſt ſubeſſe culpa, cum Altare non ſit capax culpæ, nec talis poteſt ſubeſſe cauſa, quòd Altare privetur ſua Indulgentia, & concedatur alteri, nam ſi in cauſa ſit deſtructio adeò, quòd non ampliùs reficiatur, tunc non eſt locus translationi, cũ deſinat eſſe cum Altari, tamquàm accidens, quod ſinè ſuo ſubjecto eſſe non poteſt. Alias rationes vide apud Paſqu.

Quòd ſi non datur facultas petenti Altare deſignandi, tunc ſtatur tenori Indultorum, quæ regularitèr conceduntur cum expreſſione Altaris, itaut ipſo jure Indulgentia acquiratur tali Altari, ad quod dirigitur, & non alteri; prima ergò celebratio ponit Altare in poſſeſſione ſuæ Indulgentiæ. Quòd ſi in eadem Eccleſia duo ſint Altaria ejuſdem Sancti, in eo caſu locus eſt electioni, qua poſita per celebrationem, ceſſat jus electionis, cum jam obtinuerit ſuum effectum, undè Superior non poteſt variare, *arg. cap. Publicato* 58. *Scrutinio variare nequeũt electores*, de elect. ſic publicata celebratione, nequit celebrationem in futurum variare localitèr; functus enim eſt officio ſuo per nominationẽ, ſeù celebrationem in tali Altari.

115 Secunda pars, quòd non detur Indulgentia Altari nondùm exiſtenti, neq; Eccleſiæ nondùm ædificatæ, probatur, quia privilegium, cujuſmodi eſt hæc Indulgentia, non datur rei nondùm exiſtenti *cap. audientiam* 5. *de Eccleſ. ædif. Gonz. ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſ.* 5. *§.* 7. *n.* 71. *&* 83. qui *n.* 96. *&* 97 ait poſſe concedi, ut incipiat habere vires collegium, vel Eccleſia, quandò erecta erit; ut autem valida ſit conceſſio, debet in petitione exprimi Eccleſiam, ſeù Altare inchoari.

116 Tertia pars de translatione Indulgentię à veteri Eccleſia ad novam, petit *tria*, *primò*, quòd vetus Eccleſia non ampliùs ſit in uſu, vel deſtructa, vel profanata; *ſecundò*, quòd in nova Eccleſia Altare, ad quod transfertur Indulgentia, ſit ejuſdẽ tituli, & nominis, quorum erat Altare deſtructum in Eccleſia veteri; *tertiò*, quòd ſit relatio ſucceſſionis à veteri ad novam Eccleſiam, hoc eſt, quod idem Rector tranſeat, item Canonici, item Religioſi ejuſdem ordinis &c. ſivè ſibi fabricent novam Eccleſiam, ſivè ad aliam accedant cũ omnibus ſuis juribus, quę habebant in deſtructa. Probatur, quia translatis perſonis, 117 transferuntur omnia earum jura, & privilegia, ſi translatio fuit legitima, facta ſcilicèt de licentia Superioris, *Alex. vol.* 1. *conſil.* 43. *Gailard lib.* 2. *Obſerv.* 61. *numer.* 10. *Albert. Brunus de mutat. membr.* 3. *concl.* 3 *num.*

3. *num.* 78. *Vivian. conſ.* 63. *num.* 2. *& conſ.* 64. *num.* 3. *de judic. Cochier. par.* 3. *de juriſd. ordinar. q.* 21. *ex illis Barboſ. ad Reg.* 7. *in* 6. *num.* 10. Faciunt, quæ dixi *cap. præced. q.* 18. *&* 19 Sed inter privilegia, & jura prioris Eccleſiæ connumeratur Altare privilegiatum, ergo ejus Indulgentia transfertur in poſteriorem Eccleſiam. Ita *Bonac. p.* 8. *num.* 5. *verſ. ſi verò.*

Dices, deſtructo penitùs Altari, perditur privilegium, ſiquidem illud uti accidens non poteſt exiſtere niſi in ſuo ſubiecto, *Gloſ.* 5 *Non teneat, cap.* 2. *de novi oper. nunt.* In terminis Paſqual. q. 761. ubi, quòd ſi non reparatur, ceſſat Indulgentia; ſed in caſu noſtro omnino deſtruitur Eccleſia, & Altare, ergo & Indulgentia, ac proinde non dicitur transferri, cum non amplius ſit, ſolùm enim quod eſt, transfertur.

℟. Verum eſſe perdi privilegium, deſtructo Altari, ſed quoniam in caſu noſtro prius fit translatio Indulgentiæ, & aliorum jurium, antequam ſacer locus deſtruatur, aut profanetur, hinc eſt, quòd Indulgentia non perditur, cum adhæreat poſteriori Altari, antequam deſtruatur primum Altare, quod ceſſat per ſe ſolùm, cum Indulgentia receſſerit ad ſecundum Altare. Ne mireris hunc loquendi modum, quia in moralibus leges fingunt pedes, & motum localem in rebus moralibus, ut poſſint ſervire hominibus, in quorum ſunt uſum.

118 Poſitis ergo illis tribus cõditionibus, ſequitur Indulgentiæ translatio in frugem animarum, quòd ſi remanet Eccleſia cũ Altari in ſuo uſu, non eſt translata Indulgentia, ſed ibidem remanet pro ſalute defunctorum, nulla enim ratio mihi videtur poſſe perſuadere translationem, dum Altare manet omnino idem, ac proinde cum inſeparabilitate ſui accidentis, quod cum ſubiecto tandiù conſervatur, quãdiù ipſum exiſtit, cum habeant ad invicem mutuam inſeparabilitatem, quamdiù ſubiectum manet immutabile.

119 Quarta pars, ſi ex vetuſtate, vel alia cauſa Eccleſia, ſeu Altare paulatim reſolvatur, ſed ſtatim reficiatur, ſive ſuper iiſdẽ fundamẽtis, ſive aliis novis, ulteriùs perſeverat Indulgentia in Altari refecto, probatur, quia licèt non dicatur idẽ numero in genere entis phyſici, quod in totũ fuit omninò deſtructum, refectũ de novo etiã
120 ex eadem materia, & in eodem loco, *l. Quid tamen §.* 1. 10. *ff. Quib. modis uſufr. amittatur, Beja caſu* 33. *§. Quod autem p.* 3. *Tamb. t.* 1. *diſp.* 25. *q.* 1 *num.* 280. *Verſ. ſed ſi extinguatur*, & hoc in ordine ad nonnul-
121 los effectus nempe conſecrationis, de qua *cap. Ligneis* 6. *de conſecrat.* tamen in ordine ad iura, & privilegia Altare, ſeu Eccleſia refecta in totum dicitur eadem numero in genere entis moralis; exigit enim ratio, ut eadem jura, & privilegia maneant pro Clericis eidem Eccleſiæ ſervientibus, ac proinde remanet quoq; Indulgentia Altaris privilegiati, licèt egeat nova conſecratione, quia Altare capax eſt Indulgentiæ nondum conſecratũ, reſpicit enim Conſecratio cele-
122 brationẽ, ut dignè fiat, nõ ut ſit capax Indulgentiæ quò ad effectũ, Altare enim incipit eſſe in poſſeſſione Indulgentiæ, cum primùm in eo celebratur, ſupponendo capacitatem in ejus materiali, unde ſi amittat conſecrationem, non perdit Indulgentiam, quæ ſubſiſtit in materiali, licèt ſine fructu, qui non datur animabus ſine celebratione, quæ fieri non poteſt in Altari ex ſacrato. Ita *Suarez. diſp.* 52 *de Pœnit. ſect.* 1. *num.* 9 contra Layman, & Bonacinam, quos pro ſe citat *Paſq. q.* 761., Si non in totum ſit deſtructum, ſed in præmiſſis ſtandum eſt argumento à fortiori, ſi enim tranſit Indulgentia à loco ad locum juxta ſuperius dicta, ergo & in eodem Altari ſecundùm ſitum refecto in totum.

Confirmantur prædicta, quia noſtris temporibus, ſæculo etiam præterito, ſunt in uſu Altaria mobilia, quæ appellantur lapides ſacri, qui inſerviunt diverſis Altaribus materialibus, quibus cenſetur conceſſa Indulgentia, ergo cum in illis non ſpectetur conſecratio, ſive eadem, ſive in totum refecta, retinent antiquum privilegium Indulgentiæ.

Quæres 13. An mutato Sancti titulo in alium titulum expiret Indulgentia conceſſa Eccleſiæ, ſeu Altari S. Antonii Abbatis, ſi intituletur ſub nomine S. Antonii de Padua, qui videtur eſſe magis benefactor Sancto Abbate?

123 ℟. Extingui Indulgẽtiã, & Altare illud non amplius eſſe privilegiatũ, ſuppoſito, quòd tituli mutatio facta ſit à Superiore, ut ab Epiſcopo reſpectu Clericorũ, à Superiore regulari reſpectu ſuarũ Eccleſiarũ, & quòd novus titulus nõ ſit ſuperadditus antiquo remanenti. Ratio eſt, quia nõ eſt amplius illud Altare, quod ſub qualitate illa petitum erat cum privilegio, dũ titulus fuit mutatus, ergo extincta eſt Indulgentia, quia extincta qualitate, ſub qua fuit conceſſio facta, ceſſat privilegiũ conceſſum, quod continuo in ſuo eſſe pendet ab ea qualitate, ergo hac deſtructa perimitur etiam pendens ab ea. Ita *Paſq. q.* 761. *n.* 6. ubi ex mutatione qualitatis deficit conceſſio, ſub qua fuit facta, *ex Seraph. dec.* 1058. *num.* 9. *Coccino dec.* 117. *num.* 1. *Merlin. dec.* 894. *num.* 2.

Quæres 14. An valeat Altare privilegiatum, ſi numerus Sacerdotũ in diplomate taxatus, non exiſtat in ea Eccleſia, cui eſt conceſſum privilegium Altaris?

124 ℟. Numerus expreſſus in Brevi Altaris privilegiati, nõ eſt de valore hujus privilegii, itaut ſucceſſivè pẽdeat à numero ſacerdotũ prefixo, ſed ſufficit, ut initio impetra-

petrationis, cum incipitur prima celebratio, in qua acquiritur poſſeſſio privilegii in ipſo Altari, adſint tot Sacerdotes, quot exprimuntur in indulto, etiam ſi ipſo die acquiſitionis Indulgẽtiæ omnes non celebrent in dicto Altari ob aliquam cauſam, & multò minùs in ſequentibus, ita quòd ſatisfactionis defectus non extinguit privilegium.

125 Primùm, quòd initio ſit neceſſarius Sacerdotum numerus pro valida acquiſitione privilegii, probatur. Tum quia numerus requiſitus in aliquo actu debet reperiri in ipſo actu, Decius *in c. Prudentiam, de offic. deleg. num.* 39 Tum quia ubi deficit
126 qualitas diſpoſitionis, deficit quoq; ipſa diſpoſitio, *Gloſ.* 5. *Avocandum l. Mancipia ff. de ſervis fugit, Surdus conſ.* 400 *n.* 16 *Pacian. l.* 2. *de prob. c.* 14. *n.* 8. Aliis argumentis hoc idem probavi *Reſ.* 91. *num.* 8.

Paſqualig *q.* 747. relatas à me probationes loco citato, ait pati difficultatem, nec congruere menti Pontificis, unde ſubdit, non requiri talem numerum Sacerdotũ tamquam conditionem, a qua dependeat valor privilegii, quòd cum habeat tractũ ſucceſſivum, illum etiã requireret in conditione, ac proinde quoties contingeret non celebrare illum numerum miſſarũ, non haberet locũ privilegiũ, quia ſub aliqua conditione conceſsũ, ſub oppoſita cẽſetur ademptum, juribus, & Doctoribus citatis. *Secundò*, imò ſequeretur, quòd ſi adhuc eſſet numerus requiſitus, ſi aliquis Sacerdos nõ celebraret ob infirmitatem, deficeret pro illis diebus privilegium Altaris, quia conceſſum ſub conditione deficit, etiamſi conditio ex impotentia non impleatur ex Doctoribus ab eo citatis. Alia multa ſubinfert, quæ omitto, quia meis non adverſantur.

127 Dico, quòd in conceſſione Altarium privilegiatorum duo ſpectantur, ſuffragium animarum defunctorum, quod tãquàm cauſa finalis movet Pontificem ad conceſſionem illorum, ſed quia illorum animabus non poteſt ſuffragari per unũ, aut alterum Sacerdotem, cum ſupponatur concurſus fidelium, porrigentium multas eleemoſynas pro miſſis, ideò Papa illis Eccleſiis, quas vult decorare hujuſmodi Altaribus, determinat, & aſſignat talem numerum Sacerdotũ, qui ibidem quotidie; vel eo die deputato pro mortuis celebrent, & ad minus debẽt eſſe ſeptem, adeoquod Papa non concedit
128 hæc privilegia niſi Eccleſiis collegiatis ſæcularibus, vel Regularibus, in quibus ſolent eſſe plures Sacerdotes, ex quo patet cauſam finalem eſſe ſuffragium animarũ, numero verò præfixũ Sacerdotũ eſſe conditionẽ, ſine qua non cõcederetur Altare, ſi non adeſſent tot Sacerdotes, qui poſſent ſatisfacere miſſis oblatis pro defũctis celebrãdis; undè nõ conceduntur Eccleſiis Parochialibus unius Sacerdotis.

Quamvis autẽ cauſa finalis, hoc eſt, ipſum ſuffragium habeat tractũ ſucceſſivũ, quia animę defunctorum quotidie egent ſublevatione pęnarũ Purgatorii, ac proindè tot Sacerdotes deſignati ſint neceſſarii, ad ſatisfaciendum miſſis oblatis, tamen pro validitate impetrati jã privilegii, ex præfato numero, ut illud perſeveret in ſua exiſtentia, non eget continuè illo numero, nec quoad exiſtentiã eorũ, nec quoad celebrationẽ pro ipſis mortuis; nõ quoad exiſtentiam, cum enim dederit ille numerus ex parte ſua eſſe privilegio, per primam celebrationem pro defunctis ſuper Altari privilegiato, ſuum ſortitus eſt effectum, conſequenter ejus perſeverantia in eſſe non eſt neceſſaria, dum enim privilegium per eam celebrationẽ quæſitum eſt Altari, in eo inſeparabiliter manet quouſq; exiſtit Altare, quia hoc eſt illius ſubiectum, & non perſeverantia numeri, qui illi primũ eſſe dedit. Quòd autem privilegium in ſuo exiſtere depẽdeat ſolùm à præfato Altaris ſubjecto patet ex abſurdis adductis à Paſqualigo de Sacerdote infirmo nõ celebrante, ex cujus defectu celebrationis non perditur privilegium, neq; ex diminutione Sacerdotum, aliter poſtmodũ omnibus exiſtentibus Sacerdotibus, reviviſceret Altaris privilegiũ, conſequenter eſſet in poteſtate illorum cõcedere, & revocare privilegium, quod ſolius eſt Pontificis, quare ex his abſurdis ſequitur, numerũ Sacerdotũ uti conditionem eſſe neceſſariũ tantùm in acquiſitione privilegii, non verò in ejus manutentione, & perſeverantia, undè nec ex hoc capite habet tractum ſucceſſivũ, licèt Sacerdotes continuè celebrent pro defũctis, celebratio ergo habet tractum ſucceſſivũ ratione exercitii, non numerus, qui aliud exercitiũ nõ habet niſi mittendi, ut ita dicã, Altare in poſſeſſionẽ ſui privilegii tandiù duraturi, quandiù durabit ipsũ Altare. Nec quoad celebrationem, quæ limitatur tãtùm ad ſatisfaciendum miſſis oblatis; accidere enim poteſt, quòd Sacerdotes excedant numerum miſſarum, & tunc non tenentur celebrare in Altari privilegiato; & cum Altaria noſtris temporibus cõcedantur privilegiata certis diebus, & non quotidie, patet etiam hinc talem numerum non habere tractum ſucceſſivũ, ſed interpellatum, & ſic modò eſſet privilegium, modò non eſſet, ſi continuò dependeret ab eo numero.

129 Stat ergo, quòd numerus ſit conditio, à quo dependet Altare privilegiatum in ſua fundatione, & ulteriùs non operetur, aliud enim eſt ſpeculatio numeri, aliud celebratio miſſarum, in qua ſpectatur tractus ſucceſſivus ad ſatisfaciẽdũ, quia miſſæ ſecundùm ſucceſſionẽ recipiuntur à Sacerdotibus, cum ergo ratio tractus non reperiatur in numero, benè poteſt appellari conditio ſine qua non

Papa

Papa concedit privilegiũ, requirẽs ſolùm Sacerdotes, qui muneri ſuo ſatisfaciant. Demus etiã numerũ, & Sacerdotes non ſatisfaciant, numquid perdetur privilegium? Si dicas ſic, quia abutens meretur amittere privilegium, ergo in ſuo exiſtere non pendet à numero. Ex his patet ad argumenta Paſqualigi.

Ad primũ reſpondetur, Altare privilegiatum habere tractum ſucceſſivũ in eo, quòd Sacerdotes ſucceſſivè celebrare debẽt, ut ſuo muneri ſatisfaciãt, ità quòd tractus celebrationis inſpiciatur, nõ numerus Sacerdotũ, cũ accidere poſſit, ut dixi, quòd Sacerdotes excedant numerũ miſſarum, & è contra; principalis ergò finis eſt celebratio, & ſuffragium animarum, habens tractum ſucceſſivum, non numerus, qui quãdoq; eſt neceſſarius, aliquando non, ideò ipſe non dicitur trahere obligationem, ſed ipſum Altare.

Ad ſecundum; admittendum eſſe, ſi numerus ponatur conſervare in eſſe privilegium, quod negavi, quia ſolùm dat primum eſſe, quod conſervat in exiſtentia ipſius ſubiecti; cum autem numerus non conſervet in eſſe privilegium, non ſequitur, omiſſionem celebrationis privilegium removere ab Altari.

Idem Paſqual. *q.* 748 ad tollendas omnes difficultates, & manutenendum Altare privilegiatum in caſu, quo deficiant Sacerdotes, vel non celebrent quotidie,
130 dicit, eam clauſulam *dummodo in ea ſeptẽ miſſæ quotidie celebrentur* importare qualitatem, & operari, quòd non exiſtente numero expreſſo miſſarum, conceſſio ſit nulla, & volens ſalvare perſeverantiã privilegii, eſto quotidie non celebretur, docet, eam clauſulam non importare conditionẽ, ſed modum, ac proinde ſi non adimpletur celebratio, non propterea ceſſare privilegium, quia modus non impedit acquiſitionem, ſed tantùm operatur, quòd poſſit reſolvi; contingit autem reſolutio, ſi interveniat interpellatio poſt acquiſitionem, ſi caſu miſſæ non celebrentur, adhuc non reſolvitur privilegium, quia
131 non corruit diſpoſitio, quando modus caſu deficit *l.* 1. *C. de legat* & ſi modus ſit impoſſibilis habetur pro non adiecto, quia nemo tenetur ad impoſſibile. Subdit, poſſe ſatisfieri etiã per Sacerdotes extraneos,
132 & illud verbũ *quotidie* interpretari, prout plurimùm, & morali modo.

Ex quo habes, numerum requiri in acquiſitione privilegii facienda Altari, aliter conceſſio eſt nulla, ſi non adeſt numerus Sacerdotum, qui celebrent in ea Eccleſia; & ità cum eo convenio, ſiue ergò numerus vocetur qualitas, ſive conditio, ſive modus nõ intelligitur privilegiũ Altari acquiſitũ in illa prima celebratione, niſi adſint illi ſeptem Sacerdotes, & ità convenimus etiam cum Lavorio, Silvio, & Zipeo, requirentibus numerum pro validitate privilegii, intellige, dum primò acquiritur Altari, & non vlteriùs, licèt eo die unica miſſa in eo celebretur, nam cum celebratio referatur ad ſatisfactionem miſſarum, ne defraudetur anima debito ſuffragio, ſi eo die nulla adſit obligatio; nec ex omiſſione miſſarum præjudicatur alicui, ſufficit ergò celebrare ad Altare privilegiatum, quando adſunt miſſæ illi obligatæ, neq; enim obligat ad celebrandum gratis.

Quæres 15. An ſub numero Sacerdotum de familia, veniant Generales, Provinciales, & Hoſpites, qui gaudeant privilegio Altaris, licèt ibidem non ma-
133 neant continuò.

℟. Gaudent, quia ad conſtituendã familiaritatem, & commenſalitatem, ſufficit
134 ſervire, & vivere expẽſis domini, *ex c. ſicut nobis, de verb. ſignif. in 6. Bellamera conſ.* 20. *n.* 90. *Anchar. conſ.* 398. *n.* 2. *Maſcard concl.* 755 *cum Paſq.* in terminis *q* 749 me citante *reſ.* 25. *n.* 2. de Generali, & Provinciali, & de hoſpite *reſ.* 91. initio. Contra Zipeum, & Silvium aſſerentes, illos non gaudere hoc privilegio, ſi non ſunt de familia, loquendo de hoſpitibus, quia licèt ſint ſubjecti Superiori locali, non ſunt tamen capaces actuum, qui ſunt proprii
135 monaſterii, cum non habeant vocem in negotiis monaſterii. Reſpondet ipſe, hoſpites non incorporari capitulo, incorporari verò familiæ, quæ propriè importat ſervitium, & victum expenſis ejus, cui inſerviunt. Et in his nulla difficultas; Extranei enim ſicut non prohibentur celebrare, ſed tãtùm intereſſe negotiis monaſterii, ità nec prohibentur celebrare in Altari privilegiato, cujus ſpirituale negotiũ non eſt conventus, ſed Eccleſiæ, cui conceſſum eſt altaris privilegium.

Quæres 16. De conceſſione Altariũ privilegiatorum. *Primò*, quando incipiat ſeptenniũ? *Secundò*, an ſeptenniũ debeat eſſe continuum? *Tertiò*, quomodò finiat antiquum ſeptennium, & incipiat novum ad evitandam nullitatem impetrationis ob ſubreptionem?

136 ℟. Primò, ſeptennium incipere à die celebrationis miſſæ primæ in Altari, per eã declarato privilegiato, nã ſeptenniũ conceditur, ut totũ ſit utile defunctis à primo die uſq; ad ultimũ, ſumptis diebus extremis incluſivè; ſed utilitas incipit à die celebrationis, non à die datæ, cum non poſſit diploma pervenire eodem die ad locũ diſtantem, neq; à die publicationis legalis, quæ conſiſtit in recognitione facta à Vicario Generali, adhibitis duobus de
137 Capitulo ad formam Tridentini *cap.* 9. *ſeſſ.* 21. ſed à die publicationis factæ populo, ut inſinuatur ibidẽ à Tridentino. *Per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populis publicandas eſſe decernit*, quæ non contingit niſi per celebrationem in Altari, cui tũc acquiri-

tur

tur Indulgentia, ergo ab ea incipit ſeptennium; cum ab eo ſolo die incipiat eſſe utile defunctis. Ita *Rodriq. t. 2. q. 98. art. 3. Paſqualig. q 751. n. 4.* Retentio autē diplomatis ex aliqua cauſa, ut quia ornandum eſt Altare, vel quia miſſa celebranda eſt cum aliqua ſolemnitate, vel tali die particulari, antequam exhibeatur recognoſcendi per Ordinarium, imò & ſi poſt recognitionē differatur utilis publicatio per celebrationem ex cauſa, non eſt vitioſa, etiamſi in diplomate dicatur *ad proximum ſeptennium valituris*, quia ut inquix *Paſq. ſub n. 6.* illud verbum *proximum* intelligitur de proximitate habili, in qua conceſſio poſſit ſortiri ſuum effectum, cum ſcilicet commodè dari poteſt celebrationi miſſarum.

138 R. Secundò, illud tempus eſſe continuādum; ita quòd non poteſt interrumpi aliquo menſe, aut anno, ut poſſit ulteriùs produci, tùm quia tempus affixū eſt immobile, non excedens ſuam menſuram, quę incipit à primo die numerationis proſequendo uſq; ad finem determinati temporis, ergo ultra progredi nō poteſt, aliter eſſet indeterminatum in progreſſione. Tū quia tempus determinatum non poteſt excedere ſpatium ſibi correſpondēs, quod excederet, ſi poſſet interrumpi. Ita *Quintanad. quem ſequitur Paſqual. q. 752. n. 1. & 2.* Iſta autem continvatio nullam admittit interrumptionem, neq; proinde prorogationem in futuro tempore, quavis poſita legitima cauſa, quia hæc non poteſt tempus fixum ulteriùs producere, & facere de fixo non fixum, & mobile. Quare refectio Altaris, interdictum, aut ceſſatio à divinis, incurſio militum &c. interrumpentia celebrationum per mēſes, aut annos non poſſunt ulteriùs extendere ſeptennium, ſed ſemper numerandum eſt, & terminandum regulando tempus à primo die celebrationis. Ita Paſqual. cō-

139 tra Cabatium dicentem, poſt annum Sanctum ulteriùs extendi Indulgentiam, ut terminetur ſeptennium, intellige pro vivis, quia pro defunctis non ſuſpenditur, ut probo infrà *q. 21. num. 167.*

140 R. Tertiò, poſſe quidem peti in fine ultimi anni aliud ſimile privilegium publicandum vltimo die, quo primum expirat, incipiendo celebrarē primo ſequenti die, non obſtante, quòd in diplomate dicatur. *Simili ad præſens privilegio minimè decorata* quia hūc habet ſenſum, ut ambo ſimul non occurrant, ſed non impeditur concurſus, quo hodie deſinit ſeptennium veteris privilegij, & cras incipit nouum per primam celebrationem, verificatur ergo ea clauſula; *ſimili ad præſens privilegio minimè decorata*, cùm antiquū jam expiraverit. Nec vim facienda eſt in illa particula *Ad præſens*, quia refertur ad ſequentem diem expirationis prioris privilegij, nam in priori reſponſo dictū fuit, privilegiū non incipere à die datę, ſed ab uſu privilegij conſiſtente in prima celebratione pro mortuis in Altari, quod tunc incipit eſſe privilegiatum, dum ibidem inchoat celebrationem. Ità *Paſqual. q. 750. contrà Zipeum*, qui non habet pro ſecuris hujuſmodi impetrationes, quas putat ſubreptitie impetratas contrà tenorem dictæ clauſulæ, ſed patet valere, ſi illa benè intelligatur; ſufficit enim, ut verificetur ſequenti die poſt lapſum primi privilegii, ut enim Rectores Eccleſiarum conſervent cultum, & decorem ſuæ Eccleſiæ, tempus anticipant in petitione, ut tempore opportuno poſſint conjungere novum privilegium cum antiquo lapſo.

Quæres 17 An ſi quid detur pro expeditione Altaris privilegiati, nulla ſit Indulgentia? Rationem dubitandi dant hæc verba expreſſa in diplomate! *Volumus autem, ut ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeù publicatione aliquid, vel minimum detur, vel ſponte oblatum accipiatur, nullæ ſint eo ipſo.*

141 R. Patere nullitatem ex illis quatuor actionibus, quarum prima refertur ad ejus expeditionem Romæ, pro qua nihil omninò dandum eſt officialibus ad hoc munus deputatis; ſunt enim ſalariati pro hoc labore. Reliquæ tres referuntur ad officiales Epiſcopi, & ad ipſum Epiſcopum, qui nihil recipere poſſunt pro præſentatione, admiſſione, & publicatione; gratis ergò illa tria exhibere debent, licèt Cancellarius ſtipendium non habeat ab Epiſcopo, ſed conduxerit officium. Solicitator Romæ, expeditionarius appellatus pro ſuo labore aliquid recipere poteſt, quia non eſt de numero officialium. *Paſ-*

142 *qual. quæſt. 753.* addit, poſſe dari aliquid officiali expedienti literas non pro illis, ſed ex liberalitate pro reconcilianda benevolentia, non pro impetratione, &c. ſed hoc eſt difficile ad ſalvandum ſimoniæ vitium, nihilominus ad cohoneſtandam officialium avaritiam ſubſtituitur titulus benevolentiæ, ne omnia dicantur venalia, verum enim ſemper dicere fuit, maximam, & propè infinitam eſſe vim auri, & argenti, unde infelix eſt illis carens, & illa exoptans.

Quæres 18. An celebrans miſſam in Altari privilegiato applicando miſſam, & Indulgentiam cum intentione liberandi animam Petri, quam piè credit eſſe in Purgatorio, reverà obtineat gratiam?

143 R. Affirmativè, ut enim probavi *q. 2.* Altare privilegiatum, cum dicat Indulgentiam plenariam, liberat ab omnibus pœnis illum, pro quo offertur; pro cujus confirmatione facit illud Chriſti Domini. *Quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis*, ſed Papa ſuper terram ſolvit eam animam, pro qua celebravit Sacerdos in Altari privilegiato, ergo omnino liberatur à pœnis.

Sed

Sed hæc reſponſio non omnibus placet, tùm quia Papa non habet abſolutam poteſtatem ſuper defunctos, ſicut ſuper vivos, quos abſoluit, & ſoluit ab omnibus pœnis per Indulgentiam plenariam ex prædictis verbis, quæ referuntur tantùm ad exiſtentes ſuper terrã, ideſt, viventes, defunctos proindè non abſoluit cum non ſint ſuper terram, & de ejus jurisdictione, undè tantùm illos adjuvat, exhibendo de theſauro Eccleſiæ aliquid pro ſolutione pœnarum Deo, qui animas abſoluit. Tũ quia ſi hoc eſſet verum, fruſtrà viventes relinquerent ſibi miſſas quotidianas in futurum celebrandas uſq; ad diem judicii, cum unica miſſa poſſint liberari celebrata ad Altare privilegiatum, & hoc argumentum urget.

144 Ad primum argumentum ſæpius reſponſum fuit, Põtificem Romanũ non minus abſolvere defũctos, quàm vivẽtes cum illud verbum *ſuper terram* referatur ad agentem, qui dùm eſt in terra hoc officiũ exercet, & non ad ſubiectum præcisè propter diverſitatem ſtatus ſubditorũ, ut dictum fuit ſupra ſub *num.* 27. Addo cum Gabriele à S. Vincentio Carmelita Dicalceato *par.* 3. *de ſacram. Pœnit. diſp.* 13. *q.* 5 *ly* 145 *ſuper terram* accipi latè prout cælo contraponitur, quo modo etiam Purgatorium venit ſub ea dictione *ſuper terram*, dum enim anima purgatur non eſt in cælo, ergò in terrra, ac proindè ſub juriſdictione Pontificia. Et huic expoſitioni favet Lyranus ibi: *Et quodcumq; ligaveris ſuper terram. Quia; inquit, ſuppoſito hìc in terra debito uſu clavis, Deus illud aprobat in cælis, aliter non.* Favet Adrianus 1. ſcribens enim ad Conſtantinum Imperatorem inquit: *Sanctis Apoſtolis Romanæ Eccleſiæ poteſtas à Deo data eſt ligandi, atque ſolvendi peccata in cælo, & in terra.* Per quæ verba diſtinguitur terra, in qua Petrus poteſt exercere ſuam poteſtatem ſine diſcretione animarum ſivè in corpore, ſivè extrà corpus, modò ſint in terra. Gregorius quoq; VII. in Concilio Romano idem decernit his verbis: *Mundus intelligat, quòd Petrus, & Paulus poſſunt in terra ligare, & ſolvere.* Locum determinat; in perſonis nullam facit reſtrictionem, ergò comprehendit quaslibet, ſivè in corpore, ſivè extra corpus. Pontifex ergò Roma- 146 nus eſt dominus benefactor animarum Purgatorii, ſicut eſt animarum viventiũ, habet enim claves Regni cęlorũ à Chriſto ſibi creditas, quibus poteſt Cælũ aperire omnibus in gratia Dei decedentibus, ergò & tollere impedimentum abſolvendo eas à pœnis, ut poſſint ingredi in Regnũ cælorum, ad quid enim aperire ſi non po- 147 teſt facere, ingrediantur eadẽ poteſtate, qua aperit? Aperit enim poteſtate ſibi abſolutè, & ex condicto communicata, ergò & eadem tollit impedimenta ab animabus defunctorum; his enim aperitur Regnum Cælorum, non viventibus, qui Regni non ſunt capaces proximè, niſi poſt mortem: ingrediũtur enim animæ juſtæ ſine corpore, ergò exutæ corpore introducendæ ſunt à Pontifice per abſolutionem ab omnibus pęnis, ſicut poteſt abſolvere viventes ab eiſdem, ſine aperitione Regni Cęlorum; cum ergò Regnum Cælorum aperiatur à Papa eadem poteſtate, qua abſolvit vivẽtes à peccatis, quod nemo negat, eadem quoq; abſolvet 148 animas Purgatorii à pœnis, & quidem citiùs, quia defunctis in Charitate Papa proximè aperit, expurgatis enim obvia eſt janua ſtatim; viventibus remota aperitur Regnum Cælorum, dum jus tantũ habent, ut aperiatur poſt mortem.

149 Non eſt major poteſtas Imperialis quã ſit Papalis, imò hæc longè major, & excellentior, cum ſit ſuper animabus, & corporibus, & illa ab hac pendeat, & perficiatur, & tamen illa ſe extendit tam odiosè, quã favorabiliter ſuper mortuos, nam corpora damnatorum poſt mortem conceduntur eorum parentibus *l.* 1. *ff. de* 150 *cadaver. punit.* & pœna deportati manet etiam poſt mortẽ, ità quòd indè non poteſt transferri ſinè licentia Principis, *ibid. l.* 2. & memoria defuncti damnatur, *l. ſi quis filio* 6. *§. quòd ſi quis ff. de injuſto rupto teſtam.* mortuus accuſari poteſt poſt mortem propter bona, *l. libertatem* 36. *ff. ad leg. Jul. de adulter. ibi Gloſ.* 5. *Præſtare.* Et licèt ſententia contrà mortuum condemnatoria non valeat contrà ipſum, niſi ſit lata dum viveret, valet tamen ſententia abſolutoria, *l. in ſumma.* 59. *ſi quis ff. de re iud. ibidem Gloſ.* 5. *ſolvitur, & l. Paulus* 2. *ff. quæ ſent. ſine appellat. cum Gloſ.* 5. *condemnatum.* Et judicium ſivè condemnatoriũ, ſivè abſolutorium non fit ſuper mortuo alia auctoritate, ſed eadem, qua judicatur vivens, ergò & Pontifex eadem auctoritate, qua judicat viventes condemnando, vel abſolvendo, agit contra mortuum excommunicando, ligando, vel abſolvendo defunctos, ſicut ergò viventes abſoluit à pœnis Purgatorii, ità & defunctos, quia Deus Petro eaſdem claves Regni Cælorum dedit pro vivis, & defunctis, ad quorũ favorem proximius eſt exercitium aperiendi Regnum Cælorum, quàm reſpectu vivorum, quibus Papa non aperit Regnum, niſi poſt mortem.

151 Confirmatur, quia ab eo terminandũ eſt judicium à quo cæptum fuit, & ſub eodem tribunali, & eadem poteſtate, *l.* 30. *Vbi acceptum eſt ſemel juditium, ibi & finem accipere debet* certum autem eſt, quòd judicium Sacramentale abſolutionis cæptum eſt in terra, dum Sacerdos abſoluit in articulo mortis pœnitentem, non ſolùm à culpis, ſed etiam à pœnis, dum eas ex æternis commutat in temporales, eas in totum non ſolvendo, ſed ex parte ergò Pontifex, à quo de

pendenter Sacerdos absoluit, poterit eadem auctoritate absolutoria per Indulgẽtiam plenariam liberare animam illius defuncti à reliquis pœnis.

152 Ad secundum argumentum respondetur, quamvis anima, unica missa ad Altare privilegiatum celebrata, liberetur, non ideò cessare debet quotidiana celebratio, quia testator voluit continuari obligationem pro se, & pro suis defunctis, ut fiunt cõmuniter legata, intendẽdo etiam perennem cultum erga Deum, & decorem Ecclesiæ, atq; domus suæ splendorem, & magnificentiam, quæ omnia redundant in cultum divinum. Argumentum verò nihil persuadet pro contraria opinione, quia dum nulli Doctores dicunt, non prodesse infalibiliter defuncto, cui applcatur Indulgentia, petunt pluralitem missarũ, sicut & nos propter diversas causas, omnibus enim his ex causis satisfit volnntati testatoris plures missas petentis.

Quæres 19. An Altare privilegiatum concessum uni Ecclesiæ Regularium, intelligatur communicatum cæteris Ecclesiis non solùm ejusdem ordinis, sed etiam Ecclesiis aliorum ordinum? Et videtur, quod sic, quia Leo X. in communicatione privilegiorum inter Mendicantes, expressit etiam Indulgentias, per suam Bullam 32. incipientem. *Dudum per nos*.

153 R. Altare privilegiatum non communicatur, sed restringitur illi Altari, cui fuit concesum, quia expressio localis Ecclesiæ, & Altaris ne dum demonstrat ubi est celebrandum, sed etiam taxat locum demostratum, ac si id expressisset formaliter. Hinc est, quòd licet hoc privilegium sit Indulgentia, non tamen venit sub communicatione, sicut Indulgentiæ antiquæ, quæ potius Ordini, quàm loco concedebantur ex sola demonstratione, sine taxatione, quia concedebantur ad honorem, & cultum Sanctorum Ordinis, qui ubique coluntur, & sicut semel in anno festum Sancti regulariter veneratur, ità semel & eodem die conceditur Indulgentia, sed mortuis Altare privilegiatum pluries in anno est utile defunctis sine ullo respectu ad Sanctos, in quorum Altaribus celebratur missa pro defunctis. *ità Peyrin. ad const. 8. Pauli III. num. 2. Lezana V. Altare num. 19. Diana par. 9. tract. 2. resol. 2. Ego resol. 52. num. 85. cum aliis Pasqual. 756.* qui aliorum rationes exanimat, quibus puto satisfeciſse ex supradictis.

Quæres 20. An saltem communicabiles sint Indulgentiæ, concessæ certis Religiosis celebrandi pro defunctis, non expresso formaliter, ut nunc fit Altare privilegiato? Pro cujus resolutione refero nonnullas Indulgentias pro defunctis; quas exscripti ex Augustino à Virgine Maria Carmelita strictioris Obsevantiæ Redonense, qui in lucem dedit Lugduni anno 1661. privilegia omnium Regiosorũ, sed nõ distinxit sana ab infirmis.

154 Primum privilegium ab eo refertur V. Missa num. 19. his uerbis. Leo X. concessit Sacerdotibus Congregationis S. Iustinæ Ordinis Sancti Benedicti, ut dicendo tres missas pro anima alicujus defuncti consãguinei, intra tertium gradum super uno Altari in propria Ecclesia assignato, liberent illius animam à pœnis Purgatorii, ac si celebrassent super Altare S. Gregorii, aut S. Sebastiani Romæ. Refertur à Sorbo V. Indulg. quo ad Fratres, & puto esse oraculum, quia Bulla non initiatur. Requiritur ergò assignatio Altaris facienda ab Abbate, & non est necesse dicere missam de Requiem, & limitatur ad consan-

155 guineos usq; ad tertium gradũ inclusivè.

Secundum sub num. 20. Clem. VII. In perpetuum concessit Correctori Domus SS. Trinitatis de Urbe Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, ac aliis Fratribus Domus SS. Trinitatis dumtaxat. Generali verò, ac Zeloso, nec non Provincialibus, & Localibus Correctorbus, & aliis superioribus Ordinis etiam pro tempore existentibus, ac unius cujuslibet ipsorum secundùm Religionis ingressũ antiquiori Socio, ubicunq; se transferre ex merito obedientiæ contigerit, ut singulis secundis, & quartis feriis cujuslibet hebdomadæ totius anni missas pro animabus defũctorũ celebrare volẽtes easdẽ Indulgentias pro animabus defunctorũ hujusmodi consequantur, ac si in Ecclesiis Sanctorum Sebastiani, Laurentii, & Scalæ Dei, ac etiam Gregorii, & Pontentianæ extrà, & intrà muros almæ Urbis celebrassent, ac pari modo missæ hujusmodi animabus defunctorum, pro quibus eas celebrandas duxerint, suffragentur, ac si in præfatis, & aliis quibuscumque etiam qualitercumq; privilegiatis Ecclesiis, intrà, & extrà muros Urbis celebrassent. Est oraculum extensum etiam *apud* Rodriq. Bulla VIII. ejusdem *Clementis*, licèt non sit Bulla. Non est necesse dicere missam de Requiem, cum *non dicat*, *missas defunctorum*. Sed *missas pro animabus defunctorum*, pro quibus etiam sunt missæ pro vivis. Adest particula *Dumtaxat* impediens communicationem non solùm extrà Ordinem, sed etiam inter ipsos Fratres extrà dictam Ecclesiam, exceptis Superioribus, & antiquiori secundùm professionem Socio, qui ubicumq; reperiuntur, celebrare possunt pro defunctis diebus lunæ, & mercurii, puto in propriis tantùm Ecclesiis.

156 Tertiũ est Gregorii XIII. cõcedẽtis Cõgregationi S. Benedicti Vallisoletanæ, his verbis *sub n.* 26. *Omnibus, & singulis* dictæ Cõgregationis Abbatibus, Abbatissis, Monachis, & Monialibus, Cõversis, seù Donatis, Novitiis, & iis, qui in Monasteriis dictę Congregationis deservierint; nec nõ aliis

aliis, quos Fratres, & Sorores vocant, qui admiſſiſunt, & in poſterium admittentur ad participationem orationum, ſuffragiorum, nec non reliquorum bonorum operum, quæ in ipsa Congregatione pro tempore ad divini nominis gloriam fiunt &c. Concedimus, ut quoties tres miſſæ pro anima alicujus ex prædictis, quæ Deo in Charitate coniuncta, ab hac luce migraverit, celebrabuntur, ipſa de Theſauro Eccleſiæ Indulgentiã conſequatur, quatenus Domini noſtri &c. meritis ſuffragantibus, à Purgatorii pæna liberetur. Conceſſio eſt bullata apud Rodriq. Bulla 43. Non ſunt neceſſariæ miſſæ de Requiem, Indulgentia reſtringitur ad ſupradictos, ergò pro extraneis celebrare non poſſunt ad effectũ lucrandi illis hanc Indulgentiam, niſi prius habeant chartam filiationis à Religione.

157 Quartum eſt Sixſti V. conceſſũ Cęleſtinis Conventus Pariſienſis *sub num.* 30. his verbis: *Concedimus, ut quandocunq; Sacerdos* aliquis dicti ordinis ad Altare, ſeu ſacellũ Aurelianenſe ſepultura Regum inſigne ſitum in eàdem Eccleſia Cæleſtinorũ, miſſam defunctorum pro anima cujuſcumq; fidelis in Purgatorio exiſtẽtis celebraverit, ipſa anima per hujuſmodi celebrationem eaſdem Indulgentias, & peccatorũ remiſſionẽ conſequatur, ac ſi prædictus Sacerdos hac de cauſa miſſã ad Altare in Eccleſia S. Gregorii de Urbe ad id deputatũ celebraret. Non obſtantibus noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar ex Bulla in cap. Salvatoris.

Et ibi ſubjungit, Paulũ V. anno 1608.
158 oraculum Gregorii XIII. quo Capucinis indulſit, ut poſſent celebrare in tribus Altaribus deſignandis à Superiore in qualibet Provincia, miſſã defuctorũ pro liberatione animæ fidelis defũcti confirmaſſe per Bullã incip. *Omnium ſaluti* extenſam tõ 2 *Annal. Boverii. fol.* 977. omitto alia relata à Paſqual. *q.* 757. Pro hujus privilegii executione Altaria ſunt deſignanda in tribus Eccleſiis cujuſlibet Provinciæ, & quidẽ vel à Generali in omnibus, vel à Provinciali in ſua Provincia, ſi non deſignavit Generalis, Guardianus non poteſt, cum non habeat poteſtatem ſuper Provinciam, ſed tantum ſuper ſuum Conventum. Miſſa autem debet eſſe defunctorũ, quia utitur his verbis *Miſſã defunctorum.* & nõ *Miſſam pro defunctis*, illa enim verba qualificant miſſam, iſta non; indicantia tantùm applicationem miſſis quæcumque ea ſit. Ex præmiſſis.

℟. Primum, tertium & quintum pro
159 Capucinis eſſe communicabilia, quia conceduntur Sacerdotibus Ordinis, ac proinde intuitu Religionis, & Altaria deſignata ſunt loco demoſtrationis, non taxationis, dum referuntur ad Ordinis ornamentum, & cultum Eccleſiarum & utilitatem defunctorum. Secundum pro Minimis eſt incõmunicabile, cùm in eo exprimatur taxativa *Dumtaxat*, quæ gratiã reſtringit ad expreſſos tantùm. Quartum pariter eſt incommunicabile, cum in eo Altare expreſſum habeat taxationẽ ex illa qualitate *Sepultura Regum inſigne* quæ denotat quandam ſingularitatem incommunicabilem. Verbum *Sacerdotes*,
160 qui habent celebrare, includit etiam novitios, ſi ſunt Sacerdotes, quia in favorabilibus æquiparantur profeſſis, quorũ privilegiis gaudent.

161 Quamvis primũ, & ſecundũ ſint oracula, nihilominus adhuc vigẽt quia revocatio oraculorum refertur tantùm ad ea, quæ in ſui executione poſſunt tertio eſſe præjudicialia, ut colligitur ex tenore Bulrũ revocatoriarum Gregorii XV. incip.
162 *Romanus Pontifex* 27. & Urbani VIII. incip. *Alias* 9. in Appendice. Notum autem eſt, quòd orare pro mortuis celebrando miſſas, nulli præjudicat; neq; hujusmodi oraculorum executio eſt in detrimentum eccleſiaſticæ diſciplinæ, propter quod prędicti Pontifices moti ſunt ad revocanda Oracula, ergò non comprehendunt, quę ſunt in favorem defunctorum. Ulteriùs Gregorius dicit, ſe revocare ea oracula, quæ nondum ſunt ſortita ſuum effectum,
163 hæc autem jam ſortita ſunt ſuum effectũ, quia ante has revocationes deſignata fuerunt Altaria à Superioribus, ergò intacta remanſerunt; nec præſens ſucceſſiva executio, & celebratio poſt revocationem adverſatur illis revocatoriis, cum Pontifices non revocent actum, ſed factam conceſſionem, non illius executionem, ſi illa jam ſortita eſt ſuum effectum, *ex Peyrino ad conſt. 3. Gregorii, num. 1. Lezana tom.*
164 *1. cap. 3. num. 21. ex me reſol. 31. q. 8. Donatus par. 1. tract. 16. q. 4. num. 3.* Et hoc omninò certum eſt, quia Indulgentiæ ob elegantiam ſui nominis, nunquam intelligũtur revocatæ, niſi ſub proprio nomine ex-
165 primantur, *ex Navar. de Iubilæo Notab. 28. num. 27. & Notab. 33. Rodriq. tom. 2. q. 98. art. 4. Ego reſol. 31. q. 4. apud dictum Donatum q. 6. n. 5.* Neque veniũt ſub his verbis. *conceſſiones, & gratias*, quibus utũtur uterq; Pontifex Gregorius, & Urbanus, Indulgentiæ ob excellentiam ſui nominis,
166 quicquid dicat Lezana V. Oracula in fine num. 5 hoc enim non probat; & licèt Indulgentia ſit gratia, quia gratis conceditur, tamen in ſui deſtructione non venit ſub eo nomine, ſicut nec venit in ſui generatione, cùm enim habeat proprium nomen, ab eo appellanda eſt, non à generico; quamvis enim genus prædicetur de omnibus ſuis ſpeciebus, quibus ineſt, non tamen valet ar-
167 gumentari ab exiſtentia generis ad exiſtentiam ſpeciei, quià non benè arguitur eſt animal, ergò eſt homo, cùm poſſit eſſe leo, utique valet ab exiſtentia ſpeciei ad exiſtentiam generis, eſt

homo; ergò est animal, quia illi inest animal; à negatione verò existentiæ generis ut sic, negatur quælibet species, quia si nullum existit genus, profectò neque aliqua species, quia nulla res potest existere sinè suis partibus essentialibus, inter quas est genus; à negatione verò speciei non
168 negatur genus, quod est in aliis speciebus existentibus. Itaque ad rem nostram per illos Pontifices negatur quidem omnis gratia, sed non in totum, dum se declarant, nõ revocare eas gratias, quæ sortitæ sunt suũ effectũ, ideò dixi, quòd à negatione generis ut sic, hoc est, in tota sua latitudine, valet arguere ad negationem specierum, & quidem omnium, nam sublato omni genere, aufertur omnis species, sed quia in casu nostro non tollitur genus gratiæ in totum, ideò nec omnes
169 ejus species auferuntur. Vel dic in moralibus speciem in favorabilibus contineri sub genere, non in odiosis, propter suam excellentiam, cum non mereatur destrui in aliorum consortio minoris longè conditionis.

Quæres 21. An Altaria privilegiata suspendantur in anno Sancto?

170 R. Nequaquàm, neque Indulgentiæ concessæ mortuis in Megdaleis, ratio est, quia finis suspensionis est, ut viventes Romam accedant pro lucro Jubilæi anni Sãcti, dum in propriis nullas Indulgentias sibi lucrari possunt; is autem finis cessat in Indulgentiis pro defunctis, quas sibi viventes acquirere non possunt, sed opus est, quòd accedant ad Urbem, ideò eo anno suspenduntur Indulgentiæ respectu viventium tantùm, ut occasionem habeant solemnizandi annum Sãctum cum majori pompa, & magnificentia. Nullus contradicit. Ità *Diana par.* 9. *tract.* 2. *resol.* 23. *Lezana V. Altare* 19. *resol.* 91. *num.* 12. *cum aliis Pasqual. q.* 758. De aliis Indulgentiis, Alphonsus de Leone *par.* 1. *de Jubil. num.* 246. *Layman lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 3. *Castropal par.* 4. *tract.* 24. *disp. Un. p.* 12. §. 1. *num.* 7. *Lezana V. Jubilęum num.* 5. *cum aliis* idem Pasqualigus.

Quæres 22. An per Bullam Cruciatæ suspendantur Altaria privilegiata?

171 R. Negativè, quia Indulgentiæ pro mortuis non impediunt viventes à consecutione Cruciatæ, quæ non defunctis, sed solis viventibus conceditur pro seipsis. Est communior opinio, *Trullench. lib.* 1. *Cruciatæ q.* 9. *cap.* 3. *dub.* 4. *nũ.* 3. *Lezana V. Bulla Cruciatæ nũ.* 41. *Martinus Carillus in Bulla defunct. par.* 2. *cap.* 9. *Diana in Addit. post* 3. *par. resol.* 22. *Ego resol.* 41. *nũ.* 12. *ex illis Pasqual. q.* 759. Contrà Fernandez, Villalobos, & alios, quia Cruciata, omnes comprehendit his verbis: *suspendimus omnes Indulgentias per dicta Regna, Dominia, & Insulas, quibuscunque Ecclesiis, Hospitalibus, & Locis piis, Universitatibus, & confraternitatibus, & singularibus personis concessas.*

Respondetur, Indulgẽtias Altarium privilegiatorum non concedi Ecclesiis, &
172 aliis prædictis locis, nisi in beneficium personarum singularium, sed solùm viventes, & non defuncti sunt personæ, persona enim est incommunicabilis existentia naturæ completæ intellectualis, quod animæ non competit, cum sit pars naturæ, non natura completa. Nulla ergò Indulgentia, prout est directa ad mortuos suspenditur per Cruciatam, cum ejus effectum lucrandi defuncti nullatenus impedire valeant.

Quæres 23. An Altaria privilegiata sint revoca ta per Bullam Pauli V. revocantis omnes Indulgentias Ecclesiis Regularium, & earum Religiosis concessas? Bulla 21. ejusdem incipit: *Romanus Pontifex.*

173 R. Negativè, quia sicut sub concessione Indulgentiarum non veniunt Indulgentiæ mortuorum, sed solùm viventium, nisi de illis fiat expressa mentio, ut omnes docent cum Pasqual. *q.* 150. de Jubileo *num.* 3. ità, sub rævocatione non ve-
174 niunt defunctorum Indulgentiæ, nisi de illis fiat expressa mentio; unum quodq; enim eo modo destruitur, quo inductum fuit *l. Nihil* 36. *ff. de reg. jur.* Res enim per
175 quas causas nascitur per easdem dissolvitur, *cap.* 1. *de reg. jur.* undè destructio requirit easdem solemnitates quas constructio,
176 *l. Hæredes palam* §. *Si quid post ff. de testam. Diana par.* 6. *in fine decis.* 12. *Vers. Quoniam.* Sed in Bulla Pauli nulla fit mentio de Indulgẽtiis mortuorum, sed viventium tantùm, ergò illæ non revocantur, sed tantùm istæ. Ità *Peyrin. ad const.* 4. *Clem. VIII. & ad præfatam Pauli V. quæ est* 8. *num.* 5. *Lezana part.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. *Diana part.* 9. *tract.* 2. *resol.* 21. *ex illis Pasqual. q.* 760. Etiamsi fuissent concessæ ipsis viventibus, sed applicabiles animalibus mortuorum, quia intelliguntur reuocatæ quo ad se non quo ad defunctos.

Quæres 24. An celebrans in Altari privilegiato cũ Megdalea liberet plures animas à Purgatorio, applicando uni Indulgentiã Altaris, & alteri Indulgentiam Megdaleæ?

177 R. Negativè, si idem opus præmittendum sit pro lucro Indulgentiæ, e. g. celebratio missæ in Altari privilegiato, & ex Megdalea, quia ex eodem opere non potest satisfieri duabus obligationibus, sicut ex eodem numismate, & pretio non potest satisfieri duobus creditoribus, ut
178 docent, *Suar. disp.* 52. *de Pœnit. sect.* 3. *numer.* 10. *Bonac. de Sacram. disp.* 6. *q.* 1. *p.* 5. *num.* 29. *de Lugo disp.* 17. *de Pœnit. num.* 92. *cum aliis Pasqual. q.* 755. *n.* 4. Ergo nec liberare duas animas eodem opere. Quòd si diversa sunt opera, poterit, quia illis respõdet divisibiliter Indulgentia, sicut ipsa opera sunt diversa. In casu verò, quo celebratio pręscribitur sine appli-

applicatione ſacrificii, ut in aliquibus Megdaleis, tunc liberari neque poterunt duæ animæ, quia conceſſio requirit mul-
179 tiplicationem operum, ut poſſint multiplicari Indulgentiæ, parum enim refert, quòd miſſa ſit applicanda necne, quia id nõ tollit, quin unicuiq; Indulgẽtiæ debeat reſpondere ſibi aſſignatũ opus. Eſt contra Paſqualigum ea *q.* 755. & Cobatiũ apud ipſum aſſerentẽ, tot animas liberare poſſe, quot titulos habet Altaris ſcilicet, & Megdalearum. Sic dic tu non multiplicari Indulgentias, niſi etiam multiplicentur opera præſcripta.

Quæres 25. An Altare privilegiatum, ſeu alia Indulgentia obtenta per ſeptennium antequam finiat tempus ſeptennii prioris Indulgentiæ, valeat? Ratio negativa deducitur ex Clauſulis utriuſq; quæ pro Altari privilegiato eſt talis: *Simili ad præſens privilegio non decorata*. Pro aliis verò Indulgentiis eſt talis: *Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſtifidelibus in quacunque omni die dictam Eccleſiam, ſeu Capellam, aut Altare in ea ſimiliter viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum duratura, etiam in erectione, vel alio quovis modo quantùm libet privilegiato conceſſa fuerit, præſentes nulla ſint eo ipſo*. Hanc ponit Alexander VII. in ſuis Brevibus.

R. Valet conceſſio anticipatè obtenta quovis tempore, dummodo non publicatur, niſi elapſo priori ſeptennio, quovis tẽpore ante fuerit impetrata poſt priorem. Probatur, quia non repugnat pluralitas Indulgentiarum, bonum enim eſt ſui ipſius diffuſivum, niſi adſit poſitiva prohibitio ex aliqua cauſa, ut hic ex Clauſulis ſupradictis, ſed clauſulæ iſtæ non referuntur ad conceſſionem, ſed tantùm ad publicationem, & ejus executionem, ergo conceſſio facta anticipatè valet, dum ei non adverſatur ea clauſula quæ non tollit continvationem unius Indulgentiæ cũ alia. Id probatur, quia nullitas poſterioris Indulgentiæ inducta per eam clauſulam refertur ad executionem, ut ſcilicet non proſit illis, pro quibus impetratur, ſed executio, & lucrum Indulgentiæ non pendet à conceſſione, ſed à publicatione, nam quouſq; publicetur manet ejus effectus in ſuſpenſo, ut docet Paſq. *q.* 382. Moral Canon. *n.* 3. ſi quidem publicatio eſt de ratione formali ad conſequendum ejus effectum.

Confirmatur ex doctrina ejuſdem ibidem, quia ſufficit, quòd ſubiectum ſi habile eo tempore, quo debet recipere ſuum effectum, nam paria ſunt fieri tempore habili, & fieri tempore inhabili, dummodo effectus conferatur in tempus habile, *l in tempus* 62. *ff. de*
180 *bæred. inſtit. Sanch. lib.* 6. *diſp.* 1. *num.* 6 & *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 54 cum aliis idem Paſq. ibidem, ubi probat, tenuiſſe impetratio-
181 nem Indulgentiæ Confraternitatis nondum erectæ, explicato, quòd erigebatur, perfecta ergo ſocietate, Ordinarius, cui conſtabat per unicum teſtem Sanctitati Suæ fuiſſe ſupplicatum, quod erigebatus, licèt in forma conceſſionis pro erecta haberetur, eam Indulgentiam publicavit, quod non feciſſet, ſi conceſſio fuiſſet nulla ab initio; ex quo conſtat, non attendi nullitatem Indulgentiæ ex ea clauſula *Volumus* reſpectu conceſſionis, ſed tantùm reſpectu publicationis, ut ſcilicet non publicetur, dum adhuc viget antiquior Indulgentia, nàm ſi attendatur publicatio ante tempus lapſum corruit etiam conceſſio, quia ponuntur ſimul duæ Indulgentiæ eodem tempore. Ità in terminis iſtis *Paſqual. de Sacrif. q.* 750. *Cotonius citandus num.* 188.

Contrarium ſentit Zipeus *tom.* 2. *Reſp. lib.* 5. *Reſp.* 5. *de Pœnit. num.* 4. quia tempore conceſſionis non verificatur clauſula requirens, quòd in eadem Eccleſia non reperiatur ſimile privilegium, & ſic gratia eſt ſubrepetitia. Sed ibi reſpondet *Paſqual. num.* 3. & ego hìc, quòd clauſula refertur ad publicationem, & executionem, non ad conceſſionem, cum ex dicto axiomate valeat conceſſio facta in tempore inhabili, modò ejus excutio fiat tempore habili.

181 Confirmatur, quia ſicut non valet actus geſtus tempore permiſſo, ſi ejus effectus porrogatur in tempus prohibitum, *l. quòd ſponſæ* 4. *C. de donat.* ità è contrà valebit diſpoſitio facta tempore prohibito; ſi illius executio conferatur in tempus licitum, quaſi non ſit inſpiciendum initium, ſed tempus collatæ executionis, cum magis ſit conſiderandus terminus
182 ad quem, quàm terminus à quo, *Gloſ. V. ſine effectu dictæ l. ubi Bald. num.* 2. & 3. *Salicet C. de donat. inter vir. & uxor. num.* 1. *Fœlix in cap. cum dilectus* 20. *de accuſat. apud Gratian. cap.* 818. *initio.*

Quæres 26. Quomodo intelligenda ſit Claus. *Volumus* adiecta Indulgẽtiis, & Altaribus privilegiatis? Clauſ. hæc originem ducit à Reg. 52. vel 53. vel 57. Cancellariæ, ab Innocentio VIII. uſq; ad Alexandrum VII. quæ eiſdem omninò verbis refertur
183 iſtis *Item volvit, quòd in litteris Indulgentiarum ponatur, quòd ſi Eccleſiæ, vel Capellæ, vel alias, aliqua Indulgentia fuerit per ipſum conceſſa, de qua inibi ſpecialis mentio facta non ſit, bujus litteræ ſint nullæ*. Extraxi ex Regul. Clem. VIII. *n.* 52. apud Quarãt. *fol.* 410. ex Urbano VIII. Bulla 6. *n.* 53. *fol.* 19. Alex. VII. *n.* 53. apud Pyrrum Corradum, ex diſpenſat. Apoſt. *lib.* 10. *fol.* 503. Et hujus Põtificis formam reſcripti initio præcedentis quæſtionis. Refero ſubſequenter alias
184 ſub Urbano VIII ejus tenoris *Volumus autem ſi aliàs pro Chriſtifidelibus, in quocumque anni die dictam Eccleſiam, ſive Capellam, aut Altare in ea ſitum viſitantibus aliquam aliam*

*Indul-*

*Indulgentiam etiam dissimilem perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum, duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint*. Accipe aliã benigniorem. *Volumus autem, ut si aliàs dictam Ecclesiam visitantibus tàm præfato, quàm alio die aliquam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondùm elapsum duraturam concesserimus, ipsæ præsentes nullæ sint.* Tertiam subiungo. *Volumus autem, ut si aliàs dictam Ecclesiam in quocumq; alio anni die visitantibus, aliquam aliam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, ipsæ præsentes nullæ siut*. Has rescripsi ex *Diana par.* 10 *tract.* 16. *resol.* 11. Quæ considerandæ sunt, & ad invicem comparandę secundùm identitatem, & diversitatem.

In primis conveniunt, quòd Clausula comprehendit quemcumque diem totius anni, non solùm illius anni, quo Indulgentia datur, sed etiam annorum præcedentium. *Secundò*, quòd non valet ultima Indulgentia, nisi præcedentis tempus sit elapsum, intellige quando publicatur, juxtà dicta in præcedenti quæstione. *Tertiò* quòd Clausula loquitur tantùm de præteritis Indulgentiis concessis ab eodem Pontifice, qui ultimam concedit. Videtur tamen facere difficultatem prima Clausula, quæ est Alexandri VII. extensa in præcedenti quæstione, si referatur ad sequentes tres, nàm in his tribus per illud verbum *Concesserimus* concessio antiquarum Indulgentiarum restringitur ad eũ, qui etiam concessit ultimam, ut clarum est; in Clausula verò Alexandri adest participium *concessa fuerit*, quæ referri potest ad ejus prædecessores, ità quòd non valet
185 ultima Indulgentia, si alii Pontifices eidem loco alias Indulgentias concesserint. Sed facilis est responsio, dicendo illud præteritum passivum habere eundem sẽsum, quem activum, ac proindè referri concessiones ad eundem Pontificem. Et hoc patet ex *cit. Regul. Cancell.* in illa dictione *per ipsum concessa*. *Quartò* conveniunt in eo, quòd ultima est nulla, sivè concessa sit simpliciter Ecclesiæ, sivè alicui ejus Capellæ, vel Altari. Nomine autem Ecclesiæ venit illa particularis, quæ nominatur in concessione; hinc est, quòd si idem Pontifex concesserat Indulgentiã
186 perpetuò, vel ad tempus Ecclesiis omnibus unius Urbis, aut Religionis, & posteà aliam concedit Ecclesiæ alicui particulari illius Civitatis, aut Religionis, neutra alteram inficit, sed posterior sortitur suũ effectum, nec impeditur à Priori generali quia ea clausula restringitur ad particulares Ecclesias, ut manifestè patet ex illis verbis *dictam Ecclesiam* quæ referuntur ad Ecclesiam in individuo nominatam.

Differunt verò primò in eo, quòd in Clausula Alexandri VII. adduntur illa verba. *Etiam in erectione, vel alio quovismodo quantumlibet privilegiato concessa fuerit*. quæ in aliis non reperiuntur. Posterior ergo Indulgentia est nulla, quamvis prior fuerit concessa in erectione Ecclesiæ, Capellæ, aut Altaris, vel alio modo privilegiato. Pono exemplum in Canonizatione alicujus Sancti si Indulgentia fuit concessa, hæc enim inficit posteriorem, & quidem à fortiori propter illam prærogativam, quæ non videtur admittere aliarum consortium, quæ regulariter conceduntur. *Secundò* in prima Clausula hìc additur *dissimilem*, quod
187 verbum non exprimitur in aliis, sed tantùm dicitur, *Aliquam aliam Indulgentiam*, & nihilominus illud verbum *dissimilem* in aliis subintelligitur propter illud verbum *aliam*, quod comprehendit similes, & dissimiles, dum sunt similes in ratione principali Indulgentiæ, ut docet Barb. in dict. *Alius*, & dixi suprà hìc numer. 112. *Tertiò* in 2. exemplo Claus. deest dictio *Aliam* scribitur enim solùm *aliquam Indulgentiam*, quod signum est, aliquam Indulgentiam, quæcumq; ea sit, sivè similis, sivè dissimilis, impedire valorẽ posterioris Indulgẽtię petitę. Ex his pręmissis.

188 R. Eam Clausulam *Volumus* restringi ad Indulgentias quaslibet concessas particularibus Ecclesiis ab eodem Pontifice, non autem à suis prædecessoribus, ità quòd priores Indulgentiæ particulares ab eodem concessæ sivè similes, sivè dissimiles impediant valorem posterioris Indulgentiæ publicatæ intrà tempus, quo viget prior, quæcumque ea sit ab eodem concessa. Conclusio manet probata ex dictis in explicatione hujusmodi Clausulę, tàm in hac quæstione, quàm in præcedẽti.

Prima pars, quòd Clausula restringat Indulgentias ad eundem Pontificem concedentem priores, & posteriores, patet, quia verbum activum *Concesserimus* expresè importat tantùm Pontificem loquentem; ut dixi nec differt verbum passivum, *concessa fuerit* Alex. VII. quia passivum retinet eundem sensum activi, & licèt passivum participium referri possit indifferenter ad omnes personas, tamen in materia præsenti refertur tantùm ad ipsam primam loquentem, ut nos docet Reg. Cancell. per ea verba *Aliqua Indulgentia fuerit per ipsum concessa*, refert enim *ipsum* Pontificem, qui posteriorem Indulgentiam concedit, ut non valeat, si prior per ipsum concessa adhuc viget. Ità docet *Castropal. par.* 3. *tract.* 24. *p.* 4. *in fine*, ea ratione, quia exprimitur persona, non dignitas, & dicit ita tenere *Bonac. q.* 1. *de Indulg. p.* 7. sed in meo codice nihil de hoc.

Secunda pars, quòd posterior Indulgentia sit nulla sive sit similis, sive dissimilis priori sub eodem Pontifice ambabus concessis, probatur, tùm quia dissimilitudo non tollit essentiam existentis Indulgentiæ, cum similitudo non sit identitas, quæ naturaliter negat multipli-

tiplicationem ejuſdem rei numero. Tùm quia diſſimilitudo attenditur vel ratione temporis, vel ratione diverſorum Sanctorum, vel locorum, vel ſub aliis rationibus; quovis modo accipiatur diſſimilitudo, poſterior ſemper eſt nulla, quia ſi reſpiciamus tempus, clauſula re includit omne tempus illis verbis, *in quocumq; alio anni die*; ſi conſideremus diverſitatem Sanctorum, non tollitur difficultas, quia non ex ejus hæcceitate, ſed ex ratione ſanctitatis conceditur Indulgentia in Eccleſiis, quæ cum ſit communis titulus pro omnibus Sanctis, Indulgentiam non facit diſſimilem ab alia, niſi materialiter, quod hìc non attenditur; ſi ſpectemus rationem loci, clauſula clarè loquitur de Indulgentia priori conceſſa cuilibet loco, ſive Eccleſiæ, ſivè Capellæ, ſivè Altari, imò contingere poſſet, quòd eidem Altari eodem die eſſent conceſſæ duæ Indulgentiæ diſſimiles ratione duorum Sanctorũ in eodem Icone, quod videtur inconueniens. Tùm quia in Clauſ. ſupradicta additur. *Aliquam aliam Indulgentiam etiam diſſimilem.* Et ità docet Franciſcus Silvius in *Variis Reſolut. part.* 2. *V. Indulgentia*, *relatus à Diana part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 11. recedente à contraria opinione, quam docuerat *part.* 6. *tract* 8. *reſol.* 31. *cum Lezana par.* 3. *clauſ.* 25. *Gavant. V. Indulgentia num.* 17. cum multis aliis loco citato.

189 Noſter P. Cotonius *lib.* 2. *contr.* 11. *num.* 94. admittit id, quod diximus, quandocumq; forma Indulgentiæ exit cum verbo *diſſimilem*, aliàs non. Sed meo judicio, ſive exprimatur, ſivè non, puto Clauſulam ordinariam excludere Indulgentiam priorem tàm diſſimilem, quàm ſimilem, quia ex illis aliis verbis *in quocumq; alio anni die* manifeſtè colligitur, mentem Pontificis eſſe, ut in eadem Eccleſia non ſit eodem anno duæ Indulgentię à ſe conceſſæ.

190 Tertia pars, quòd hæc Clauſula non loquatur de Indulgentiis conceſſis Ordini, vel Civitati in ſuis Eccleſiis, probatur ex illis verbis *dictam Eccleſiam*, quæ referuntur ad Eccleſiam particularem, non ad univerſalem, *Pellizar. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 259. *Verſ. Addo.*

Reſtat alia difficultas pro completa intelligentia dictæ Clauſulæ. Numquid in ea comprehendantur Indulgentiæ mortuorum, itaut habentes Altare privilegiatum, non poſſint obtinere Indulgentiam pro vivis? Et è contrà, an habentes Indulgentiam pro vivis, poſſint petere Altare privilegiatum?

191 R. Habens unum non impeditur ab impetratione alterius, ratio eſt, quia unaquæq; Indulgentia in ſuo genere habet propriam Clauſulam, ac proindè cum non extendatur ex ſua ſpecialitate, non poteſt referri ad aliam Indulgentiam alterius generis. Confirmatur, quia ſicut Indulgentiæ vivorum non ſunt pro mortuis, niſi id exprimatur, neq; mortuorum ſunt pro vivis, ità neq; una Clauſula eſt pro, vel contrà aliam.

Dubiolum remanet, an ſub nomine Indulgentiæ, de qua in Clauſula *Volumus* veniat tàm plenaria, quàm non plenaria?

192 Venit ſolùm plenaria, probatur, quia ſicut nomine excommunicationis venit ſolùm major, *cap. Si quem* 59. *de ſent. excom.* ità & nomine Indulgentiæ venit major, hoc eſt plenaria. Valet paritas, quia ſicut in majori excommunicatione continetur minor, ità & non plenaria Indulgentia in plenaria, quæ eſt remiſſio omnium peccatorum, & ſic etiam aliquorum, quæ remittit non plenaria, ergo nomine Indulgentiæ venit tantùm plenaria, dum omnes pœnas delet. Quare conceſſio Indulgentiæ non plenariæ non impedit conceſſionem poſterioris plenariæ, dum ea non comprehenditur in Clauſula.

Quæres 27. An ſit Simonaicus Sacerdos petens duplicatam eleemoſynam ut celebret ad Altare privilegiatum?

193 R. Affirmativè, quia cum non majorem contrahat obligationem, nec laborẽ, celebrando ad Altare privilegiatum, quàm ad non privilegiatum, & juſtum pretium ſit, quod conſuetudo, vel Ordinarius induxit, ergo ejus duplicatio erit iniqua, & Simonaica, cum à ſolo Altari pendeat privilegiato tamquam ab aliquo ſpirituali, cum ille exceſſus non debeatur ratione obligationis, ſeù laboris, cui juſtè reſpondet ſolum dimidium, ergo eſt talis exceſſus Simoniacus.

Dices, ex hoc augumento reſultat magum emolumentum, nàm augetur meritum dantis majorem eleemoſynam, & ſatisfactio pro defuncto, pro quo offertur Sacrificium, & Indulgentiæ Altaris privilegium.

Reſp. nihil probari augumenti meriti, aut ſatisfactionis, cum utrumque fundetur in radice Simoniæ, quæ nullum bonum effectum producere poteſt.

---

## CAPUT OCTAVUM.

### *De remiſſione peccatorum per Sacrificium Miſſæ.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Judas obtulit Sacrificium pro mortuis.*
2 *Sacrificium Miſſæ eſt oblatio incruenta Chriſti Domini.*
3 *Eſt propitiatorium, & ſatisfactorium.*
4 *In Miſſa Chriſtus Sacrificatur, & Sacramentatur.*
5 *Sacrificium ratione actionis eſt conſecratio, ratione rei eſt Chriſtus Deo oblatus.*
6 *Sacrificium differt à Sacramento, quia*

*in eo*

*in eo est cultus Dei, in hoc Christus sub speciebus, illud præcedit in consecratione, hoc sequitur.*

7 *Missa dicitur à missione, quia Christus per Consecrationem quotidiè mittitur in terram.*

8 *In eodem Sacrificio cruento, & incruento est Christus; à virtute cruenti pendet valor incruenti.*

9 *Sacrificium mediante contritione est propitiatorium conferendo primam gratiam.*

10 *Christus habet eandem virtutem tàm in Sacrificio, quàm in Sacramento.*

11 *Ex opere operato Sacrificium est propitiatorium, & satisfactorium.*

12 *Propitiatur autem mediante sola contritione.*

13 *Delet etiam venialia ex opere operato mediante attritione.*

14 *Sacrificium auget gratiam in offerente.*

15 *Auxilia collata per Sacrificium sunt efficacia ex se.*

16 *Auxilium efficax est applicatio hominis moti à Deo, cum quo incipit operari.*

17 *Sacrificium impetrat bona temporalia fidelibus.*

18 *Si petantur in ordine ad spiritualia.*

19 *Ex opere operato.*

20 *Infallibiliter, nisi opponatur obex.*

21 *Et pro aliis impetrari possunt.*

22 *Pœnas peccatorum remissorum delet per se.*

23 *Immediatè, & ex sua institutione.*

24 *Et ex opere operato.*

25 *Pœnas de æternis convertit in temporales.*

26 *Delendo etiam infallibiliter si, dignè applicetur, & fiat.*

27 *Vel partem, vel totam juxtà mensuram devotionis.*

28 *Non solùm vivis, sed etiam defunctis.*

29 *Fructus Sacrificii triplex, Generalissimus pro tota Ecclesia, specialissimus pro ipso Sacerdote; specialis, seù medius pro quo, vel quibus determinatè petitur.*

30 *Sacrificium missæ omnibus prodest ex opere operato.*

31 *Ex opere operato, quia applicatum à ministro producit ex se suum effectum, sicut ignis approximatus stupæ.*

32 *Generalissimus prodest toti Ecclesiæ propitiatoriè, & satisfactoriè.*

33 *Ecclesia privat excommunicatos hoc fructu.*

34 *Oblatio fit toti Ecclesiæ, sed applicatio importat distributionem.*

35 *In fructu generalissimo unus alteri non præjudicat.*

36 *Specialis intentio, & applicatio per tota Ecclesia non est necessaria.*

37 *Neque pro seipso Sacerdote.*

38 *Fructus Sacerdotis major fructu speciali debito petenti.*

39 *Celebrans duos fructus habet generalissimum, & specialissimum.*

40 *Sacerdos proprium fructum sibi nondum applicatum aliis donare potest, sed sine mercede.*

41 *Juri suo quilibet renuntiare potest.*

42 *Beneficium non confertur in invitum.*

43 *Fructus medius est divisibilis.*

44 *Fructus alius non datur præter illos tres*

45 *Valor Sacrificii est infinitus.*

46 *Ratione suæ virtutis, non quoad efficaciam, & applicationem.*

47 *Fructus medius minuitur in pluribus, non generalissimus.*

48 *Ideò eadem missa non satisfit pluribus eleemosynis.*

49 *Improbi Sacerdotis missa tàm prodest, quàm boni ex opere operato, non ex opere operantis.*

50 *Pœnitentia fit etiam in peccato mortali, & prodest quoad solutionem pœnæ, non quoad meritum.*

51 *Gratia habitualis justificata hominem, actualis verò est auxilium, quo homo motus à Deo, cum eo operatur.*

52 *Gratia habitualis dat homini vitam spiritualem ad merendum de condigno.*

53 *Sine gratia actuali efficaci nihil operari potest cum sola habituali.*

54 *Efficax vocatur quandocumque homo cum ea operatur.*

55 *Duplex meritum, de condigno in homine justo, de congruo in peccatore, dum benè agit ex auxilio Dei.*

56 *Sacrificium applicatum homini peccatori prodest ad propitiationem, & ad satisfactionem.*

57 *Satisfactio Sacramentalis, sicut, & Sacrificium ex opere operato prosunt existenti in peccato mortali.*

58 *Inimicitia non impedit solutionem debiti.*

59 *Deus acceptat bona opera hominis etiam peccatorum.*

60 *Satisfactio pertinet ad Justitiam vindicativam.*

62 *Creditor modò sit satisfactus non curat de inimicitia debitoris.*

62 Serve nequam omne debitum dimisi tibi.

63 *Omnia bona opera etiam ultra satisfactionem, & Sacrificium Deus acceptat ab homine peccatore.*

64 *Opus ad satisfaciendum non necessariò debet esse meritorium de condigno supponens gratiam habitualem in operante*

65 *Quod verò hæc requiratur docent quàmplures.*

66 *Loca Sacræ Scripturæ, quæ videntur hoc probare.*

67 *Intelliguntur in ordine ad vitam æternã.*

68 Deus non audit peccatores, *de condigno, utique de congruo.*

69 Jejunavimus, & non aspexisti *ex vana gloria.*

70 Victimæ impiorum Deo abominabiles *quia ex actione peccaminosa, nihil fructuosi colligi potest.*

Lon-

71 Longè est Dominus ab impiis, *per gratiam justificantem, non per gratiam actualem ad satisfaciendum.*

72 Dona iniquorum non probat Altissimus *in ordine ad merendum.*

73 Si tradidero Corpus meum, itaut ardeam. *Vano fine non prodest.*

74 *Sine Dei auxilio Homo reconciliari non potest.*

75 In quo vivimus, movemur, & sumus, *& secundùm naturam, & secundùm dona Spiritualia.*

76 *Creditor ab inimico accepta suum creditum.*

77 *Sacrificium cruentum, & incruentum est satisfactorium.*

78 *Satisfit peccatis remissis, non remittendis.*

79 *Christi voluntas semper conformis voluntati Patris.*

80 Deus odit peccatores, *id est peccata, non personas.*

81 *Opere bono etiam privato solvitur pœna à peccatore.*

82 *Parcere refertur ad inimicos, non ad amicos*

83 *Amicitia non pertinet ad constitutionem, vel destructionem pœnæ.*

84 *Destructio pœnæ refertur ad inimicitiam antecedentem.*

85 *Solutio pœnæ est extinctio debiti.*

86 *Solutio est essentialiter extinctio debiti.*

87 *Satisfactio non sortitur suum effectum, nisi remoto obice, ajunt.*

88 *Solutionem immediatè sequitur debiti extinctio.*

89 *Obice remoto, Sacramenta non iterabilia conferunt gratiam suam in caractere, non alia, quæ iterantur.*

90 *Peccatum non stat simul cum gratia, utique cum extinctione debiti antecedentis.*

91 *Opus mortuorum, quod fit in peccato mortali.*

92 *Religiosus mortuus mundo quoad aliqua, non quoad omnia.*

93 *Opus mortuum quoad vitam æternam, vivum verò quoad consecutionem gratiæ remissionis peccatorum, etiam ad pœnas, & bona temporalia.*

94 *Opus mortificatum dicitur factum in gratia, sed per superveniens mortale mortificatum in ordine ad vitam æternam, non quoad alia.*

95 *Opus mortiferum nullo modo prodest, neq; de condigno, neque de congruo.*

96 *Pecunia reproba non liberat solventem.*

97 *Missa mali Sacerdotis tantùm valet quoad fructum operis operati, quantùm boni Sacerdotis.*

1 JUdas Machabæus, ut legitur libro ejus secundo *cap.* 12. 43. *Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolimam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium.* In lege ergo veteri usus erat offerre Sacrificia pro mortuis, ut liberarentur à peccatis, hoc est, à pœnis debitis peccatis jam in hoc sæculo remissis ex hac vita decedentibus in gratia Dei, quia post hanc vitam non delentur peccata, & culpæ, sed tantùm pœnæ pro peccatis debitæ, non quidem omnibus, sed tantùm illis, qui ex hoc sæculo transierunt in Charitate Dei purgandi, & solvendi pœnas in Purgatorio. Illud Sacrificium erat figura præsentis sub lege nova, quod à Christo Domino institutum fuit in ultima sua Cœna Matth. 26. 28. Marci 14. 24. Lucæ. 22. 19. & 20. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem.* 2 Christus ergo Dominus Sacrificium novum instituit præstantius, & excellentius quovis antiquæ legis Sacrificio, in quo sacrificabatur Deo aliqua ex creaturis in novo autem imolatur Jesus Christus Dei Filius secundùm Carnem, dum Sacerdos in persona Christi Deo offert Sacramentali consecratione Corpus, & Sanguinem ejusdem Domini nostri pro remissione peccatorum. Unde Episcopus ordinando Sacerdotem indicat hanc potestatem à Deo collatam ordinato his verbis: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, missasque celebrare tàm prò vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* 3 Et hoc de fide credendum est definitum Can. 3. *sess.* 22. his verbis. *Si quis dixerit; Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam Commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Pro intelligentia dicendorum,

4 Prœmittendum est, Sacerdotem in Missæ celebratione duo facere, nimirum Sacrificium, & Sacramentum, & quidem horum in consecratione, per quam panis, & vinum mutatur, & transubstantiatur in Corpus, & Sanguinem Christi, destructis utriusque substantiis, solis earum remanentibus accidentibus, quæ appellantur species sacramentales, veræ, & reales, sicut erant ante, sub quibus mirabili modo sacramentaliter existit verè, & realiter Christus eo ineffabili modo sine extensione locali totus in toto, & totus in qualibet parte dictarum specierum; quod complexum ex speciebus, & Christo dicitur Sacramentum Eucharistiæ, quod fit prolatione verborum consecrationis, 5 undè Sacrificium in ratione actionis est formaliter ipsa consecratio, in ratione verò rei oblatæ Sacrificium est idem Christus sacrificatus, & Deo oblatus in cultum Dei ad indicandum supremum ejus dominiũ, & subiectionem nostrã erga ipsum. Est verò Sacramentum subsequenter ad Sacrificium, cũ ex eadem con-

ſecratione, qua fit Sacrificium, ſequatur Sacramentum ab eo diſtinctum in eo, quòd Sacrificium dicit oblationem de Chriſto factam Deo, præſcindendo à ſpeciebus ſacramentalibus; Sacramentum verò includit tàm ſpecies, quàm Chriſtũ ipſum, hoc ſcilicet complexum, quod ratione ſpecierum ſenſibilium eſt Sacramẽtum in ratione generica, in ſpecifica verò Euchariſtiæ eſt ipſemet Chriſtus ſacramentaliter exiſtens.

Sacrificium præſefert cultum divinũ, Sacramẽtum propriè eſt ſignum cauſativum gratiæ, ad quam producendam eſt præcipuè inſtitutum ad nutriendam animam; Sacrificium verò ad cultum Dei in recognitionem ejus ſupremi dominii in creaturas, ſubſequenter eſt illis propitiatorium, & propriè ſatisfactorium, ut dicam infrà. Hinc habes, cur Miſſa, in qua Chriſtus immolatur ſine ſanguinis effuſione, quem ſemel in ara Crucis fudit pro remiſſione peccatorum, vocetur nomine miſſæ, nempe, quia in ea per actionem conſecrativam Chriſtus quotidie à Deo de Cœlo mittitur in terram pro ſalute fidelium, manens ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ut præſto ſit medicina liberans peccatores ab infirmitatibus quibuſcunq;

Quoniam autem inſtitutum noſtrum non eſt agere de Sacrificio miſſæ in tota ſua latitndine, ſed tantùm in Ordine ad ſuos effectus, quos producere poteſt pro animabus tùm viventium, tùm mortuorum in Ordine ad legata miſſarum, quæ fiunt à teſtatoribus pro animabus ſuis, & ſuorum parentum, ideo ſequentes quæſtiones propono, & reſolvo in Ordine ad prædicta.

Quæres igitur primò, an Sacrificium incruentum, quod nunc ſub lege gratiæ fit à Sacerdotibus in miſſa, habeat eandem virtutem, quam habuit illud primum, & unicum, atq; ultimum, quod Chriſtus Deo Patri obtulit in ara Crucis fuſione ſui Sanguinis, quod dicitur cruentum.

8 R. Ejuſdem virtutis eſt Sacrificium incruentum, ac fuit illud primum cruentum, probatur *ex cap. 2 ſeſſ. 22.* illis verbis: *Una, eademq; eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.* Eadem ergo Hoſtia, & idem offerens eſt in miſſa, qui ſe voluntariè obtulit in Cruce, ergo eoſdem effectus pròducit Sacrificium incruentum, quod cruentum, quod communicat totam ſuam virtutem incruento. Modus ergo offerendi ſolùm diverſus eſt, nàm in primo Sanguis effuſus eſt per mortem Chriſti; in reliquis offertur quidem, ſed ſine effuſione ſanguinis, quia ſemel mortuus eſt pro omnibus, & reſurrexit ne ampliùs moreretur, non mactatur ergo in Sacrificio incruento, nec deſtruitur, ſed tantùm mutatur de non eſſe Sacramentali ad eſſe Sacramentale, & conſumptis ſpeciebus per Sacram. Communionem deſinit eſſe ſub illis.

Quæres 2. An Sacrificium remittat peccata mortalia?

9 R. Non remittit illa per ſe, & immediatè, quia ad hunc effectum directè inſtitutum non fuit, ſed ad Deum colendũ, ſi enim poſſet immediatè remittere peccata, poſſet quoq; conferre primam gratiam, quod falſum eſt, quia alias ſequeretur, Sacramentum Pænitentiæ non eſſe ſecundam tabulam naufragii, neq; eam eſſe neceſſariam neceſſitate medii. Confert ergo gratiam primam, & remittit mortalia mediatè, quatenùs ſcilicet per Sacrificium homo diſponitur ad contritionem impetrando eam ipſo mediante, quibus primam gratiam, & remiſſionem peccatorum conſequitur. Probatur hoc, quia in Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 2. & in Canon. 2.* ſuprà extenſo dicitur propitiatoriũ, hoc eſt, remiſſivum peccati mortalis, mediante ſcilicet contritione à Deo impetrata per Sacrificium, eſt ergo Sacrificium propitiatorium, & impetratorium, ratione cujus remittit peccata. Ità D. Thomas in *4. diſt. 12. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 4.* ibi: *Non ſicut cauſa proxima, ſed in quantùm gratiam contritionis eis impetrat.* *Scotus in 4. diſt. 9. q. Un.* ibi *Imò ſi aliqua alia peccata lateant, per iſtud Sacramentum remittuntur*, in quantùm ſcilicet per illud
10 impetratur illorum remiſſio, ibidem Brãcatus *diſp. 26. de Eucbar. num. 53.* Hiqueus ibidem *num. 34.* & licèt loquantur de Sacramento hoc, nihilominùs idem eſt dicendum etiam de Sacrificio, quia Chriſtus Dominus eandem habet virtutem in Sacrificio, quam in hoc Sacramento, ut patet ex vi formæ Calicis ibi: *in remiſſionẽ peccatorum*, ex quarum vi ex æquo reſultat Sacrificium & Sacramentum. Itaque
11 Sacrificium ex opere operato delet mediante contritione peccata mortalia vivis, ut præter citatos docent omnes, quos magna manu numerat *Paſqual. q. 63. Modeſtus Gavatius diſp. 4. de Sacrif. q. 2. num. 16. idem Hiquæus in 4. ſent. diſt. 13 q. 2. num. 116. ex Vadingo tom. 8. operum Scoti*, qui *num. 117.* ait, non ſufficere attritionem impetratã per Sacrificium, quia tribueret immediatè gratiam, quod facere competit ſolùm Sacramentis Baptiſmi, & Pænitentiæ, cum ſermo ſit de prima gratia. Adde tu id colligi ex Tridentino eo *cap. 2. ſeſſ. 22.*
12 ubi requirit contritionem his verbis: *Sacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus.* Sacrificiũ ergo in tantùm eſt propitiatorium, in quantùm impetrat peccatori contritionẽ ad delenda peccata.

Quæres 3. An, & quomodo Sacrificium remittat etiam venialia?

R. Re-

13 R. Remittere peccata venialia, si enim remittit mortalia, à fortiori venialia, ex quo hæc ex vi suæ vocis faciliùs remittuntur, quàm mortalia, sed hæc per Sacrificium remittuntur, ergò & venialia; & quidem eodem modo, mediatè scilicet quatenus disponimur per illud ad impetrandam attritionem, qua venialia remittuntur, & hoc ex opere operato, quia ex sua institutione hoc habet tàm respectu mortalium, quàm venialium independenter à meritis Ministri, & ab ejus operatione ex illo *Matth.* 26. 28. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Est communis, *Suarez disp.* 79. *de Sacram. sect.* 5. *vers. sed. quamquam*, *Caspensis tom.* 2. *tract* 23. *disp.* 2. *sect.* 1. *num.* 4. *de Lugo disp.* 13. *num.* 152. *Aversa q.* 11. *sect* 6. *vers. communior*, *Bonac. p.* 3. *num.* 5 *cum aliis Pas. qual. q.* 68. *num.* 4. *Hiquæus in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *num.* 121. *Modestus Cavatius de Sacrif. disp.* 4. *q.* 2. *num.* 35. ubi quòd etiam immediatè ex opere operato remittit venialia, probat sub *num.* 38. quia rationes probantes per Sacrificium non remitti immediate peccata mortalia, non conveniunt respectu venialium, ergò. Sed dic venialia, non remitti sine aliqua prævia dispositione ipsius habentis peccata venialia impetrata ab hoc Sacrificio uti propitiatorio; Deus enim nulli remittit peccata etiam venialia, nisi prius disposito, loquendo respectu cujuslibet medii ad remittendum peccata quæcumque, sivè per Sacramenta, sivè per Sacrificiũ, sive per Sacramentalia, in his enim omnibus exigitur dispositio ex parte recipientis, ut illi peccata remittantur.

Quæres 4. An Sacrificium justis missam audientibus augeat gratiam?

14 R. Augere quidem, sed non immediatè, nam Sacrificium aut est propitiatorium, aut satisfactorium, aut impetratorium, non primo, nec secundo modo auget gratiam, quia quatenus propitiatorium respicit peccatorum remissionem mediante contritione, juxtà superiùs dicta; quatenus verò satisfactorium respicit pœnas: restat ergò quòd audeat gratiam in justo impetrando illi divina auxilia, quibus acquirat augmentum gratiæ. Est communior sententia *Suarez disp.* 79. *sect.* 4. *Miranda tom.* 1. *q.* 41. *art.* 9. *Castropal. par.* 6. *num.* 5. *Aversa q.* 11. *sectione.* 6 *vers. communior*, *Caspens. tract.* 23. *disp.* 2. *sect.* 1. *n.* 5 *Poncius disp.* 44. *q.* 10 *concl.* 3. *cum aliis Pasqual.* 71. *num.* 5. *Gavatius de Sacrif. disp.* 4. *q.* 3. *num.* 54. ubi *n.* 55. quòd licèt augmentum gratiæ impetrare possit, non tamen conferre immediatè primam gratiam, ut dictum fuit sub q. 2.

Quęres 5. An auxilia, quæ confert Sacrificium, in quantùm est propitiatoriũ, sint tantũ sufficientia, an etiam efficacia, ità quòd infallibiliter remittãtur peccata tùm mortalia, tùm venialia juxtà superius dicta?

15 R. Sunt efficacia respectu dispositorũ, aliàs non, quia Deus quantùm est ex se sua auxilia uti perfecta offert fidelibus illa dignè petentibus per Sacrificium missæ in remissionem peccatorum, ut dicitur *cap.* 2. *sess.* 22. *Sacrificium illud verè propitiatorium esse*, illud enim ad verbium *verè* importat efficaciam propitiationis, *per ipsum autem fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti*, ecce dispositio ex parte subiecti audientis missam, respectu cujus auxilium à Deo oblatum exit in actum, & efficit remissionẽ peccatorum, ut subdit textus; *ac penitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*. Tunc autem auxilium est opportunum, cum homo à Deo motus movetur cum eo ad operationem, hoc enim modo auxiliũ est efficax, quia simul cum Deo efficit, & quandocũq; cũ; Deo operatur, efficax dicitur habere auxiliũ, ut vo-
16 cabulũ ipsũ indicat, dũ ergò homo benè operatur, dicitur Dei auxiliũ efficax habere in se, igitur auxilium efficax est complexum actualis operationis provenientis à Deo, & homine à Deo semper, & continuè moto juxta exigentiam suæ naturę, hoc est, sine coactione offendente liberũ arbitrium; homines enim experientia recognoscunt, Deum illos movere, & præbere auxilium de se efficax in actu primo, quantùm ex parte sua, ad bene agendum, vel superandam tentationem, & non correspondent motioni, dum ad eam volunt se habere tantùm passivè, non assentiendo, & non cooperando activè, ex quo cũ Dei auxilium ab actu primo non transeat ad secundùm respectu defectus hominis nolentis se applicare ad operationem, remanet inefficax non ex parte Dei, sed ex parte hominis; cum verò homo cooperatur cum Deo, auxilium dicitur efficax, & perfectum ex parte Dei, quia Deus non solùm movet tunc hominem, sed etiam facit, ut simul cum ipso operetur, undè tota perfectio, & efficacia auxilii à Deo est, cum verò homo non consentit, nec proindè cum Deo operatur, is defectus inefficacitatis à solo homine procedit, dum non vult operari, & non à Deo, qui in defectum non consentit, relinquendo illum in suo libertatis statu à quo Deus illum removere non tenetur, sed tantùm illum vocare, dum vult omnes homines salvos fieri, si volunt; aliter perditionis causa est solùm ex parte hominis nolentis converti ad vocem Dei.

Hæc ergo Dei auxilia impetrata beneficio Sacrificii missę sũt efficacia ex probatis. Est cõmunior opinio cũ D. Thoma *in* 4. *dist.* 12 *q.* 2. *quæst.* 2. *ad* 4. *quem pro se citat. Pasqual. q.* 67. Modestus Gavatius deducit ex quolib. 20. Scoti, *disp.* 4. de Sacrificio *q.* 6.

*num.* 74. quia Sacrificium operatur ex virtute paſſionis Chriſti, quæ ſinè dubio eſt efficax non ponentibus obicem, ergò Sacrificium efficaciter operatur ſuos effectus, ſi homo ſit benè diſpoſitus. Confirmatur, quia eſt propitiatorium ex opere operato, cum tale ſit ex ſua inſtitutione, Scotus apud Hiquæum *num.* 125. De veniali in ſpecie *Suarez cit. diſ.* 79. *ſect.* 5. *fine. Quartus in Append Miſſal. par.* 4. *q.* 2. *fine*, *ex eis Paſq. q.* 70.

Quæres 6. An ſacrificium Miſſę ſit impetratorium bonorum temporalium?

17 R. Eſt impetratorium bonorum temporalium, quatenus hæc ordinantur, & referuntur ad bona ſpiritualia, & hujuſmodi impetratio eſt ex opere operato, & efficax infallibiliter producens effectum in bene diſpoſito, & non ſolùm prodeſt audienti miſſam, ſed etiam aliis, pro quibus auditur miſſa, vel offertur, ſi non opponatur ab illis impedimentum.

Prima pars de impetratione manifeſta eſt in canone miſſæ, ibi; *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt Sacrificium laudis proſe, ſuis omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, proſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ.* Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *& can.* 3. *Pro vivis, atq. defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere.* Poſtrema verba utriuſque textus referuntur ad bona temporalia. nullus contradicit, cum ſit de Fide. Ità *ex Scoto q.* 20. *quolibet lit. B. & in fine, Gavatius de Sacrif. diſp.* 4. *q.* 6 *num.* 59. *Miranda tom.* 1 *q.* 41. *art.* 6. *concl.* 3. *Averſa q.* 11. *ſect* 6 *verſ. quinto. Caſtropal. p.* 6. *num.* 8 *Carpẽſ. tom.* 2. *tract.* 23. *diſp.* 2 *ſect.* 1 *num.* 7. *Villalobos par.* 1. *ſummæ tract.* 8. *diffic.* 8 *num.* 6. *ex*

18 *illis Paſqual q.* 77 *Hiquæus num.* 123.

Secunda pars, de fine impetrationis, nẽpè in ordine ad ſpiritualia, probatur, quia Deus omnia remedia tùm Sacramẽtorum, tùm Sacrificii, tùm aliorum bonorum operum ordinavit pro ſalute animarum, ergò homo in tantùm à Deo petit bona temporalia per hujuſmodi media, in quantùm hæc ordinavit ad ſalutẽ animarum. Deducitur clarè *ex Epiſt.* 1. *ad Thimot.* 2. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes &c. pro omnibus hominibus &c. ut quietam, & tranquillam vitã agamus in omni pietate, & caſtitate &c.* Nullus contradicit, *Gavatius cit. num.* 60.

19 Tertia pars, quòd effectus obtineatur ex opere operato, probatur, quia ex ſua inſtitutione habet hos effectus ſecundarios operari, ſicut primarios, qui ordinantur ad bonum animæ, fiunt ex opere operato; eadem enim virtute prædictos producit, ergò omnes ex opere operato. Confirmatur, quia Sacrificium confert bona ſivè ſpiritualia, ſivè temporalia ex vi ſuæ inſtitutionis independenter à bonitate morali petentis, & operantis, cui ex con-

digno non debetur effectus petitionis, ex Scoto in 4. *diſt.* 1. *q.* 6. apud Gavatium *cit q.* 6. *num.* 65. ergò ex opere operato. Ità *præcitatus num* 77. *Hiquæus in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *num.* 125. *verſ. ut ergò*, *Paſqual. q.* 78. *initio*.

20 Quarta pars, quòd Sacrificium infallibiliter producat ſuos effectus, ſi non ponatur obex, probatur ex locis Sacræ Scripturæ patentibus, *Matth.* 7. 7. *Petite & dabitur vobis: omnis enim quod petit accipit. cap.* 21. 22. *Et omnia quæcunq; petieritis in oratione, credentes accipietis* Marci 11. 24. idem repetitur. Lucæ 11. 9. Modus autem petendi explicatur à Ioãne *cap.* 14. 13. *Et quodcumq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Infallibiles ergò ſunt effectus Sacrificii, quando debito modo petuntur, nimirùm à conſtitutis in gratia, à credentibus in nomine Domini, hoc eſt ad bonum finem, cum petunt ptofutura in ordine ad ſalutem animæ. Ità ex Scoto *quolibet* 20. *in fine Gavatius cit. q.* 6. *num.* 74. *de Lugo diſp.* 19. *de Euchar. num.* 139. *Garzias in ſumma tract.* 3. *diffic.* 1. *dub.* 8. *p.* 2. *num.* 12. *Gabriel à S. Vincentio diſp.* 2. *de ſacrif. miſſæ q.* 2. *Verſ. Et reſpondeo.* Contrà plures alios negantes, effectum impetrationis eſſe infallibilem, quia experientia conſtat, quòd non ſẽper impetramus ea, pro quibus offertur ſacrificium; quos magno numero refert *Paſqual q* 78. *pro ſe* Sed ideò non, impetrant, quia carent requiſitis, non quia auxiliũ ſit inefficax ex parte Sacrificii.

21 Quinta pars, quòd offerens non tantùm pro ſe; ſed etiam pro aliis poſſit impetrare bona etiam temporalia, probatur tùm ex articulo *Cõmunio Sanctorum*, tùm quia *Matth.* 29 28. dicitur *Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Tùm ex Canone Miſſæ. *Et omnium circonſtantium, pro quibus tibi offerimus &c.* Si enim non poſſet offerri, niſi pro ipſis celebrantibus, maxima pars fidelium eſſet *privata* divinis beneficiis, contra ſummam Dei miſericordiam, & liberalitatem, qui omnibus fidelibus, & hominibus impertit ſua dona.

Quæres 7. An, & quomodo Sacrificiũ remittat pœnas viventibus pro peccatis

22 contractas?

R. Sacrificium miſſæ remittit pœnas peccatis debitas per ſe, & immediatè ex opere operato illis, pro quibus offertur, non ſolùm temporales, ſed etiam æternas juxtà quod infrà dicam, & illud operatur infallibiliter, non tamen delet omnes, ſed tantùm eam partem, quam Chriſtus taxavit in inſtitutione Sacrificii, quæ nobis ignota eſt, & quò major eſt devotio ejus, pro quo miſſa celebratur, eò major eſt pœnæ relaxatio. Singulæ particulæ ſunt probandæ.

Prima, quòd Sacrificiũ remittat pœnas, proba-

probatur, quia ex supradictis est propitiatorium, ergo & satisfactorium, nàm idem operatur Sacrificium incruentum, quod efficit Sacrificium cruentum, sed hoc remittit peccata quoad culpam, & pœnam ex *Matth.* 26. 28. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, idest culparum, & pœnarum, ergo idem præstat incruentum, cum totam suam virtutem ab illo recipiat. Et de hoc nullatenus est dubitandum, quia ità definitur in Concilio *sess.* 22. *can.* 3. Patet quoq; ex Memento vivorum in missa, in quo fideles Deo commendãtur, ut ex sacrificio recipiant remissionem pœnarum.

23

Secunda de immediata remissione pœnarum probatur, quia ex sua institutione non eget medio ad remissionem pœnarum ad differentiam sui ipsius respectu culparum, quas remittit mediante contritione, ut dictum fuit *q.* 2. ergo immediatè operatur satisfactionem. Confirmatur, quia in Sacrificio diversimodè se habet ratio propitiandi, & ratio satisfaciendi, nam cum virtus propitiandi, & remittendi culpas peccatorum propriè, directè, & immediatè competat Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ, qui propterea dicuntur Sacramenta mortuorum, quorũ Baptismus delet non solùm omnem culpam, sed etiam omnem pœnam ex dictis *q.* 2. Pœnitentia verò solùm omnem culpam, & pœnam de æterna facit temporalem, & hanc non semper totam resolvit, nisi quando contritio est perfectissima, ut docent omnes Theologi *cum D Thom. par.* 3. *q.* 86. *art.* 4. *Scoto in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *lit. R. apud Brancatum disp.* 15. *de Pœnit. num.* 73. Et propterea cum principalis finis Pœnitentiæ referatur magis ad deletionem culparum, ut subsequenter pœna de æterna fiat temporalis, & hoc videatur sufficere virtuti Pœnitentiæ pro sua ratione formali, quatenus est absolutio potissimùm ordinata ad remissionem peccatorum, & per quandam consequentiam ad solutionem pœnarum, non enim tota pœna simul cum culpa semper à Deo remittitur. Est de fide, quod scribo definitum *sess.* 14. *can.* 12. Videtur concludendum Pœnitentiæ Sacramentum se habere mediatè ad remissionem pœnarum, cum immediatè se habeat ad destructionem peccatorum, quorum mediante absolutione fit pœnarum mutatio, & solutio earũ ex parte, mediante quoq; mutatione de æterna pœna in temporalem: solutio enim est impossibilis respectu æternæ pœnæ irremissibilis ex sua æternitate, ergo dandum est aliud remedium, per quod immediatè solvi possint pœnæ temporales, sed Sacrificium est satisfactorium, ergo immediatè est tale. De ista immediatione *Gavatius de sacrif. disp.* 4. *num.* 58. *Castropal. part.* 4. *tract.* 22. *p.* 6 *num.* 7. *cum multis Pasqual q* 72.

24

Tertia, quòd ex opere operato solvat, & extinguat pœnas, probatur, quia non dependet à ministro, sed habet hoc ex sua institutione, non solùm ut referatur ad cultum Dei, sed etiam ut remittat pœnas, ut colligitur ex Matth. 26. 28. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, tunc enim Sacrificium missæ instituit, cum protulit ea verba cum aliis, ergo in sua institutione adiunxit ei hanc virtutem solvendi peccatorum pœnas, ac proindè ex sua institutione. Ità præcitati, *& omnes cum Miranda tom.* 1. *q.* 41. *art.* 11. *Hiquæus in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *num.* 125.

25

Quarta, quòd remittat etiam pœnas æternas, explicatur, & probatur, nàm dixi sub *q.* 2. quòd remittit mediante contritione culpas peccatorum, ex hoc enim dicitur propitiatorium, ac proindè necessariò pœnam de æterna facit temporalem, eodem modo, quo dixi, peccata remitti, scilicet mediatè ex impetrata contritione, ista enim pœnæ mutatio necessaria sequitur ad remissionem peccatorum, ergo eo modo, quo peccata remittuntur per Sacrificium, remittitur etiam pœna æterna, & deindè temporalis solvitur immediatè virtute Sacrificii.

26

Quinta, quòd Sacrificium producat infallibiliter hunc effectum solutionis pœnarum, probatur, quia calix Domini est in remissionem pœnarum, ut docent omnes Evangelistæ, cum Tridentino *sess.* 22. *cap.* 2 ubi *Can.* 3. definitur, quòd prodest vivis, & defunctis pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus, ergo infallibiliter, Deus enim in suis promissionibus non mentitur, ergo infallibiles producit suos effectus, quantùm est ex parte sua, nisi recipiens ponat obicem. Ità *Gauatius de sacrif. disp* 4. *num.* 74. *Pasqualq.* 74. *num.* 4 *Castropal. p.* 6 *num.* 9.

27

Sexta, quòd Sacrificium non tollat totum pœnæ debitum, sed partem tantùm juxtà devotionem offerentis, vel pro quo offertur, probatur ex verbis Canonis missæ ibi: *Quorum tibi fides cognita est, & nota devotio*. Et infrà *Partem aliquam, & societatem donare digneris*. Non dicit totam pœnam, sed partem aliquam. Confirmatur, quia si tolleretur tota pœna per quodlibet Sacrificium, fideles evaderent pigri, & segniores in exercitio bonorum operum. Ex vi ergo Sacrificii deletur pars pœnæ, & quidem ex opere operato, semper est ejusdem mensuræ, cum Sacrificium ex vi sua semper eodem modo operetur: Attenta verò dispositione, fide, & devotione subiecti pœna deletur ad ejus mensuram, undè evenire potest, ut Sacrificium totam deleat pœnam juxtà mensuram magnæ devotionis. Ità *ex D. Thoma par.* 3. *q.* 71. *art.* 5. *& 7. ad.* 2. *Pasqual. q.* 75. *Gavat. de sacrif disp* 4. *num.* 57. Itaq; Sacrificium ex opere operato solvit certam pœnarum mẽsuram in omnibus, pro quibus offertur,

nobis

nobis tamen ignotam,& augetur ſolutio, & condonatio pęnarum juxta menſuram devotionis,ità quòd non detur decrementum ſolutionis earum ex vi Sacrificii, ſed ſemper augetur ad fervorem devotionis.

Quæres 8. An Sacrificium miſſæ remittat pænas exiſtentibus in Purgatorio pro illis oblatum?

28 R. Solvere illis pænas ex opere operato ſicut dictum eſt de vivis, & hoc de fide tenendum eſt ex Tridentino *ſeſſ. 22. can. 3. Prodeſſe pro defunctis, pro pœnis, & ſatisfactionibus, cap. 2. de celebr. miſſar.* & in miſſa dantur duo Memento, pro vivis, & defunctis, atq; deducitur ex 2. Machab. 12. 4. *Duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolimam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium*, ideſt pro pœnis peccatorum jã ritè remiſſorum. Iſta autem remiſſio ex parte Sacrificii eſt efficax, & *infallibilis reſpectu defunctorum*, qui nullum poſſunt ponere obicem, ſicut viventes. Eſt communis, *S. Thomas in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. quæſt. 3. & art. 13. q. 1. Suarez diſp. 79. de Sacr. ſect. 19 Verſ. Nihilominus; de Lugo diſp. 19. de Euchar. num. 153. Averſa q. 11. ſect. 6. Verſ Tertio, cum aliis Paſqual. q. 74.*

Quæres 9. Quid, & quotuplex ſit fructus Sacrificii miſſæ?

29 R. Triplex, *Generaliſſimus* conveniens toti Eccleſiæ militanti, juxtà illud David. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*, ex qua ſententia deductus eſt fidei articulus de Communione Sanctorum; omnes ergo fideles participant de hoc fructu miſſæ, quamvis non ſint præſentes miſſæ, quia Eccleſia pia Mater orat pro omnibus ſuis filiis. *Specialiſſimus* eſt ipſius Sacerdotis offerentis etiam pro ſuis peccatis, ad Hebr. 5. 3. *Debet quemadmodum pro populo, ità etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis*. Eſt ergo proprius Sacerdotis. *Specialis* verò, ſeù *Medius* eſt ille, qui à Sacerdote applicatur petentibus pro ſe, vel ſuis, vel etiam ab eodem alicui communicatur ſine petione, ut cum Sacerdos offert pro ſuis parentibus. Hanc trinam fructus ſpeciem tradit Scotus quolib. 20. quem omnes ſequuntur, non ſolùm Scotiſtæ, *Corduba lib. 1. q. 3. Notab. 4. Pitigianus in 4. diſt. 13. q 2. art. 6 Verſ. Quinto* verũ etiam alii Theologi omnes, *apud Fraxin. ſect. 3. Prænot. 3. Paſqualiq. q. 88.*

Super dictis multa quæri poſſunt, ſed præſertim ad rem noſtram. *Primò*, an iſta diviſio triplicis fructus ſit ex opere operato, ità quòd omnibus prædictis tribus proſit ex opere operato? *Secundò* quomodo Generaliſſimus proſit? *Tertiò*, an Sacerdos debeat expreſsè illud ſibi applicare? *Quartò*, an participet etiam de fructu generaliſſimo? *Quintò*, an poſſit proprium aliis applicare? *Sextò*, an medius fructus poſſit dividi in plures? *Septimò*, an præter hos tres fructus dentur alii?

30 R. Primò reſpondetur, Sacrificiũ miſſę ex opere operato prodeſt illis tribus perſonarum generibus, Eccleſiæ militanti, Sacerdoti celebranti, & facienti celebrare, ut colligitur ex offertorio, in quo fit mentio de illis tribus, & in Canone miſſæ. Ratio eſt, quia illud operatur ex opere operato, quod non eget conſortio alterius cauſæ ad producendum ſuum effectum, cum ſit ità inſtitutum, ut applicatum operetur ex ſua inſtitutione, ſicut ignis applicatus ligno comburit illud; ſed Sacrificium ejus eſt generis, ut patet, ergo ex opere operato producit ſuũ effectũ.

31

32 Secundò, Sacrificium quoad fructum generaliſſimum prodeſt toti Eccleſię propitiatoriè, impetratoriè, & ſatisfactoriè. Propitiatoriè quidem in quantùm ſacrificium ex impetratione, & mediatè per contritionem remittit peccata mortalia, ex dictis q. 2. & per attritionem venalia ex q. 3. Et præterea impetrat alia bona temporalia fidelibus; demùm ad rem noſtrã eſt ſatisfactorium pro pœnis ejuſdem Eccleſiæ militantis tàm vivorum, quàm mortuorum. Quòd hic fructus generaliſſimus includat ſatisfactionem, eſt communis opinio, & certa ex verbis ſacri Canonis, ibi: *Quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta catholica*, Sacrificium autem eſt ipſemet Chriſtus à Sacerdote oblatus pro Eccleſia, ergo ei prodeſt ex opere operato, ſicut Sacerdoti, & aliis, pro quibus offertur, ut docent *Scotus quolib. 20. ſub n. 20. Bonac. p. 4. num. 9. cum aliis Paſq. q. 90. n 5. Contrà Suar. diſp 79. de Euchar. ſect. 8. Verſ. Secundo, de Lugo diſp. 19. de Euchar. num. 221* Probant *primò*, quia excommunicati non poſſent privari hoc fructu, cùm Eccleſia non poſſit contrà jus divinum ſtatuens virtutem Sacrificii in ſatisfactionem. *Secundò*, Sacrificia non offeruntur pro omnibus fidelibus in particulari, ſed tantùm in communi, ut faciunt unum corpus, ergo nec illis ſatisfit, cum ſatisfactio reſpiciat particulares homines. *Tertiò*, cum tot Sacrificia quotidiè offerantur, vix eſſet aliquis, qui remaneret debitor alicujus pœnæ.

33 R. Ad primum, Eccleſiam benè privare excommunicatos hoc fructu, quia etiam Chriſtus privat illos, juxtà illud: *Quodcumq; ligaveris &c.* ergo nihil fit contra virtutem Sacrificii, cujus fructum nec Deus communicat excommunicatis. *Ad ſecundum* oblatio fit in communi, ut dicitur in præcitatis verbis: *Quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta catholica*, ſed applicatio, & ejus effectus diſtribuntur poſteà

34 ſingulis, cum non detur corpus politicum niſi moraliter, ac proindè neceſſaria eſt diſtributio pro ſingulis membris, ut unuſquiſque fidelis ſuam recipiat portionem ſatisfactionis, quam Deus taxavit illis dandam virtute ſacrificii. *Ad tertium*, quamvis quotidie tot Sacrificia fidelibus

bus generaliter applicentur, non tamen sequitur dari casum, quo omnium extinguantur pœnæ quia homo etiam justus septies in die cadit in peccata venialia, & iniustus peccat, undè dabilis non est extinctio omnium pœnarum.

35 Et licèt Sacrificium suum valorem cõmunicet in fructibus satisfactionis fidelibus, non tamen unus alteri præjudicat in portione sui fructus, cum unicuiq; eadẽ portio taxata à Deo respondeat, sive sint plures, sivè pauciores participãtes in fructu generalissimo ex opere operato; satisfactio enim Christi, secundùm quam Sacrificium operatur, est infinitæ efficaciæ, tàm intensivè, quàm extensivè, adeò quòd omnibus finitè in infinitum prodest, ità quòd ex infinitate extensiva fidelium à sua virtute exhauriri non possit,

36 *Pasq. q. 91. num. 5.*

Nulla autem est necessaria intentio specialis pro applicatione fructus generalissimi, quia ex natura Sacrificii, ut colligitur ex missa, sequitur hujusmodi oblatio generaliter, ut dicitur in Offertorio. *Pro omnibus fidelibus Christianis, vivis, & defunctis.* Et in Canone: *Quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta*, ergò & applicatio sequẽs ex oblatione, ex eodem *Pasq. q. 93.*

37 Tertiò, hoc ipso, quòd Sacerdos celebrat per oblationem sibi ipsi dicitur applicare fructum spetialem, quem illi cõfert ipsum Sacrificium ex sua institutione, ut colligitur ex Hebr. 5. loco citato. *debet quemadmodum pro populo, ità etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Eadem ergò oblatione sibi prodest, sicut aliis: In Offertorio. *Pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligẽtiis meis, sed & pro omnibus fidelibus Christianis, vivis atq; defunctis, ut mihi, & illis proficiat ad salutem in vitam æternam.* Ex quibus verbis colligitur Sacrificium ex opere operato esse propitiatorium, quia refertur ad peccata, esse satisfactorium, quia proficit ad salutem in vitam; neque enim qui decessit in gratia Dei potest introire in vitam æternam, nisi prius ei deleantur pœnæ in Purgatorio, pro quibus Sacrificium, ut dicitur supra, proficit ad salutem. Vide *Pasq. q. 95. & 96.*

38 Fructus autem, quem Sacerdos percipit ex Sacrificio ex opere operato, est major, quàm quod obvenit ei, pro quo offertur specialiter, ex parte operis operati, tàm quoad propitiationem, quàm quoad satisfactionem, & quidem diversus ab eo, quem percipit petens. Nam cæteris offerentibus longè eminet in suo officio, cum sit minister Sacrificii, & non alius, qui in operando repræsentat personam Christi, ergò ratio exigit; ut majorẽ accipiat fructum aliis, non solùm respectu fructus generalissimi, sed etiam medii respectu petentis etiã cũ stipendio cum ipse solus respectu omnium sit auctor ministerialis Sacrificii, aliis cooperantibus rogando & deprecando. Ità tenet *Nugnus p. 3. q. 83. art. 1. p. 3. de Sacrif. dub. 3. Ego resol. 25. q. 8. apud Pasqual. q. 98.* qui probat non esse minorem. In eo autem nihil aliis præjudicat, quia fructus Sacrificii non sunt exhauribiles, nec minuuntur ex multitudine fidelium participantium.

39 Quartò, celebrans est particeps non solùm hujus specialissimi fructus, de quo diximus mox, sed etiam generalissimi, quia ex quo est minister, cui ille competit, non desinit esse membrum Ecclesiæ militantis, ideò illi competit etiam portio fructus generalissimi; neque enim debet esse deterioris conditionis aliis membris, cum præter rationem membri habeat etiam qualitatem ministri in sacrificando, quod non convenit aliis non celebrantibus, cùm ipse solus sit publicus minister consecrans in persona Christi Domini, in quo nullus cõcurrit præter ipsũ publicè, cũ circunstantes nõ sint ministri.

40 Quintò, Sacerdos proprium fructum sibi correspondentem ex parte operis operati potest applicare alteri, gratis tamen, & sine ulla mercede, privando se illo. Ità 22. Doctores, quos contrà se citat Pasqual q. 99. Probatur primò quia fructus Sacerdotis est ejusdem rationis cum fructu medio alteri applicabili, ut dicitur in Canone *pro se, suisq: omnibus.*

Respondet Pasqual. *cit. num.* 10. fructum specialissimum esse ejusdem rationis cum medio quoad effectum, non autem quoad modum communicationis, quia medius quoad modum communicationis est indeterminatus, Sacerdotis verò est determinatus, & personalis ex natura Sacrificii: *Contra est*, quia uterq; fructus ante applicationem est indeterminatus, & indifferens, ac proindè applicabilis arbitrio Sacerdotis, non video, qua ratione unus sit determinatus, & alter non, ex quo ambo personaliter procedunt ex applicatione, cujus est determinare, & cum applicatio sit actus voluntatis, fieri potest ex ejus libertate sibi, vel alteri, neque enim prohibetur, imò intelligitur cõcessum ex illo Salvatoris: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis.* Si possum vitam meam ponere fructuosè pro amico, cur non cedere alteri, quod mihi contingere potest?

Ad illa verba Canonis respondet *Pasqualig.* posteriora verba *Suisque omnibus*, referri ad fructum generalissimum. Id verum non est, sed referuntur ad fructum medium, quem persona non sibi applicatum potest applicare suis, nàm privatæ personæ, de quibus ibi sermo est, non applicant fructum generalissimum, cùm hujus applicatio spectet ad Sacerdotem potissimùm illis verbis: *Quæ tibi offeri-*

*ferimus pro Ecclesiæ tuæ sanctæ*, sed tantùm medium, siquidem illum fructum, quem *pro se* offerunt, possunt etiã *pro suis omnibus* offerre, & applicare; sed his fructus est tãtum medius, ergò & hunc tantũ applicat sicut offert. Præterea, quòd illa verba, *suisque omnibus*, nõ referãtur ad generalissimũ
28 patet ex verbis præcedentibus *Quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica*, ne idem ergò bis inutiliter repetatur, posteriora verba *suisq; omnibus*, referuntur ad offerentes *pro suis omnibus*, scilicet parẽtibus, & amicis. Nec dissentit ipse *Pasq; q.* 90 ubi *num.* 2. loquendo de fructu generalissimo, refert priora verba non posteriora.

Probatur secundò, potest quisq; applicare alteri satisfactionem propriorum operum, ergò etiam Sacerdos proprium fructum Sacrificii, nam ipsius est dominus, sicut aliorum operum.

Pasqual. negat consequentiam, quia quando offerens recipit dominium fructus specialissimi est iam fructus personalis, & acceptatus à Deo pro ipso, ut contigit in aliis effectibus ex opere operato: *Contrà*, quia hìc dominium spectari potest in ratione juris, & in ratione possessionis, priori modo facta oblatione Sacerdos ac-
29 quirit jus applicandi non tantùm sibi, quàm aliis, quia fructus nondum est personalis, qui talis fit, dum illum Sacerdos sibi actu applicavit possidendo illum, & sic remanet inapplicabilis alteri, & in hoc sensu currit responsum.

Probatur 3. satisfactio pro pœna habet quasi rationem boni temporalis, ergò alteri conferri potest.

Pasqual. quicquid sit de antecedenti, negat consequentiam, nam si aliquid probaret, convinceret, quòd omnis satisfactio, atque adeò remissio pœnæ posset alteri applicari, quod tamen est falsum in eâ, quæ habetur ex vi Sacramenti. *Contrà est*, quòd verum est illud antecedens, siquidem per actualem extinctionem debiti exoneratur debitor, quod est temporale bonum illud exgravamen, dum ergò Sacerdos seipsum non exoneravit applicatione Sacrificii, poterit eodem exgravare proximum, cui bene facit. Confirmatur id, quia pœnitens satisfactionẽ Sacramentalem ex causa, & de voluntate sui Confessarii, potest solvere per alium ex communi sentẽtia apud Aversã *q.* 13. *de pœnit: sect.* 4. *vers. denig; & vers.* 5. Benè tamẽ, ergò & pro alio Sacerdos satisfacere applicatione sui fructus. Valet cõsequẽtia, quia utroq; casu satisfactio est ex opere operato

Probatur quartò, quia Sacerdos potest non reservare sibi suam portionem, sed relinquere illi, pro quo offert, ergò & eam illi applicare.

Pasqual. negat assumptum, quia talis fructus est determinatus ex natura Sacrificii, quòd sit Sacerdotis, & ex determinatione Ecclesiæ, offerens autem neutrũ variare potest, ergò illum aliis applicare non potest. *Contrà est*, quia sicut in aliis rebus quisq; renuntiare potest juri suo, quando renuntiatio aliis non nocet, *cap.*
41 *fin. de falsar. cap. ad Apostolicam* 16. *cap. statuimus* 23. *de Regul.* etiam in spiritualibus causis ex dictis Capitibus, ità & in casu præsenti Sacerdos potest juri suo cedere in favorem tertii, applicando, & donando illi proprium fructum. Confirmatur id, si enim quis mihi Religioso vult donare aliquid, possum quidem illud acceptare pro Religione, & pro me non contradicente Superiore, possum etiã respondere, nolo acceptare, rogo te, ut illud dones meo consanguineo, vel amico &c. Pro hac sententia Diana citat. 18. Doctores resol. 8. de Regular. apud me de profess. regul. *cap.* 14. *q.* 22. *num.* 65. Pari ratione potest Sacerdos non acceptare beneficium spiritualis fructus sibi à Deo, & Ecclesia oblatũ in Sacrificio; nemo enim confert bene-
42 ficium in invitum, & renuntiantem *l. invito ff. de reg. jur* & rogare Deum, ut condonet peccata amico. Licèt ergò ex divina ordinatione corroborata ab Ecclesia distribuantur fructus Sacrificii in illas tres partes, non ideò tollitur divina ordinatio, nec variatur si aliquando Sacerdos proprium fructum aliis donat, quia hujusmodi ordinatio non prohibet talem applicationem pro aliis, nec præcipit applicationem pro se, quia favores sunt arbitrarii personis, quæ nõ coguntur illis uti.

Probatur quintò, quia cæteri offerentes possunt applicare pro aliis, ergò & Sacerdos. Antecedens constat ex supracitatis verbis Canonis. *Pro se, suisq; omnibus* quæ posteriora verba Pasqual. refert ad fructum generalissimum, quod ego negavi suprà, probando referri ad fructum medium, & specialem.

Pasqualigus ergo ea q. 99. pro se refert octo Doctores afferentes Sacerdotem nulli donare posse suam portionẽ. Probat quia dum offert Sacrificium illud etiam simul, & semel sibi applicat, ergo non potest illud alteri applicare. Confirmat, quia hic fructus provenit ex opere operato, ac proindè uti quid personale solius est offerentis Sàcerdotis.

Sed ex dictis patet respõsio, nàm diversi sunt actus oblatio, & applicatio, quia oblatio dispositiva est ad præparationẽ, & benedictionẽ materiæ Sacrificii, cõsecrativa verò producit Sacrificiũ per solũ Sacerdotẽ, & ad hãc propriè sequitur jus applicãdi in effectu fructum quemlibet ex tribus generibus, de quibus fit mẽtio antecedẽter ad cõsecrationem, adeò quòd facta consecratione Sacrificium in ratione Sacrificii producit illos tres effectus, juxtà intẽtionẽ Ecclesiæ pro tota Ecclesia, & pro reliquis

duabus

duobus fructibus Sacerdotis, & petentis applicationem positam in arbitrio Sacerdotis, qui non tenetur semper sibi benefacere, sicut celebrando missam tenetur offerre, sed non applicare specialiter sibi, & aliis, quibus non tenetur.

43 Sextò respondetur, fructum medium Sacrificii esse divisibilem, non solùm respectu eorum, pro quibus celebratur quãdoque enim plures eandem petunt missam sivè pro se, sivè pro suis, & tunc fructus dividitur inter illos, sine tamen præjuditio unius ab alio, sed etiam ratione sui, ut patet ex ejus triplici ratione propitiatorii, impetratorii, & satisfactorii, nàm satis clarum est in missa pro defuncto celebranda, Sacerdotem defuncto non posse applicare nisi fructum satisfactionis, cum aliorum non sit capax, unde uni poterit applicare propitiatorium, alteri impetratorium. Divisibilis ergo est fructus medius, & ratione personarum, pro quibus offertur, & ratione ipsius triplicis fructus. Pasqual. q. 100.

44 Septimò, præter illos tres gradus fructus nempè generalissimum pro tota Ecclesia, specialissimum pro Sacerdote, & medium, seù specialem pro quo, vel quibus applicatur, non est dabilis aliquis alius fructus, qui non reducatur ad unum ex illis tribus, ut observat Pasqualig. q. 101. contrà Navarrum, & Valentiam multiplicantes, sed sine necessitate, solùm ad uberiorem intelligentiam, & explicationem, nam fructus, qui exempli gratia competit Papæ, Antistiti, & circunstantibus, continetur sub generalissimo.

Quæres 10. An valor Sacrificii missæ sit infinitus?

45 R. Valor hujusmodi de se est infinitus, ejus tamen efficacia est finita, quæ tamen æquè se extendit ad paucos ac ad plures, qui cooperantur Sacrificio, ità quòd non minuitur fructus respectu unius ex consortio alterius, seù aliorum, loquendo respectu fuctus generalissimi, respectu verò modii ità est determinatus, ut si extendatur ad plures, eo magis minuatur, ità quod Sacrificiũ oblatũ pro pluribus, misingulis prodest quã si offeretur pro uno

46 tantùm.

Prima pars, quòd Sacrificium sit infiniti valoris ex se, probatur quia Sacrificium incruentum quoad substantiam est idem cum Sacrificio cruento, ut tradit Tridentinum *sess* 22 *cap.* 2 sed hoc est infiniti valoris, cum fusum fuerit pro toto genere humano; ergo & incruentum, habet enim suam virtutem, & condignitatem à Persona infinita Verbi, quod seipsum offert in utroq; Sacrificio. Ità communior opinio plusquam 30. Doctorum apud Pasqualigum q. 117. contrà alios ultrà dictũ numerum, quorum argumenta meo judicio solùm probant ejus valorem esse finitum in ratione effectus, & termini, nàm applicatio est finita in singulis, qui recipiunt portionem fructus sibi convenientem; itaque virtus valoris in sua causa est infinita, sed in applicatione finitus fructus, quia non uni tantùm applicatur, sed omnibus, quibus singillatim contingit propria portio. Valor igitur quoad virtutem est infinitus, quo verò ad efficaciam, & applicationem est finitus, quia non totus fructus uni applicatur, sed distributivè pluribus. Et hoc procedit respectu fructus generalissimi, qui ex infinita multitudine hominũ sincategorematica non minuitur, sed unusquisque suam partem recipit tantam, quantam singulis Deus taxavit, sine aliorum diminutione, & præjudicio.

47

Secunda pars, quòd fructus medius diminuatur in singulis, ità quòd minor fiat, quò plures sunt participantes in fructu speciali, probatur, quia divisibiliter applicatur fructus finitus, ergo uti finitus, quo participantes sunt plures eo minores fiunt portiones ex eodem toto finito in eas distributo, cum singulis obtingat quid

48 minùs. Est communissima sententia apud Pasqual. q. 125. Hinc est, quòd pro unica missa Sacerdos non potest recipere plures eleemosynas, sed unica debet esse contentus, cum totum missæ fructum medium uni promittendo, aliis dare non possit. Vide infrà cap. 11.

Quæres 11. An missa pravi Sacerdotis tantum prosit, quantùm probi Sacerdotis?

49 De eadem infrà q. 14.

R. Utique ex parte operis operati, nihil verò ex opere operantis in peccato mortali. Illud patet, quia improbitas Sacerdotis non potest inficere Sacrificium, quod Christus instituit, ut efficaciter operaretur, cum ergo Christus seipsum offerat, Sacerdos, & Ecclesia cum Christo offert, qui cum Ecclesia est Sanctus, & immaculatus, pravus autem Minister tunc materialiter se habens, nullam vim operandi a Sacrificio auferre potest. Ità *Miranda tom.* 1. *q.* 41. *art.* 22. *ex Trident. sess.* 22. *cap.* 2. *Pasqual. q.* 130. Ex opere operantis existentis in peccato nihil prodest, quia Deus abominatur orationes impiorum hominum ex Proverb. 8. *Oratio ejus erit execrabilis*. Unde missa boni Sacerdotis est magis fructuosa, quam mali, cujus orationes nihil prosũt, ex eodem *Pasq. n.* 6.

Quæres 12. An illi, pro quibus offertur Sacrificium, debeant esse in gratia, ut eis prosit quoad propitiationem, quoad impetrationem, & quoad satisfactionem, tam quoad opus operatum, quàm quoad opus operantis?

50 R. Non est necessarium esse cum gratia habituali ad consequẽdum fructũ propitiationis, & satisfactionis, sed sufficit gratia actualis divini auxilii, loquẽdo de fructu cõsequẽdo sivè ex opere operato, sivè

pectu operis operantis. Ideò quòd, ſoluta pæna, ſtatim debitum deletur.

51 Præmitto pro hujus intelligentia, aliud eſſe gratiam actualem, aliud habitualem. Eſt autem actualis divinum auxilium, quo Deus movet liberum hominis arbitrium juxtà ejus exigentiam, ad benè agendum, quod liberè motum cum Deo operatur bonum ad quod excitatum fuit, & hæc gratia ſimul ſtare poteſt cum homine mortaliter peccatore, quia non juſtificat, ſed ſolùm diſponit hominem peccatorem ad remiſſionem peccatorum. Habitualis verò gratia eſt illa, quæ hominem jam diſpoſitum juſtificat, & facit Deo gratum propulſatione maculæ peccati, tamquam ſibi contrariæ, adeò quòd ubi eſt gratia hujuſmodi, ibi non poteſt eſſe peccatum, cùm ſibi invicem adverſentur ſicut forma; & privatio reſpectu ejuſdem ſubiecti. Hæc ergo ità peccatum fugat, ut nec per inſtans cum eo reperiri poſſit propter efficacem contrarietatem unius ad alterum. Actualis verò cùm nullam in ſe habeat contrarietatem ad peccatum, quia non eſt forma poſitiva illius deſtructiva, ſed tantùm diſpoſitiva ſubiecti, quod movet ad bene operandum, & cum quo operatur, ideò cum homine peccatore ſtare poteſt, quem ſolùm diſponit, ut poſſit recedere à peccato per ſupervenientem gratiam habitualem facientem hominem de inimico, & ingrato, amicum, & gratum Deo, cum quo deindè

52 operatur bonum meritorium vitæ æternæ. Gratia ergo habitualis, quæ dat vitam Spiritualem homini à morte peccati reſurgenti ad vitam ſpiritualem, bonas operationes liberè ab eo factas reddit condignas, & meritorias vitæ æternæ, ex qua oritur meritum de condigno nuncupatum, quod in homine juſto viatore dicit augumentum gratiæ, & jus conſequēdi cum ea vitam æternam, cum quibus o-

53 peribus meritoriis ſemper concurrit etiā gratia actualis, ſine qua homo operari non poteſt, cum in operando ſivè phyſicè, ſivè moraliter, ſemper dependeat, & moveatur à Deo, à quo eſt inchoatio omnis humanæ operationis, & in quo finitur, juxtà illud: *Ut cuncta noſtra operatio à te incipiat, & per te cæpta finiatur.* Habitualis ergo dat vitam, quia mortuus non operatur, per quam homo poſſit benè, & dignè operari, ab actuali verò inchoatur cū homine juſto bonum opus meritorium augumenti gratiæ, & ſatisfactionis pænarum, & vitæ æternæ.

54 Hęc autem gratia actualis ab actu operandi cum homine appellatur non ſolùm eo nomine, ſed etiam auxilium Dei efficax, quia verè efficit cum homine bonum opus, quod operatur meritorium vitæ æternæ ſi ſit coniuncta cum gratia habituali; ſi verò auxilietur homini exiſtenti in peccato mortali ad benè agendum, cùm tunc illud opus dicatur mortuum in ordine ad merendum augumentum gratiæ, & vitam æternam, non verò erit mortuum, ſed aliquam habebit vitam, ut dicatur meritorium, non de condigno, ſed tā-

55 tùm de congruo, quia Deus nullum bonum derelinquit irremuneratum. Duplex ergo eſt meritum denominans bonū opus meritorium, & de *condigno*, quod ſcilicet procedit ab homine juſto, & de *congruo*, quod procedit ab homine exiſtente in peccato mortali. Illud operantem facit dignum augumento gratię, dat jus ad gloriam, & per illud idem ſatisfit pænis. Hoc verò eſt cauſa diſpoſitiva ad gratiam de congruo, per quam quoq; extinguitur debitum pænæ, ut infrà patebit.

In noſtra reſponſione nulla eſt difficultas circa fructum propitiatorium, in ordine ſcilicet ad deletionem culparum per accidens, & mediatè juxtà dicta *ſupra q.* 2. quia propitiatio ſupponit hominē peccatorem, & non exiſtentem in gratia, ut de ingrato fiat Deo gratus virtute Sacrifi-

56 cii miſſæ. Sed tota difficultas conſiſtit in probando, Sacrificium ex opere operato extinguere pænas homini peccatori exiſtenti in peccato mortali, ſi pro eo offeratur Sacrificium, nihilominus hoc facilè probatur, etiam reſpectu operis operātis.

57 Primò, quia ſatisfactio Sacramentalis, hoc eſt, illa Pænitentia, ut ajunt, quam imponit Confeſſarius, facta in peccato mortali ab eo, prodeſt pænitenti, ità quòd ſtatim, ac illa eſt perfecta à pænitente, deletur de libro Purgatorii, ergo idem dicēdum eſt da Sacrificio applicato peccatori, quòd illi proſit eodem modo quoad ſatisfactionem, nàm tàm Sacrificium, quam Sacramentalis ſatisfactio operantur ſuos effectus ex opere operato, & ex vi paſſionis Jeſu Chriſti, qui non eſt minùs potens in Sacrificio, quàm in Sacramento pænitentiæ.

Quòd ſatisfactio proſit peccatori, eſt ſententia. *Scoti in 4. diſt. 15. q. 1. n. 16. Verſ. Dico Gabriel. diſt. 16. q. 2 art. 3 dub. 3. Medinæ tract. 3. q. 5. Vaſq. par. 3. q. 94. art. 2. dub. 5. quos citat Hiquæus comment. Scoti n. 108. Durand. diſt. 16 q. 2. num. 6. & 9. Major q. 1. Navar. de Pænit. cap. 1. num. 45. & 47. Amic. tom. 7. diſp. 33. ſect. 7. num. 240. quos citat Paſqual q. 80. num. 2. contrà ſe Brancat. de Pænit. diſp. 13. art. 9. à numer. 221. Fabr. diſp. 35. de Pænit. cap. 6. à num. 112. Pitigian. ad diſt. 15. q. 1. art. 7. Tatar. ibidem q. 1. Verſ. Notandum, Poſnanienſ. lib. 6. deciſ. totius Theolog cap. 8. de Pænit. q. 8. concil. 18.*

58 Probatur 2. quia qui ſolvit totū id quod debet, plenè ſatisfecit, ſivè ſit amicus creditori, ſivè inimicus, quia ratio amicitiæ, & inimcitiæ, ſicut nō ponit debitū, ità nec illud tollit, undè cum non noceat debitori, neq; poteſt impedire effectum ſolutionis, ſatisfacit ergo ſi tantum dat, quātum debet,

debet, superveniens ergò inimicitia per peccatum non alterat debitum jam contractum, sed relinquit illud tale, quale erat ante, ergò non obstante inimicitia solvi potest, & cum effectu deleri.

59 Probatur 3. sicut Deus acceptat contritionem hominis peccatoris remittendo ei quamvis peccatori culpam, ut omnes docent cum Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. ubi dicitur, eam nos reconciliare Deo; ità & acceptat peccatoris pœnitentiam in peccato mortali factã tàm ex virtute Sacramentalis satisfactionis, quàm ex virtute Sacrificii applicati pro remissione pœnarũ utrunq; enim est satisfactorium ex æquo, scilicèt ex opere operato.

Confirmatur, quia eo modo prodest Sacrificium, & satisfactio, quo ipsa Contritio in acceptatione; sed acceptatio respectu Contritionis dispositivæ ad reconciliationem fit à Deo ante collationem gratiæ, dum enim homo peccator se disponit ad reconciliationem nondum est in gratia, & tamen Deus acceptat ejus dispositionem, & subsequenter contritum sibi recõciliat; & ei suam dat gratiam justificantem. Cum ergò ista acceptatio præcedat gratiam, non est necesse quòd illam supponat, si non in Contritione, multò minus in satisfactione tàm respectu Sacramenti, quã Sacrificii, Pœnitentia enim non respicit gratiã, sed tantũ eã supponit, quæ destruxit culpã eorum peccatorum,

60 pro quibus satisfaciendum est, undè non ad gratiam pro sua solutione ordinatur, sed ad vindicativam, Pœnitentia enim vindicat, non justificat, nec gratiam auget, sed debitum extinguit.

61 Probatur 4. Deus in remissione debitorum se gerit sicut alter creditor in humanis, sed huic satisfit reddendo totũ, quod debebat, non curando de amicitia, aut Inimicitia, imò quandoq; inimicitia contracta ex litibus solicitat solutionem debiti, ergò hìc non est opus Charitate, sed Iustitia, ac proindè Deus eodem modo acceptat solutionem, ac creditor, quamvis intercedat inimicitia, amicitia enim pertinet ad Charitatem, & solutio respicit

62 Iustitiam vindicativam.

Probatur 5. quia id apertè colligitur ex *Matth.* 18. 32. *serve nequam omne debitũ dimisi tibi, quoniam rogasti me*. Isti servo nõ obstante, quòd erat in peccato mortali Deus dimisit debitum, ergò idẽ facit pœnitenti rogãti ipsũ vel per actum satisfac. ionis Sacramentalis, vel per Sacrificium.

63 Probatur 6. ex *Glos.* super Job 31. *ipse considerat vias meas* inquit: *Nulla bona, vel mala sunt sine retributione*, ergò operibus satisfactoriis respondet retributio, hoc est, extinctio debiti. Et confirmatur, quia ad *Hebr.* 6. 10. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis*. Omnium Pœnitentiam acceptat Deus, ne sit injustus, maximè quæ pendet ex satisfactione fundata in Iustitia vindicativa, quæ non cessat per superveniens peccatum, quod eã relinquit in suo statu, cum ergò Deus nõ obliviscatur bonorum operum, ex illis debet reportare commodum solutionis, cum verè fuerit operatus.

64 Probatur 7. quia nullo jure probatur ad solvendum debitum pœnarum ex peccatis iam remissis contractum requiri statũ gratiæ habitualis in exequendo opus bonum, per quod solvitur, & extinguitur debitum, nam in hoc non attenditur dignitas personæ ex gratia, quæ reddat opus meritorium, nam in opere bono meritum solùm requiritur ad merendum augmentum gratiæ, & vitam æternam, non verò ad extinctionem debiti pœnalis, quod per solam operis executionem tollitur reddendo tantùm, quantùm est debitum. Ità *Faber disp.* 37. *de Pœnit. num.* 57. *&* 61.

65 Contraria opinio, quòd requiratur status gratiæ habitualis in eo qui vult Deo satisfacere pro pœnis debitis peccatis iam remissis, est ferè omnium, exceptis Scotistis, *in* 4. *sent. dist.* 15. *ubi S. Thom. q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *D. Bonau. q.* 3. *art.* 1. *D. Anton. p.* 3. *tit.* 14. *cap.* 20. *§.* 2 & alii, ubi de satisfactione, & de Sacrificio missæ idẽ *D. Thom. par.* 3. *q.* 79. *art.* 2. *ad* 2. *de Lugo dis.* 19. *de Eucbar. num.* 194. *cum aliis Pasqual. quæst.* 80.

66 Probant primò referentes loca divinæ Scripturæ, ex quibus colligunt suam opinionem. *Primus Joan.* 9. 31. *peccatores Deus non audit*. Ergo nec eis dimittit pœnas. *Secundus Isajæ* 583. *quare jejunavimus, & non aspexisti? Humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Hæc sunt opera satisfactionis, quæ Deus aspicere non vult, nec scire, quia procedunt à peccatoribus. *Tertius proverb.* 15. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino* ergo Sacrificium factum à Sacerdote impio, & ab aliis peccatoribus cum eo offerentibus Dominus abominatur, & sic nullo modo eis prodest. *Quartus Proverb.* 15. 29. *longè est Dominus ab impiis, & orationes justorum exaudiet*. Ergo orationes impiorum reiiciet. *Quintus Eccli.* 34. 23. *dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine Sacrificiorum eorum propitiatur peccatis*, Reprobat ergo Dominus victimas, & orationes, quas peccator facit pro redemptione animæ suæ. *Sextus* ex D. Paulo I. Corinth. 13. 3. *Et si tradidero corpus meum, it aut arderem, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Magna quidem oblatio proprii corporis per martyrium, sed carens Charitate, & gratia Dei nihil prodest. *Septimus* ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. *Nã qui ex nobis tãquã ex nobis nihil possumus, eo cooperãte, qui nos cõfortat, omnia possumus.*

*Ità non habet homo undè glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto ſit, in quo vivimus, in quo movemur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Ex quibus verbis colligitur opera ſatisfactoria debere procedere ab exiſtente in gratia, quia ſunt fructus gratiæ Chriſti.

67 Reſp. primò ſingulis collectivè Deum in locis prædictis abominari, & reiicere orationes, jejunia, & victimas à peccatoribus factas, in ordine ad conſequendam gratiam, & vitam æternam, quia nihil coinquinatum poteſt introire in Regnũ Cælorum.

Reſ. 2. pro clariori intelligentia prædictorum, & corroboratione prioris reſponſionis, ſingula loca explicando.

68 Ad primum, *Deus non audit peccatores*, meritoriè, ſed impetratoriè, dicente D. Auguſt. ſuper Joannem apud D. Thomã 2. 2. *q.* 83. *art.* 16. *Si peccatores non exaudiret Deus, fruſtrà publicanus dixiſſet: Domine propitius eſto mihi peccatori.* Item S. Chriſoſt. ſuper Matt. homil. 18. in opere imperf. paulò ante medium. *Omnis qui petit, accipit, ideſt, ſivè bonus, ſivè peccator.* Deus ergò ex ſua miſericordia exaudit peccatores venientes ad pœnitentiam, & licèt quatenus peccatores non mereantur exaudiri de condigno, quia in ſe nullam habent dignitatem, ſed ſolùm peccatum, quod excludit gratiam, quæ ſola facit illum juſtum, & dignum ut à Deo exaudiatur ex Juſtitia, tamen ex congruo in miſericordia fundato exauditur peccator, quando humiliter petit exaudiri, vel ut liberetur à peccatis, vel ut exoneretur ab eorum pœnis, & ſi enim ſit peccator, talis tamen non eſt uſquequaq; nimirum reſpectu culparum, cum jam ſint dimiſſæ, non ergò quærit ſolutionem pœnarum ut peccator, dum non quærit ſolutionem pœnarum eorum peccatorum nondum dimiſſorum, in hoc enim nemo exauditur, niſi prius in ordine ad remiſſionem culparum, & deinde pœnarum. Deus ergò non exaudit peccatores, qui prius volunt remiſſionem pœnarum, quàm culparum, inordinata enim eſt petitio, & ideo indigna exauditione.

69 Ad ſecundum, Deus non reſpicit ad jejunia, & alia opera peccatorum, quæ vult ignorare, & neſcire, ut meritoria vitæ æternæ, cum non proſint ad vitam æternã, ergò non reſpicit ex juſtitia ſupponẽte meritum ex ſtatu gratiæ, quæ non eſt in peccatore, qui nihilominus ex miſericordia auditur à Deo, qui ejus jejunia reſpicit in ordine ad ſatisfactionem non requirentem aſpectum Dei gratioſum, ſed ſolam pœnarum ſolutionem. Deus igitur jejunia non reſpicit peccatorum, quia ut ait Gloſ. interlin. *Ideò non exaudio, quia ſine miſericordia & pro laude, & pro vana gloria jejunatis.* Finis ergò horum jejunantiũ non erat bonus, ideò non exauditur à Deo, ſed reprobatur, ſic qui implet Pœnitentiam à Confeſſario impoſitam ob vanam gloriam non ſatisfacit, quia opus nõ ordinatur ad Deum, illi ergò volebant juſtificari ex illis jejuniis malo fine factis, quaſi Deus teneretur ex Juſtitia acceptare illa, ad merendum vitam æternam.

70 Ad tertiũ, victimæ impiorũ ſunt abominabiles Deo, quia Sacerdos celebrans peccat mortaliter exiſtẽs in peccato mortali, Deus ergò abominatur celebrationẽ factã ab improbo Sacerdote, non verò orationem alterius peccatoris petentis Sacrificiũ pro redẽptione animæ ſuæ, quia ipſe nõ peccat in hac actione, cũ non celebret, illi ergò prodeſt Sacrificiũ ex opere operato, quia improbitas Sacerdotis, ut dixi *q.* 11. non nocet petẽtibus Sacrficium miſſæ.

71 Ad quartum *longè eſt Dominus ab impiis* per gratiam juſtificantem, inquit ibi Lyranus, præſens verò per eſſentiam, & potentiam, ſicut & per gratiam actualem, qua peccatorem ſicut movet ad pœnitentiam, ut illũ ſibi faciat præſentẽ per gratiam juſtificantem, ità & eadem gratia auxiliatrice eidem cooperatur ad ſolutionem pœnæ. Deus ergò longè eſt ab orationibus impiorum, quia eas non exaudit de condigno, ſicut orationes juſtorũ, quæ propè illum ſunt ex condigno, ſed tantũ de congruo extinguendo debitum.

72 Ad quintum, verum quidem eſt, quòd Deus non probat dona, oblationes, & Sacrificia iniquorum in ordine ad merendum, quia peccator cum careat principio vitæ ſpiritualis, quod eſt gratia habitualis, per quam ſolùm meritoriè operari poteſt, ideò præfatæ operationes ſinè gratia factæ à Deo non acceptantur, nec probantur, ut meritoriæ vitæ æternæ, nõ verò reiiciuntur, ſed approbantur ex auxilio divinæ gratiæ, per quam Deo moventi cooperatur peccator ad ſatisfaciendum pœnis debitis ejus peccatis jam remiſſis.

73 Ad ſextum, eadem reſponſio danda eſt ad illud Pauli; ſi enim tradidero corpus meum, itàut ardeam non habens Charitatem nihil mihi prodeſt ad vitam æternam; martyrium nihil mihi prodeſt, dum nolo pœnitere de peccatis in actu martyrii, quod quandoque ab aliquo accipi poteſt ex laude propria, & vana gloria, ut docet ad rem S. Auguſt. in Pſal. 43. & ideo meritoriè tùm non prodeſt, neq; de congruo, dum in ipſa operatione bona admiſcetur peccatum, quod opus de bono facit malum, ſi autẽ in executione boni operis, non pecco mortaliter prodeſt mihi ad extinctionem debiti, quia honeſtè, & bono fine factum eſt, & conſequenter à Deo acceptatur.

74 Ad ſeptimũ, qui eſt locus Tridẽtini, ex quo

quo adversarii inferunt existentiam necessariam gratiæ justificantis ad satisfaciendum. Respondetur, Concilium aliud non intendere, nisi quòd ibi expresè determinat, nimirum, satisfactionem, quā pro peccatis nostris exsolvimus, procedere à Christo Jesu, & non ex nobis, quia tamquam ex nobis nihil possumus, viribus naturæ, ne sentiamus cum Pelagianis, sed cum Deo movente nos cooperamur ad nostram satisfactionem, quam Deus acceptando delet debitum de libro pœnarum, non est ergo necessaria gratia habitualis, sed sufficit actualis ad satisfaciendum, sicut sufficit ad acquirendas alias partes Sacramenti Pœnitentiæ. Vide Fabrum dictis respondentem eadem *disp. 35. à num. 129. ad 131.*

Probant secundò, quia nemo potest satisfacere, nisi dum cum Christo vivit, ut colligitur ex *cap. 8. sess. 14.* ubi ait quod *omnis gloriatio nostra in Christo est in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ.* Sed solum Dei gratiam habens vivit in Christo, ergo satisfacere non potest existens in peccato, cum neque faciat peccator fructus dignos pœnitentiæ.

75 R. Eam auctoritatem *ex Act. Apostol. cap. 17. num. 28. In quo vivimus, & movemur, & esumus*, illum habere sensum ex Lyrano, quod vitam, motum, & esse à Deo habemus non solùm quoad naturalia, sed etiam quoad spiritualia, hæc enim habet omnis homo à Deo in esse naturę, ac proindè ut peccator, quia concipitur, & nascitur in peccatis, ergo peccator est, vivit, & movetur in Deo, cum ab eo omnia habeat non solùm secundùm naturam, sed etiam secundùm mores, & spiritum, nàm homo peccator per gratiam actualem vivit, & movetur ad operationes spernaturales, ut acquirat gratiam, quam amisit per peccatum, & sicut sine gratia habituali cum sola actuali movetur à Deo ad se disponendum ad habitualem, ita & cū ea sola movetur ad satisfaciendum Deo, cum quo dicitur facere fructus dignos Pœnitentiæ, in quantùm satisfactio est illi fructuosa, dum extinguitur per eam debitum. Fructus ergo dignos pœnitentiæ facere dicitur peccator solutione pœnarū ex divino auxilio, non ex dignitate meriti, sed ex congruitate operis, quod tantùm est, quantùm est debitum per illud dimissum. Sufficit ergo vita actualis gratiæ sine habituali ad deletionem pœnarū, sicut sufficit ad delenda ipsa peccata.

Probant tertiò, quia in humanis creditor non acceptaret satisfactionem sibi debitam ab inimico oblatam vel per se vel per alium, licèt enim sibi res grata sit, non tamen illi gratum est, quòd offeratur ab inimico, ergo idem dicendum est respectu Dei, qui est creditor peccatorum sibi inimicorum.

76 Respondetur ex dictis, Christum remittere debita servis etiam nequis, ergo ea acceptat, quod nō contingit sine remissione, acceptatio enim debiti extincti refertur ad Justitiam vindicativam, non ad amicitiam, peccator enim prævia dispositione reconciliatur Deo per contritionē, seù absolutionem Sacramentalem, remissione peccatorum quoad culpam, & quoad pœnam æternam, & temporalem ex parte, ergo à fortiori sine gratia habituali pœna temporalis est remissibilis, sicut fuit remissibile peccatum eidem peccatori, peccatum enim mortale pugnat cum gratia habituali, quæ illud destruit, nō verò cum satis factione, ideò peccatum ejus solutionis effectū impedire nō potest.

Probant 4. Quia Sacrificium Crucis nō fuit oblatum pro peccatoribus, nisi in ordine ad illos sublevandos à peccatis, non autem pro satisfactione pœnæ, quia ut tales sunt destinati pœnæ æternæ, quæ non est remissibilis, ergo nec præsens Sacrificium, quod totam suā vim habet ab illo.

77 R. Cum Sacrificium tàm cruentum, quàm incruentum fuerit institutum non solùm ut propitiatorium, sed etiam ut satisfactorium ex definitione Concilii *sess. 22. can. 3.* evidenter patet illud antecedens esse falsum, & licèt peccatores quatenùs tales in peccato mortali decedentes sint destinati ad pœnam æternam, tamen cū Dei auxilio antequam Deo reconcilientur per Pœnitentiam, benè agere possunt ad satisfactionem, si non respectu peccatorum jam remissorum, quibus respondet
78 propria satisfactio independenter ab aliis, & sicut in humanis potest solvi unum debitum alio non soluto, quando non habēt connexionem ad invicem, ità & potest peccator solvere unum debitum sine alio, quod nondum maturatum est, quale dicitur illud, quod est coniunctum cum peccato nondum remisso, quod dicitur maturari remissione peccatorum.

Probant 5. Christus semper habuit suā voluntatem conformem voluntati Patris, ergo cum Deus odio habeat peccatores, debet etiam Christus odisse illos, ne discrepet à voluntate divina, ergo non potuit conferre beneficia illis, quæ relinquerent in statu inimicitiæ cum Deo, nàm hoc esset exercere inimicitiam simul cum inimicis Dei, ac proindè Christus fieret inimicus Dei, amicus enim mei inimici est meus inimicus, *Glos. V. Nolite cap. 1. dist. 93. Decius in cap. ex insinuatione, de appellat. num. 5.* ergo nec potuit instituere Sacrificium pro remissione pœnæ temporalis ad favorem peccatorum, qui sunt Deo inimici.

79 R. Voluntatem Christi semper fuisse conformem voluntati paternæ, & filius nihil contrà voluntatem Patris intendit, dum ergo instituit Sacrificium Missæ secundùm esse propitiatorium,

rium, & ſatisfactorium fecit illud, ut hoc eſt de fide *ſeſſ.* 22. *can.* 3. ergo ſecundùm Dei voluntatem illud inſtituit, ut prodeſſet peccatoribus ut propitiatorium, & eiſdē ut ſatisfactorium. Chriſtus ergo confert beneficia peccatoribus non ſolùm inimicis Dei, ſed etiam ipſi Chriſto, qui ſicut pepercit ſuis formalibus inimicis in ſua paſſione, ità à fortiori parcit peccatoribus acceptando eorum ſatisfactionem in extinctionem debitorum, dum bene agendo donat tantùm, quantùm debent ex pœnis temporalibus, non obſtante inimicitia, quæ non impedit ſolutionē debitorum, cum Deus ipſe dimiſſerit omne debitum ſervo nequam; Chriſtus ergo ſimul cum Deo benefaciens ſuis debitoribus eis dimittendo, Deo non fit inimicus, dum idem operatur cum Deo parcens peccatoribus; juſti enim non egent parcitione, cum peccatis, nec pœnis ſunt obnoxii, ſicut peccatores, pro quibus ſunt inſtituta Sacramenta, & Sacrificium miſſæ.

80 Ad illud *Deus odio habet peccatores*, juxtà *Pſalm.* 118. *iniquos odio habui*. Reſpondent communiter Sancti Patres, quòd Deus odio habet peccata, non perſonas peccatorum, non enim Deus, qui præceptum dedit de dilectione inimicorum à Chriſto promulgatum, illud convertit in odium, dum enim peccatores punit, diligit, non odit, juxtà illud *quos amo, bos corrigo*, & quando eos impœnitentes condemnat ad mortem æternam, non dicitur habere eos odio, ſed exercere Juſtitiam vindicativam contrà illos, juxtà eorum demerita.

81 Colligitur ex dictis, exiſtentem in peccato mortali poſſe adimplere Pœnitentiā ſibi impoſitam à Confeſſario, & etiam ſatisfacere ſuis pœnis mediante Sacrificio miſſæ ſibi applicato etiam exiſtenti in peccato mortali, & in utroq; caſu ex opere operato; & ulteriùs quilibet peccator ſatisfacere poteſt ex opere operantis, jejunando, orando, eleemoſynam faciendo cum intentione, ut à Deo dimittantur ſibi pœnæ. Ratio communis ea eſt, quia quodlibet bonum opus voluntariè aſſumptum pro peccatis aptum eſt ad deletionē pœnarum independenter ab amicitiā Dei

82 quia parcitur, non amicis, quia inoffenſi ſunt Deo, ſed inimicis, qui offendunt, amicitia ergo eſt juſtorum, & amicorum Dei, inimicitia verò peccatorum, quibus Deus parcit, acceptando illud opus bonū in ſolutionem ſuorum debitorum, quibus æquivalet, præſcindendo à quibuſcumq; aliis circumſtantiis, cùm non ingrediantur in opere, quia non habent rationem debiti.

83 Confirmatur, quia ratio amicitiæ, in qua potiſſimùm urgent Adverſarii, non pertinet ad conſtitutionem pœnæ, neq; ad ejus ſolutionem, non ad primum, cum illam peccator contrahat ex peccato, cujus eſt effectus, & afficiatur regulariter pœnitens ante abſolutionem à Confeſſario, ac proindè reſpicit illum ut peccatorem, ergo excluditur ratio amicitiæ, dum pœna ex ſua conditione refertur ad rationem peccati, cum quo non poteſt ſtare amicitia. Neque ad ſecundum de ſolutione, quæ ſolùm importat, ut tantùm reddat, quantùm debet ut debitum extinguatur, & cum pœna etiam in actu ſolutionis referatur ad debitorem propter pec-

84 cata, nàm pœna eſt effectus peccati, ſequitur potiùs hìc ſpectandam eſſe rationem inimicitiæ, quàm amicitiæ, ergo hæc non facit ad ſolutionem debiti.

Dictum fuit in noſtra concluſione, hoc eſt, in reſponſione ad quæſitum, quòd peracta pœnitentia ſtatim à Deo deletur debitum pœnarum à libro Purgatorii creditoris. Id autem probatur à ſimili in

85 humanis, nàm creditor accepto pretio pro ſolutione debiti, ſtatim obliterat partitam, & nomen debitoris ex libro, quia ſatisfecit, ità idem dicendum eſt reſpectu Dei, qui ut creditor recepto pretio bonorū operū ſtatim delet nomen debitoris, cū ſatisfecerit, cùm enim ampliùs non ſit debitor, Juſtitia non patitur, ut remaneat ulteriùs nomen debitoris in libro, cum ſolverit id totum, quod debebat, nàm ſolutio eſt eſſentialiter, & formaliter extinctio debiti, ergo poſita ſolutione pœnæ ponitur ex tunc extinctio debiti. Ità

86 *Brancatus diſp.* 22. *de Pœnit. art. fin. n.* 275. *colligitur ex Scoto in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *num.* 16. *verſ. & ſi arguas, ibidem Hiquæus num.* 108. 141. 149. *Faber. diſp.* 35. *de Pœnit. num.* 134. *Megal. de Pœnit. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 11. *verſ. Alii autem citati Navar. cap.* 3. *num.* 6. *Marſil. in* 4. *q.* 11. *art.* 3. *Medina C. de Confeſſ. q. de Pœnit. iniuncta*, dicens, hanc eſſe veriorem, & cupere, eam eſſe perſuaſam, & vocat probabiliorem, eandem ex Scoto, & aliis tenet Cotonius *noſter lib.* 2. *contr.* 10. *cap.* 3. *num.* 50. nàm ſatisfactio non eodem paſſu currit cum merito, hoc enim radicem habet in Charitate, illa in voluntaria pœnalitate, & ideò etiamſi in mortali fiat, elevari poteſt, inquit, virtute Sacramenti ad producendam remiſſionem, tunc ex opere operato culpæ jam remiſſæ, imò ſupponitur elevata à quocunque fiat cum ſemper ſit pars Sacramentalis à quocumque fiat ſivè à juſto, ſivè ab iniuſto.

87 Contraria opinio, quòd ſatisfactio à peccatore facta tunc non ſortiatur ſuum effectum, ſed ſolùm eo tempore, quo erit conſtitutus in gratia, remoto obice peccati, eſt *Suarez de Pœniten. diſp.* 38. *ſect.* 4. *numer.* 9 *de Lugo diſp.* 25. *numer.* 40. *Diana reſol.* 85. *de Sacram. Barb. ad cap.* 8. *ſeſſ.* 14. *numer.* 5. & aliorum multorum apud illos. Probant *primò*, quia dum recipiuntur alia Sacramenta in peccato mortali, ut Baptiſmus, & Confirmatio, remoto

moto obice peccati mortalis, acquiritur ab illis gratia, quam fuissent consecuti, si ea Sacramenta recepissent sinè obice; sed satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, ergò sicut alia Sacramenta producũt suum effectum remoto obice, ità & satisfactio. *Secundò* satisfactio cum sit pars sacramentalis Pœnitentiæ, suum effectum operari debet, sicut aliæ ejusdem partes; sed Pœnitentia operatur suum effectum recedẽte fictione, ergò & satisfactio, cum sit ejus pars. *Tertiò* in fine *cap Quærat* 44. *dist. 3. de Pœnit.* sic legitur: *Satisfactionis fructum non percipit impeditus peccato, quod non deseritur, percipitur autem, cum ejus Pœnitentia fuerit subsecuta, sicut ad lavacrũ fictè accedens regenerationis Sacramentum accipit, non tamen in Christo renascitur, renascitur autem virtute Sacramenti, quod perceperat, cum fictio illa de corde ejus recesserit veraci Pœnitentia.* Clarum ergò est, non extingui debitum tunc, cum fit Pœnitentia in peccato mortali, sed post remissionem ejusdem mortalis peccati.

88 Sed cõtrà est, quia reverà simul est extinctio debiti, dum fit actu Pœnitentia à peccatore, non enim diversa sunt, & separabilia solutio, & extinctio, cum omninò sint idem, per solutionem enim debitor liberatur, ac proindè creditor è libro obliterat creditum suum, & nomen debitoris. Si debitor soluta satisfactione adhuc viget debitum v. g. jejunii, ergò tenetur jejunare, ut satisfaciat, & extinguat debitum, sed si millies jejunaret cum eodẽ peccato mortali, nunquam fructuosè satisfaceret, nec debitum extingueret, cũ non sit major ratio, cur extinguatur debitum per unum, aut alterum jejunium, si non extinguitur per primum, cùm in omnibus remaneat semper idem impedimentum, ut supponitur; hoc autem est absurdum, & expressã continens injustitiam, si pœnitens millies jejunet, & centies puniatur pro unica pœna, & adhuc maneat reatus ad eandem pœnam, non enim Deus idipsum bis punit, quia esset iniquus, undè D. Ambr. relatus cap. Prima 41. dist. 3. de Pœnit. inquit. *Et si fides desit, pœna satisfacit, & relevat.* Hæreticus, cui fides deest, sumendo voluntariè pœnam sibi, impositam à Confessario antequam deficeret, consequitur illius satisfactionem, hoc est solutionem, & relevationem, hoc est, extinctionem debiti; utilis ergò, & fructuosa est Pœnitentia facta in peccato mortali, quia Deus extinguit debitum, & obliterat nomen debitoris, cui tamen dicitur inutilis, & infructuosa ad meritum, cùm per eam exsolutam in peccato nõ mereatur vitam æternam, nec gratiæ augmentum ob mortale illi adversans.

89 Ad primum, remoto obice subiectum recipit gratiam, quia ea Sacramenta cũ non sint reiterabilia, necesse est, quòd ex eis quandoq; fluat gratia, cum omne Sacramentum ordinetur ad conferendam gratiam, remota ergò fictione ea Sacramẽta sua virtute relicta in caractere gratiam producunt, quia tunc non habet recipiens obicem obstantem gratiæ. Satisfactio autem quamvis sit de genere Sacramentorum, quia est pars Sacramenti Pœnitentiæ, nullum habet obicem impedientem ejus effectum extinctionis scilicet debiti, ergò dum fit, suum sortitur effectum, & non manet in suspenso. Ulteriùs argumentum procedit de effectu gratiæ suspenso, & impedito à peccato mortali, nos loquimur de extinctione debiti, quod nullam habet repugnantiam cum peccato, quia Christus servo nequam dimisit debitum.

90 Ad secundum, nolo modò disputare, an detur Sacramentum informe Pœnitẽtiæ, respondeo, eo supposito Pœnitentiã operari suum effectũ remoto obice, quia peccatum, & gratia simul stare non possunt, sicut extinctio pœnæ, & peccatum in satisfactione, quæ soluta in peccato mortali extinguit debitum, quod stare potest cum peccato mortali, ad cujus adventũ non destruitur reatus pœnæ, neq; impeditur ejus destructio, cum à sola solutione pœnæ pendeat.

Ad tertium, adducta auctoritas *à Castropal p. 21. de Pœnitent §. 2. num. 3. Vers. Anverò*, non est alicujus S. Patris, sed Gratiani, qui adhuc interpretari potest, quòd loquatur de fructu gratiæ non collatæ à satisfactione ejus, qui existit in peccato mortali ob contrarietatem eorũ inter se, conferendę post remotionẽ peccati: non verò de fructu extinctionis debiti pœnarum, qui certè illi utilis est, & fructuosus, quia ãpliùs eam pœnã jam solutã ãpliùs nec in hoc sęculo, nec in alio pati debet.

Quæres 13. Quomodo intelligenda sit illa distinctio operis distributi in mortuũ, in mortificatum, & mortiferũ? Et sub quo sit satisfactio facta in peccato mortali?

91 R. Opus mortuum est illud, quod caret vita spirituali in operante, hoc est, gratia habituali justificãte, quale est illud, quod fit ab homine existente in peccato mortali, qui cùm non habeat vitam spiritualem in se ipso, per eam gratiam, obstante peccato mortali, non potest tribuere ea mediante vitam suis operibus, quæ proindè dicũtur ab eo procedere mortua, & sine vita, cujus principium est gratia ipsa habitualis, quæ informat ad vitam bonum opus, quod per eam appellatur vivum, per gratiam ergo bonum opus dicitur vivum, sicut per peccatum vocatur mortuum. Quamvis bonum opus in mortali factum sit mortuum, non est tamen usquequaq; & omnibus modis mortuum, licèt enim in naturalibus mortuũ animal ità sit mortuũ, ut nihil vitę habeat in se, nihilominus in moralibus homo potest di-

ci

ci mortuus quoad aliqua, & vivere quoad alia, licèt careat in totum vita gratiæ habitualis, non tamen caret gratia actuali, dum cum Deo movente bene operari potest; & est simile, quod dicitur de Religioso professo, qui mundo dicitur mortuus, quoad aliqua e. g. quoad proprietatem, quia ad eam se fecit inhabilem, & mortuum per votum paupertatis, vivit verò, in quantùm retinuit capacitatẽ
92 e.g. ad acquirendum pro monasterio suo'. Itaque opus licèt bonum, est mortuum quoad vitam æternam merendam, si
93 enim peccator mille bona faceret, nihil illi prosunt ad merendam vitam æternã, cum opera non sint meritoria de condigno, defectu gratiæ habitualis. Non est verò mortuum quoad alia, quæ non præsupponunt meritum de condigno, quæ vitã habẽt fructuosam ex gratia actuali, per quam homo benè operans disponitur ex alio merito, quod vocatur de cõgruo, ad quatuor consequenda; nempè ad consequendam gratiam cum remissione peccatorum, ad obtinenda bona temporalia pro corpore, ad affluefactionem bonorũ operum, ut docet D Thomas *par. 3. q. 89. art. 6. ad 3.* Addo quartum cum Scotistis, & aliis, juxta dicta sub *q. præced.* nempè prodesse ad satisfactionem pœnarum, & earum solutionem, & extinctionem, *Glos. V. Prodest, cap. Nihil 21. dist 3. de Pœnit. Nihil prodest ad vitam æternam, prodest tamẽ ad minus supplicium subeundũ*, id confirmãs *ex D. Aug. relato cap. fin. ibid.* illis verbis: *Nihil prodesse intelligitur ad Regnum Cœlorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius supplicium subeundum.* Lege totam eam distinctionem, quæ de operibus mortuis loquitur, ubi manifestè colliges, sanctorum Patrum concordem esse sententiam, opera mortua nihil prodesse ad vitam æternam, utique verò ad consequenda præfata quatuor bona licèt facta in peccato mortali, quia Deus nullum relinquit bonum irremuneratum. Vide Scotum in *4. dist. 22 q. Un* cum suis Comment. Fabrum *disp. 42. de Pœnit.* Itaque bona opera respectu satisfactionis non solùm Sacramentalis, sed etiam voluntariè facta à peccatore non dicuntur mortua, sed prodesse in ordine ad extinctionem pœnarum.

94 ℟. Secundò, opus mortificatum dici illud, quod antecedenter factum per existẽtem in gratia, mortificatur per superveniens peccatum mortale. Ista autem mortificatio homini nocet in ordine ad vitam æternam, in quantùm illud bonũ opus, si moretur homo in peccato mortali, illi prodesse non potest, nec retrahere ab æterna damnatione, in hoc sensu dicitur mortificatum, resurgente verò à peccato per Dei gratiam, illud opus reviviscit per eam, illud autem peccatum superveniẽs *in alio* nõ dicitur mortificare illud bonum opus factum in gratia, siquidem juvat ad resurgendum à peccato, & debitum pœnarum extinctum nullo modo mortificat, quia extinctio earum omninò manet sicut prius. Mortificatio igitur refertur ad ea, quæ sunt de condigno, non verò ad alia, quæ sunt de congruo lege præfatos cum D Thoma *p. 3. q. 88. art. 1 ad 3.* Itaque hæc mortificatio in nullo nocet satisfactioni pœnarum.

95 ℟. Tertiò, illud dici opus mortiferum, quod causat mortem in operante, quia sic agendo peccat mortaliter, opus autẽ aut est de se malum, ut homicidium, blasphemia, furtum &c. vel est de se bonum, ut jejunare, dare eleemosynam, corpus mortificare &c. quod malè exit in actum, cum sit ex pravo fine, ut qui jejunat ex vana gloria, qui dat eleemosynã, ut luxurietur cum fœmina, qui publicè catenis ferreis corpus suum verberat, ut nonnulli Religiosi Romæ volebant facere, sed gratiam non obtinuerunt, quia eos non spiritus veritatis, sed superbiæ, & ambitionis volebat excæcare, finis ergò est qui specificat actiones nostras, bonas quidem à fine bono, malas à pravo fine. Hoc opus sivè bonum in se, sed ex circunstantia malum, sivè de se malum nullo modo prodest nec de condigno, nec de congruo consequenter, nec prodest satisfactioni pœnarum in Purgatorio luendarum. Quare qui jejunat ex vana gloria etiam cum intentione solvendi Deo hujusmodi debitum nihil facit, nec extinguit debitum hujusmodi, quod cũ Deo habet quia sicut in humanis solutio pecuniæ reprobæ non liberat debitorem, *l. Eleganter 24. §. Qui reprobus ff. de pignorat.*
96 Ità neque in spiritualibus, cum tale opus non sit bonum, sed malè factum ex circunstantia mala finis, juxta quod dixi supra sub *num.* 70. Victimæ enim improborum sunt abominabiles, aliud enim est peccare in faciendo bono opere, quòd nullo modo prodest, aliud est *faciendo* bonum opus sine peccato, quando fit per existentem in peccato mortali.

Quæres 14. An missa impro bi Sacerdotis tantùm valeat, quantùm missa dicta à bono Sacerdote? Suprà q. 11. eidem.

97 ℟. Affirmativè ex parte operis operati, quia fructus ex hoc capite pendet tantùm à Sacrificio secundùm se spectato, quod est hostia pura, sancta, & immaculata, quæ à nullo maculari potest, ergo à quocumque Sacerdote immolata semper efficax est eodem modo. Quod procedit etiam respectu totius Ecclesiæ offerentis, quia ex articulo fidei Ecclesia est sancta, pura, & munda, quocunq; Sacerdote offerẽte, quia offert in persona Christi, & in nomine Ecclesiæ. Est cõmunis *ex S. Thoma p. 3. q. 82. art. 6. Navar. cap. 25. n. 79. & 111. Miranda tom. 1. q. 41. art. 22. Suar. disp. 79. de Sacram.* Missa verò mali Sacerdotis quo-

quoad opus operantis nullam habet satisfactionem, aut impetrationẽ, quia Deus execratur orationes improbi Sacerdotis ratione sui. Ità D. Thom. cit. Et ex hoc capite fructuosior est missa boni Sacerdotis, quàm mali, *ex eodem ibidem, & in 4. dist. 13. q. 1. art. 4. cum Pasq. q. 130. ex cap. Ipsi Sacerdotes 1. quæst. 1.*

## CAPUT NONUM.

*De applicatione Sacrificii Missæ.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Fructus Sacrificii triplex, generalissimus pro tota Ecclesia; specialissimus pro Sacerdote; specialis, seù medius pro petentibus.*
2 Pontifex ex hominibus assumptus *idest Sacerdos.*
3 *Generalissimus, & specialissimus censetur de se applicatus ex sola celebratione, non medius, nisi petitus applicetur.*
4 *Primi duo auferri non possunt ab aliquo.*
5 *Applicare Sacrificium est rogare Deum, ut dignetur facere participem illum, pro quo celebratur.*
6 *Applicatio illorum trium fructuum est de jure institutionis ipsius Sacrificii.*
7 *Monica Sancta moriens rogavit filium Augustinum, ut pro se applicaret Sacrificium.*
8 *Intentio pro applicatione sufficit etiam habitualis.*
9 *Intentio est tendentia voluntatis in obiectum optatum.*
10 *Actualis est ejusdem tendentia in obiectum tunc memoratum.*
11 *Virtualis est perseverantia actualis non revocatæ adhærentis alteri actui ordinato ad opus intentum ex eadem præcedenti intentione actuali, intellectu actu non advertente ad opus.*
12 *Voluntas, de cujus revocatione non constat, præsumitur durare.*
13 *Habitualis intentio est perseverantia ejusdem actualis in eo, quòd hæc non fuit revocata, undè caret medio, in quo perseveret, illud verò habet virtualis.*
14 *Dans eleemosynam ignorans esse debitorem pauperi satisfacit.*
15 *Habitualis sufficit ad applicationem, non ad Sacrificandum.*
16 *Applicatio fieri potest usque ad consumptionem, & non ultrà, cum non amplius sit Sacrificium, quod operetur.*
17 *Et hæc opinio est melior, quam dicentium terminari consecratione calicis.*
18 *Applicatio tunc sortitur suum effectum, cùm est factum Sacrificium, & non ante.*
19 *Sacerdos solus publicè, & ministerialiter applicat pro aliis.*
20 *Circunstantes quoque utrumque opus suum aliis offere possunt.*
21 *Personæ vagæ, & indeterminatæ non applicatur.*
22 *Anticipatæ missæ dici non possunt pro daturo eleemosynas.*
23 *Secundus Sacerdos non applicat, dum mortuus applicavit.*
24 *Sacrificium quoad duas actiones dicitur perfici in secunda, in re autem tàm est perfectum in prima, quàm est in secunda.*
25 *Tantùm recipit fructus communicans in una specie, quàm in omnibus.*
26 *Applicatio relinqui potest determinanda à Deo.*
27 *Libertas alia contrietatis, & specificationis, alia contradictionis, & exercitii à Deo semper movetur juxtà ejus exigentiam.*
28 Sine me nihil potestis facere. *Nisi vos moveam ad opus.*
29 *Movet etiam ad actum peccati, sed non ad culpam consequentem; non peccat, quia non habet debitum producendi actum rectum.*
30 *Consecratio non potest remitti in voluntate alterius, sicut applicatio, quia illa fit in persona Christi, non ista.*
31 *Novelli Sacerdotes verè de per se celebrant cum Ordinatore, & stipem recipere possunt pro applicatione propria independenter ab Ordinatore celebrante.*
32 *Non dicuntur illius instrumenta, nec illi accessorii, sed singuli agunt de per se concordantes in recitatione, non in applicatione.*
33 *Accessorium semper quid minùs principali.*
34 *Tot sunt Sacrificia, quot personæ consecrantes cum Episcopo.*
35 *Applicatio semel facta est irrevocabilis.*
36 *Sivè fiat ante, sivè post consecrationem.*
37 *Attentata applicatio secunda nulla est.*
38 *Revocatur solùm id, quod existit.*
39 *Applicationi priori non derogatur per secundam, cum prior ampliùs non sit in potestate applicantis, sicut lex in potestate legislatoris.*
40 *Revocatio tacita in favorabilibus non datur, sed expressa est necessaria.*
41 *Applicatio de præsenti sub conditione si non valet pro Paulo, valeat pro Petro.*
42 *Valet pro eo, qui primò solverit promissam stipem.*
43 *Fructus jam applicatus non potest transferri in alium, nec qui nullum habuit effectum.*
44 *Applicatio ergo, ut possit transferri debet esse conditionata.*
45 *Superiores possunt præcipere suis subditis, ut applicent pro benefactoribus.*

46 *Non debet Superior præcipere celebrationes unius Conventus pro alio.*
47 *Præceptum de quotidiana celebratione excludit unum diem ſingulis hebdomadis pro beneficio celebrantis.*
48 *Præcipere non poteſt, ut celebrent pro ſe præcipiente.*
49 *Præcipit cum decreto irritante, & ſimul applicante.*
50 *Non obſtante, quòd applicatio ſit actus internus, quia coniungitur cum externo celebrationis.*
51 *Decretum irritans impedit, ne actus exeat in eſſe validum.*
52 *Religioſus caret velle, & nolle.*
53 *Deus dat poteſtatem Sacerdoti, ſed quoad moderationem non eximit à poteſtate ſui Superioris.*
54 *Oblatio alia conſecrativa, alia applicativa, ratione primæ ſoli Deo ſubeſt, ratione ſecundæ etiam Superiori.*
55 *Sacerdos in nomine, & perſona Chriſti conſecrat, applicat verò ſolùm in nomine ejuſdem.*
56 *Velle, & nolle caret Religioſus etiam reſpectu celebrationis, quæ poteſt regulari à Superiore.*
57 *Noſtra opinio de applicatione melior eſt, & probabilior.*
58 *Opinio Superioris, & ſubditi in re certò licita prævalet.*
59 *Superior habens jus præcipiendi, poteſt ſuo præcepto addere quodcumque efficax remedium.*
60 *Epiſcopus eandem poteſtatem habet, quam Superior regularis.*
61 *Applicatio ſemel facta non poteſt in alium transferri.*
62 *Peccat contrà Juſtitiam promiſſam miſſam ex ſtipendio non celebrans, & tenetur reddere ſtipendium.*
63 *Sola miſſæ omiſſio arguit peccatum contrà Juſtitiam.*
64 *Non verò præferre poſteriorem miſſæ creditorem priori.*
65 *Neque retardatio, & mora in celebrando.*
66 *Neque ex his dicitur damnum inferri, quod ſit reficiendum.*
67 *In dubio miſſa petita ſemper includit applicationem, niſi expreſsè petita commoditate audiendi illam, excludat applicationem.*
68 *Si nulla fiat mentio miſſæ, nemo ad miſſam tenetur.*
69 *Recipit tunc duo ſtipendia, & pro applicatione, & pro commoditate.*
70 *Novellus Sacerdos tres miſſas de Spiritu Sancto, de Virgine, & pro defunctis tenetur poſt primam ſub mortali dicere.*
71 *Secundùm earum qualitatem.*
72 *Applicato Sacrificio ex ſtipendio accepto.*
73 Etiam *eſt dictio excluſiva præcedentis obligationis, dum alia ſubſequenter exprimitur.*
74 Pro defunctis, *ideſt*, de defunctis.
75 *Conventualis miſſa eſt capax ſpecialis applicationis etiam in Cathedralibus.*
76 *Etiam quæ dicitur prima die menſis non impedita.*
77 *Miſſa diei Commemorationis defunctorum non vacat pro Capellano, qui debet celebrare generaliter, & ſpecialiter pro ſuo fundatore.*
78 *Applicatione fructus generaliſſimi non ſatisfit.*
79 *Recipiens ſcienter incongruum ſtipendium tenetur applicare integrum Sacrificium.*
80 *Tempus modicum pro celebratione eſt bimeſtre.*

1 FRuctus, quem fideles percipiunt ex Sacrificio miſſæ, triplex eſt, ut communis eſt Theologorum ſententia, de quo dixi latiùs præcedenti cap. q.9. Generaliſſimus pro tota Eccleſia; ſpecialiſſimus pro ipſo Sacerdote; & ſpecialis dictus etiã medius pro petente eum ſpecialiter pro ſe, vel ſuis. Circà horum oblationem, & applicationem hìc agendum eſt, & potiſſimùm de modo applicandi fructum medium, nàm loquendo de aliis duobus nulla ferè eſt difficultas, quia ex ordinatione Eccleſiæ, & quaſi ex natura, & inſtitutione ipſius Sacrificii, hoc ipſo, quòd miſſa celebratur cenſetur facta oblatio, & applicatio generaliſſima, & ſpecialiſſima, quia Sacerdos debet ſe conformare juri divino celebrando pro populo generaliter, & pro ſe, ut dicitur ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex,*
2 ideſt, Sacerdos *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ità etiã & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Ex quibus verbis manifeſtè apparet duplex ille fructus applicatus ex vi Sacrificii toti populo, & ipſi Sacerdoti celebranti, ibi; *Pro populo, & pro ſemetipſo.* Applicatio illius non minuitur ex multitudine populi, nec augetur ex ejus paucitate, cum ſit hujuſmodi fructus generaliſſimus pro tota Eccleſia militante tàm inter vivos, quàm inter mortuos infinitus ſincategorematicè adeo quòd unicuiq; fideli vivo, vel mortuo capaci applicetur certa portio ſoli Deo nota, ità quòd in concurſu hujus ſanctæ participationis unus alteri non præjudicet.
3 Fructus ergo generaliſſimus, & ſpecialiſſimus dicitur applicatus populo, & Sacerdoti per ſolam celebrationem, nec Sacerdos aliquem privare poteſt illo generaliſſimo fructu, quia non poteſt adverſari in hoc divinæ voluntati, quæ Sacrificium ità inſtituit, ut pro populo
4 offeratur, & pro ſeipſo, qui tamen proprium amico donare poteſt, ut probavi

cap.

*cap. præced. num.* 40. Reliquum est, ut agamus de fructu medio, & speciali, quomodo sit applicandus petenti missam celebrari pro se, vel pro suis. Quibus positis.

Quæres 1. Quid sit applicare Sacrificium alicui?

5 R. Est illud offerre Deo, rogando ipsum, ut dignetur illum, pro quo offertur, facere participem mediæ portionis fructus Sacrificii. Qui ergo offert Sacrificium Deo pro aliquo, vel aliquibus personis, sivè vivis, sivè defunctis dicitur illis applicare fructum medium, quod idem importat, ac pro illo determinatè celebrare missam. Contingere autem potest hæc applicatio, vel ex Charitate, ut cùm Sacerdos nullo accepto stipendio, applicat missam secundum fructum generalissimum, & specialissimum, imò & specialem; vel ex Justitia, suppositio scilicet stipendio, qua ratione celebrans pro tertio, qui dedit stipem, id facit ex Justitia, non ex Charitate, undè si non celebrat pro eo, à quo stipem accepit, violat illius Justitiã, & est illi infidelis non standoprom issio, consequenter, vel tenetur pro eo celebrare, vel restituere acceptam eleemosynam, quæ continuò adiunctam habet illam obligationem. Et in hoc nullus contradicit.

Quæres 2. An hæc applicatio sit ex jure institutionis Sacrificii, an postmodum ab Ecclesia sit inducta.

6 R. Applicatio hæc tàm fructus generalis, quàm specialis ex jure institutionis oritur, ut colligitur ex verbis Domini Matth. 26. 28. Marci 14. 24. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, & Lucæ 22. 19. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis fundetur.* ex quibus verbis constat forma consecrationis Calicis sic: *Hic est Calix enim Sãguinis mei novi, & æterni testamenti mysteriũ fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ex quibus verbis colligitur oblatio, & applicatio specialis ex illis verbis *Pro vobis*, loquebatur cum Apostolis, quibus dixit, se velle pro illis specialiter applicare Sacrificium cruentum passionis suæ in ara Crucis mentionem quoque faciendo de applicatione generalissimi fructus illis verbis: *Pro multis effundetur*, hoc est, pro omnibus, quia Christus vult omnes homines salvos fieri, quantùm est ex parte sua, & antecedenti voluntate. Specialis applicatio colligitur etiam ex illis verbis Canonis: *Pro se, suisque omnibus*, cum referantur ad personas determinatas exigentes missas pro se, vel suis. Hoc idem indicant orationes speciales, ut pro infirmis, pro sponsis, pro defunctis, quod etiam docet venerabilis Beda in oratione præparatoria ad celebrandum. *Et pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere, & in specie.* Sancta Monica laborans in extremis rogavit filium suum Augustinum Sacerdotem, ut post mortem celebraret pro se missam, ut legitur in ejus secunda lectione, his verbis:

7 *Ponite hìc matrem vestram*, ideſt, sepelite ad Ostia Tiberina, ubi erat infirma, *tantùm vos rogo, ut ad Altare Domini memineritis mei.* Usus ergo offerendi, & applicandi specialiter pro determinatis vivis, vel defunctis est coævus Sacrificio missæ.

Quæres 3. Qualis intentio voluntatis sufficiat ad offerendum, & applicandum Sacrificium præsertim in ordine ad fructum medium?

8 R. Inter tria intentionum genera optima est intentio actualis, non necessaria, cum sufficiat virtualis, eadem enim est virtus tacitæ intentionis, quæ virtualis dicitur, & expressæ, quæ est actualis, ex eisdem enim idem effectus procedere potest, tamen neque hæc est necessaria, cum sufficere possit habitualis. Declaratur simul, & probatur responsio ex dictis intẽtionibus explicatis.

9 Intentio, quæ est tendentia voluntatis in obiectum volitum, dividitur in Actualem, Virtualem, & Habitualem, appellatam etiam præsumptam, & interpretativam.

10 Actualis est tendentia voluntatis in opus advertenter factum ex eadem intentione. Smul ergo sunt intentio, & opus de præsenti, dum memoria utrique inservit, ex qua intentio denominatur actualis, dum advertitur ad id, quod fit.

11 Virtualis est perseverantia actualis intentionis non revocatæ adhærentis alteri actui ordinato ad opus intentum ex eadem præcedenti intentione actuali, quæ tunc non est in seipsa cum fit opus intentum, quia non advertit agens, sed solùm dicitur esse virtualiter, secundùm quòd esse influit in illud opus. Itaque differt ab actuali in eo, quòd actualis simul est cum opere intento ex advertentia rationis, virtualis verò excludit actualem, ac proindè advertentiam, quia dum opus intentum fit non recordatur agens prioris intentionis actualis. Res est clara. Sacerdos enim quando celebrat, quandoque actu non recordatur de applicatione facienda pro amico, sicut initio proposuit, cum præmisit eam orationem. *Ego volo celebrare &c.* satisfecit ergo per intentionem virtualem.

12 Dixi, perseverare voluntatem actualem, si ea non fuit revocata, vel expressè, & formaliter per actum contrarium, vel ex diuturnitate temporis, aliter voluntas semper præsumitur durare, cum non constat de revocatione, *ex cap. Majores, de Bapt. Sanchez lib. 7. cap. 29 num.* 113. unde allegans mutationem voluntatis eam probare debet, *l eum 22. ff. de probat.*

13 Habitualis intentio est perseverantia ejusdem actualis intentionis in eo, quod non fuit revocata. Convenit cum vir-

tuali in perſeverantia, permanentia, & continuatione, in eo quoq; quòd tempore operis deeſt actualitas advertentiæ, & pariter ambæ influnt non actu, ſed virtute, & habitu in opus. Differunt verò in eo, quòd actualis virtute perſeverat in opere prævio ordinato ad opus intentum, eadē verò habitualiter non perſeverat in aliquo opere prævio ad principale, ſed tantùm habitualiter ſe habet in eo, quòd ipſa prima actualis intentio non fuit revocata, & ſic dicitur habitualiter influere in effectum, virtualis verò virtualiter, unaquęq; à ſua denominatione, & dicere poſſumus, quòd virtualis proximè influit, habitualis verò remotè, quæ nihilominus ſortitur ſuum effectum, juxta exigētiam operis.

Exemplum pono. Ego poſtquam celebravi miſſam die Mercurii Sancti, audio mortuū eſſe amicum, tunc dico, nunc pro primo die Paſchatis, quo celebrabo applico Sacrificium pro eo. In die Paſchatis celebro & nihil prorſus recordor amici defuncti, nihilominus applicatio ſortita eſt ſuum effectum, mediante habituali illa intentione, quæ certè influit in effectum, cùm à me antea non fuerit revocata, neq; pro alio applicaverim, aliter nō cōſequeretur ſpecialem fructum, quia intentio habitualis exceditur à virtuali, ſicut virtualis ſuperatur ab actuali.

Per ſolam ergò intentionem habitualem contingere poteſt applicatio fructus medii, quod confirmatur quia dans eleemoſynam pauperi, non advertens ad obligationem, quam habet reſtituendi ei tantùm, quantùm dedit, adhuc ſatisfacit ſuæ obligationi, quia ſufficit intentio, & voluntas habitualis, & interpretativa
14 ſatisfaciendi debito, ex allegatis à *Diana par. 3. tract. 6. reſol. 57. cum aliis Paſqual. q. 162. num. 8.*

Quòd per intentionem habitualem, & interpretativam ſatisfiat applicationi pro medio fructu docet communior opinio *cum Bonac diſp. 1. de Sacram. q. 3. p. 2. §. 3. num. 11. verſ. Reſpondeo Averſa de Euchar. q. 11. ſect. 10. verſ. Rectè tamen, Diana p. 2. tract. 14. reſol. 47. & par. 5. tract. 14. reſol. 65. Ego reſol. 25. q. 5. cum aliis Paſqual. q.*
15 *162. num. 6.* qui tamen omnes docent, ad Conſecrationem, & confectionem Sacramentorum eſſe inutilem, & requiri ad minus virtualem, & non eſſe neceſſariā actualem, quia homo naturaliter eſt labilis memoriæ, & facilè nulliter ut plurimùm conficerentur, ad quod pia mater Eccleſia reſpiciens cenſuit prudenter in his ſufficere virtualem.

Quæres 4. Quandonam applicatio Sacrificii facienda ſit in celebratione miſſæ?

R. Applicatio facienda eſt antequam conſumetur Sacrificium, per ſumptionē faciendā à Celebrante, igitur à præparatione uſq; ad cōſumationē poteſt applcari. Sacrificium autem non poteſt ſortiri ſuum effectum, niſi à puncto Conſecrationis uſq; ad conſumatiōnem.

16 Prima pars, de applicatione uſque ad conſumptionem, probatur, quia per oblationem, & applicationem Sacerdos nihil aliud facit, quam rogare Deum, ut dignetur conferre fructum medium illis, pro quibus offertur; ſed iſta rogatio contingit in miſſa tota uſque ad communionem, ut videre eſt in Offertorio in oratione: *Suſcipe ſancta Trinitas &c.* In Memento tùm Vivorum, quàm Defunctorum in quibus potiſſimùm nominantur perſonæ pro quibus offertur, & applicatur Sacrificium, hoc eſt, ejus fructus, Rubrica enim dicit, quòd in illis oratur pro vivis & defunctis, quod certè nihil aliud eſt, quàm Sacrificium applicare pro illis, qui dederunt ſtipem, & orare ſine applicatione pro aliis ex Charitate, ibi Gavant. Verſ. Hoc loco videtur dicēdum de applicatione Sacrificii, ibidem Quartus ſub *num.* 2. ibi: *Competit etiam Celebranti quatenus eſt miniſter Chriſti applicare fructus Sacrificii. Miranda. tom. q. 41. art. 18.* ubi de memēto Mortuorū. Ità docent *Averſa q. 11. ſect. 6 verſ. juxta prædicta de Lugo cum Cotonio lib. 2. contr. 5. num. 40. Tamb. opuſc. de Sacrif. miſſæ. 2. cap. 2. §. 10. num. 10. Henriq. Fagundez, & Franc. de Lugo,* quos contra ſe citat Paſqual. *q. 163. num.* 2. aſſerentem cum multis, Sacrificium eſſe applicandum ante conſecrationem Calicis, putat tamen probabile poſſe fieri applicationem etiam uſq; ad ſumptionem, in ſententia eorum, qui tenent Sacrificium conſiſtere eſſentialiter etiam in conſumptione, & non tantū in conſecratione, & hæc eſt melior ſentētia meo judicio, quam ſit illa, quæ reſtringit applicationem uſq; ad conſecrationē calicis, quia applicatio ſecundùm utrāq; ſententiam fieri poteſt ante conſecrationem perfectam, ergò multò congruentiùs etiam poſt uſq; ad ſumptionem, *quia* Chriſtus uti preſens ſacramentaliter applicationem oblatam confert ſecundùm fructum medium, ità quòd applicatio ſuum ſortitur effectum, dum fit, quod non accidit, ſi fiat ante conſecrationem, dum non eſt ſacrificium, quo Deus poſſit conferre illius fructum petenti miniſterio Celebrantis

17

18 Secunda pars, quòd applicatio ſortiatur ſuum effectum ſolùm cum exiſtit Sacrificiſi, probatur, quia cauſa operatur dū exiſtit; ſed Sacrificiū eſt cauſa propitiatoria, & ſatisfactoria, ergò tunc impertit hujuſmodi fructū, cū exiſtit, ac proinde intra conſecrationem, & ſumptionem.

Quæres 5. An miſſā audientes ſimul cū Sacerdote poſſint facere hāc applicationē, an verò id ſit munius ſolius celebrantis?

19 R. Ad ſolum Sacerdotē celebrantem ſpectat applicare Sacrificiū miſſę miniſteri

aliter

aliter, cum ipse potissimùm ad id minùs sit constitutus, ut dispenset dona Dei ex officio suo, quod tamen non impedit, quin
20 circunstantes missæ offerre prose, & applicare etiam pro aliis possint tàm fructū ex opere operato, quàm operantis secundariò, & concomitanter, dum Sacerdos se accommodat illis quoad fructum, medium, opus enim Charitatis erga proximum non prohibetur, & illud manifestè patet ex missa. præsertim ex Canone. Et omnium *circunstantium qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro se, suisq; omnibus*. Sacrificium enim exhibet opus operatum, possunt ergo proprium fructum amicis cedere, sicut propriam Indulgentiam in mortuos transferre, ut dixi cap. 7. q. 8. non obstante, quòd sit proprium, & personale beneficium, quod aliis donari potest, sicut vita poni potest pro amicis, qua nihil personalius habet homo. Quidquid dicat Suar. *disp. 49 sect. 9. fine*. Ità *Navar. cap. 25 num. 32. Nugnus par. 3. q. 83. art. 1. de Sacrif. disp 4. q. 4. dub. 4 num. 11. contrà Pasq. q. 115 ubi citat Svarez, & Dicastillum, cujus rationes ex præcedentibus manent solutæ*.

Quæres 6. An Celebrans possit applicare Sacrificium uni personæ vagæ postea determinandæ?

21 R. Negativè, quia applicatio de sua ratione formali refertur ad determinatam personam, nam indeterminata se habet, ut individuum vagum, quod in re non datur, sed tantùm in ratione, applicationi verò debet correspondere persona determinata, sicut talis est applicatio, ergo inutilis erit, si tunc ei non respondebit determinata persona. Confirmatur, quia Sacrificium tunc sortitur suum effectum cùm simul est cum applicatione perseverante in actione missæ, accidere autem potest, imò evenit, quòd determinatio fiat post missam finitam, ut videtur exigere casus iste, nàm ego possum applicare aliquo modo pro eo, quem nominabo in Memento, & tunc applicatio sortitur suum effectum. Aliis mediis, rem probat *Pasq. q.* 164. Is autem casus est similis sequenti.

Quæres 7. An Celebrans non habens eleemosynam possit applicare pro eo, qui primò dabit eleemosynam. Est ergo idem casus cum præcedenti, cum in utroq; persona, cui applicatur, sit indeterminata, Pasqual. autem hos casus dividit, nàm de posteriori agit q. 168.

22 R. Non potest Sacerdos celebrare pro eo, qui primò dabit eleemosynam, applicando ei tunc Sacrificium, multò minus suspendendo effectum usque ad receptionem stipendii, quod est dicere missas anticipatas pro futuris eleemosynis, & si enim Deus scit eam personam, quæ primò datura est eleemosynam, non ideò cum Sacerdote concurrit ad applicationem, ut quæ est intempestiva, & immatura redolens nescio quid avaritiæ, non enim Charitas excitat Sacerdotem ad præviam celebrationem, sed lucrum urget Sacerdotem. Affirmativam, adeoque nostræ responsioni oppositam opinionem, quam plerique tenebant reprobavit Clemens VIII. uti periculosam, scandalosam, offensionibus obnoxiam, & à vetusto Ecclesiæ more nimis abhorrentem, Decretum postmodum emanavit sub Paulo V. die 15. Novembris 1605. extensum apud Pasqual. q. 168. pro qua refert auctores ultra triginta docentes, non posse Sacerdotem applicare de præsenti missam pro eo, qui postmodùm dabit eleemosynam.

Quæres 8. An secundus Sacerdos prosequens missam prioris casu decedentis possit missam applicare pro suo arbitrio?

23 R. Negativè, nàm facta consecratione panis, Sacerdos supplens missam in reliquis, ut est obligatus ex *Rub. par. 3. tit. 10. num. 3.* nullum habet jus applicandi cum censeatur prior jam applicasse, cùm in sententia omnium ex q. 4. applicatio fieri possit ante consecrationem, ergo secundo Sacerdoti nullum remanet jus applicandi, non enim eadem missa potest duobus applicari in ordine ad duo stipendia, facta ergo consecratione panis, statim applicatio censetur sortita suum effectum, ergo nova applicatio facienda non est, cùm unica sufficiat.

Pasqual. q. 165 cum aliis septem, *cum quibus est Bonac. disp. 4. q. fin. p. 6. num. 12. vers. Ex quo, Svarez disp 79. sect. 12* dicit, Sacerdotem perficientem missam ab alio inchoatam cum consecratione Calicis applicare posse, cui volverit. Et probat, quia Sacrificium non est aptum producere suos effectus, nisi perficiatur substantialiter, ergo cum non fuerit perfectum sub priori celebratione, non habet vim illius applicatio ad determinandum Sacrificium pro hoc, vel illo, sed accipit à posteriori Sacerdote perficiente Sacrificium, ut sit aptum ad producendos suos effectus.

24 Sed contrà, quia sicut se habet Eucharistia ad producendos suos effectus, ità & Sacrificium, est enim idem Christus tàm in Sacramento, quàm in Sacrificio operans propitiationem, & satisfactionem; sed Eucharistia per unam speciem scilicet panis tantùm, hoc est Christus sub speciebus tantùm panis operatur quidquid operari potest sub ambabus
25 speciebus, Joan. 6. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, quod Tridentinum *sess. 21. cap. 3.* explicat dicens: *Quoad fructum attinet nulla gratia ad salutem necessaria defraudari eos, qui unam speciem solam accipiunt*. Rationem præmiserat his verbis: *Fatendum esse etiam sub altera tantùm specie, totum, atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi*. Ibidem Barbosa Doctores

citat

citat, ergò idem dicendum de Sacrificio, quod in consecratione panis idem omninò operatur, ante consecrationem Calicis, & si enim in actione dicitur imperfectum, quia completur ex duabus, in re tamen est perfectissimum tàm in prima, quàm in secunda, ideo applicatio facta à priori Sacerdote in consecratione panis sortita fuit suum effectum ex vi Sacrificii ex pane independenter à cõsecratione Calicis, ergò posterior Sacerdos nihil agere potest quoad hoc. Confirmatur, quia per priorem applicationem acquisitum fuit jus ei, cui fuit ab illo applicatum.

26 Quæres 9. An applicatio ità sit necessario facienda à Sacerdote, ut non possit eã relinquere faciendam à Deo? Ut si dicat in Memento; *Deus applica fructum hujus missæ illi, qui tibi placet*. Quod etiam est quærere, an celebrans possit remittere applicationem in voluntatem Dei?

℟. Celebrans potest remittere in divina voluntate applicationem Sacrificii. Probatur, quia omnis nostra operatio initium habet à Deo, juxta illud. *Ut cuncta nostra operatio à te incipiat, & per te finiatur*. Ergò applicatio Sacrificii relinqui potest divinæ voluntati expedienda, imò ipse est, qui confert fructum Sacrificii illis, pro quibus celebratur. Ità Scotus *Quol.* 20. *Navar. cap.* 25. *num.* 19. *Suar. dis.* 43. *sect.* 6. *Aversa q.* 2. *sect.* 2. *vers. debet etiam*, *Quart. in Append. de Sacrif. q.* 2. *p.* 13. *cum aliis Pasqual. q.* 169. *num.* 2. & 3.

Contrarium; non posse Sacerdotem remittere Deo applicationem, docent Tambur. Meratius, & Vericell. tract. 1. q. 21. probantes *Primò*, quia Deus cum sit causa universalis determinatur obiectivè à causis secundis tàm necessariis, quàm liberis quoad speciem, & exercitium actionis, ac proindè debet Deus ipse sequi determinationem nostræ voluntatis, quæ prærequiritur ut potè determinativa causæ universalis, ergò si celebrans non se determinat applicãdo tali personæ Sacrificium, nec Deus determinabitur. *Secundò*, Deus dedit Sacerdotibus hanc potestatem, ut patet Hebr. 5. & in forma ordinationis Præsbiteri. *Tertiò*, ex tribus hostiis præsentibus nulla conficitur, si intendat Sacerdos consecrare illam, quã Deus intendit consecrari, ergò idẽ dicendum in applicatione remissa Deo. *Quartò*, humano modo non procedit in usu suæ potestatis. *Quintò* non potest applicari Sacrificiũ pro eo, quẽ Deus videt primo loco daturũ eleemosynam, ergò nec pro eo, cui Deus vult applicari.

27 Pro responsione ad primũ argumentũ. Notandũ est, quòd libertas in homine est formaliter indifferẽtia, & determinatio ad agendum hoc, vel illud, vel non agendum, positis etiam omnibus requisitis ad operandũ. Hujusmodi autẽ libertas duplex est una contrarietatis, seù specificationis, quando scilicet homo ex duobus unum eligere potest, alio relicto; altera contradictionis, & exercitii, quando scilicet potest agere unum, & non agere illud, illa respicit duo ex electione contraria e. g. amorem, vel odium; hæc verò unum respicit in exercitio contradictionis, ut orare, vel non orare. Voluntas ad actus quatenus dicuntur specificationis seipsam liberè determinat mota à Deo, positis omnibus requisitis, ad eum actum juxtà motionem sibi exigenter factam ab uno obiecto, & non ab alio. In ordine verò ad exercitium, & singularitatem actus individuandi voluntas seipsam determinare non potest, dum ejus individuatio pendet à tot circumstantiis, quæ non sunt in ejus determinatione, pendentes à voluntate Dei, qui dicitur determinare hominis voluntatem ad illius singularitatem, cum voluntas in hoc non magis ordinetur ad unum actum, quàm ad alium. Hanc ideo determinationem à Deo solo procedere dicendum est, & prætereà, quia si individuatio determinari posset ex circumstantiis, & conditionibus individuantibus ipsius obiecti, sequeretur, quòd natura facere non potest, nimirum idem numero individuum aliàs corruptum redire posse, quòd repugnat misteriis Fidei in materia articuli Resurrectionis mortuorum, quod est opus solius omnipotentiæ Dei.

28 Confirmatur ex Sacra Scriptura hujusmodi determinatio humanæ voluntatis ad agendum, pluribus in locis, Proverb. 21. *Cor Regis in manu Domini sicut divisiones aquarum, quocunq; voluerit vertet illud. lib.* 1. *Reg.* 2. 3. *Et ipsi præparantur cogitationes*, idest hominis cogitationes initium capiunt à Deo, qui per os Christi Domini Joan. 15. 3. *Sine me nihil potestis facere*. Nihilomnino potest facere homo, nisi Deus incipiat, ut sancta mater Ecclesia cantat in ea oratione: *Ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur*. Ità homo imperfectus est, & impotens, ut non solùm egeat initio sui operis à Deo, sed etiã illius cooperatione usq; ad finẽ, homo enim in omnibus, & semper dependet à Deo essentialiter, unde S. Augustin. in Soliloq; cap. 24. ait: *Velle, quod bonum est, non possum, nisi tu velis*. Initium ergo omnium operum, & eorum prosecutio est à Deo cui homo dicitur cooperari primò liberè motus, quo motus juxtà suam naturam, & exigentiam libertatis, Deus ergo liberè movet hominem, & is ab eo liberè movetur cum eo prosequendo operationem à Deo cæptam. Nec ex hac divina inchoatione à Deo facta respectu actuum, ex quibus sequitur peccatum, dicitur Deus particeps peccati, quod homo committit, quia non Deus, qui nulli legi alligatur, sed homo actui tribuit malitiam, siquidem homo, non

29 Deus

Deus, habet debitum producendi actum cum sua rectitudine, cui imposuit legem observandam Vide Scotum *apud Meldul. disp 8. Physic. art. 3. Alvarez de divinis auxil. lib. 2. cap. 5.*

Deducitur ex his responsio ad primũ argumentum, cum enim à Deo sit initium omnis nostræ operationis, qui proinde voluntatem determinat ad operandum, sequitur initium applicationis remissæ in Deum esse à Deo, ac proinde Deum se ad illam determinasse, non verò fuisse à voluntate celebrantis determinatum Deum ad applicandum Sacrificium. Pasqual. resp. num. 6. ait celebrantem remittẽdo applicationem in Deum, tunc habere sufficienter determinationẽ obiectivam applicandi cui vult prodesse applicationem.

30 Ad secundum, verum quidem est, quòd Deus dedit potestatem Sacerdotibus celebrandi missam consecrando quidem per se in persona Christi, applicando verò pro suo arbitrio, vel per se, vel per alium, cum non pateat hæc prohibitio, & cum sit ordinarius à Principe supremo delegatus, nihil prohibet quin possit actũ applicationis delegare, cum delegatus Principis ex sententia omnium possit delegare, *l. A judice C. de judic cap. Pastoralis* 28. *cap quoniam* 43 *cap. cùm causam* 6. *de appellat.* ideò concesso antecedente negatur consequentia.

Ad tertium, consecratio ità pendet ab intentione, & ministerio Celebrantis, ut non possit remitti in alterius volũtatẽ, agit enim in persona Christi, ac proinde consecrando repræsentat Christum, quẽ nemo repræsentare potest, nisi actu celebret; non potest ergò remitti in alienam voluntatem consecratio, sicut applicatio, quæ specificari, & determinari potest ab extraneo, ut patet in eo, qui dicit celebranti applica juxtà meam intentionem, & Superior regularis præcipit, ut Sacerdotes applicent juxta suam intentionem, ut satisfaciant obligationibus Sacristiæ, & tamen quandoque ignorant personas, pro quibus celebratur, quæ à Deo determinantur.

Ad quartum, dico in tali casu procedere humano modo, non tamen ordinario, quia celebrans debet ipse applicare, & humano modo applicat, & etiam regulariter, quando offert Sacrificium cum intentione satisfaciendi obligationibus Sacristiæ, vel ad mentem dãtis eleemosynam, cum ille consequatur fructum, cui de jure competit, aliter regulares Sacerdotes, & alii qui celebrant pro eleemosynis manualibus nunquam satisfacerent, cum ignorent personam, pro qua celebrant.

Ad quintum respondeo, valere remissionẽ applicationis in Deum, non in eũ, qui primo daturus est eleemosynã, quia vo luntas Dei determinat personam, pro qua celebratur; non verò ille, qui daturus est eleemosynam, cum nulla in eo appareat determinatio tempore cõgruo, ideò benè prohibita est anticipata celebratio, ut dixi q. 7

Quæres 10 An novelli Sacerdotes cũ Episcopo Ordinatore celebrantes possint applicare fructũ Sacrificii, cui voluerint, & stipendium accipere ex ea prima celebratione?

31 Ꝛ. Affirmativè, quia jam sunt Sacerdotes, ergò concelebrantes Episcopo verè consecrant de per se, licèt simul cum Ordinatore, cum quo proferunt eadem virtute verba consecrationis, qua mediante consecrat ipse Pontifex Ordinator, ut appertè dicitur in Cœremoniali Episcoporum; sed qui consecrat potest imò debet applicare ad formam Ecclesiæ, ergò hujusmodi Sacerdotes possunt applicare etiam fructum medium pro stipe recepta, & sic satisfacere, adeo quòd illud numero Sacrificium æquè prodest omnibus, ac si ab uno tantũ Sacerdote oblatum fuisset pro uno tantùm. Ità *Vasq par. 3. disp. 231. cap 6. num. 41 Caspens. par. 2 tract. 23 disp. 2. sect 2 num 21. Mærat tom. 3. summæ disp. 38. de Eucbar. sect 8 vers. Supereſt, Præpoſit. part. 3. q. 83. art. 1. dub. 18 num. 102.*

Pasqual. q. 170. negat hos Sacerdotes novellos posse validè applicare, si discordant ab applicatione principalis consecrantis, & multo minus posse recipere stipendium. Quia omnes isti consecrantes non ex persona propria, sed in persona Christi, qui est principalis consecrans, & ratione ipsius uniuntur moraliter in unicum consecrantem, non secus ac si plura instrumenta adhiberentur ad aliquam actionem à principali agente In hac autẽ unione, quæ fit in principali consecrante Christo, Ordinans est principalis consecrator, & cæteri se habent ut accessorii, ac proinde quasi sequentes motum ipsius, ergò cum facultas applicandi Sacrificiũ non conveniat nisi ratione oblationis, eo modo tantùm convenit, quo fit oblatio, ergò cum ordinati non offerant de per se, sed cum dependentia ab Ordinante, & tamquam accessorii, neq; etiam possunt applicare de per se, sed depẽdẽter ab illo.

32 Contra est' duo enim supponit, quæ falsa, sunt nempè concelebrantem & esse instrumentum, & esse accessorium, nã si concelebrantes referantur ad Christũ, sicut ordinator celebrans non est instrumentum, quia non agit virtute alterius, sed propria, cum à Deo habeat formam, & potestatem consecrandi, licèt vices gerat Christi primi celebrantis per ministrũ, ità & concelebrantes non possunt dici instrumenta neque respectu Christi, neque respectu Ordinatoris, quia eo modo, quo Ordinator celebrat, etiam

tiam concelebrantes funguntur ſuo officio, dum eandem habent poteſtatem, quam habet ipſe Ordinator, non differūt ergò in celebratione, cum unuſquiſque utatur jure, & poteſtate ſibi tributa à Deo; undè nec hìc locus habet aliquā dependentiā, qua celebrantes cum Epiſcopo debeant ſequi voluntatem ejus, cum ſufficiat, ut ordinatè concelebrēt ad præſcriptum Rubricarum, & omnes ſimul concordent, ſicut faciunt cantores cum Magiſtro Muſicæ, & Canonici canentes in Choro cum Epiſcopo, ſeu Hebdomadario, omnes enim ad eundem finem tēdunt, nec in operatione unus dependet ab alio, nec omnes à tertio, ſed omnes ſunt concordes in ſuis operationibus ad eundem finem, omnes ergò concelebrātes poſſunt pro ſuo arbitrio applicare, ſinguli enim ignorant terminum applicationis alterius, nec Magiſter Cęremoniarum unquam dixit, applicate ad mētem ordinatoris, ergò concordia inter illos ſufficit in recitatione ſimultanea miſſæ ejuſdem, ut ordinata ſit concelebratio, non verò applicatio, unus enim neſcit, quos alii habeant commendatos in Memento, in quo ſolet fieri applicatio, ergò in applicatione non datur hujuſmodi dependentia concelebrantium ab ordinatore celebrante. Quare concelebrantes non ſunt illius inſtrumenta, ſed concelebrantes, ſicut Canonici, & Cantores non ſunt inſtrumenta, ſed ſinguli agentes, quod agit ille director inter eos, cū unuſquiſq; propria poteſtate agat cum eo directore, à quo nullam aliam habent dependentiam, niſi ordinatè & concorditer operandi, ità quòd ſinguli Canonici orare, & applicare poſſūt fructus ſpirituales ſui officii illis, quibus voluerint indepēdēter à quovis alio, & ſic facere poſſunt in concelebratione miſſæ, cujus Sacrificiū eſt infinitæ virtutis inexhauribilis. De ratione inſtrumenti vide Hiquæum in 4. *ſēt. diſt.* 1. *ad quæſt.* 1. *Scoti à nū.* 20. ex quo colliges, vocabulum inſtrumenti non benè applicari concelebrantibus.

33 Neque ratio acceſſorii hìc locū cōgruè habere poteſt, nam acceſſorium ſemper eſt quid minus principali, cui adiicitur, ex *l. juſtiſſimè* 44. *ff. de ædilit edictio*, neque enim fundus accedit tunicæ, ut ibi exēplificatur, Sacerdotes autem celebrantes cum Sacerdote licèt Epiſcopo ordinatore, ei in hoc pares ſunt, quia omnes ut Sacerdotes, nullus qua Epiſcopus, & quatenus ordinator celebrat, ut notum eſt, ergò in hac actione concelebrantes non dicuntur acceſſorii, dum pares ſunt in actione celebrationis, dum à ſe indepēdenter ab illo poteſtatem habent celebrandi cum illo, eſt ergò inter concelebrantes ordo concomitantiæ, & rectæ celebrationis, non depēdentiæ eorum ab illo, ſicut in electione Pontificis Romani in acceſſu Scrutinii, qui omnes ſimul accedere poſſunt, cui volunt, & non ut vult director electionis.

Subdit *P. Paſqual. num.* 4. Nec obſtat, quod poteſtas offerendi conveniat ſingulis de per ſe. Quia ſolùm ex hoc fit, quòd de per ſe poſſunt offerre, & applicare. De facto tamen cum non offerunt de per ſe, ſed cum dependentia, nec etiam de per ſe applicare poſſunt, quia applicatio correſpōdet immediatè obligationi, & ſecundum actum offerendi regulatur.

Sed contrà eſt, quia concomitantia celebrandi non tollit, quod ex natura rei facere poteſt celebrans ac ſi ſolus celebraret, quia per hunc modum non limitatur poteſtas agentis, ſed tantùm attendēda eſt concordia in recitando miſſam ſimulate temporis ne unus nunc legat Evāgelium, & alter proferat verba conſecrationis, ità quòd allata dependentia nihil aliud importat, quàm congruam recitationem ſimultaneam temporis, ita ut omnes eodem temporis momento celebrent, & proferant potiſſimùm ſimul verba conſecrationis, ut notatur in Cœremoniali, non quod omnium eadem ſit applicatio Sacrificii, qualis eſt ordinatoris.

Et quòd applicatio reſpondeat immediatè oblationi nihil aliud ſignificat, niſi quòd applicatio facienda ſit, non quòd terminanda ſit ad eas perſonas, pro quibus applicavit Ordinator, quia ſicut oblatio eſt in poteſtate concelebrantis, ità & applicatio, neq; ex Rubricis Miſſalis habetur eſſe applicandum pro hoc, vel illo, loquendo reſpectu fructus medii, de quo eſt ſermo, ergo applicatio ſemper eſt libera.

Tandem huic obiectioni: Nec dici poteſt, quòd ſit multiplex Sacrificium, quia ſunt diſtinctæ conſecrationes numero. Reſpondet, nàm tendunt ad eundem terminum per modum unius; ut autem multiplicetur Sacrificium requiritur multiplicatio conſecrationis, & termini.

34 Sed contrà eſt, quia reverà ſunt tot numero conſecrationes, quot ſunt numero conſecratores, nàm diverſitas numerica non tantùm accipitur à pluralitate numerica obiectorum reſpectu motus, quātùm ab ipſis motoribus, qui celebrantes ſine dubio ſunt plures numero, ergo, & numero plures eorum conſecrationes; nec obſtat unitas rei conſecratæ, quæ una eſt terminans ad ſe plures conſecrationes, aliud enim eſt actio conſecrativa, quę tranſitoria eſt, aliud res conſecrata, quæ permanet, ideò hæc una eſt, conſecratio verò multiplex ex multiplicitate conſecrātium, cum actio unius non ſit actio alterius multiplicatæ ad multiplicationem agentium, à quibus ſumunt diverſitatem numericā. Cōfirmatur, quia plures cōcurrentes ad furtum unū, ad occidendū inimicum &c. ſinguli peccant, & tenentur

ad

ad restitutionem, quamvis terminus peccati sit unus numero. Et è contra plures simul recitantes divinum Officium, singuli habent suas actiones meritorias tot numero distinctas, quot sunt ipsi recitatores, nō obstante, quòd singuli tendant ad eundē finem ejusdem divini Officii, quod est unum numero. Multiplex est ergo Sacrificium in ratione actionis consecrativæ, unum in ratione rei oblatæ, cujus valor cū sit infinitus correspondet singulis applicationibus.

Quæres 11. An celebrans factam semel applicationem simpliciter possit revocare, applicando secunda vice pro alio?

35 R. Non posse revocare applicationem jam absolutè factā, sive ante consecrationem sive post consecrationem, consequēter posteriorem applicationem nihil prodesse, & esse peccaminosam, sive agatur ex Charitate, sive ex Justitia.

Prima pars, quòd prima applicatio sit irrevocabilis, probatur, quia qui petivit missam pro se, vel pro aliis, sive ex Charitate, sive ex Justitia, data promissione statim acquisivit jus ad rem, & posita applicatione jus illud perfectum est in re, ergò factum irrevocabile, nam id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest *l. Id quod* 11. *ff. de reg. jur.* Certum autem est, quòd petitum, & applicatum Sacrificium petentis omninò fit, cum illi sit jus perfectè acquisitum, ergò per secundam applicationem non potest à celebrante transferri in alium.

Confirmatur, quia pacta sunt omninò servanda, *cap. 1. & 3. de pactis*, æquitati enim nihil magis convenit, quam servare pacta, *l. 1. ff. de ædilit. edictio* ità quòd tolli non possūt, nisi pacto contrario inter partes inito, *l. Tempore* 8. *C. de pactis. inter empt.* certum autem est, quòd missæ petuntur antecedenter ad applicationem, quā semper præcedit pactum, promissio, vel volūtas applicandi, quæ vicem gerit ejus, pro quo applicatur, cum reprobentur missæ anticipatæ, ut probavi supra sub q. 7. Posita ergò applicatio facta est irrevocabilis, sicut posito scrutino electionis, & eo publicato electores non possunt variare, *cap. Publicato* 58. *de elect.*

Secunda pars, quòd sit irrevocabilis applicatio facta 36 sive ante sive post consecrationem, probatur, quia ex mox probatis est simpliciter irrevocabilis, ergò quovis modo fiat, & quidem id magis patet post consecrationem quia tunc usquequaq; jus acquisitum fuit ei, pro quo oblatū est, tam ex parte Celebrantis applicantis, quàm ex parte Sacrificii; quod statimac existit operatur suum effectum, nec enim Deus sua dona retardat, sed primo concedit sine dilatione, quæ proveniunt ex Sacrificio missæ, cùm incongruum sit ipsum manere in suspenso, cùm nulla ratio id suadeat.

37 Tertia pars, quòd attentata applicatio sit inutilis, & peccaminosa, probatur inutilitas, quia actiones in missa transactæ non sunt amplius, cujusmodi est etiam applicatio, ergò non sunt revocabiles efficaciter, revocatio enim supponit existētiam ejus, quod revocatur, unde non existens non dicitur revocatum, sicut nec
38 quod non fuit concessum, *Rota decis.* 90. *num.* 3. *apud Tambur.* Quòd autem prima applicatio non existat patet ex eo, quòd est actio transitoria, sicut etiā consecratio. Confirmatur, quia secunda donatio cum nihil sit in se ipsa primam revocare non potest, dum est perfecta, *l. si ante* 8. *c. de donat.* Unde res alteri donata, & tradita, habenti jam illam in possessione suorum bonorum inutiliter revocatur, per donationem factam alteri *l. Possessione* 3. *Cod. de revoc. donat.* Sed applicatio primo facta, est quædam donatio plenè, & completè facta, & tradita uni, ergò cum sit irrevocabilis, secunda attentata inutilis est, & nullius momenti. Quod sit ea attentatio peccaminosa, patet, quia inficitur vitio infidelitatis ex pacto, & promissione, dū intendit eā infringere, licet inefficaciter.

*Tamburinus Jesuita Opusc. de missa lib. 2. cap. 2. §. 11. num. 2. & ex eo Pasqual. q. 171. num.* 1. docent, Sacerdotem posse revocare per secundam applicationem primam, ac proinde secundam prodesse, cum ea sola subsistat, & prior evanuerit per retractationem. Sed ex dictis patet non esse locum retractationi, ac proinde priorem valere, & prodesse, non enim probarunt, posse fieri hujus modi retractationem. Ambo subsequēter tenent, valere priorem applicationē, licet postea alio modo applicet, quando volvit priorem valere etiamsi fiat secunda applicatio, nisi in hac secunda revocet eam cautionem. Ratio est, quia illa cautela adhibita pro priori applicatione illam præservat à quacunque contraria superveniente, ut etiam contingit in testamentis, nam posterius, non derogat priori, si in ipso adhibeatur talis cautela, ut debeat subsistere, non obstante quocunque alio superveniente, quia tunc prius derogat posteriori *l. Si quis in principio ff. de legat.* 3. Ego autem ad hunc casū ex jactis fundamentis dico, primam applicationem uti inconcussibilem non egere tali cautela, sed subsistere, nec tolli posse per secundam, quæ nullius est momēti, sicut nec secundum testamentum aliquid est, ea tamen cautela in testamento priori necessaria est, quia testamentū ex natura rei revocabile est, cum mens testatoris deambulatoria sit usque ad mortem, & perfectum testamentum est solum illud, quod importat ultimam voluntatem, & non antecedētes; non valet ergò arguere à testamento ad applicationem, quę non est à voluntate ābulatoria sicut est

testamentum, sed sistit in prima applicatione, cum sit invariabilis.

Idem Tamburinus ibidem dicit, quòd prima, & secunda applicatio, quando celebrans est memor prioris, sine derogatione prioris nulli prodest, quia hæ duæ voluntates sunt sibi contrariæ, si quidem quod per unam intenditur per aliam non intenditur, & ideò nihil intenditur, non secus ac si Sacerdos nulli Sacrificium applicasset.

Respondet Pasqual. quòd si hæ voluntates sunt contrariæ, posterior derogat priori, quia ad derogationem non requiritur expressa voluntas derogandi, sed sufficit tacita, quæ tunc intervenit, cum sit actus contrarius priori, ut constat in derogatione legum, ac proinde missa sortiretur suum effectum juxtà secundam applicationem.

Contrà utrumque scribo, nàm quoad Tamburinum respondeo illas applicationes supponi duas, & reverà est una tantũ nempe prior, & sic non datur contrarietas, quæ est inter plura, certum autem est priorem applicationem subsistere, ac proindè eam non posse perimi per posteriorẽ, quæ solùm attentata non potuit exire in actum in præjudicium prioris in qua jus quæsitum fuit illi, pro quo fuit facta, prior ergo impedit, ne posterior, exeat in actũ, & sic solùm prior intenditur de jure, non posterior cum reverà non sit, ac proindè se invicem non perimunt.

Contrà Pasqualigum, qui ait, posita earum contrarietate, posteriorem derogare priori tacitè, quod sufficit, ut constat in derogatione legum. Id non subsistit, quia posterior cum non subsistat priorem existentem primere non potest, non enim potentius est non existens, imò nihil potens, quàm existens, posterior autem applicatio uti attentata non existit, ergo nõ potest derogare priori, in qua jus quæsitũ fuit illi pro quo celebrans applicavit, & id firmatur exemplo rescriptorum, quia secundum attentatum contrà primum nihil obest, sed permanet, cum posterius nullas habeat vires ad destruendum prius
39 *cap. cæterùm 3. de rescr.* Nec adducta similitudo de lege posteriori derogante priori valet hìc, eo quòd legislator habet sub sua potestate utramque legem, cum utriusq; sit Dominus, nec ulli subdito quæsitum sit jus permanẽdi in prima lege, sicut quæsitum fuit in priori applicatione, ex quo celebrans non dicitur amplius habere jus, & dominium super eam in præjudicium ejus, qui jus, & possessionem habet applicationis sibi factæ; ulterius est alia disparitas, nàm lex dicitur odiosa respectu subditi propter subiectionem, applicatio verò favorabilis, sicut rescriptum, ideò posterius non inficit prius, ne favor convertatur in odium. Insuper non sufficit tacita revocatio contrà favores, sed expressa est necessaria, quia revocatio est odiosa, & stricti juris, *ex cap. 1. de constit. in 6. Gonzal. Glos. 36. num. 7.* Si ergo revocatio hìc locũ habere posset non sufficeret tacita, sed requireretur expressa contrà Pasqualigum.

40 Idem Pasqualigus in hac quęstione sub num. 4. dicit, quòd quando Sacerdos immemor prioris applicationis applicat missam pro alio, tunc sortiri suum effectum æqualiter in utroq; Probat, quia istæ voluntates non sunt contrariæ, nàm si posterior ità applicaret totam missam, ut per hanc voluntatem excluderetur à participatione fructus ille, pro quo primò fuit applicata, retractaretur prior applicatio, ergo cum non retractetur, utraque voluntas erit applicativa Sacrificii, ergo cum æqualiter applicet, sortietur æqualiter suũ effectum in utroq; quia Sacrificium de se est aptum sortiri suum effectum in favorẽ plurium. *Confirmat*, quia intentio applicandi totam missam æque pro utroq; dum una applicatio non retractat aliam, debet accipi secundùm subiectam materiam, atq; adeò eo modo, quo Sacrificium est æque totum applicabile pro pluribus, ergo in utroque æqaliter sortietur suum effectum.

Supponit, utranq; voluntatem subsistere, & applicationem binam utrisq; ex æquo prodesse, quod cum sit falsum, subinde corruit vis argumenti utriusq; nàm certum est ex probatis, unicam esse applicationem subsistentem scilicet priorẽ ob jus quæsitum ei, pro quo applicatum fuit, à quo cum auferri non possit, cum sit in ejus possessione, frustrà attentatur posterior applicatio, sivè scienter, sive inadvertenter, cum id non sit in ejus potestate, donatum enim uni non potest in alium transferri, dum non ampliùs est in ejus potestate.

Tamburinus ergo ait, quòd quando Sacerdos est memor prioris applicationis, & nihilominùs applicat secundò pro alio, nulli prodesse, ut visum fuit suprà, & reprobatum ejus dictum. Quando verò est immemor, vult valere priorem applicationem, quia præsumitur quisq; velle unicuiq; tribuere jus suum ex illa communi regula: *Qui prior est tempore potior est jure*, ergo prodest priori, pro quo fuit applicatum, & non posteriori, dum enim non fuit memor, non censetur revocasse priorem applicationem. *Benè loquitur, impugnatur tamen à Pasqual. q. 172.* sed cum nihil sit contrà nos, non est immorandum, cùm tot hujusmodi difficultates super binam applicationem sublatæ sint per nos probantes semper priorem valere, & non posse retractari per posteriorem, quæ ut attentata in actum exire non potest, & jus sit quæsitum priori.

Quæres 12. An Sacerdos possit applicare sub conditione, ut si non valet pro Petro, valeat pro Paulo?

Rſp. Af-

41 R. Affirmativè, quia conditio non est contra naturam Sacrificii, sed illi conformis, nam prodest quantùm est ex se, si ille, pro quo offertur, est capax, si ergò est incapax unus, & alter capax, huic prodest, quia in eo verificatur cõditio requisita, ut Sacrificium sortiatur in eo suum effectum. Ità Pasqual. q. 173. in eundem sensum interpretandus est *Scotus quolib. 10. sub num. 17. vers. isti verò.*

Quæres 13. An valeat applicatio conditionata hoc modo, applico pro Petro, si ejus hæredes mihi solvẽt eleemosynã tot missarum mihi promissarũ, aliter hujusmodi applicationes facio pro Paulo, cujus
42 hæredes mihi promiserunt &c.

R. Valet pro iis, pro quibus primò solvitur promissum stipendiũ, magis enim urget obligatio executoria, quàm promissoria, & prior solutio, quam posterior, ergò cum prior solutor sit potior jure, quã posterior, ratio dictat prius esse celebrandum pro eo, quàm per alio, esto promissio, & obligatio celebrandi prius, fuerit contracta cum posteriori solutione, quia magis urget solutio, quàm promissio solvendi. Confirmatur, quia nullum fuit acquisitum jus ad applicationem, nisi ei, pro quo primò hæredes solverũt stipẽdiũ missarũ promissarũ. Ità Pasqual. q. 186. *qui n.* 3. ait, hanc applicationem non esse conditionalem, quia est pro eo, pro quo sequetur prius solutio eleemosynæ, sed absolutam, quia applicatur fructus Sacrificii pro onere jam impositio, & in tempore, pro quo juxta intentionem legantis est applicandum, & hæc omnia fiunt de præsenti, nec transmittuntur in tempus futurum.

Sed meo judicio est conditionalis, licèt applicatio fiat de præsenti pro eo, pro quo primùm dabitur stipendium, nam eundẽ sensum faciunt sequentia verba. Applico nunc pro Paulo, si ejus hæredes primò dabunt stipem, aliter Petro, si ejus hæredes erunt priores in solutione &c. nam sẽper applicatio fit cum relatione unius ad alium, & sufficit ad constituendam applicationem conditionalem, quòd stipendiũ pendeat in futurum in iis, quibus actio non potest manere in suspenso, imò & si possit manere, ut patet in hoc exemplo, dono nunc tibi hunc equum, si cras ibis ad bellum, aliter dono illum tuo fratri eunti ad bellum sequenti die, quod habet etiã hunc sensum, dono nunc equum primo eunti ad bellum. Res est clara.

Quæres 14. An Sacerdos applicationẽ jam factam pro uno absolutè possit mutare, & transferre in alium, eo quòd venit in cognitionem, se non posse consequi promissum stipendium?

43 R. Nullam esse eam translationẽ, quia Sacrificium quo ad eum medium fructũ non exivit in actum, nemo enim intẽdit gratis applicare nisi absolutè applicaverit, quia tunc acquisitum fuit jus, aliter remãsit in thesauro Ecclesiæ, ex quo à Sacerdote extrahi non potest, cum à Sacerdote non extrhatur nisi mediante Sacrificio Confirmatur, quia nullus Sacerdos intẽdit gratis celebrare pro illo, pro quo promissum fuit stipendium, ut notum est, cui se in hoc Deus conformat, ut æquitas suadet, ergò non obstante celebratione, applicatio non prodest illi, cùm fructus non exjerit in actum, cùm nec illi Sacerdos consenserit, nisi verbaliter, sine intentione, quia ex illo communi axiomate: Errantis nullus est consensus, nulla volũtas, nihil ergò dispositi, si non consentit, neq; proinde quicquam transtulit in secũdum. Vide Pasqual. q. 187. qui videtur proponere præsentem casum licèt subobscurè, & dicit primam applicationẽ valere, sed ego fateor, me illum non intelligere, nisi quòd sub num. 7. dicit, quòd applicatio Sacrificii ex falsa opinione quòd sit solvendum stipendium, ab ea vitiatur in radice, & non valet.

Quæres 15. An applicatio facta pro uno trãsmissibilis sit ad alium ex aliqua causa, ut quia prior nõ eget, quia est in Paradiso; vel incapax, quia in Inferno; vel quia ejus hæredes promissũ stipendiũ non soluunt?

44 R. Nullo modo potest ab uno transferri fructus ad alium; probatur, nam facta applicatio, aut fuit valida, & sortita est suum effectum, jam non potest ab eo auferri, & transferri in alium, ex probatis q. 11. Aut nulla est & sic non potest transferri, ut probavi q. præced. obiectũ enim translationis debet esse aliquid, & non nihil. Qui ergò nolunt inutiliter celebrare, utantur applicatione conditionali applicando de præsenti pro uno, & si non valet pro illo, valeat pro alio.

Quæres 16. An Superior possit præcipere suis Sacerdotibus, ut celebrent, & applicẽt pro obligationibus missarum receptarũ ex quovis titulo, non solùm respectu sæcularium, sed etiam respectu ipsorum Religiosorum jam defunctorum?

45 R. Affirmativè, quia quodlibet Monasterium tales obligationes assumens ex Iustitia respectu Sęcularium, tenetur stare promissis, ergò Superioris partes sunt singulis Sacerdotibus iniungere hujusmodi satisfactionem, ad quã se obligarunt expressè, dum Conventus, qui repræsentatur in Superiore, & subditis mutuo eorum consensu promittit satisfacere promittentibus stipẽdium, vel loco ejus tradentibus aliquẽ fundum fructiferum, vel pecuniã investiendam in rem frugiferam; vel tacitè, dum à Superiore, vel Sacrista recipiuntur stipendia missarum manualium, quæ redundant in utilitatem Monasterii, & commodum ipsorum. Et in hoc nullus contradicit. Ità *Silvester V. missa 1. q. 12. Sanch. lib. 6. cap. 2. num. 6. Suar. lib. 3. de*

*legib. cap.* 29. *num.* 10. *Quartus in Append. de Sacrif. q.* 2. *p.* 15. *vers. primus casus, cum aliis Pasqual. q.* 174. qui num. 6. benè ait, Sacerdotem inobedientem peccare, & contrà obedientiam, & contrà Justitiam, ac proinde obligari ad restitutionem. *Notat cum Sanchez lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 6. & *Quarto* citatis peccare solùm contrà Justitiam, non contra obedientiam, nisi rigorosè præcipiat. Sed meo Judicio simplex præceptum, etiam non expresso Obedientiæ voto, mihi videtur multùm urgere, cum agatur de re gravi, ad quam Sacerdos sub mortali tenetur.

Idem ergo dicendum est respectu Religiosorum mortuorum, pro quibus ut offerantur Sacrificia, Superior præcipere, potest, sivè id exprimatur in regula, sivè non, quia Charitas fraterna id exigit faciendum, & inobedientes peccant mortaliter non contrà Justitiam, sed tantùm contrà Charitatem, quam Religiosi potissimùm exercere debent, cum ad eum tendere debeant, ex Pasqual. q. 175. & 176. qui q. 77. ait Superiorem, intellige tu *majorem*, Generalem, scilicet vel Provin-
46 cialem posse præcipere Sacerdotibus unius Monasterii, ut satisfaciant obligationibus alterius Monasterii, quando vacant ab his obligationibus; sed id non videtur esse in usu, cum in hoc casu Sacristia Conventus adiuvantis patiatur detrimentũ pro beneficio alterius, quod non licèt, cũ nemo debeat locupletari, & sentire commodum cum jactura proximi, undè Superior non videtur usquequaque hanc facultatem habere, cùm præjudicet Conventibus, & Superior dicatur potiùs Superior Fratrum, qua Conventuum in ratione bonorum, cum unumquodque Monasterium possideat sua bona, commoda, & incommoda independenter ab aliis, & ità dicit *Silvester V. missa* 1. *q.* 12. *contrà Marchinum de Ordine tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 33. *num.* 10. *Sanch lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 56. & 57. *citatis aliis à Pasq. q.* 177.

Quæres 17. An hoc præceptum sit ità rigorosum, quod obliget quotidiè ad celebrandum pro obligationibus Ecclesiæ, itaut Sacerdos non sit exemptus, ut possit celebrare pro se, sivè ex Charitate, sivè ex stipendio?

47 R. Præceptum Superioris, quod supponitur in omnibus Religionibus benè regularis, non includit quotidianam celebrationem, sed permittit liberam applicationẽ semel in hebdomada suis Sacerdotibus, nàm illud interpretandum est, & imponendum ad formam juris communis, *cap. significatum de præbend.* quod obligatum quotidiè eximit semel in hebdomada à celebratione ex honestate, & æquitate. Ità *Marchinus de ordine tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 33. *num* 8. *Grazia tract.* 3 *de Eucbar. diff.* 3. *dub.* 5. *par.* 1. *num.* 5. *Quartus in Append. de Sacrif. q.* 2. *p.* 15. *Peyrin. in addit. ad constitut Pyrrbi cap.* 1. *num.* 23. *fine*; *Diana part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 51. *ex illis Pasqual. q.* 179. *Pellizar. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 37. *Antonius à Spiritu Sancto in suo Directorio Regul. part.* 2. *tract.* 3. *disp.* 6 *sect.* 11. *num.* 1686. Unde potest pro se, vel pro alio celebrare eo die exemptionis, recepta eleemosyna inquiunt nonnulli cum *Pasqual.* 1130. *nu.* 3 *ubi citat Vidal. tit. de Justitia Inquis.* 1. *num.* 12. *Aversam. q.* 11 *de Eucbar sect.* 18. *vers. Insuper*, *Thomam Hurtadum par.* 1. *resol. tract.* 2. *cap.* 4. *resol.* 7. *num.* 18. & dixi *cap.* 2. *num.* 59. Contrà plures alios asserentes nõ posse celebrare pro se, neq; pro aliis, præsertim accepto stipendio. Ratio est, quia exemptio consistit in vacatione à celebratione propter honestatem, ergo si celebrat non dicitur vacare: Sed textus cum celebrantem eximat semel in hebdomada à celebratione quotidiana, eximit etiã ab hujusmodi obligatione, non *prohibet* verò celebrationem pro aliis, *cum* expressè de ea non constet. Sed urget textus, quia conceditur vacatio ob honestatem, non ut inde celebrando possit recipere stipem, & sic ex devotione reportare lucrum. Respondent bonum spirituale non excludere bonum temporale honestum, quia bonum non opponitur bono, sed malo.

Quæres 18. An Superior possit præcipere, ut applicent pro suo consanguineo gratis, vel pro alio attribuendo sibi eleemosynam?

48 R. Negativè; quia Superior habet potestatem præcipiendi solùm ea, quæ spectant ad Regulam expresè, vel tacitè attinentia ad conservationem ejus, & non quæ sunt extrà, vel suprà Regulam ex communi omnium; sed hujusmodi applicationes non sunt secundùm Regulam nec expresè, nec tacitè, sed præter, seù suprà Regulam, nec pertinent ad bonum Communitatis, ergo hujusmodi applicationes præcipere non potest. Ità *Tambur. de missa lib.* 2. *cap.* 2. §. 9 *num.* 13. contrà alios quos sequitur Pasqual. q. 178. subdens, Superiorem consumptis eleemosynis missarum etiam malè, posse cogere subditos, ut satisfaciant. Non placet, quando illarum consumptio non resultavit *in* aliquã Monasterii utilitatem, si enim solus peccavit, solus quoque luat pœnam.

Quæres 19. An Superior possit apponere decretum irritans applicationem futuram suo præcepto de satisfaciendo obligationibus missarum, *ipso* applicante nunc pro tunc, quando celebrabunt Sacerdotes, quibus imposuit tale præceptum?

49 R. Superior potest id præcipere cum decreto irritante, ipso applicante nunc pro tunc, adeo quòd contraria applicatio tamquam nunquam existens nullum sit habitura effectum, ac proindè semper prævalet Superioris applicatio.

50 Primũ de præcepto probatũ fuit sub q. 16.

16. Ità docent *Rodriq. tom. 3. q. 19. art. 2. cum suo compend. resol. 102. num. 2. Miranda tom 1. q. 26. art. 3 Tambur. de jure Abbat. tom. 2. disp. 20. q. 5 fine, Suar. de legib. lib. 4. cap. 13. num 6. cum aliis Pasqual. q. 181.* Contra Layman, *Tambur. Iesuitam, Castropal.* ea ratione, quia non potest præcipere actus merè internos, qui necessarii non sunt ad actum exteriorem efficiendum, cum quo tantùm accidentaliter conjunguntur. Ad hoc dico, actum applicationis cùm non possit esse sine celebratione missæ, necessariò, & non per accidens, illi conjungi, ac proinde præcipi posse

51 Secundum, de decreto irritante, probatur, quia habens dominium voluntatis alterius efficaciter impedire potest, ne ejus voluntas exeat in actum sortiendo suum effectum, quod importat decretū irritans prohibens cum annullatione actus attentati; sed Superior præsertim Regularis habet sub se dominium voluntatis suorum subditorum, non solū in quātùm est Superior, ut alii Superiores legislatores, sed etiam ratione voti Obedientiæ promissæ illi à subditis, qui ideo arctiùs ligantur, ac propterea dicuntur non habere velle, neq; nolle efficaciter, *cap. Non dicatis 11. 12. q. 1. cap. si religiosus 27.*

52 *de elect in 6. cap. fin. de testam. in 6.* Religiosi enim renuntiarunt propriis voluntatibus, dum per votum eas subjecerunt voluntati Superioris in iis, quæ spectant ad statum, & Regulam, quam sunt professi, cujusmodi est celebratio missarum, dum comedunt Sacrificia mortuorum, quæ sunt bona Communitatis, ergò Superior potest apponere suo præcepto decretum irritans, & impediens effectum applicationis contrariæ ejus voluntati.

Confirmatur *primò*, quia Superior potest irritare vota suorum Religiosorum, nullus contradicit, ergò & applicationes Sacerdotum. *Secundò*, sicut tutor & dominus possunt irritare obligationes pupillorum & servorum, ut conceditur ab omnibus ità & Superior poterit irritare applicationes Sacerdotum, valet enim paritas, quia Religiosus se habet ad Superiorem suum, sicut servus ad dominū, & pupillus ad tutorem. *Tertiò*, absurdū est, quòd in re justa Superiori competente in utroq; foro prævaleat voluntas subditi injusta voluntati justæ Superioris, ergò præceptum Superioris uti efficax perimit actum applicationis sui subditi. *Quartò*, illius applicatio debet prævalere, cui incumbit cura satisfaciendi oneribus missarum, aliter non esset sufficienter provisū ejus officio.

Constat ergò ex his prævalere, voluntatem Superioris applicantis voluntati impotenti Subditi celebrātis. Ità docēt *Corduba lib. 1. q. 3. opin. 6. Honcala in opusc. de valore missæ art. 2. Lediesma 2. p. 4. q. 10. art. 14. fine, Confect. de divinis offic. cap. 4. fine, Fraxinell. sect. 7. §. 7. Barb. alleg. 24. numer. 28. Alphons. de Leone de offic. Capell. q. 1. sect. 4. num. 41. Ego resol. 25. q. 4. apud Pasqual. q. 183.* citantem etiam Scotum quolib. 20. num. 15. Vers. *De secundo*, qui tamen secundùm Vadingum ibidem in scholio videtur dubius.

Pasqualigus autem citatus cum triginta Theologis tenet prævalere applicationem Sacerdotis, quia Superior applicare non potest, & probat *Primò*, quia Sacerdos ex vi suæ ordinationis accipit potestatem offerendi Sacrificium, ergo pro hoc, vel illo; expressè ad Hebr. 7. *Ut offerat dona, & Sacrificia &c. Accipe potestatem offerre Sacrificium pro vivis, & defunctis.* Ergo non potest Superior per se applicare Sacrificium subditi. *Secundò*, Superior nullo modo est offerens Sacrificium, nec in oblatione participat cum subdito offerente, ergo nullo modo applicare potest Sacrificium. Consequentia probatur, quia effectus, à quo habet esse, habet etiam determinationem, applicatio autem Sacrificii est determinatio oblationis, ut sit pro hoc, aut illo, ac proindè debet esse ab eo, à quo est oblatio. *Tertiò*, Voluntas subditi non subiicitur Superiori, nisi ratione potestatis dominativæ, & jurisdictionalis, quæ est in ipso, unde non potest aliquid circà subditum, nisi exercendo hanc potestatem, qua secluſa remanet impotens, sicut si non esset Superior; sed per hanc non potest applicare Sacrificium, quia non confert aliquam potestatem circa ipsum, cum tota facultas circa Sacrificium sit in potestate Sacerdotali, ergo nullo pacto poterit Superior per seipsum applicare.

Probat deinde Superiorem non posse irritare applicationem Sacrificii factam à subdito. Quia Superior potest irritare voluntatem subditi quatenus subditus est, & in iis, in quibus subiicitur suæ potestati dominativæ; subditus autem non subiicitur quoad potestatem Sacerdotalem, nec secundùm actum offerendi Sacrificium. Ratio est, quia per potestatem sacerdotalem non constituitur minister Superioris, sed Christi, & ipsa oblatio est actus Christi tamquam principalis offerentis, & solùm ministerialiter ipsius Sacerdotis, & ideo talis actio ut est ministerialiter à Sacerdote sequitur conditionē, quam habet, ut est à principali offerente, & remanet omninò exempta à jurisdictione Superioris, sicut si subditus exerceret aliquem actum ut delegatus Pontificis, quia ageret nomine ipsius, quoad eum actum esset omninò exemptus à jurisdictione Superioris.

Confirmat: in tantùm potest Sacerdos applicare Sacrificium in quantùm Christus id ipsi concessit, nàm cum Christus sit principalis offerens ad ipsum pertinet appli-

plicatio, ergo applicatio Sacerdotis est actus ipsius tamquam ministri Christi, ergo non subditur dispositioni Superioris, quia sicut minister, qua Christi minister est, non subiicitur alteri, quàm Christo, ità nec actus ministerii, ac proindè ejus voluntas non est sub dispositione Superioris. Confirmat *secundò*, applicatio Sacrificii est actus potestatis Sacerdotalis. Quamvis autem Superior possit concedere, aut negare subditis curam potestatis Sacerdotalis, non tamen secundùm potestatem Sacerdotalem illi subiiciuntur, ergo nec etiã actus ejusdem potestatis, atque adeo non poterit irritari applicatio facta à subdito.

His tamen non obstantibus permanendũ est in decisis, nimirùm, posse Superiorẽ facere decretũ irritans, hoc est, impedire, ne voluntas Sacerdotis attentantis applicare sortiatur suum effectum, ac proindè prævalere applicationem, quam facit Superior per suum decretum, quod censetur esse tale, si expressè prohibeat Sacerdoti, dicendo, ne applices contrà meam voluntatem, quia nunc pro tunc cum celebrabis ego applico pro obligationibus Monasterii. Id autem negare Superioribus arguit illos impotentes in administratione Monasterii, & suorum subditorum, dum non possunt efficaciter cogere ad obedientiam in hoc genere obligationis tàm gravis. Veritas autem hujus responsionis magis roboratur ex solutione argumentorum.

Ad primum ergo respondetur, illud antecedens esse verum, Sacerdotem accipere suam potestatem offerendi Deo Sacrificium ex vi Sacerdotii, & caracteris, ex quo tamen infertur necessariò, quod Superior non possit applicare Sacrificiũ modo supradicto sui subditi volentis celebrare irrationabiliter contrà ejus voluntatẽ, quia Deus Sacerdotibus dedit potestatem
53 celebrandi missam in modo tamẽ id exequendi volvit eos esse subiectos suis Superioribus, unde idem. Sacerdos à Deo habet potestatem in sua ordinatione absolvendi à peccatis, in modo tamen exercendi eam, voluit Deus, Sacerdotem esse subiectum suis Superioribus, unde carens jurisdictione, non obstante Ordinis potestate, quam à Deo habet, non potest validè absolvere; potest ergo Superior irritam facere absolutionem in eo, qui caret jurisdictione, vel absolvit à reservatis, ergo idem dicendum est in casu nostro quòd potest irritare applicationem irrationabilem subditi, esto habeat à Deo potestatem applicandi, quia per hoc Deus non prohibuit Superioribus moderationem applicationis, & applicare per seipsos, quando subditi applicatio futura est irrationabilis, & hoc est necessariũ quia sicut Deus in Cælo non solvit peccatorem, quẽ in terris non potuit solvere Cõfessarius, ità neq; solvit à pœnis illũ, pro quo peccaminosè Sacerdos applicavit, cũ Deo sit execrabilis talis applicatio, quã pro nulla habet respectivè ad præceptum Superioris irritantis.

Ad secundum, cum dicit, Superiorem nullo modo esse offerentem, nec cum subdito offerente participare, respondeo, non esse offerentem quoad consecrationem, utique quoad applicationem, isti enim duo actus valdè inter se differunt comprehensi sub vocabulo *Offerendi* quo utitur
54 Ecclesia in mysterio celebrationis, verum enim est, quòd nullus pro alio consecrat, sed solus celebrans, quia nullus potest repræsentare personam Christi, quod est necessarium, nisi illemet, qui celebrat, potest verò alter non celebrans applicare, ut manifestè colligitur ex textu missæ, quæ loquendo de hoc sub voce oblationis, communem facit oblationem applicationis fidelibus, ibi: *Pro quibus ibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro se, suisq; omnibus*, si ergo laicus offert, à fortiori Superior Sacerdos etiã cum derogatione applic[illegible]is Sacerdotis contrariæ suæ justæ vo[illegible]ti. Ex his patet ad consequentiam, quia à Superiore habet esse applicatio, & ejus determinatio quoad personam, cui applicavit Sacrificiũ, cùm subditus à Deo in hoc non audiatur, cùm nihil agat, sed solus Superior, dum ipse solus, & non subditus rationabiliter se habet ad hanc functionem.

Ad tertium respondeo, potestatem, per quam Superior impetrat suis subditis in aliis, respectu quorum dicuntur ei subiecti, extendi, imò comprehendere etiã materiam hujusmodi de oblatione, & applicatione Sacrificii, cum hæc pertineat ad bonum commune singulorum Monasteriorum, ergo Superior exercere potest, imò & tenetur, quandocumq; dubitat subditos non celebrare pro obligationibus Ecclesiæ suæ irritando, & applicando, ut agat utiliter negotia sui Monasterii. Tota ergo potestas Sacerdotalis non remanet quoad effectum in Sacerdote, quandoea abutitur, cum ex natura superioritatis insit Prælato, ut possit occurrere abusibus Sacerdotum in celebrando, & offerendo secundùm exigentiam Justitiæ. Potestas ergo applicandi impediri potest quoad abusum, ne exeat in actũ injustum. Potestas verò consecrandi nec habitu, nec actu, & quoad suum effectum nulla jurisdictione humana tolli potest, quia Sacerdos in persona Christi consecrat cum Christo principali agente, contrà quam nulla prævalet potestas humana, neq; proindè contrà Sacerdotẽ ejus delegatũ. In applicatione verò nõ agit in persona Christi, licèt ejus nomine, sed agit ex officio suo, & per se, sicut cæteri fideles cum eo offerentes ad salutẽ, ac proindè cum in hoc nõ agat vices Christi, sed nomine proprio sine dubio subditur potestati Superioris.
55

Reliquũ est respõdere aliis argumentis, quibus negat Superioribus potestatẽ irritandi

tandi applicationem Sacerdotis sui factã contra voluntatem Superioris, quæ si attentiùs consideretur, probant solùm Superiorem nulla habere potestatem circa irritationem consecrationis, quod certissimum est, nihil verò urgent contra applicationem.

Ad argumentum ergò negatur, celebrantem non subesse potestati Superioris quoad applicationem, licet non subsit quoad consecrationem, quam irritare nõ potest, sicut applicationem, quia respectu hujus non gerit vices Christi, ut facit in consecratione, in qua utitur formaliter verbis Christi, non in applicatione, quæ quibuslibet verbis fieri potest, per quæ celebrans nomine proprio rogat Deum, ut dignetur virtute Sacrificii, conferre fructum medium ei, pro quo celebratur. Et ex his patet ad rationem, Sacerdotem per suam potestatem constitui quidem ministrum Christi quoad consecrationem tantùm, non autem quoad applicationẽ, cùm Christus offerendo seipsum Patrj per ministerium, non roget pro eo, pro quo celebratur, sed ipse Sacerdos ex officio suo, cum Christus, & Deus rogetur à Sacerdote, & circunstantibus pro applicatione. Sacerdos ergò est delegatus Christi quoad consecrationem non quoad applicationem, cùm non applicet in persona ejus, & verba formalia quoad hoc non sint, sed concipiantur à celebrantibus, & ab aliis.

Eodem prorsus modo respondendũ est duabus confirmationibus, quæ supponũt, celèbrantem non subesse Superiori, cùm potestatem habeat Sacerdotalem, secundùm quam operatur ut minister Christi, non ut minister Superioris, nam quamvis sit minister Christi etiam respectu applicationis, non ideò exemptus est ab utroq; sed subditur ratione applicationis, ut dictum fuit. Nec ex eo, quòd Sacerdos sit minister Christi, infertur non subesse suo Superiori quoad hoc ministerium, quia alioquin nec Papa aliquid statuere posset pro recta, & sancta celebratione contra Sacerdotes, ex quo sunt ministri Christi, quod tamẽ falsum est, ergò & antecedẽs, ex quo illud deducitur, Sacerdotes enim sunt ministri Dei, & sui Superioris.

Idem Pasqualigus eadẽ *q.* 183. *num* 10. prosequitur respondendo ad argumenta superius posita pro nostra conclusione.

56 Ad primũ quidem; Religiosũ non habere velle, nec nolle in quantũ illud transtulit in Superiorẽ secundũ mensuram Regulæ, & ideo si Superior injungat aliquid subdito contra Regulã, aut supra Regula, tunc subditus habet suum velle, aut nolle, & non tenetur obedire; sed voluntas subditi quoad actus potestatis Sacerdtalis inquit ille, nõ est translata in Superiorẽ.

Hoc autem esse falsũ manifestè patet, cũ omnes Religiones obligationibus missarum subiectæ faciant constitutiones de recta, & justa celebratione missarum; cõstitutiones autem eduntur pro conservatione Regulæ, & pro observatione votorum, quorum præcipuum in re nostra est Obedientia, secundùm quam subditus tenetur præstare obedientiam in iis, quæ spectant ad observationem constitutionum, quæ semper sunt conformes Regulæ. De potestate Superiorum erga subditos vide *Sanch. lib.* 6. *cap.* 2. *præsertim à nu.* 6. ubi quod subditus tenetur obedire suo Superiori in iis, quæ sunt secundùm Regulam, quod esse potest duobus modis, vel quia sunt expressa in ea, vel implicitè, & tacitè in ea contenta, inter quæ continentur decreta de celebratione missarum obligantia subditos ad celebrandum pro Ecclesia, & non pro seipsis, aut proprio arbitrio, intuitu lucri, quod Religiosus acquirere non potest contrà voluntatem sui Superioris.

Ad secundum, hoc est ad primam confirmationem de irritatione votorum, idẽ concedit, quia in his subduntur, non respectu irritationis applicationis. Respondeo, respectu etiam hujus subdi, quia Superiores in tantùm vota irritant, in quantùm sunt præjudicialia Superioribus, sed etiam applicatio Sacrificii contra voluntatem Superioris est præjudicialis, ergo irritabilis est, sicut vota.

Ad secundam confirmationem dicit Religiosos comparari servis, & pupillis in eo, in quo subiiciuntur suis Superioribus, non in aliis, in quibus non subduntur, ac proindè cum non subdantur ratione potestatis Sacerdotalis, non valere comparationem. Respondeo, valere comparationem, quia reverà Sacerdos quoad potestatem applicandi subditur Superiori, aliter nullæ possent fieri ordinationes celebrandi, & applicandi pro obligationibus Monasterii, si non subduntur suis Superioribus quoad potestatem Sacerdotalem, per quam faciunt applicationes.

Ad tertiam dicit, ex quo Superior in aliquibus casibus potest præcipere subditis, quod applicent Sacrificia, sequitur tãtùm, inquit ille, quòd habeat sibi subordinatas voluntates ipsorum, non quoad actus imperatos, hoc est, quod possit imperare applicationem, sed eam non elicere, neq; irritare à Sacerdote factam. Dico, potestatem imperandi in iis, quorum effectus ex sua natura non potest esse notus Superiori, an subditus obedierit, pravi, ac ferè nullius esse momẽti, si non habeat medium executivum suę potestatis, quod in re hac aliud esse nõ potest, quam decretum irritans, & propria applicatio.

Ad quartã, quòd habeat prævalere illius applicatio, cui incũbit cura satisfaciẽdi; respondet, esse sufficienter provisũ præcipiendo etiã cum censuris, ut Sacerdotes applicent pro oneribus Ecclesiæ. Ergo autem

tem dico, quòd hujuſmodi proviſio non ſufficit, cùm enim agatur de re incognita, cujuſmodi eſt applicatio, quam adhuc facere poteſt contra proviſionem Superioris id ignorantis, ideo ut proviſio ſuum obtineat finem, procedendum eſt cum decreto irritante, & propria applicatione. Patet ergo quod ſimpliciter imperare, & non elicere poſſe, nec irritare, eſſe imperium debile, in quo nec cognoſci poteſt executio ex parte ſubditi imperati, ut ergo imperium ſit utile procedendum eſt ad irritationem, & applicationem.

Paſqualigi ſententiam ſequuntur alii cum *Diana par. 11. tract. 6. reſol. 39. Svarez diſp. 79. ſect. 9. de Euchar. de Lugo diſp. 19. à num. 210.* quos pro ſe citat noſter *Cotonius lib. 2. contr. 5. cap. 2. num. 31.* quam vocat rationabiliorem, & communiorem nam Sacerdos uti ſacrificat, ita, & Sacrificium applicat, Chriſti nomine, adeoq; in neutro dependet à poteſtate Prælati, qui Chriſto eſt inferior. Certè hoc eſt potiſſimum hujus opinionis argumentum ſequitur *Baſſæus V. miſſa 3. prope finem Antonius à Spiritu Sancto Carmelita Diſcalceatus par. 2. tract. 3. diſp 6. num. 1658.* ſed non recedo à priori opinione, cujus argumenta videntur urgere. Ad argumentum ſupradictum ſuperius non ſemel reſpondi; celebrantem quoad conſecrationem non ſubdi niſi Chriſto, quoad applicationem verò etiam ſuo Superiori, licèt enim in nomine Chriſti fiat applicatio, quidquid enim agitur, in nomine ejus agitur; non tamen in perſona Chriſti, cum hac ratione ſolus celebrans tantùm ſacrificet, non applicet.

57 Inter autem has opiniones de irritatione, & prævalentia applicationis, noſtra videtur tutior, & probabilior. Probatur. Tum quia Doctores utriuſq; opinionis in hoc conveniunt, quod Superior poteſt præcipere Sacerdoti ſubdito, ut applicet pro obligationibus ſuæ Eccleſiæ, ut videre eſt apud eundem *Paſqual. q. 174. Fraxin. ſect 7. §. 6.* præceptum enim hoc eſt juſtum, ac proinde ſubditus inobediens peccat mortaliter, ut docent præcitati, ergo comparando inter ſe prevalentiam applicationis videtur potior prævalentia Superioris, quam ſubditi, cum is nullum jus habeat contrà Superiorem, ſicut habet Superior contrà ſubditum, jus ergo præcipiendi roborat opinionem prævalentiæ Superioris contrà ſubditum, qui non poteſt reſiſtere præcepto ſui Superioris, cum ſit juſtum. Tum quia illa opinio eſt tutior, & probabilior, in cujus executione nullũ apparet peccatum, ſicut reperitur in oppoſita; ſed talis eſt opinio Superioris contrà ſubditum, qui propriam exercere non poteſt ſine peccato, ergo opinio hæc Superioris probabilior eſt, & tutior.

58 Tum quia in concurſu opinionum inter Superiorem, & ſubditum, cenſetur probabilior, quæ favet Superiori contrà ſubditum, qui obedire tenetur, & illi cedere, quando ſubditus certò ſit, actum præceptum eſſe licitum, imò debitum, ut omnes docent cum *Caſtropal par. 1. diſp. 2. par. 6.*

Nec dicas hęc argumenta non facere ad rem, quia ſolum probant Superiorem poſſe non ſolùm probabiliter, ſed etiam verè & certò imperare ſubdito, ut applicet conformiter ad ſuam voluntatem pro ſatisfactione onerum Monaſterii, hoc enim controvertitur, nec ſubditus aliqua probabili opinione ſe tueri poteſt contrà præceptum Superioris, cum teneatur obedire in omnium ſententia; controverſia autem conſiſtit, an applicatio Superioris cũ irritatione prævaleat applicationi factæ à ſubdito contrà rigoroſum Superioris præceptum? Nam Superioris opinio eſt, ut valeat ejus applicatio cum irritatione applicationis ſubditi. E contra vero eſt opinio ſubditi, quòd ejus applicatio valeat contrà applicationem Superioris; una ergo ex his perimit aliam; hìc opus hìc labor.

Non dicas ergo id, quia argumenta nõ tantùm probant unum, quàm aliud, ſed utrumq; unum enim per alterum probatur. Nam applicatio Superioris fundatur in præcepto irritativo, cui non eſt negandus valor, & juſtitia, dum ordinatur ad conſervationem Juſtitiæ, ut ſatisfiat creditoribus onerum miſſarum celebrandarum, & ſubditus obediat, adeo quòd adiuncta irritatio, ut quæ efficaciter eſt executiva Juſtitiæ inter creditorem, & debitorem, uti quid bonum, & juſtum fovens Juſtitiam, non poteſt tribuere præcepto de ſe juſto aliquam imperfectionem, qua reddatur nullum, cum ergo irritatio uti juſta non inficiat præceptum, ex utroque applicatio facta à Superiore ſuas recipit vires, & impedit futuram ſubditi applicationem, ne valida exeat in actum. Patet ergo ex his ſupradicta argumenta in præcepto fundata facere pro opinione prævalentiæ applicationis Superioris contra opinionem ſubditi, dum hujuſmodi applicationes dependent à præcepto reſpectivè ad poſitionem unius cum deſtructione alterius ſcilicet ſubditi, qui nullum jus irritativum habet contra Superiorem.

59 *Confirmatur*, quia habens jus præcipiendi poteſt ſuo præcepto apponere quodlibet remedium, quo efficaciter illud adimpleatur, ne ſit inutile, ac proindè inſufficiens ad intentum finem juſtum, & neceſſarium, ſed aliud remedium prætet irritationem efficax dari non poteſt, ac proindè ſequens applicatio facienda cum decreto irritante a Superiore, ne fiat celebratio ſine applicatione, dum illa celebrantis efficaciter impedita fuit per decretum irritans.

Dices, Superior in iis, quæ ſpectant ad exercitium Sacramentorũ, non poteſt inhabi-

habilitare ministrum, nec susceptorem illorum, nam quamvis possit prohibere ne quis baptizet, celebret, aut suscipiat ordines, non tamen efficaciter id facere potest, etiam cum decreto irritante, cum id sit omninò, invalidum in sententia omnium quia non potest impedire ne Sacramenta sortiantur suos effectus cum in his nec minister, nec ipsum Sacramentum ab illo dependeat, sed à solo Deo, qui super omnes est, quod idem dicendum est de Sacrificio, quod ut à Deo est institutum more Sacramentorum suos operatur effectus ministro celebrante, cujus proindè applicationem irritare non potest Superior celebrantis, sicut non potest irritare collationem Baptismi, & Ordinis susceptì à Religioso contrà præceptum Superioris irritativum, ex quo etiam patet dari posse licitum præceptum, & decretum irritans illi adiunctum esse illicitum, & nullum, sic in casu præsenti, esto præceptum de celebrando secundum rectam intentionem Superioris sit justum, iniquum tamen erit adiectum decretum irritans applicationem celebrantis.

Contrà est, quia quamvis per Superiorem non possit impediri effectus susceptionis, & collationis Sacramentorum, tamen efficaciter impeditur effectus gratiæ, quam non consequuntur recipientes Sacramentum e.g. Ordinis &c. & in Pœnitentia contra præceptum efficax Superioris subditus nullum conficit Sacramentũ defectu jurisdictionis, unde per tale decretum dicitur inhabilitari, quare ergo in Sacrificio missæ non habebit locum hujusmodi decretum irritans applicationem celebrantis? Sicut enim Sacerdos inhabilitatur ad absolvendum, ut patet respectu casuum reservatorum, & privationis jurisdictionis, non obstante, quòd à Deo immediatè, directè, & expressè ministerio Episcopi sit illi collata potestas remittendi peccata, per ea verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.* ità & celebrans inhabilitari potest, ne efficaciter applicet iniustè applicaturus, & id à fortiori, cum ex forma Præsbiteratus non expressè, sed tantùm implicitè ex illis verbis: *Accipe potestatem offerendi*, quæ magis refertur ad sacrificandum, colligatur potestas applicandi, ex forma verò potestatis absolvendi expressè colligatur potestas remittendi peccata. Motivum inhabilitandi Sacerdotem quoad absolutionem accipitur abusu ministrorum, idem abusus prębuit ansam Superioribus inhabilitandi suos Sacerdotes, qui applicabant pro suo arbitrio dantibus sibi privatas eleemosynas.

Quod additur de præcepto justo, & invalido decreto irritante nullo, & illicito e. g. In Religione statutum est, ne quis recipiat Ordines sine expressa licentia Superioris, & nisi habeat tot annos professionis; præceptum sine dubio justum est, non tamen illi addi potest irritatio, cum id sit contrà jus cõmune, & Episcopum, qui nõ potest impediri à valida collatione ordinum per Religionis statutum, cui ille nõ subditur, quod nec Pontifex facere potest, cum hæc potestas à Deo sit tradita Episcopis in sua ordinatione. In casu autẽ, præceptum irritativum est solùm contrà subditum, ideò totum justum.

In Sacramento Matrimonii locum habet decretum irritans inhabilitans personas, ne contrahant, nec subinde fiat Sacramentum, *ex Tridentino sess. 24. cap. 1.* ex eo, quòd est cõtractus, ac proinde ex hoc capite subiectus legibus humanis, ac proinde Pontificiis, ut non contrahatur Matrimonium, nisi cum præsentia duorum testium coram proprio Parocho. Ecce quomodo Ecclesia inhabilitat personas ad Matrimonium, & subsequenter ad Sacramentum in totum, itaut nec Sacramentum, nec rem Sacramenti recipiant contrahentes contrà formam Tridentini. Cur ergo non poterit Superior irritare applicationem remanente ipso Sacrificio, & Sacramento Altaris?

Quæres 20. An Episcopus, sicut diximus de Superiore Regulari, possit præcipere suis subditis Sacerdotibus, ut suis satisfaciant oneribus missarum appositò etiam decreto irritante cum propria applicatione in casu, quo contrarientur ejus præcepto?

60 R. Affirmativè, & probatur iisdem rationibus, quibus pręcedens responsum, nõ enim minùs potens est Prælatis Regularibus in ordine ad bonum commune, ut satisfiat oneribus missarum, imò id ad ejus officium incumbit *ex sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4.* dum potest testantium ultimas voluntates ex causa commutare, & reducere onera missarum; à fortiori præcipere, ut illis satisfiat. Vide *Pasqual. q. 180.*

Quæres 21. An si applicatio semel facta sit pro uno, possit Sacerdos ad alterius instantiam transferre in alium?

61 R. Negativè, quando sortita est suũ effectum post consecrationẽ, quia tunc ità est facta propria ejus, pro quo fuit facta, ut Sacerdos eam in alterũ trãsferre non possit, cum super eã jus amplius non habeat, multò minùs ipse petẽs e. g. pro Matre volens, ut transferatur in Patrẽ, cum jam sit acquisitum jus ei, pro quo applicatũ fuit. Ante cõsecrationẽ tamen potest Sacerdos ad instãtiã illius mutare applicationem, quia in debito satisfactionis pẽdet à voluntate dãtis eleemosynã. Vide *Pasqual q. 185.*

Quęres 22. Qualiter peccet Sacerdos nõ applicãdo eo ordine, & modo, quo debet?

62 R. Sacerdos non applicans Sacrificiũ iis, quibus tenetur, sine dubio peccat mortaliter cum obligatione restituendi stipendiũ acceptum, vel aliis missis satisfaciẽdi, & in

63 hoc nulla est difficultas. Si posteriorẽ cre-

ditorem præferat priori, tenet quidem applicatio, licèt à priori receperit ſtipendium, quod nondum recipit à poſteriori, pro quo obtulit Sacrificium, quia in hujuſmodi ſatisfactione ſpirituali attenditur ipſa applicatio, quæ efficaciter ſortitur
64 ſuum effectum virtute Sacrificii, quod ſuum fructum refert in eum, pro quo fuit facta applicatio, quia per promiſſionem factam Sacerdos non transfert ſatisfactionem, & fructum miſſæ, ſed ſolùm per applicationem; infidèliter tamen agit, & peccat præferendo poſteriorem priori, cui promiſſit miſſam, non tamen peccat contra Juſtitiam reſpectu prioris, pro quo prius debebat celebrare, ſi alio die pro ipſo applicet, adeo quòd tunc ſolùm celebrans facit contra Juſtitiam, quando nullo modo celebrat pro eo, pro quo debet celebrare; mora enim, & tarditas, ſeù negligentia ſolùm ſunt peccata contrà Charitatem negligendo occurrere indigentiæ
65 proximi, quod verificatur non ſolùm reſpectu ſatisfactionis retardando celebrationem pro defunctis, verum etiam reſpectu impetrationis, in caſu, quo quis petit miſſam pro impetrando aliquo beneficio, quod ſperat infrà talem diem, differendo celebrationem ultrà illum diem, ità quod licèt peccet non celebrando tempore congruo, tamen non facit contrà Juſtitiam, ſicut faciunt retardantes ſolvere debitum temporale ultrà præfixum, tempus, ob damnum illatum, ſi quod eſt datum ob eam moram, quæ ſemper clamat contrà moroſum debitorem, ea oratione
66 inquam, non facit contrà Juſtitiam, quia debitor eſt ſolius celebrationis, non fructus indè pendentis, tàm ſatisfactorii, quàm impetratorii, quem conſequitur ſolùm poſt applicationem qui dedit eleemoſynam, & ignoretur an damnum aliquod ſit illatum, ideo ad nihil ulterius tenetur, niſi ad celebrandum, præterquam quod hìc agimus de Spiritualibus, quorũ damnum non provenit ex Juſtitiæ læſione, ſed ex negligentia, & infidelitate promittentis. Vide *Paſqual. q.* 182.

Quæres 23. An in dubio miſſæ Sacrificium ſit applicandum fundatori, ſeu illam petenti ſimpliciter.

67 R. In dubio celebranda eſt pro eo, pro quo petita fuit, niſi expreſsè dixerit, ſe miſſam velle pro ſola commoditate audientium, & in hoc expreſſo caſu ſolius commoditatis poterit, accepto alio ſtipẽdio celebrare, & applicare pro recepta ab alio eleemoſyna.

Prima pars de miſſa celebranda pro eo, pro quo fuit petita, probatur, quia petens ſimpliciter miſſam, nulla facta mentione de applicatione, nec quod velit eam pro ſe, nec pro alio, præſumitur voluiſſe id, quod includit miſſa, non enim petiit verbum ſine re, ſed rem ipſam per eam vocem; ſed miſſa includit Sacrificium, quod eſt potiſſimum in ea, in qua intenditur; ergo petit ejus Sacrificium applicandum ſibi, aut alteri, pro quo petitur miſſa. Petens ergo miſſam ex quadam neceſſaria conſequentia petit applicationem Sacrificii, quod ſine miſſa non fit, & cum ſola miſſa ſolet fieri. Simile eſt id, quo Acolitus petendo Subdiaconatum implicitè petit obſervationem ſolemnis voti Caſtitatis, ſine quo ordine non ſolemnizatur votum, ſicut non contingit applicatio Sacrificii ſine miſſa, ad cujus petionem ſequitur oblatio Sacrificii, quod ex ſua inſtitutione eſt propitiatorium, & ſatisfactoriũ. Ità ferè omnes cum *Bonac. p.* 7. §. 2 *num.* 13. 71
*Barboſa Alleg.* 24 *num.* 35. *de Lugo diſp.* 21. *num.* 23. & 42. *Paſqual. q.* 908. *num.* 6. Meo igitur judicio expreſſo verbo *miſſæ*, aut *Sacrificio*, non video aliquam ſubſiſtere rationem dubitandi, cum petitum Sacrificium, ſeù miſſa ex ſua inſtitutione ſit propitiatorium, & propitiatorium, ergo petitur ſecundùm quod eſt inſtitutum.

Secunda pars, quòd petatur miſſa cum applicatione Sacrificii, quando petens nõ ſe declarat velle ſolùm commoditatem audiendi miſſam, probatur, quia ex duplici capite tantùm peti poteſt miſſa, vel pro applicatione, vel pro cõmoditate; primùm, cum ſe habeat per ſe, ſequitur petionem referendam eſſe ad applicationẽ, dum Sacrificium per ſe eſt inſtitutum ad propitiationem, & ſatisfactionem, ergo non expreſſa commoditate, quæ per accidens ſe habet, & non ex inſtitutione miſ- 73
ſam audiendi, cum id pendeat à præcepto Eccleſiæ, ſequitur omiſſa hujus expreſ-
68 ſione peti ſolùm Sacrificii applicationem. Quod ſi nulla mentio fiat de miſſa, nec de Sacrificio, nulla eſt obligatio celebrandi, ſed tantùm orandi, & pſallendi, quia propoſitum in mente retentum nihil operatur *l. cum in plures* 63. §. *Locator ff. Locat.* & fortè id volvit dicere Marchinus, apud *Paſq. num.* 3. non teneri applicare, dic nec celebrare.

69 Tertia pars, quod expreſſa commoditate, & excluſa applicatione, poſſit recipere aliud ſtipendium pro applicatione probatur, quia applicatio tunc nulli eſt debita, ergo eam applicare poteſt danti eleemoſynam pro ea. *Caram in Theol. fund. num.* 416. *Paſq. q.* 908. *num.* 3. *infrà cap.* 11. *num.* 16. reſpondebo obiectionibus. 74

70 Quæres 24. An Sacerdos novellus tres miſſas ſibi impoſitas ab Epiſcopo ordinatore poſſit applicare, quibus ipſe vult? Quæ ſunt de Spiritu Sancto, de Beata Maria, & pro defunctis, ex Pontificali Gregorii XIII. fol 23. his verbis: *Ad Præsbiteratum verò ordinati, poſt primam veſtram miſſam in tribus immediatè tunc ſequentibus diebus tres alias miſſas, videlicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de Beata Maria ſemper Virgine, tertiam pro fidelibus* 75

*bus defunctis dicite; & Omnipotentem Deum etiam pro me orate. Quod illi devotè suscipiunt, & respondent se facturos.* Referente *Pasqual q.* 860. qui omittit illa verba: *in tribus immediatè tunc sequentibus diebus*, fortassis expuncta in novo Cæremoniali, & rationabiliter, quia accidere potest, quòd illæ tres missæ dici non possint immediatè post primam, si e.g. primam missam dixit in solemnitatibus Epiphaniæ, Paschatis &c. in quibus illæ tres missæ dici non
76 possunt, sufficit ergò eas dicere quamprimùm Rubrica non obstante, & dicendæ sunt præscriptæ aliter peccatur meo judi-
71 cio, quia illæ specialiter sunt indictæ, & non quælibet, & à Sacerdotibus acceptata est obligatio, non venialiter, ut dicit *Pasqual. q.* 257. *num.* 2. sed mortaliter, cũ impositio directè cadat super qualitatem missæ, secundùm quam acceptata fuit impositio; & sicut sunt celebrandæ sub mortali ex eodem *Pasquai. q.* 860. *num.* 6. ità, & secundùm dictam qualitatem, in quam formaliter terminat præceptum, nõ enim missę indifferẽter, sed tales missæ præscribuntur dicendæ, & acceptantur, ergò tota obligatio respicit qualitatem missarum.

72 R. Sacerdotem novellum posse dictas missas applicare, quibus vult, accepto stipendio. Ratio est, quia impositio facta ab Episcopo non fundatur in Justitia, sed in sola legali obedientia, in hoc debita, & promissa Episcopo, qui nec dicit ordinato,
73 ut eas applicet sibi, ut colligitur ex sequẽtibus verbis: *Deum etiam pro me orate*, per eam dictionem, *etiam* se excludit ab applicatione speciali illarum missarum, contentus sola oratione, arg. eorum, quæ habet Merlinus *decis.* 800. *num.* 11. *ex eodem Pasqual. q.* 860 *num.* 9. cum ergò teneatur solum celebrare ex obedientia, poterit fructum specialem applicare sibi danti stipendium. Nec obstat Pasqual. extremis verbis, quibus tantùm dicit, quòd nõ possunt ordinantes acceptare eleemosynã pro his missis, ergò ipsi ordinati eas acceptare poterunt. Et licet *num.* 7. dixerit, adesse obligationẽ applicandi pro mortuis ex vi illorum verborum *Tertiam pro fidelibus defunctis dicite.* Is modus loquendi nihilominus interpretari potest duobus modis. Primò *pro defunctis*, ideſt de defunctis
74 ad similitudinem aliarum duarum, quæ imponuntur secundùm qualitatem celebrandæ. Secundò *pro defunctis*, ideſt, quo ad fructum generalissimum, non specialem, sicut in die commemorationis defunctorum generaliter applicatur, & tamen accipitur eleemosyna, ergò & hìc.

Quæres 25. An missa; quam vocant Conventualem, habeat specialem applicationem?

75 R. Si habet specialem applicationem ex sua fundatione ea servanda est, aliter erit arbitraria, quia ex hac qualitate conventualitatis nõ infertur obligatio ex Justitia, sed tantùm Religionis cultus divini. Est communis apud *Rodriq. tom.* 1. *q.* 43. *art.* 8. *Cordubã in Compend. Privileg. V. Moniales n.* 3. *Dianã par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 51. *ex aliis Pasqual. q.* 899.

Quæres 26. An missa conventualis defũctorum prima die cujuslibet mensis non impedita, applicari possit specialiter, eleemosyna accepta?

76 R. Affirmativè, nisi aliàs specialiter sit obligata ex fundatione, vel aliter; ratio est, quia Rubrica Missalis *par.* 1. *tit.* 5. licèt dicat: *Dicitur missa principalis generaliter pro defunctis Sacerdotibus, benefactoribus, & aliis*, non prohibet specialem applicationem, cum disponat tantùm de generalissimo fructu, relinquendo specialem pro iis, qui dant eleemosynam. Et hac ratione satisfit *Pasqual. q.* 900. id neganti, qui tamen id concedit in Ecclesiis Regularium; nobiscum sentit Quartus super dictam Rubr. *dub.* 3. Confirmatur quia in die Commemorationis defunctorum potest eleemosyna accipi etiam pro applicatione speciali, ut mox dicam, ergò à fortiori in præsenti casu.

Quæres 27. An in die Commemorationis defunctorum accipi possit eleemosyna applicando specialiter.

77 R. Accipi posse ab eo, qui non est obligatus eo die ex Justitia, & applicari generaliter, & specialiter ad præscriptum Rubricæ, & juxtà intentionem dantis stipẽ, quia obligatio celebrandi eo die est solùm ex legali jussione Ecclesiæ, ergò non ex Justitia, ac proindè accipere potest stipẽdium pro speciali applicatione sine exclusione generalis totius Ecclesiæ purgantis. Nec puto alios dissentire in re, nam *Pasqual. q.* 901. ait teneri applicare generaliter in Cathedralibus, & Collegiatis, non in Regularibus, nihil dicendo de applicatione speciali, & ex Justitia; *q. verò* 1134. ait, Obligationem Capellaniæ non cessare eo die, dum Ecclesia eo die neminem obligat ad celebrandum; contra quosdã asserentes eo die posse recipere stipendium ab alio, quia Capellaniæ obligatio cessat, *ut dicit Alphons. de Leone apud ipsum*, & *Dianam par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 86. qui Diana id negat, & benè, quia nulla ratio suadet hanc vacationem, & dum Ecclesia præcipit celebrandum pro omnibus, pro nullo dat vacationem, ergò volens celebrare dũ non potest aliquem excludere, multò minus institutorem Capellaniæ.

Quæres 28. An petenti missam stipendio exhibito satisfieri possit generalissimi fructus applicatione?

78 R. Negativè, quia exibitio stipendii habet relationem ad fructum medium, ergò Sacerdos applicando generalissimum non satisfacit suæ obligationi. *Vide Pasqual. q.* 868.

Quęres 29. An accipiens scienter stipen-

dium incongruum teneatur applicare ſpecialiter pro eo, pro quo datum fuit.

79 R. Affirmativè, quia ipſo jure, quo recepit ſcienter illius incongruitatem, ſe obligavit cedens juri ſuo petendi juſtum ſtipendium, & hoc verum eſt, ſivè Sacerdos ſit pauper, ſivè dives. Eſt communis cum *Bonac. p. 7. §. 2. num. 8 Caſtropal. p. 14. num. 6. Tambur. de jure Abbatum tom. 2. q. 9. num. 11. cum aliis Paſq. q. 942.* & hoc ſatis clarum eſt ex Decretis de celebr. miſſar.

Quæres 30. An diferri poſſit celebratio miſſæ alicui promiſſæ?

80 R. Si miſſa petatur pro imminenti neceſſitate, tunc celebranda eſt, ut occurratur indigentiæ, quàm citiùs fieri poſſit, ut infra eandem hebdomadam, & antequam incurratur periculum, cui obviam eſſe intendit offerens ſtipem miſſę, ut Deo auxiliante tollatur periculum, vel ſperetur gratia mediante Sacrificio miſſæ. Si dans eleemoſynam tempus determinavit, non eſt ab eo recedendum, qui eleemoſynam recepit, quia ex hoc promiſit tempore determinato ſatisfeciſſe. Si nullum determinavit tempus, diſcretus Sacerdos putet infrà bimeſtre ſe eſſe obligatum ſatisfacere, præſertim reſpectu mortuorum, qui continvò egent ſuffragiis, undè dilatio ultrà bimeſtre videtur lungum tempus, ac proindè valdè nociva defuncto extremè egenti, mora enim cuiq; nociva eſt. Quod ſi dans eleemoſinam abſque determinatione temporis, dicat Sacerdoti celebres mihi tot miſſas pro tua commuditate, dilatio trium menſium intrà quam celebretur, videtur modicum tempus. Has temporum determinationes ponit *Paſq. q. 695.* interpretando reſponſum 10. Sacræ Congreg. ad illud dubium. An decretum de celebr. miſſar. prohibeat abſolutè, quo minùs accipiātur novæ eleemoſynæ. Non prohiberi; *dummodò infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.*

Spatium duorum menſium ponunt *Marchinus de Ord. tract. 3. p. 2. cap. 13. num. 5. de Lugo diſp. 21. de Euchar. num. 34. Averſa q. 11. ſect. 18. Verſ. Quinto, Quartus in Rubr. Miſſal. in Append. q. 4. p. 1. diffic. 2. Lezana V. Miſſa 39.* Breve enim, ſeù modicum tempus dicitur duorum menſium, *ex l. 2. C. de ſecundis nupt. Gloſ. V. Breve cap. Prætereà 5. de Ætate.* Licèt ibidem multis aliis modis accipiatur brevius; & longius, tamen id ſpatium in re præſenti videtur rationabilius, cum ſit medium.

## CAPUT DECIMUM.

### *De Stipendio Miſſarum.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Stipendium eſt debitum ex divina ordinatione.*
2 *Quo contrahitur obligatio celebrandi.*
3 *Sacerdos non tenetur celebrare ſpecialiter pro aliquo.*
4 *Datum ob cauſam, ea non ſecuta, reſtituitur.*
5 *Stipendium variis titulis datur in miſſa celebranda.*
6 *Primò ex titulo obligationis contrahendæ ad celebrandum.*
7 *Secundo titulo miniſterii, & laboris.*
8 *Et quo major eſt labor, & obligatio, eo majus datur ſtipendium.*
9 *Labor quantumvis exiguus eſt pretio æſtimabilis.*
10 *Tria ſpectantur in ſtipendio, labor ordinarius, & intrinſecus; extrinſecus, cantus, in aurora, in meridie, in feſto, & expenſæ vini, panis, cera &c.*
11 *Pro extrinſeco labore plus accipi poteſt.*
12 *Pro miſſa cantata, & privata diebus feſtis.*
13 *Item pro expenſis infrà 35.*
14 *Tertiò ex titulo Religionis, qui locum hic non habet.*
15 *Quartò ex titulo ſuſtentationis, qui eſt congruentior.*
16 *Dives capax ſuſtentationis, non ſublevationis.*
17 *Tria ſtipendia recipiuntur pro tribus miſſis Natalis.*
18 *Dives Sacerdos recipit ſtipendium miſſæ*
19 *Intercedit pactum, & contractus Juſtitiæ inter utrumque.*
20 *Oblatio fit Deo gratis ſine ulla præcedenti obligatione.*
21 *Suſtentatio importat victum, veſtitum, & habitationem.*
22 *Sacerdos petere poteſt fidejuſſorem à petente miſſas.*
23 *Et eum obligare in forma Cautelæ.*
24 *Moroſus debitor convenitur coram Epiſcopo*
25 *Sacerdos poteſt uti compenſatione contrà nolentem ſolvere.*
26 *Probatur celebratio per juramentum Sacerdotis.*
27 *Singuli de communitate idonei teſtes pro communitate.*
28 *Libro Sacriſtiæ probatur celebratio.*
29 *Sacriſtis creditur in ſuo officio.*
30 *Solutio ſtipendii licitè accipitur.*
31 *Epiſcopus ſtipendium miſſæ taxat pro omnibus*

nibus etiam Regularibus.
32 Quo ad vim directivam, non coactivam
33 Ea taxatio intelligitur, quando testator non taxavit, vel ejus hæredes non conveniunt; tunc spectat ad Episcopum.
34 Pinguius stipendium oblatum recipere potest, non extorquere.
35 Stipendium augetur ex causa extraordinaria 11. 12. & 13.
36 Probibetur utriq; nequid minus detur, aut recipiatur.
37 Stipendium taxatum ex Iustitia dandum celebranti.
38 Episcopus non potest statuere, ut missæ dentur tali Ecclesiæ.
39 Lex enim debet esse ad commune bonum, sine exceptione personarum.
40 Neque valet statutum, ut pinguius detur aliquibus, & non aliis.
41 Salarium taxandum juxta consuetudinem, vel statutum.
42 Arbitrium boni viri, quod ratione regulatur.
43 Solitus dare duos Iulios pro missa, non petuntur post mortem, dum nihil dixit de stipendio dando.
44 Si enim id voluisset, expressisset.
45 Consuetudo enim particularis non habet vim legis, cum tantùm sit actus liberalitatis.
46 Si tamen magna sit summa pecuniæ, vel fundus frugifer, poterunt celebrare missas ad rationem duorum Iuliorum.
47 Testator præsumitur minus gravare hæredes, quàm fieri possit.
48 Testator censetur se conformare cum dispositione juris.
49 Hæres debet convenire de justo salario cum Sacerdote.
50 Testatoris bona sunt obligata pro missis.
51 Pro eorum juribus.
52 Legitima nullum gravamen recipit, nec opus pium.
53 Supplendum non est stipendium jam taxatum.
54 Hæredem gravare ultra expressum non præsumitur 47.
55 Supplendum non est stipendium antiquum actum statuto.
56 Contractus spectatur ex causa præsenti dum fit.
57 Leges dant formam futuris non præteritis etiam habentibus tractatum successivum.
58 Testator si prævidisset disposuisset, fallax illatio.
59 Non expressit, ergò noluit.
60 Testamentum non cantat, neque ego cantabo.
61 Augmentatio intrinseca, & extrinseca.
62 Auctis redditibus non augetur numerus missarum taxatus.
63 Obligatio numeralis est inalterabilis, non recipiens magis, nec minus.
64 Fructus alii naturales, alii industriales.
65 Taxatus Julius licèt crescat ille dandus est.
66 Integrum stipendium non dans alteri Sacerdoti sic contento justum, sivè non justũ; peccat venialiter non contrà justitiam, sed contrà obedientiam legalem.
67 Eximuntur Beneficiarii, & Capellani.
68 Undè probibitio retinendi portionem eleemosynæ videtur restringi ad missas manuales.
69 Nec ex industria transferendi Mediolano, Parmam, aut Cremonam potest aliquid retineri ex dictis 66.
70 Servus ex industria mivoris emens retinet, quod sibi supersit, sed non laudatur.
71 Manutenda Sacristia, si expensæ non sunt computatæ in salario convento, ut non censentur, si datur ad taxam, manutentio sit sex scutorum annuorum pro quotidiana, pro centum manualibus unus tantùm.
72 Et tunc diminuuntur missæ pro rata expensarum.
73 Decretum de celeb. missar. quoad capitale investiendum.
74 Interdictum ab ingressu Ecclesiæ quid importet.
75 Ædes Sacra, Ecclesia, Monasterium, Hospitale, Mons pietatis.
76 Pecunia missarum investienda conservari potest in Ærario Conventus.
77 Investitura est nova acquisitio rei stabilis.
78 Mentio semper facienda de onere missarum adiuncto stabili.
79 Mobile datur vel in solutum, vel ex eo ducitur pretium investiendum.
80 Investitura respicit tantùm onera perpetua.
81 Ratio expressa comprehendit tantùm expressa in obligationibus.
82 Investitura fit in terris, & domibus.
83 Item in censibus, qui sunt res immobiles.
84 In molendinis fixis, & super navibus positis.
85 Pecunia non potest consumi in fabrica conventus, utique in reparandis domibus, quæ locantur laicis.
86 Monasterium ad hunc effectum non est frugiferum.
87 Capitale pingue totum omninò implicandum est.
88 Ecclesia non tenetur subministrare Paramenta Capellano.
89 Obligatio omnis oritur vel à jure, vel ab homine.
90 Testator non præsumitur velle esse onerosus Ecclesiæ.
91 Hæredes tenentur providere Capellano de Paramentis, & aliis.
92 Stipendium respicit sustentationem, non expensas celebrationis.

Cer-

CErtum est, Sacerdotem non teneri gratis celebrare petẽti missam pro se, vel pro suis, sed requiri stipendium, quo Sacerdos se obligat ad celebrandum pro alio speciáliter, & id esse licitum, nemo dubitat, cum manifestè colligatur ex Sacra Scriptura, *Matth.* 10. 11. *Dignus est operarius cibo suo. Lucæ* 10. 7. *Dignus est operarius mercede sua. Paulus 1. ad Corinth.* 9. 13. *Qui Altari deservivunt, cum Altari participant, ità & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Patet ex Dei ordinatione fundata in jure naturali, Sacerdotem posse jure merito petere stipem ab exigente missam, & in pactum deduci, absque ulla specie simoniæ, dum exigitur id, quod jure naturæ ex divina ordinatione licitum est; nemo enim tenetur alteri servire, nisi se obliget, vel gratis, vel stipendio, & mercede. Non citò Doctores, quia in hoc nulla controversia, quos magno numero recenset *Pasq. q.* 903. *Barb. Alleg.* 24. *n.* 2. *de Lugo disp.* 21 *de Eucbar. sect.* 1. *Aversa q.* 11. *sect.* 17. sed accedamus ad quæstiones.

1

Quæres 1. Quo titulo recipiatur stipendium, ut evitetur simonia? Nàm recipi potest *primò* intuitu obligationis contrahendæ, nàm & si Sacerdos in sua ordinatione se obliget ad celebrandum, ut colligitur ad *Hebr.* 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro omnibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut dona offerat, & Sacrificia pro peccatis. Et propterea debet quemadmodum pro populo, ità etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Ista tamen obligatio restringitur ad populum; & ipsum celebrantem, pro quibus applicatur, illi fructus generalissimus, & huic specialissimus ità quòd ex vi suæ ordinationis non contraxit debitum celebrandi pro hoc, vel illo specialiter petente, unde ad hanc obligationem contrahendam inter petentẽ, & Sacerdotem, ut petens certus sit, quòd

3

pro ipso celebrabit, offert eleemosynam, sic dictam ob quandam honestatem, nè dicatur vendi missa, & stipendium, quo accepto, Sacerdos remanet obligatus ex Justitia illi satisfacere, & non satisfaciens, tenetur restituere stipendium, nàm datũ ob causam, ea non secuta, restituendum

4

est, *l.* 1. *ff. de cond. ob causam, cap.* 5 *de donat. inter vir.* Res est certa, quia nullus cõtradicit. *Secundò* recipi potest intuitu ministerii, laboris, & operæ in celebrando. *Tertiò* accipi potest titulo Religionis. *Quartò* titulo sustentationis. *Quintò* titulo pretii ipsius celebrationis, missæ, & Sacrificii, quod petitur, quòd sine dubio est simonia.

5

℟. Omnes isti tituli sunt congruentes præter tertiũ, & quintũ, qui reddunt simoniacũ stipendium; inter alios honestos videtur congruentior titulus quartus de sustentatione, ut patebit in probationibus.

6

Primus titulus ex inductione obligationis specialis congruit, & justificat contractum ne sit *simoniacus*, in tantùm enim licet recipere aliquid, in quantùm conceditur jure divino, & naturali, quia ità dictat ratio, cum quis suis stipendiis non teneatur militare; nullus autem Sacerdos pro alio specialiter ex sua ordinatione obligatur celebrare, ergo cùm liceat illi se obligare, vel gratis, vel mercede; sequitur stipendium accipere titulo contrahẽdæ obligationis, cum ergo stipendium det esse obligationi, & non celebrationi, neq; huic poterit dare esse simoniacum, dum in ejus existentiam non influit, datur ergo stipendium pro obligatione, non pro celebratione, licèt hæc sequatur ad illam, ex quo nec potest infici labe simoniæ, quia stipendium, nec obligatio sint infecta. Ità *Sanchez. lib.* 2. *tom.* 1. *consil. cap.* 2. *dub.* 10. *num.* 6 *quem sequitur Gabriel Carmelita de Sacrif. disp.* 3. *q.* 6. *Vers. Nostra sententia.*

7

Secundus titulus ministerii, operæ, & laboris congruit, quia nullam simoniæ rationem in se continet, ergo nec missæ illam tribuere potest, ac proinde hoc titulo stipendium iustificatur; imò dato, quòd speciem simoniæ haberet, non potest excedere ipsum ministerium, & transire in Sacrificium, quia ex parte rei aliud est labor, aliud missa, nec obstat, quòd non possit dari missa sine labore, & exercitio, quia sicut non potest dari benedictio consequens calicem sine calice, & tamen vẽditur calix habẽs adiunctam benedictionem sine labe simoniæ, quia unum venditur non aliud, ità venditur labor inseparabilis à missa, quæ sine ea esse non potest sine simonia, quia unum venditur, scilicet labor, non missa.

Confirmat id Gabriel, quia augetur stipendium intuitu majoris laboris, ut patet in missa cantata, & in celebrando in loco distanti, vel in hora matutinali, aut

8

meridiei, quę circunstantiæ sicut arguunt incommodum majus, ità & stipendium exigunt majus, *ex Pasqual. q.* 911. 912. & 913. Quòd titulus laboris excludat Simoniam docet, *Glos. V. Sanitatis cap. Qui studet* 11. *caus.* 1. *q.* 1. *dictus Gabriel, & alii quos tacito nomine refert de Lugo disp.* 21. *num* 10. ubi impugnationes Svarez, & Sanchez ait esse facilis solutionis, & suprà solutæ sunt, ipse verò *num.* 12. sic impugnat, quia labor ille corporalis secundùm se non sufficit ad justificandum stipendium ut ex justitia debitum, quia licet aliquando, non tamen regulariter est talis, & saltem de possibili non est dubium, quòd posset celebrari absq; labore digno tanto stipendio, nàm secluso Ecclesiæ præcepto posset celebrare solùm consecrãdo, & sumẽdo, quod totũ in momẽto fieri potest, qui labor secundũ se non esset dignus tãto stipendio, quod datur pro missis. Quòd confirmat,

firmat, quia si pro calice consecrato daretur aliquid plus, quam valeret ipsius materia, præsumeretur datum pro consecratione, sic dãdo pro labore missæ stipendiũ absq; proportione excedens valorẽ ipsius laboris, prẽsumeretur dari pro valore Sacrificii, quod conjungitur labori.

9 Sed contra est, quia ubicũq; labor supponitur sive brevis, sive diuturnus, in quocumque casu sufficit ad justificandum stipendium, cùm qualitercumque sit ille labor, semper sit pretio æstimabilis, omnis enim labor optat præmium, & cum casus de possibili sit, & non de facto secundùm legem, non est considerabilis, quia lex ad ea, quæ rarò eveniunt, non se extendit, multò minus ad possibilia, *l. nam ad ea ff. de legib.* Et ex quo æquale stipendium daretur utrique illa præsumptio oriri non posset, experientia enim constat inter celebrantes eundem laborem non reperiri, cum unus citius altero missam expediat, & in senibus labor est gravior, quam in junioribus, & prolixior est labor missarum de passione Domini in hebdomada Sancta, quam in aliis, & nihilominus non variatur stipendium ex variatione maioris, vel minoris laboris, qui intrinsecè, ut ajunt, requiritur in celebrando, quod est signum evidens, laborem secundum se justificare stipendium, dum hoc non alteratur ad mutationem laboris in ordine ad missam, quia assignatur pro labore, sine ullo respectu ad missam longiorem, vel breviorem, sicut ergò ex pretio excedente materiam calicis arguitur venditio etiã consecrationis calicis, jtà argueretur venditio Sacrificii, si plus reciperetur pro missa de Passione, quam de alia breviori, & minus de sola consecratione, & sumptione sine missa ordinata, sicut ergò materia calicis habet determinatum pretium juxta suum pondus, & artificiũ, ità labor in celebratione determinatum habet pretium, quicuq; ille sit, sive longus, sive brevis, quia sufficit quòd de se sit pretiabile, quod sola lege, vel consuetudine taxatur, ad excludendam suspitionem simoniæ, & id manifestè patet ex allatis auctoritatibus, dum dicitur, quòd dignus est operarius mercede sua, opera ergò etiã rei spiritualis, secundùm Dei sententiã, est pretio æstimabilis, quia ipsa venditur, nõ res spiritualis, da majorem autem hujus rei claritatem.

10 Advertendum, quòd in celebratione missæ tria spectari possunt in ordine ad stipendium: *Primò* obligatio, & labor ordinarius idem in omni celebratione, pro quibus constituitur legale stipendium in ordine ad sustentationem celebrantis. *Secundò* obligatio, & labor extraordinarius, qui non competunt omnibus missis, sicut præcedens, ut celebratio in cantu, in aurora, in meridie, in loco distanti &c. Stipendium autem ordinariũ hæc non respicit, cum sint extraordinaria, & dicantur esse extra ordinem missæ, cujus celebratio contingere potest sine dictis laboribus, & incommodis, qui dicuntur labores extrinseci, unde respectu horum laborum extrinsecorum potest augeri stipendium, & de facto augetur sine ullo injustitiæ scrupulo. Igitur pro extrinseco labore plus accipi potest, *S. Bonau. in 4. dist.* 11 *25. art. 1. q. 4. in fine. Angelus V. Simonia 2. num. 26. Corduba lib. 1 q. 22. Fraxinel. sect. 4. concl. 1. num. 8. cum aliis Pasqual. q. 911.* qui seq. quæstione ait, pro missa solemni posse accipi duplicatum, *ex Tambur. de Sacrif. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 38.* sic practicatur fere in omnibus locis. Aliquid igitur accipi posse pro solemni missa ultra ordinarium stipendium docent, *Lessius lib. 2. cap. 32 num 54. Fraxin. sect. 4. concl. 1. num 8. Lezana V. Missa 23. cum aliis citatus Pasqual.* Etiam ratione diei festi in missis privatis, quia major est occupatio, & incommodum propter multitudinem celebrantium, *Bonac. q. fin p. 8. n. 13. Tamb de jure Abbat. tom. 1. disp. 5. q. 9. num. 15. cum aliis idem Pasqual q. 913. referens statutum Concil. Mediol. 3. par. 2. decr. 16.* Demum 13 *tertiò* spectandæ sunt expensæ vini, ceræ, ministri servientis, & manutentionis Sacristiæ, neque enim Sacerdos hæc ponere de suo tenetur, unde vel extrahendæ sũt de ordinario salario, ac proinde cum diminutione missarum, vel in prima obligatione in pactum deducendæ, quamquam ut plurimum recipiens stipendium taxatũ sine alia convẽtione Sacerdos videtur simpliciter se obligare de suo, sed de hac re infra suo loco q. 19.

14 Tertius titulus Religionis hìc locum nõ habet, dum quidem Doctores ex hac oblatione stipendii comparant Sacerdotem, & dantem eleemosynam in alimentum, quasi eam dans contraxerit filiationem spiritualem cum Sacerdote, ac proinde teneatur illum alere, sicut pater pauper alitur à filio divite; nam ea non facit ad rẽ, quia ex hujusmodi oblatione nulla exurgit parentela spiritualis, ut notum est, & multis impugnat *de Lugo num. 6.*

Unde non placet, quod dicit Gabriel citatus in fine q 6. nimirùm dari stipendium non titulo Justitiæ, sed Religionis, in quantùm virtus Religionis obligationem inducit in fidelibus sustentandi illos, qui Altari serviunt, probans ex allatis Pauli auctoritatibus, & ex communi modo loquendi fidelium, qui non vocant stipendium missæ jus aliquod Justitiæ, sed eleemosynam, sub cujus titulo recipiunt illud, & non sub titulo Justitiæ.

Non placet, inquã, quia actus Religionis non oritur ex stipendio, nec hoc ab illa, dũ stipendiũ uti pretium non potest referri ad Religionẽ, quę est quid spirituale; Nec ex quo vocatur eleemosyna recipit rationem

Reli

Religionis, cum tantùm arguat ſublevationem, & ſuſtentationem celebrantis, non actum Religionis, ideò per hæc non tollitur jus Juſtitiæ, ſed potius augetur, cũ Sacerdos de ſuo non teneatur expendere in celebratione miſſæ, vendit ergò Sacerdos ſuum laborem, & alia requiſita ad miniſterium recepto ſtipendio pro ſuis rebus, ut de illo ſe ſuſtentet, abſque venditione Sacrificii, ſicut pictor à me petẽdo tabulam, & colores, & donando picturã non dicitur illam vendere, cum ſola tabula cum coloribus veniat ad contractum, ex his ergò oritur obligatio, ad quã ſequitur donatio miſſæ, & picturæ.

15 Quartus titulus eſt, dari ſtipendium pro ſuſtentatione celebrantis, qui in ſententia ferè omnium eſt congruentior, tùm quia colligitur ex eo cap. 9. 1. Corinth. tùm quia titulus ſuſtentationis magis elongat ſuſpicionem ſimoniæ à miſſa, quàm alii tituli, qui præcedunt; vel comitantur illam, titulus verò ſuſtentationis quo ad effectum eſt magis remotus, dum fit poſt celebrationẽ ſine ordine ad illã. Demum ex quovis titulo detur ſtipendium, illud non arguit ſimoniam, cum illud de jure naturæ, & divino ſit debitum operanti, ex citatis juribus, ergò evacuatur omnis ſuſpitio ſimoniæ, cum hæc nullo jure concedatur, ſicut ſtipendium miſſæ, non pro miſſa, ſed ex illis titulis, qui ſunt aliud ab ipſa miſſa. Vide *Paſqual. q.* 903. *de Lugo diſp.* 21. *ſect.* 1. *Suar. diſp.* 86. *ſect.* 1. *Caſpenſ. par.* 2. *tract.* 23. *diſp.* 3. *ſect.* 8. *num.* 102. *Bonac. de Euchar. q. fin. p.* 8.

Gabriel Carmelita q. 6. de Sacrificio tenens ſtipendium pro obligatione celebrãdi, non pro ſuſtentatione impugnat hunc titulum ſuſtentationis. *Primò*, quia ſequitur ſolum Sacerdotem pauperem poſſe recipere ſtipem. *Secundò*, quòd in die Natalis non poſſit recipere tria ſtipendia celebrando tres miſſas. *Tertiò*, pariter Parochum pluries celebrando ratione plurium Parochiarum, non poſſe recipere plura ſtipendia. *Quartò*, beneficiatos divites non poſſe recipere eleemoſynam pro miſſis, nam ſuſtentatione non egent.

Unico reſponſo obliterantur præfatæ ſequellæ, nam titulus *ſuſtentationis* communis eſt tàm divitibus, quàm pauperibus. Omnis enim homo in hac vita ſuſtẽtatur ſuo labore, vel ſuo peculio, conſequenter etiam dives ſtipendio miſſæ celebratæ ſuſtentatur tamquam re ſua dum ſuſtentatur ſuis redditibus, & proventibus, inter quos numeratur ſtipendium.
16 Unde *ad primum* utrunque eſſe capacem ſtipendii, quo etiam dives ſuſtentatur, dum eo utitur ad ſuum ſtatum, victum, aut veſtitum, aliud enim eſt ſuſtentationis ratio, aliud ſublevationis indigentiæ, illud ſpectat ad præſentem titulum communem utriſque hoc verò refertur ad paupertatem, ratione cujus propriè nõ datur ſtipendium. *Ad ſecundum*, licitè tria ſtipendia accipiuntur in die Natalis, quia
17 tres ſunt obligationes, tres labores, tres impenſæ &c. *de Lugo diſp.* 21. *num* 18. *Paſqual. q.* 906. *Ad tertium* idem dicendum de Parocho ob diverſos labores, & impenſas. *Ad quartum* divites eadem ſtipendia recipere poſſunt; ità fere omnes cum *Suar. lib.* 4. *de Relig. tom.* 1. *de ſimon. cap.* 46. *num.* 7. *dicto ſecundo*, *Rodriquez par.* 1. *ſummæ cap.* 252. *num.* 4. *de Lugo diſp.* 21. *num.* 18. *cum aliis Paſqual. q.* 905. Contra S. Antoninum,
18 & alios paucos apud Paſqualigum, negãtes Sacerdotem divitem poſſe recipere ſtipendia miſſarum, probant. *Primò*, quia Eccleſia non permittit divites ali ex oblationibus Eccleſiæ, *cap. ſi quis* 2. *q.* 1. *cap. ibi autem* 12. *q.* 1. *Secundò*, quia ſtipendium datur in ſuſtentationem, ex quo titulo dives accipere non poteſt, neque ex alio. Reſpondetur *primò*, locis citatis ſermonem eſſe de obligationibus communibus deſtinatis pro pauperibus, quarum jus nõ favet divitibus. *Secundò*, ſuſtentationem, cum ſit aliud à ſublevatione miſeriæ, eſſe utriſque communem, & adeſſe alios titulos, neque enim tenetur aliis gratis ſervire, & de ſuo expendere in celebratione miſſæ.

Idem Carmelita alia duo ibidem dicit contrà Cardinalem, quæ in quantum dictis à me adverſari poſſunt refero. *Primum* quòd indignum videtur virum nobilem divitem animo generoſo ſtipendium velle ſuę ſuſtentationis pro brevi miſſę celebratione; facilius inducentur, ut ſtipem accipiant pro obligatione, quæ in homine libero magis æſtimatur, quam pro ſuſtentatione. *Dico ego*, quòd non minùs delectatur lucro dives, quam pauper, imò magis dives ex eo, quod amor divitiarum facit illos avaros, & cum avarus ſemper egeat, mirum non eſt, ſi ſtipendio miſſarum ſuſtentantur, dum illo tamquam re propria poſt miſſam celebratam utuntur, non niſi ad ſuam ſuſtentationem, dum illud pro ſe expendunt. *Secundum* quod ait, omnes ſupponere, commune ſtipendium eſſe adæquatum pro miſſa hodierna, ergo fruſtrà accipiuntur tria ſtipendia in Natali Domini, quoniam unum correſpondet ſuſtentationi illius diei, & alia duo pro ſuſtentatione totius anni, quod ſubſiſtere non poteſt, quia utriuſq; intentio eſt dandi unicum ſtipendium, & illud recipiendi pro tribus illis miſſis, neque enim dans ſtipendium intendit illud ſolvere pro aliqua ſuſtentatione totius anni. *Dico ad hæc*, ſtipendium non regulari à die, ſed à numero miſſarum, ut tot ſint ſtipendia, quot miſſæ, ut benè dicitur in Decreto de celebr. miſſar. ibi: *Ut abſolutè tot celebrẽtur miſſæ, quot ad rationem attributæ eleemoſynę præſcriptæ fuerint.* Quòd verò unico Julio eo die ſuſtentari poſſit, vel non poſſit, non

per-

pertinet ad rationem stipendii relativè ad celebrantem, quia non omnes sunt pares in expensis sustentationis, quia unus alio magis impendit in vivendo, non dico lautè, sed regulariter, ut experientia docet, stipendium enim vix sufficit uni, & alteri superfluit, stipendium ergo secundùm numerum non regulatur à die, sed à numero missarum. Falsum quoq; intentionem utriusq; esse de uno stipendio, cùm praxis sit in contrarium apud omnes etiam hujus Ordinis Carmelitas.

Quæres 2. An intercedat contractus ex Justitia utrinq; obligatorius inter promittentem, seù dantem eleemosynam, & promittentem celebrationem missæ, ità ut si non celebret accepta stipe teneatur ad restitutionem stipendii accepti?

19 R. Affirmativè, hoc enim ipso, quòd inter utrumq; intercedit promissio, seù pactū expressum, vel tacitum de dando stipendio, & de missa celebranda, ipso jure oritur obligatio Justitiæ dandi ex parte petentis missam, & celebrandi ex parte Sacerdotis. Ità omnes concedunt, posse in pactum deduci, *Rodriq. par 2. cap. 58. concl 6. Fraxin sect. 2. num. 2. & 5. Vasq p. 3. disp. 234. cap. 1. num. 3. Navar. cap. 23. num. 102. ex aliis Pasqual. q. 904.*

Colligitur hinc, & ex præcedentibus, stipendium hoc esse propriè mercedem jure naturali, & divino correspondentem obligationi, & labori tùm intrinseco tùm extrinseco, quæ merces in utilitatem, satisfactionem, & sustentationem Sacerdotis refertur, quorum omnium est pretium, undè impropriè dicitur eleemosyna, cum non detur ex motivo misericordiæ, sed ex prædictis titulis; sicut & obligatio, quæ ex propria sua ratione fit Deo gratis sine ulla præcedenti obligatione, ut
20 docet Pasqualig. q. 903. num. 13. cujus tamen dictum, quòd stipendium quoq; dicatur impropriè, cum sit actus executivus obligationis alendi Sacerdotes; non placet, quia propriè est pretium executivæ obligationis, ad quam sequitur utilitas, & commodum sustentationis.

21 Quid autem importet hujusmodi sustentatio in ordine ad quam datur stipendium, non cōveniunt Doctores, nam aliqui volunt eam consistere in alimētis non solùm ipsius Sacerdotis, sed aliorum etiam, qui sunt de ejus familia, sed non congruenter cum notum sit stipendium taxatum vix sufficere pro tenui tantùm victu Sacerdotis, ejus quoque labori, & insumptioni vini, panis, candelarum &c. & non ultrà; alii ajunt, stipendium missę debere sufficere pro honesta sustentatione victus, vestitus, & habitationis, sed experientia constat non sufficere, ergo ab his stipendium regulandum non est, sed ex labore, & impensis celebrantis pro eo brevi tempore quo celebrat, undè taxatum unius Pauli, seu Julii stipendium videtur prædictis correspondere, & ex eo sumere aliqualem sustentationem, quam complet posteà ex proprio testimonio, aut beneficio, si quod habet Vide *Mirand. tom. 1. q. 41. art. 23. concl. 4. de Lugo disp. 21. num. 23. Rodr. tom. 1. q. 43. art. 17. Bonac. par. 8 num. 14. cum aliis Pasq. q. 923.*

Quæres 3. An in instrumento obligationis missę quotidianæ à Sacerdote peti possit fidejussor, qui se obliget in solidum cū principali promittente solutionem stipendii?

22 R. Affirmativè, quia creditor cuicumque obligationi petere potest pro sua securitate fidejussorem *ex tit. de fidejussor.* ergo & in hac de pretio solvendo pro celebratione, sicut enim ex hujusmodi instrumentali obligatione simplici nulla contrahitur suspicio simoniæ, ità neque ex additione fidejussionis petitæ, quæ celebrantem reddit cautiorem quoad exactionem sui stipendii.

Quæres 4. An instrumentum fieri possit in forma Cameræ ut ajunt, amplissima cum renuntiatione &c.

23 R. Affirmativè, quia ista rigorosa obligatio, quæ citò secum trahit executionem solutionis, adiungi potest adversus quoscumque debitores, ut tempore debito cogantur solvere, si in mora sint, in omnibus contractibus licitis ergo & in hoc de obligatione celebrandi, cum sit licitus, & liber ab omni suspicione simoniæ, & iniustitiæ.

Quæres 5. An Sacerdos possit convenire morosum debitorem occasione stipendii missarum celebratarum?

24 R. Affirmativè, & coram Episcopo, licèt conveniatur laicus, quia in hoc subditur potestati Ecclesiasticæ, ratione rei, quod est stipendium in ordine ad missam, respectu cujus subditur Ecclesiastico Judici. Ità *Rubeff. in tract. Quando sæculares num. 6. Fragasus de regim. Christ. reipubl. par. 1. lib. 2. disp. 4. §. 4. memb. 9. Alphons. de Leone de offic. capell. q. 6. sect. 4. num. 40. Garzia in summa tract. 3. diffic. 10. p. 1. num. 16. ex illis Pasqual. q 914. num. 6.* id deducens
25 *ex cap. Ad Apostolicam 42. de simon.* notans *num.* 8. uti posse compensatione, si non possit satisfieri.

Modus autem probandi consistit in duobus, in juramento, vel ex libro Sacristiæ, in quo notantur missæ.

26 Primum de probatione missarum celebratarum docent plerique apud Carenam *resol* 41. ubi ait probari per attestationes juratas Superioris, & Curati Ecclesiæ, ut antesignanus videtur esse *Guidop. decis.* 614. *quem sequitur Simon de Pretis lib. 4. de interp. ult. vol. interpret. 2. dub. 4. num. 77 & ejus Addition. P. Matthæus, & Joannes de Cruce, Mascard. concl. 709. numer. 2. Borgnin. vol. 4 dec. 16. num. 12. Pasqual. q. 1082. numer. 6. Gargiar. lib. 2. cons.* 18. qui omnes impu-

gnant opinionem Theſauri *lib. 1. q. 86.* negantis ſufficere iuramentum Superioris Monaſterii, quia nullus poteſt eſſe idoneus teſtis in propria cauſa, in qua agitur de proprio intereſſe, ſed prætati Doctores
27 Carena, & Gargiar. reſpondent, tunc intereſſe habere locum, neque ſit idoneus in propria cauſa, quando ſinguli prout ſinguli habent ſingulare intereſſe, non verò, quando tale intereſſe illis competit communiter, non diviſim, & ſingulariter; quia tunc eſt intereſſe proprium, ſed communitatis, ſinguli ergo de communitate ſunt teſtes idonei pro ipſa communitate, *ex Farinac. q. 60. num. 54. & 61. Menoch. lib. 2. de arbitr. caſu 106. num. 5. Rota part. 1. Recent. dec. 136.* ſupradicti ergo concludunt ſufficere juramentum Superioris ad probandam celebrationem miſſarum, ut etiam docet Homobonus *par. 7. ſuorum conſil. Reſp. 12.*

28 Cum Theſauro eſt Riccius *par. 3. Reſol.* 365. qui docet alio modo eſſe probandam celebrationem miſſarum, nimirum, per librum Sacriſtiæ Officialis deputati, qui quotidie ſcribit miſſas. Vel alio modo probari poſſe, nempe, Eccleſiam eſſe oneratam tot miſſis, & quotidie tot Sacerdotes celebraſſe, quod tamen redditur difficilius, quę enim perſonæ id probare debent, niſi quæ quotidie ſerviunt Eccleſiæ, qui ſunt proprii illius Sacerdotes, à quibus tãdem colligitur probatio, cum impoſſibile ſit per extraneos id probare, idcircò Superior Monaſterii, & Collegiatæ idonei
29 erunt teſtes celebrationis cum ſuis Sacerdotibus, maximè Sacriſtis, quibus adhiberi ſolet fides, ut ex Felino *in cap. Ad audientiam, de præſcript.* docet idem Riccius in fine dictæ reſolutionis.

Quæres 6. An liceat exigere anticipatè ſtipendium ante celebrationem miſſarũ?

30 R. Affirmativè, quia cautio fidejuſſionis, & in forma Cameræ peti poteſt, ergo & anticipata ſolutio, quæ loco illarum ſuccedit in effectu, cum tunc illis non egeat, cum debitor ſolvens anticipatè non ſit in mora, nec de mora ſit ſuſpectus, licita ergo eſt anticipata exactio ſtipendii, ſicut ipſum ſtipendium ſimpliciter promiſſum, quod inficere non poteſt ex diligentia, & acceleratione, quæ nullum indicant vitium, ſed ſolertiam, & prudentiam. Ità *Layman lib 4. tract. 10. cap. fin. §. 2. num. 15. fine Sanch. lib. 2. conſil. cap. 3. dub. 11. numer. 13. alii cum Paſqual. q. 914. num. 2.*

Quæres 7. Ad quos ſpectat taxare ſalarium, ſeu ſtipendium miſſarum?

31 R. Taxare ſtipendium miſſarum ſpectat de jure unicuiq; Epiſcopo in ſua diœceſi tàm reſpectu ſuorum Clericorum, quàm Regularium, etiam in caſu, quòd teſtator non determinavit in ſuo teſtamento, qui tamen debet ſe conformare conſvetudini loci, aut legi, ſeu ſtatuto epiſcopali, ità quòd ad hæredes id munus non ſpectat. Taxatum autem pretium, & ſtipendium eum pro juſto habeatur, non eſt mutandum, nec alterandum inter partes, niſi duobus in caſibus, primò ex aliqua ſpeciali cauſa non comprehenſa in determinatione ſtipendii; ſecundò alterari poteſt diminutione, vel auctione ex conſenſu partium, unde Sacerdos non ſolùm majus pretium ſibi oblatum ſponte recipere poteſt, non tamen extorquere contrà petentem miſſam, ſed etiam minùs ſibi oblatum recipere ſi velit, in his enim juri ſuo cedere poſſunt. Intellige hoc, niſi legislator expreſsè prohibeat utriſque alterationem ſecundùm magis, & minùs, quod facere poteſt, ad evitandas quaſdam artificioſas diligentias palliandi vitium lucri, & avaritiæ.

Prima pars, quòd taxare ſtipendium ſpectet ad Epiſcopum, ità clara eſt, ut non egeat probatione, id enim ſpectat ad regimen ſuę diœceſis, ne altercationes oriãtur inter Sacerdotes, & populos, & ne teſtantium voluntates remaneant ſine debitis ſuffragiis ex differentiis inter Sacerdotes, & obligatos ad ſolvenda legata in aſſignatione ſtipendii. Ità *Miranda tom. 1. q. 41. art. 23. Bonac. q. fin. p. 8. num. 8. cum aliis Paſqual. q. 926.*

32 Secunda pars, quòd taxa afficiat omnes celebrantes etiam Regulares, probatur, quia taxa hujuſmodi fundatur in Juſtitia à qua tamquàm à jure naturali nemo eximitur; undè Regulares huic taxæ ſubiiciuntur ex vi directiva, licèt non ex vi coactiva, in quantùm ſi addatur pæna violantibus taxam, non incurrunt illam. Ità *Tambur de Sacrif. miſſæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 90. Paſqual. q. 930.*

33 Tertia pars, teſtatore non determinante ſalarium miſſæ, ſpectat ad Epiſcopum, non ad hæredes, ut Sacra Congregatio reſpondit quærenti his verbis: *Quintò poſito, quòd teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum miſſæ abſq; ulla præſcriptione eleemoſynæ. Quæritur, an liberum ſit hæredibus eleemoſynam ſolvi bene viſam præſcribere? An verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?* Per hæc verba: *Ad quintum cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus miſſarum celebrandarum ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.* Hoc autem reſponſum locum habet etiã reſpectu Regularium, qui in hoc ſi non conveniant cum hæredibus debent ſtare determinationi Epiſcopi, quando inter ſe altercantur in quo caſu locum habet dictum Reſponſum, ut notat *Paſqual. q. 932. num. 3.* Quare ſi concordant inter ſe, ut poſſunt privatis voluntatibus, non eſt opus recurrere ad Ordinarium, quod idẽ dicendum eſt de Sacerdotibus ſæcularibus convenientibus cum hæredibus defũcti in

cti in taxatione stipendii. In discordia autem Episcopus debet sequi taxam in suo synodo, vel consvetudine inductam in defectu statuti ad formam hujus Responsionis.

34 Quarta pars, quòd Sacerdos majus stipendium taxato exigere non possit, probatur, quia jam taxatum censetur justum, ergo non nisi iniustè majus petitur, & subsequenter tenetur restituere illum excessum exortum, cum illi de jure non sit debitum. Tale quoque erit peccatum, qualis quantitas excessiva. Est communis cum *Svar. disp.* 86. *de Eucbar. sect.* 2. *Rodriq. par.* 1. *cap.* 251. *concl.* 4. *Miranda tom.* 1. *q.* 41 *art.* 23 *cum aliis Pasqual. q.* 929. *num.* 2. 3. & 8. Dico *extortum*, quia si libenter datur, quod non ità facilè credendum est non peccat, nec proindè illum excessum restituere tenetur, ut omnes fatentur; sicut & quando stipendium grassius non petitum datur, liberalitas enim non inducit peccatum, undè nec Episcopus prohibere potest, ne quis det majus stipendium supra taxam, sed solùm, quòd non extorqueatur, cum extorsio arguat iniquitatem, liberalitas verò gratitudinem, & majorem affectum erga ministerium Sacerdotale, ac proindè cultum majorem Sacrificii, & fructum ampliorem erga defunctum, cujus eleemosyna grassior quid ulterius meretur. Itaque Ordinarius non potest prohibere, ne majus stipendium accipiatur à sponte dante. Ità *Angelus V. simonia num.* 10. *Tabiena num.* 18. *Silv. q.* 11. *cum aliis Pasqual. q.* 926. *num.* 5. Contra nõullos, quos pro se citat *Barbos. alleg.* 24. *nu.* 9. *apud eundem Pasqual. num.* 4. sed reverà intelligendi sunt, quòd Episcopus prohibet extorsionem, non liberalitatem.

35 Quinta pars, quòd ex causa extraordinaria, & speciali possit exigere majus stipendium ultrà taxatum, probatur in his exemplis, ut quia petitur missa cantata, vel in aurora, vel in meridie &c. hæ at aliæ similes causæ important majorem obligationem, & subiectionem, ad quam taxa non extenditur nam ad ea, quæ sunt extrà ordinem, leges & statuta non solent se extendere, *l. nam ad ea ff. de legib.* & extrinseca non habentur in consideratione, sed quæ sunt ex natura rei, *l. si quis ff. si cert. pet.* certum autem est, adducta exempla esse extra ordinem celebrationis ordinariæ, quæ nec tempori, nec cantui regulariter alligatur; cum ergo taxa ad hæc nõ referatur, sed ad titulos obligationis, laboris, & sustentationis, ceræ, vini, &c. intelligitur justum pretium tantùm quoad hæc.

36 Sexta pars, quòd Ordinarius possit prohibere utrique ne quid minùs detur, aut recipiatur infrà taxam, probatur, quia prohibere potest id, quod est contrà Justitiam; sed dare minùs justo pretio est, contrà Justitiam, ergo id prohibere potest. Et pariter quòd suprà taxam nihil extorqueatur, ut dixi sub num. 34. Ità *Bonac. p.* 8. *num.* 9. *Castropal. p.* 14. *num.* 4. *Pasqual. q.* 927. contra dantem minùs & *q.* 928. contrà recipientem minùs. Nõnulli sentiunt oppositum, non posse fieri hanc prohibitionem, & quia stipendium habet rationem eleemosynæ, quæ coactè non datur, nec recipitur; & quia liberalitas non prohibetur. Stipendium est impropriè eleemosyna, cum reverà sit pretium ex Justitia, & liberalitas sub specie aliena palliata prohiberi potest.

37 Septima pars, quòd petens missam teneatur taxatum stipendium dare, certa est, quia & ipse subditur statuto, vel consvetudini receptæ in suo Episcopatu, maximè cum censeatur ab omnibus justum stipendium ab eo solvendum, aliter peccat, & tenetur ad restitutionem, sicut Sacerdos excessum suprà taxam extortum tenetur restituere, nisi Sacerdos sponte contentus sit. Nullus sentit oppositum.

Quæres 8. An ordinarius statuere possit, ut stipendia missarum dentur determinatæ Ecclesiæ?

38 R. Non potest, nec in synodo, nec extrà, & factum nullum est; ratio est, quia de ratione essentiali Legis, & Statutorum est, quòd sint ordinata in bonum Communitatis, & ad utilitatem subditorum,

39 *cap. erit autem* 2. *dist.* 4. *ibi: Nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta D. Thom.* 1. 2. *q.* 90. *art.* 2. *Scotus in* 4. *dist.* 14 *q.* 2. *num.* 7. finis Legis est bonum commune. Deficiente ergo communi bono, deficit Lex, & nulla est, *l. Ambitiosæ* 4. *ff. de decretis ab ordin. fac.* Ità *Fagundez præcepto* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 9 & 10. *Scotus lib.* 7. *de Just. q.* 6. *art.* 2. *Vasq. par.* 3. *disp.* 234. *cap.* 1. *num.* 8. *cum aliis Pasqual. q.* 931.

Quæres 9. An Episcopus statuere possit, ut detur pinguius stipendium certis Sacerdotibus, & aliis minùs.

40 R. Negativè, quia Leges, & Statuta non admittunt exceptionem personarum, dum debent indifferenter respicere bonum Communitatis. Confirmatur, quia Sacerdotes in eodem labore pares sunt, & in titulo sustentationis par habent jus, ergo par in eis Statutum stipendii missæ. Adde, quòd id arguit iniustitiam stipendii, dum pro eodem titulo diversitas mercedis ordinatur, quod est contrà Justitiam, alio enim modo Paterfamilias, qui conduxit operarios in vineam suam, Matth. 20. ab iniustitia salvare se non potuit ab operariis conquerentibus, nisi respondendo, *Nonne ex denario convenisti mecum*. Fuerunt enim pares in labore ponderis æstus, & diei, ergo debuisset eis parem dare mercedem, si intercessisset conventio inter illos. *Pasqual. q.* 931. *num.* 4. limitando, nisi Episcopus haberet justam causam taxandi

xandi majora ſtipendia pro aliqua Eccleſia, vel quia non haberet expenſas pro celebratione miſſarum &c. Sed certè iſta limitatio ſuum non poteſt ſortiri effectũ, quia nullus eſt tàm imprudens in hoc ſæculo, qui det majus ſtipendium, ſi pro minori poteſt habere miſſam, ac proinde inutile eſſet tale ſtatutum, imò fideles per illud averterẽtur à ſervitio illius Eccleſię.

Quæres 10. An ſtipendium non taxatum à Teſtatore ſed relictum Hæredibus taxandum ſit determinandum ad formã taxæ legalis factæ ab Ordinario, quamvis relictum fuerit in ejus arbitrio?

41 R. Affirmativè, quia arbitrium boni viri non importat quamcumq; libertatem, juxtà illud. *Stat pro ratione voluntas*, ſed eam, quam regulat ratio, ſine qua arbi-
42 trium non dicitur bonum. Et quamvis Teſtator ſolùm exprimeret ſimilia verba *pro ſuo arbitrio*, adhuc intelligendus eſſet de arbitrio bono, ſeù boni viri, qui ſcilicet rectè, & prudenter ſe gerit in negotio amici, arbitrium enim ſemper debet procedere à bono viro, *l. ſi in lege 27. ff. Locati*, quia ſubintelligitur in ea clauſula: *Pro ſuo arbitrio*, *Menoch. lib. 1. de arbitr. q. 8. num. 29. Felin. in cap. 1. de conſtit. num. 51. verſ. & ſi dicatur*. Quare ſtipendium taxare debet ad formam conſvetudinis, vel ſtatuti Ordinarii. Vide *Paſqual. q. 933.*

Quæres 11. Benefactor ſolitus dare duos Julios pro qualibet miſſa, ſi reliquit quotidianam ſtipendio non determinato an ejus mens præſumatur, ut tale ſtipendium detur pro miſſa quotidiana.

43 R. Quamvis id præſumi poſſit ex ejus conſvetudine, dum viveret, tamen ea prodeſſe non poteſt Capellano, ſi enim vo-
44 luiſſet hanc pinguiorem eleemoſynam eſſe dandam Capellano, id expreſſiſſet, *l. Un. §. ubi autem, fine C. de caduc. toll l. ſi ſervum 70. §. Prætor ait, ibi: Non dixit ff. de acquir hæred cap. ad audientiam 12. de decim.* Stipendium ergo taxandum eſt ad
45 formam ſtatuti, non ex ea conſvetudine, quæ Lex non erat, ſed mera liberalitas, quæ nullam inducit obligationem, cum ſit actus meræ facultatis *Rota par. 3. deciſ. 545 num. 3. Doct. in l. apud Julianum §. ſi quis, ff. de legat. 1. Fuſchus de Viſitat. lib. 2. cap. 13. num. 14.* Et eſto eſſet obligatus ſpõte, adhuc non eſſet ſequenda ab hæredibus, quia obligatio perſonalis unius non afficit alterum. *Rubr. C. Ne uxor pro marito, Surd. deciſ. 39 num. 4.* Quòd ſi res fru-
46 giſera, vel pecunia immediatè legata ſit Eccleſiæ illi; poterunt illius miniſtri, & Sacerdotes proſequi celebrationem, quia in hoc non præſumitur alterata ejus conſveta voluntas, ſi hoc modo erat ſemper regulata cum traditione duorum Juliorum. Ità intelligo *Paſqual. q. 933. num. 3.* Aliter ſi Hæres ſolvere teneatur ex bonis hæreditariis ſtipendium, non eſt cogendus ad illud conſvetum, ut probant allatæ rationes. Præterquamquòd Te-
47 ſtator præſumitur gravare hæredem minùs, quàm ſit poſſibile, *l. Unũ 69. §. Siremff. de legat. 2.* Prætereà in dubio cenſetur ſe voluiſſe conformare cum diſpoſitione Ju-
48 ris taxantis ſtipendium, ex allegatis per Doctores *in l. Hæredes mei, §. cum ità ff. ad ſenat. conſ. Trebell. Sanch. lib. 5 diſp. 5. num. 15 Verſ. Et confirmatur.*

Quæres 12. An hæres debeat taxare ſtipendium conveniendo cum Sacerdote, quando teſtator illud non taxavit, ſed tantùm expreſſit numerum miſſarum.

49 R. Hæres debet cum Sacerdote convenire in ſtipendio currenti, eo tempore, quo contrahit cum ipſo, & non juxtà ſalarium, quod currebat tempore conditi teſtamenti quamvis etiam teſtator id reliquiſſet in ejus arbitrio. Probatur, quia hoc ipſo, quòd adiit, acceptavit hæreditatem contraxit obligationem realem annexam bonis, quia per aditionem omnia jura, quæ erant apud defunctum, & per mortem non fuerant extincta, ipſo jure
50 tranſeunt in hæredem, *l. Cum hæredes 23. ff. de acquir. vel amitt. hæred. l. Nihil 24 ff. de verb. ſignif.* ergo tenetur providere de ſtipendio currenti.

51 Intellige pro viribus hæreditatis detractis debitis, & legitima ſibi debita, quia bona tantùm propria teſtatoris ſunt obligata, & non aliena, ut docent, *Cancer. Var. reſol. cap. 20. num. 306. lib. 3 Bartol. in l. cum quis decedens §. Teſtamento ff. de legat. 3. Alphons. de Leone de offic. Capell. q. 5. ſect. 28. num. 388.* ut enim hæres, & non alia ratione ſe obligavit, ergo ſecundùm vires hærediratis.

Legitima autem non poteſt onerari le-
52 gatis, & miſſis, quia illa reiicit omne gravamen, *l. Omni modo 30. l. Quoniam 32. C. de inoff. teſtam. Ruin. lib. 3. conſ. 149. num. 13. Natta conſ. 145. num. 21.* Etiam honeſtum, & cauſæ piæ, *Cuccus de legit. fol. 330. apud Gratian. cap. 702. num. 18. 19. & 20.* Nam legitima habetur loco æris alieni, & filius in ea dicitur creditor, *Bald. in l. Si verò, §. 1. ff. de teſtam. milit. Peregr. de fideicom. art. 4. num. 14. & 15. Gratian. cap. 334. num. 18.*

Quæres 13. An hæres teneatur ſupplere pro miſſis numero certo taxatis, quod deeſt ſtipendio in pecunia, vel fundo deſignato?

53 R. Non tenetur ſupplere defectum ſtipendii currentis, licèt fuerit inſufficiens aſſignatum à teſtatore, probatur, quia nulla alia bona, præter aſſignata, obligavit pro illo onere, ut patet expreſſis verbis teſtamenti, ut ſupponitur, ergo ea tantùm taxavit pro miſſarum ſatisfactione. Confirmatur, quia pecunia, vel alia res aſſignata pro celebratione habet rationem legati, ergo ea tantùm ſolvenda eſt, neque enim præſumendum eſt, teſtato-

tatorem velle gravare suum hæredem ultra expressionem factam, *l. Unum* 69. *§. Si rem ff. de legat.* 2. Facit, quod in dubio legati, solvitur quod minus est, *l. Idem* 41.
54 *§. Scio ff. de legat.* 1. hæres ergò non tenetur, supplere, sed in hoc casu recurrendũ est ad reductionem missarum, dum nullus Sacerdos vult assumere onus celebrandi cum exiguo stipendio. Ità *Marchinus de Ordine tract. 3. par. cap. 22. num. 8. Gratiã. cap. 988. num. 17. cum illis Pasqual. q. 1025. num.* 3. Hæc quæstionis resolutio magis roboratur in sequenti.

Quæres 14. An hæres teneatur augere pretium, quod statuto, aut consuetudine auctum fuit? Nam initio hujus centuriæ pro qualibet missa dabantur sex solidi, posteà duodecim, nunc vigintiquatuor, horum ego testis sum auricularis, & etiã ocularis. Nunquid hæres hoc stipendium nunc dare tenetur, quod aliàs non dedit, nisi conventum, vel expressum à testatore, quod currebat tẽpore testamenti, vel cõvẽtũ inter hæredẽ, & celebrantẽ ab initio.

℟. Non teneri augere stipendium probatur. Tum quia antiqua conventio inter
55 partes perpetua est & tractum habet eundem successiuum, de se inalterabilis, cũ semper eadem remaneat, ergò non potest, nec debet recipere augmentum. Tũ quia omnis cõtractus intelligitur de causa presenti, dum fit ac proinde ejus dispositio non trahitur ad jus superveniens de futuro, *Bart. & Jason in l. quod Servius* 8. *ff. de*
56 *condit. causa data* in stipulationibus enim id tempus spectatur, quo celebratur contractus *l.* 187. *ff. de reg jur.* sed tempore cõventionis non erat hoc augmentum, sed postmodum supervenit, ergò spectandũ modo non est, dum non fuit initio contractus. Tum quia consuetudo, seu statutum sicut, & leges futura respiciunt, non
57 præterita, *cap. 2. & fin. de constit.* quod procedit etiam quoad effectus futuros provenientes etiam ab actu præterito, nam nec ad hos lex nova trahitur, *Honded. Vol. 2. cons.* 14. *num.* 28. & 29. *Navar. tom.* 4. *de Reser. excep.* 21. *num.* 5. Demùm si necessarium esset hoc supplementum, frustratorium esset remediũ Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 4. reducendi missas ob exiguum stipẽdium Ità *Fraxinel. sect.* 4 *concl.* 4. § 24. *n.* 3.

Contrarium plerique docent, stipendium nempe esse augendum, apud Dianam *resol.* 17. *de celebr. miss ar Homob. p.* 1. *Exam. cap.* 13. *q.* 118. *Riccius par.* 3. *resol.* 364. *Genuens. Tricen.* 6. *q.* 179. *Barb. alleg.* 29: *n.* 7. Diana probat, quia testator non reliquit simpliciter peccuniam pro eleemosyna solvenda, sed pro missis celebrandis, & si prævidisset augmentum stipendii, non diminueret numerum missarum, sed auxisset stipendium, bona enim sunt satis sufficientia, ergò idem præstare
58 debet hæres; pendet ab illo communi dicto. Si testator previdisset, auxisset stipendium, non diminuisset numerũ missarum, de qua re *Mantica de conject. l.* 3. *tit.* 11. *num.* 22.

Resp. si prævidisset, ergò auxisset, hanc consequentiam esse fallacem, & dubium, cum sit fundata in cõditione, quæ nihil ponit in esse, unde cum non præviderit, nec auxit, ergò cum stipendium ex sua stabilitate sit certum, ex incertitudine non potest de jure alterari, & augeri. Dictum propterea contrarium verum est. Non expressit, ergò noluit, quia si volvisset, expressisset, *Rota par.* 1. *decis.* 607. *& par.* 6.
59 *dec.* 249. *num.* 14. non enim sufficit, quod ità voluisset, sed debet in effectu constare de facta dispositione *l. Licèt quidam cum filium ff. de instit. Bald. & Jmola apud Decium in cap. super literis* 20. *de reser. num.* 20. Unde hæres potest dicere. Testamentum non cantat,
60 neque ego cantabo *Rubeus in dec.* 358. *num.* 10. *par.* 3. ubi probat, quòd testatur censetur noluisse quod non dixit.

Riccius verò *par.* 3. *resol.* 364. probat diversis exemplis, duo refero, dicit ergò *primò* ad hoc facere *l. si servitus ff. de seru. urban. prædior.* ubi augmentato prædio dominante, & ipsa servitus augetur, nam si commisit servitutem luminum, ne officeretur luminibus domus meæ, tempore, quo non erat ibi, nisi una fenestra, per quam respiciebam lumen; & postea amplio domum cum aliis fenestris; tu non potes officere luminibus novis, sicut nec veteribus. *Secundò* ponit doctrinam Baldi, qui consulit, quendam nobilem teneri reficere pontem, sicut promiserat, & quidem maiorem solito propter incremẽtum aquæ, si augmentatio aquæ est intrinseca, non verò si est extrinseca; intrinsecam vocat, quando onus refectionis est auctum circà eandem latitudinem aquæ perfodientis pontem, unde est necessaria major impensa solito, tunc tenetur; si verò augmentatio est intensiva in majori pontis latitudine, tunc non tenetur, quia tempus contractus inspicitur. Applicat ergò, & dicit quòd si augetur numerus missarum, augmentum dicitur extrinsecum, si verò augetur solum merces est
61 intrinsecum, & tenetur hæres. Et cum hac distinctione dicit se concordare duas leges, prædictam *si servitus*, & aliam *Non Modus C. de servit. & aquis*, quæ videntur opponi, ut prior loquatur de augmento intrinseco, posterior de extrinseco.

Adducta non faciunt ad rem, quia ponit augmentum, & respectu mercedis vocatum intrinsecum, & respectu missarum appellatum extrinsecum. Quæstio autem præsens est, an augendum pretium, an missæ diminuendæ? Responsum est, esse minuendas missas, non alterandum, nec augendum stipendium. Quod stipendii augmentum ab eo vocatum

catum intrinſecũ, tale nõ ſit, ſed omninò extrinſecum, patet, quia nouum eſt, non antiquũ, nec innnatum cũ illo teſtamenti, aut convento inter partes, ſed à ſtatuto, aut conſuetudine proveniens.

Quæres 15. An auctis fructibus prædii relicti pro miſſis celebrandis, augendus ſit numerus miſſarum licèt taxatarum ad talem numerum?

62 R. Negativè, quia obligatio numeralis conſiſtit indiviſibili, ergò inalterabiliseſt, non, recipiens magis nec minus,

63 neque proinde addi poteſt, aut diminui, dum teſtator certumterminum appoſuit. Confirmatur, quia in dubio obligationis reſtringitur *l.* 99. *ff. de verb. ſignif.* ergò ubi re eſt clara, non eſt augenda, nec reſtringenda, ſed relinquenda in ſuis terminis.

Genuenſis Tricenar. 8. q. 229. ait, aucta re, augendum eſſe numerum miſſarum. *Fraxinel. ſect.* 4. *concl.* 4. §. 25. *num.* 1. diſtinguit, numerum miſſarum eſſe augendũ, ſi ſemper manſit idem ſtipendium. Si verò augetur res, & ſtipendium ex æquo, numerus miſſarum non augetur, quia illis reſpondet juſtum ſtipendium, & citat *Rodriq. par.* 4 *Summæ cap.* 12. *num.* 10. *& Roman. conſ.* 369. *num.* 31. Aliã affert diſtinctionem, ſi res ſit aucta induſtria, & labore, non eſſe augendum numerum miſſarum, quia auctio non eſt ex re, & naturalis, ſed ex induſtria patroni, cui fructificat, & non aliis. Si caſu ut ex additione fluminis prædium ſit auctũ notabiliter, augendæ quoque ſunt miſſæ.

Probat *Fraxinel. num.* 3 *ex cap. fin. de verb. ſignif.* ubi fructus præbendarum auctus debet converti in utilitatem Eccleſiæ, ergò & augendus miſſarum numerus. *Confirmat*, quia contrariorum eadẽ eſt diſciplina; ſed diminutis ſtipendiis diminuitur numerus miſſarũ, ergò re aucta, augendus eſt miſſarũ numerus, citando *Perez de Lara de anniverſ. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 18. *&* 19.

64 Sed his non obſtantibus perſiſtendũ eſt in deciſis, tum quia augmentũ proventuũ regulariter provenit ab induſtria, & labore, non ex natura fundi, & cum fructus numquam ſint omnino iidẽ, ſed ſingulis annis alterationem patiantur, ut experiẽtia docet, nulla ratio ſuadet, numerũ fixũ, & certum eſſe ſubiiciendum incertitudini, maximè cum ſtipendia ſubſequantur celebrationem miſſarum, quarum numerus remaneret incertus, ſi regulandus eſſet à quantitate fructuũ, eſſent enim tunc celebrandæ poſt receptionem fructuum, ſic retardaretur celebratio in præjudicium teſtantium.

Ad locum *cap. fin. de verb. ſign.* reſpondetur, nihil contra nos, quia aliud eſt cõvertere in utilitatem Eccleſiæ augmentum naturale, non induſtriale, ut docet ibi *gloſ.* aliud in utilitatem animæ teſtatoris, de quo nihil ibi, cum ipſe non veniat ſub nomine Eccleſiæ. Ad confirmationem; illud axioma procedere, quando in utroque apparet eadem ratio, ex allatis à *Barb. Axiom.* 58. *num.* 11. Conſtat autem diminui miſſas ob tenue ſtipendium, quia ità decrevit Sacrum Concilium, unde in reductione locũ habet diſpenſatio, non autem in augẽdo numerum miſſarum, quia augere obligationẽ, non eſt eximere ab ea, ac proinde neq; diſpenſare, ſed onerare.

Quæres 16. An taxatus Paulus pro ſingulis miſſis à teſtatore dandus ſemper ſit Sacerdoti effectivè, vel æquivalens ſive creſcat, ſive decreſcat?

65 R. Affirmativè, quia ſatis clara eſt mens teſtatoris, ergò ea omninò ſervanda eſt, ut etiam docet *Fraxinel. ſect.* 4. *concl.* 4. §. 26.

Quæres 17. An habens obligationem celebrandi teneat ur totum, & integrum ſtipendium dare alteri Sacerdoti, qui pro ea celebret? Sermo hìc eſt tantum de miſſis manualibus, quia in aliis cum beneficiatus, vel Capellanus ſint domini fructuum beneficii, & Capellaniæ; ex conventione, ſufficit illis dare ſtipem currentem, vel minorem.

66 R. Affirmativè, ſi tamen integrum nõ dat, non peccat mortaliter, nec facit cõtra Juſtitiam. *Primum*, patet ex Decreto de celebratione miſſæ. *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, probibet Sacerdoti, qui miſſam cæpit celebrãdam cum certa eleemoſyna, ne eandem miſſã alteri, parte eleemoſynæ ſibi retenta celebrandam committat. Paſqual. q.* 968. *&* 974. *Secundum*, quòd non peccet mortaliter, probatur, quia regulariter pars retenta eſt parvi momenti, nam rari ſunt, qui reduplicent ſtipendium, neque reduplicatio dicitur pars notabilis, quæ inferat peecatum mortale, ut docui *reſol.* 25. *q.* 18. *Tertium*, hujus Decreti violationem non eſſe contrà Juſtitiam, ſed tantùm contrà obedientiam legalem, quia ante prohibitionem hanc, licebat, *de communi Doctorum, quos citat Bonac. p.* 8. *num.* 18. dare alteri Sacerdoti currentem eleemoſynam, & ſibi retinere illud *plus*, ratio eſt, quia ambo Sacerdotes ſic convenientes nullius Juſtitiam ante Decretum, nec nunc lædunt, cum læſio deberet cadere inter convenientes, quæ revera non appareret, cum Sacerdos dans ſit dominus receptæ pecuniæ, & alter recipiens minùs, licèt juſtum, conſentiat, cum ſit juſtum ſtipendium; nec defunctus defraudatur, quia miſſa à quocumq; dicatur ſemper eſt ejuſdem valoris; cum ergo hìc nullum appareat ſignum injuſtitiæ, ſed ſolùm aliqualis ſpecies avaritiæ, non peccat contrà Juſtitiam, ſed tantùm contrà obedientiã legalem. Ità tenet. *Quartus in Rubr. Miſſal. in Append. q.* 4. *p.* 1. *diffic.* 3. *verſ. Secunda.*

Difficultas eſt ſuper ſecũdũ per nos probatum

batum, scilicet retinentem sibi partem eleemosynæ non peccare mortaliter, ut videntur sentire *Diana resol.* 10. & 13. *de celebr. miss. de Lugo disp.* 21. *de Eucbar. n.* 32. *Aversa q.* 11. *sect.* 17. *vers. Sexto*, limittando; modo sciat Sacerdos secundus priorem habuisse pinguiorem eleemosynam, & minus dedisse, & sponte recepisse. Nã dictus Quartus citatus tenet, hujusmodi transgressionem esse peccatum mortale, & dicit esse communem sententiam, & veram; probat, quia verba prohibitionis videntur gravia, & sufficientia ad inducendam obligationem sub mortali.

Ex solis tamen verbis non colligitur gravitas, sed etiam ex natura ipsius rei prohibitæ, ut transgressio sit peccatum mortale, constat autem ex dictis vix reperiri materia levis, cum sex, aut decem solidos sibi retineat Sacerdos ex quolibet stipendio, & rarò; cum eo sentit *Peyrin. ad* 9. *constit Urbani VIII. Pasqual. q.* 969. probans dato, quòd retentum sit materia gravis, quia non habet justum titulum sibi retinendi partem stipendii, ideo lęditur ille in quem transfertur onus celebrandi. Dico tamen habere justum titulum, quia factus est dominus illius stipendii cum obligatione celebrandi, & cum non teneatur per se ipsum celebrare, quando ad id se expressè non obligavit ad requisitionem dantis eleemosynam, justè dat stipendium ordinarium alteri retinendo sibi excessum, nec lædítur Sacerdos, qui minus accepit, dum accepit stipendium currens, & justum; sive sciat, sive ignoret pinguius esse stipendium.

Confirmatur id à Cardinali *de Lugo disp.* 21. *num.* 32. ubi ait, id fieri posse etiã minori stipe de consensu celebrantis, qui sicut potest gratis celebrare condonando eleemosynam totam, ità & partem; loquitur autem de stipe minori taxata, à fortiori de stipendio taxato, si quid ulteriùs datum fuit Sacerdoti celebranti per aliũ
67 data solùm portione taxata. Demùm conveniunt omnes, Beneficiarium, & Capellanum sine hujus Decreti transgressione posse minori stipe celebrare per alium Sacerdotem. Ità S. C. respondit ad 8. *Non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam &c.* Neque enim omnes redditus beneficii ordinantur ad celebrationem missæ, sed etiam ad onus officii, propter quod datur Beneficium. Quod verum est etiam respectu Capellaniarum, quæ verè sunt Beneficia collativa, de quibus dixi *cap.* 2. *num.* 15. 25. *ad* 30. *Pasqual. q.* 970. *qui num.* 4. idem dicit de aliis Capellaniis, quas loco citato vocavi laicales, citans *Aversam q.* 11. *sect.* 17. *vers. Sexto*, *de Lugo disp.* 21. *num.* 30. *Tambur. de Sacrif.*
68 *missæ lib* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 10. Ea communi ratione, quia Beneficiarii, & Capellani sunt domini suorum fructuum, unde decretum hujusmodi videtur referri solùm ad missas manuales quæ in dies dantur Sacerdotibus, & Sacristis, unde videtur tale decretum potissimum emanasse contra collectores missarum, qui eas postmodum cum fænore, & turpi lucro distribuunt Sacerdotibus celebrãdas.

Quæres 18. An ratione industriæ liceat retinere sibi portionem stipendii? E. g. Mediolani pro qualibet missa dantur viginti solidi, & Cremonæ viginti quatuor, sicut etiam Parmæ, viginti autem Mediolani sunt quadraginta respectu Parmæ, & Cremonæ. Sacerdos Mediolanensis ex viginti solidis retinet sibi quinque ex singulis missis, tradendo Sacerdotibus Cremonienses, seu Parmẽsibus quindecim, qui sunt triginta, ac proinde ulterius isti retinent sibi sex solidos, & missas tradunt aliis celebrandas 24. solidis. An liceat talis traditio? Suppono non esse assignatum Altare, nec Ecclesiam pro celebratione, sed Sacrificium esse liberum quo ad locum.

69 R. *Pelliz. tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 23. & *Tamb. lib.* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 16. *vers. ad idem*, id licere inter primum, & secũdum Sacerdotem, sic enim casum proponunt, valet etiam pro tertio; obstat tamen decretum, ideo iuxtà superius dicta in præcedenti intelligatur responsio præsentis. Probant, quia etiam seruus
70 utens extraordinaria industria emit minoris rem, quàm valeat communiter in foro, ac proinde potest sibi retinere id quod supereſt pro sua industria, ergòidem facere potest Sacerdos.

*Pasqual. q.* 972. dicit nihil sibi retinere posse ex quacunque industria, quia totũ illud stipendium erogatur à committente missas in virtute obligationis de jure naturali ad subministrandam sustentationẽ celebranti tamquam sibi debitam ratione ministerii, itaut in dominium ipsius totum transferatur jus ad stipendium, quod à petente missas fuit celebranti destinatum, ergò non potest habere locum aliqua industria.

Hoc argumentum, quamvis importet, eam industriam nullam mereri mercedẽ, quia sicut accepto stipendio Sacerdos se obligavit ad celebrationem sive per se sive per alium, ità eadem obligatione tenetur uti industria, hoc est, celebrare per alium sive ibi, sive alibi, sufficit enim ut satisfaciat, ergò ejus industria nihil meretur à prima obligatione, non tamen inferendum est teneri sub mortali, & ex Iustitia, sed tantùm ex lege prohibitionis dare integrum stipendium juxa dicta sub præcedenti quæstione; sicut non tenetur seruus in opinione illius, quod non ab omnibus laudatur, ità neque Sacerdos, cum illius stipendii sit dominus magis, quàm seruus, qui debet negotia domini sui utiliter gere-

re. Ex

Ex dictis colligitur, neminem posse retinere sibi portionem stipendii missarum manualium; quicunq; ille sit, sive Sacerdos, sive collector missarũ, sive ex industria, sive ex officio, aut alio titulo, dando etiam justum stipendium celebranti scienti, volenti, & consentienti, ex ea tãtùm ratione, quia prohibetur, non ex Iustitia, sed legaliter tantùm ad evitandum nescio quid turpis lucri, juxtà superiùs dicta, & vide *Pasqual. à q.* 972. *ad* 977.

Quæres 19. An aliquid retineri possit pro manutentione Sacristiæ, quo ad hostias scilicet, vinum, ceram, paramenta tũ Altaris, tùm celebrantium, & stipendium ministri servientis missis?

71 R. Sacra Congregatio ad septimum. *Permittendum non esse*, ut Ecclesiæ, & loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam, utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione; nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ; & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt expensis, ut supra deductis, absolutè tot missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. De quo *Pasqual. q.* 968. qui quantum sit detrahendum relinquit arbitrio prudentis, cũ res ad Sacrificium necessariæ non eodem pretio ubique vendantur.

Mihi placet hìc duo animaduertere. *Primum*, Sacerdotes dum recipiunt e. g. missam quotidianam celebrandam, & in conventione computant supradictas expensas exprimendo illas hæredibus, cum quibus conveniunt, ac proinde si salariũ excedat taxam unicuique missæ pro stipẽdio factam, nihil ulteriùs pro manutentione Sacristiæ recipere possunt, quia id est comprehensum in salario inter partes convento; si verò salarium deductum sit ex taxa singularum missarum, licet aliquid reservare Sacristiæ, quia illud salarium respicit tantùm sustentationem personæ, & non beneficium Sacristiæ, quæ detrimentũ patitur. Quare pro hujusmodi expensis crederem sex scutos annuos à qualibet missa quotidiana extrahere pro manutentione Sacristię posse Superiorem. Ex missis quoque manualibus aliquid posse detrahi si sint in magna multitudine, ex quolibet centenario exempli gratia ùnum scutum.

72 Alterum est, per hanc extractionem pro manutentione sequi diminutionem missarum pro rata, frenim debent servire pro expensis, non possunt inservire pro stipendio missarum. Nec his obstant ea verba. *Nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt expensis, ut supra deductis, absolutè tot missę celebrẽtur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.* Sed magis confirmant nostrũ dictum, nimirum, ex reliquis pecuniis, quæ non sunt pro expensis, omninò tot celebrentur missæ; admittitur ergò diminutio respectu expensarum tantùm.

Quæres 20. Quale debeat esse Capitale, 75
ex quo colliguntur fructus ad stipendium missarum.

73 R. Determinavit illud Urbanus VIII in Decreto de celebratione missarum his verbis: Prætereà, ne in Ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sũt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, & segniores reddãtur, quòd onera hujusmodi, cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit, atque decernit, ut pecuniæ ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus ac locis omnibus tam Sęcularibus, quam Regularibus, atque illorum personis, in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pæna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, vel illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cũ expressa, & individua mẽtione oneris, quod illis annexum reperitur; ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienare contigerit, eorundem pretium sub eadem pæna, ut supra, deponi, atq, in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cũ ejusdem oneris repetitione, atq; annexione converti debeat.

Constat ex his transgressores incurrere dictam interdicti pænam ipso facto, si non deposuerint capitale relictum pro missis apud idoneum, vel illud non investierint.

Dubia hìc occurrunt *Primò* quid veniat sub nomine interdicti ab ingressu Ecclesiæ? *Secundò* quid importet *Ædes sacra*, in qua deponenda est pecunia, vel aliud mobile? *Tertiò* quomodo hoc capitale investiendum sit, an emptione, & acquisitione novi fundi frugiferi, qui ante a non erat in bonis investientis? *Quartò*, quomodò contingere possit alienatio fundi onerati obligatione missarum? *Quintò* quomodo mobile investiendum? *Sextò*, an investiendum pro oneribus tantùm perpetuis?

Primò, interdictus ab ingressu Ecclesię, non potest in ea audire divina officia, nec in ea, nec cęmeterio sepeliri, neq; exercere in ea ordinis sacri munia, ac proindè nec 74
celebrare, nec ministrare Sacramẽta, utique

que verò privatim orare in ea, & recipere Sacramenta, cum horum usu non sit privatus. Est communis *ex cap. Is, cui, de sent. excom in 6. Bonac. de interd. p. 5. num.* 11. Quare poterit celebrare in Oratorio privato, & in cœmeterio, licèt ibi non possit sepeliri, nisi dederit signa pœnitentiæ, & fuerit absolutus, ex dictis.

75 Secundò nomine *Ædis sacræ* venit quilibet locus pius, ut Collegium, Conventus, Hospitalis, Mons pietatis, ut ait *Tăbur. lib. 3. de missa cap. 1. §. 6. num. 15. ex eo Pasqual. q. 1062. de sacrif. missæ. num.* 8. Ergò & Superior Regularis poterit pecuniam apud se retinere in suo Conventu, est enim *Ædes sacra*. Potest etiam deponi apud Laicum fide, & facultatibus idoneum, ut ibidem dicitur fieri posse alternativè.

76 Dices, Superiorem non posse illud apud se, retinere, quia depositum sit apud extraneum. Respondeo in Religionibus adesse Ærarium, in quo sicut conservantur aliæ pecuniæ investiendæ ex aliis causis, ità in eo conservari possunt, pecuniæ pro oneribus missarum, siquidem Ærarium Religiosum habet rationem depositi, & hoc sufficit, dum ibidem pecunia bene custoditur.

Tertiò, investitura fit acquisitione novi fundi, aut domus, quæ antea non erant in bonis investientis. Investitura enim fit
77 per acquisitionem novi juris, quo investitus antea carebat, & propriè est emere. Quare male faciunt; & contra verum sensum hujus decreti, qui rem, aut pecuniã distrahunt, & loco novæ acquisitionis substituunt aliquid stabile antiquum juris ipsius Ecclesiæ, quod est contra mentem Põtificis exigentis novam acquisitionem.

78 Quartò, si contingat alienatio rei stabilis, vinculatæ hoc onere missarum, de quo facienda est mentio in prima investitura, id fieri non potest nisi de licentia expressa Sedis Apostolicæ, & in supplicatione facienda est mentio de hujusmodi onere transferendo in aliud stabile frugiferum, sive acquiratur Ecclesiæ obligatæ ad celebrandum, sive cuicunque extraneo, ad quem fundus transit cum eo onere, nisi emens se ab illo eximat solutione capitalis.

79 Quintò, datum aliud præter pecuniam mobile vendendum est, & ex pretio emendum est stabile frugiferum, ut expressè dicitur in eodem Decreto ibi: *Ad effectum illa, vel eorum pretium investiendum*. Potest ergò dari mobile in solutum empti stabilis frugiferi, vel eo vendito ex pretio emere frugiferum.

80 Sextò, hæc obligatio implicandi exigitur tantùm in oneribus missarum perpetuis ibidem: *Cum onere perpetuo missarum celebrandarum*, quod verum est sive missa sit quotidiana, sive mensualis, sive hebdomadalis, dummodo sit perpetua. Ità *Lezana V. Miss an. 37. Tambur. de missa lib. 3. §. 1. n. 16. Ego resol. 25. num.* 26.

Contrarium, hoc est, investituram requiri etiam in oneribus annorum triginta, quadraginta &c. tenet *Pasqual. q.* 1063. *citans pro se Aversam q. 11. de Eucbar. sect. 17. in fine*. Probat quia posset illudi supradictum Decretum, & nunquam erigi fundum, nixus opinione quorundam asserentium annua legata non extendi ultra centum annos. Confirmat ex fine dicti Decreti illis verbis: *Ne Sacerdotes in eis adimplendis tepidiores, & segniores sint, quòd onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit*. Nam hæc ratio locum habet etiam in missis non perpetuis, cum successores reddi possint segniores, si nullam utilitatem perciperent, præsertim Regulares, qui alimentantur ex eleemosynis missarum, cum ergò hæc ratio expressa reperiatur etiam in oneribus ad tempus, Decretum hoc non solum extenditur, sed comprehendit etiam onera ad tempus. Et verbum *perpetuò* comprehendit etiam, quod habet tractum successiuum diurnum.

81 Respondetur standum esse prædictis, cum verba satis clara sint, & manifestè loquantur de oneribus perpetuis, & tunc rationi expressæ standum non est pro non expresso, ubi agitur de obligationibus *l. 99. Quicquod adstringendæ obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est ff. de vera. obligat.* Sed palam nihil expressum fuit de oneribus ad tempus, ergò non comprehẽduntur sub hoc decreto. Quod ait de illusione Decreti, omnino falsa est ea opinio, ut dicam suo loco, cum de cessatione legatorum.

Quæres 21. In quibus bonis investiendum est capitale, ut ex ejus fructibus solvatur stipendium celebrantibus?

82 R. In bonis frugiferis, ut in fundis, domibus, censibus, & molendinis, patet ex textu ibi: *Pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus frugiferis*. Prædicta autem omnia sunt frugifera, fundus, domus, census, & molendinum, & sunt stabilia, ac immobilia, cum solo adherentia non moveantur, ut notum est. Non est dubitandum de fundo; neq; domo quoad utrumq; quia sunt immobilia, & frugifera. Census verò non videtur esse omnino immobile, ex quo est redimibilis, & extingui potest; nihilominus id non obstat, quia ejus pecunia restituta ulteriusinvestiri potest, vel emptione fundi
83 aut alterius census constitutione, & hac, ratione dici potest immobilis, & cõputatur inter immobilia in Clẽ. *Exivi de verb. signif. §. cumq; annui redditus*, & clarius idẽ dicitur in decreto Urbani VIII. de reb. Eccles. nõ alien. Et in terminis ità docent *Tambur. de missa lib. 3. cap. 1. §. 6. num.* 8.

*ex eo Paſqual. q.* 1070. *num.* 3. *qui q.* 1072. ait, non poſſe cenſum conſtitui ſuper bonis ipſius Eccleſiæ, ſeu monaſterii quia inveſtitura eſt acquiſitio novæ rei, quę antea non erat in bonis noſtris, *ut dixi ſupra num.* 77. *& docui reſol.* 25. *num.* 34. *Lezana V. miſſa num.* 37. *cum aliis.*

84 De molendino fixo ſolo domus patet, cum ſit immobile, & frugiferum *ex Tiraq. de retract §.* 2. *gloſ.* 7. *num.* 92. *Gutier quæſt* 91. *num.* 1. *Tuſch. lib. M. conclu.* 303. *num.* 4. in terminis noſtris *Paſqual. q.* 1071. *ubi num* 4 idem docet de molendinis in navibus ſuper fluminibus, quia cõputãtur inter immobilia, ex citatis Doctoribus, ſtant enim, & ſunt frugifera, atq; per accidens eſt, quòd aliquando ex nimio aquarum impetu loco moveantur, nec per hoc deſinunt fructificare, cũ reducantur ad priſtinum ſtatum.

Quæres 22. An pecunia inveſtienda promiſſis, poſſit conſumi in fabrica monaſterii, aut reparatione domus minantis ruinam, aut jam ruinæ ſubiectæ?

85 R. Negativè, quia inveſtitura importat novam acquiſitionem rei, quæ antea non erat inveſtientis, ut dixi ſupra num. 77. Ità docui *reſol.* 25. *num.* 34. *Paſqual. q.* 1073. *num.* 2. *citans Averſam q.* 12. *de Euchar. ſect.* 17. *verſ. admittit verò Lezana V. miſſa num.* 37. *Gabr. à S. Vincentio Carmel. Diſcal. de Sacrif. miſſæ q.* 7. *diffic.* 6. *Tambur. de miſſa lib.* 3 *cap.* 1. *§.* 6. *verſ. quoad ſeptimum. Contra Peyrin in Formul. lit. A cap.* 11. *num.* 2. cujus argumenta ſolùm probant, poſſe quidem expendi pecuniã pro reparatione domus, quæ ſcilicet ſit locabilis laicis, ut ex illa percipi poſſint fructus pro ſtipendio miſſarum, ſicut enim poteſt emi domus, ità & reparari propria domus deſtructa, ut locari poſſit. Conſumere verò pecuniam pro miſſis obligatam in fabricatione monaſterii, aut reparatione domorum pro ſuis ruſticis, eſt contra tenorem Bullæ de celebratione miſſæ quæ petit novam implicationem, cui ſingulis annis correſpondeant certi

86 fructus pro miſſis, neque enim monaſterium eſt fructiferum, licèt immobile, illud enim potiſſimũ attenditur, non hoc.

Quæres 23. An totum Capitale valde pingue ſit implicandum, quando una pars poteſt reſpondere fructus ſufficientes pro ſtipendio Sacerdotis celebrantis.

87 R. Totum capitale à teſtatore relictũ inveſtiendum eſt, etiamſi ex eo colligeretur ſtipendium duplicatum, & triplcatum juxtà currentem taxam, vel conſuetudinem. Ratio; illud totum gravatum eſt à teſtatore, & deſtinatum pro ſtipendio celebrantis; & id fit eo fine, ne Sacerdotes occaſionem habeant quærendi miſſarum reductionem. Confirmatur, quia in caſu, quo non ſatisfaceret legatarius teneretur totum ſibi relictum reſtituere, Sacerdos enim omittens celebrare, ſi non ſatisfacit per alium, nec per ſe, tenetur totum reſtituere, cum ſit obligatũ pro celebratione miſſarum. Ità *Paſqual. q.* 167.

Quæres 24 Quis teneatur ſubminiſtrare paramenta, vinum, hoſtias, candelas &c. Sacedoti electo, qui debet celebrare miſſas in Eccleſia aliena? An Rector Eccleſiæ? An heredes? An ipſe Sacerdos debeat ſibi providere?

88 R. Rector non tenetur prædicta miniſtrare, ſed id ſpectat ad hæredes tantũ, & non ad Sacerdotem electum pro celebratione miſſæ quotidianæ.

Prima pars de Rectore probatur. Tùm quia nec Eccleſia, nec Rector de ſuo tenetur ad id, ad quod non eſt obligata vel de jure, vel ab homine, omnis enim obligatio contrahitur altero ex prædictis modis,

89 *Sanch. lib.* 1. *diſp.* 9. *num.* 5. *Verſ. Secunda* ubi dicit, quòd omnis obligatio, quæ non eſt ex lege oritur ex privata hominũ voluntate; ſed ex nullo jure oritur obligatio ſubminiſtrandi Paramenta ſacerdotalia præfato Sacerdoti, cũ tale jus non inveniatur; neq; talis obligatio contracta fuit inter Parochum, & hæredem, neq; illum Capellanum electũ, ergò nullo modo accommodare illis tenetur Paramenta, & alia. Tũ quia teſtator nõ præſumitur velle eſſe oneroſus, quia eſt præjudiciũ afferre

90 Eccleſiæ, cui nihil reliquit ad hunc effectũ, unde neq; vult damnificationẽ, & cõſumptionẽ Paramentorũ, ſed illã eſſe indemnẽ ſervãdã. Tũ quia talis videtur fuiſſe mens Sacræ Congregationis, quæ ad 7. Dubiũ extenſũ ſupra n. 71. reſpondit, ſervandã eſſe indemnem Sacriſtiam, dũ dixit, eſſe manutenendã, quando illa ſubit expenſas hujuſmodi. Et ità docent *Alphonſ. de Leone de officio Capell. q.* 8. *ſect* 5. *num.* 27. *& ex eo Paſqual. q.* 934. *de Sacrf. miſſæ.*

91 Secunda pars, quod hæres debeat ponere Paramenta, & alia, probatur, quia ex dictis manifeſtũ eſt, non teneri Parochũ, ergò id ſpectat vel ad hæredẽ, vel ad Capellanum electum, ex ſufficienti partium enumeratione, non ad Capellanum, quia ſtipendium conventum inter ipſum,

92 & hæredem ad hæc non refertur, ſed ad ipſius ſuſtentationem, cum ſit ſtipẽdium ordinarium, quod ſolet dari præciſè omnibus indifferenter attenta ſuſtentatione celebrantis ſine ullo reſpectu ad expenſas quæ concurrunt ad actualem celebrationem; Remanet ergò obligatio providendi de paramentis, & aliis apud hæredem, qui ſicut ſentit commodum hæreditatis, ità & incommodum providendi Sacerdoti, ut poſſit celebrare miſſam quotidianã. Quod ſi pinguius ſtipendium dedit Sacerdoti ea ratione, ut ſibi provideret de neceſſariis ad celebrandum, huic incumbit hoc onus, ut dixi ſupra ſub num 71.

CAPUT

## CAPUT UNDECIMUM.

*An unica missa pluribus stipendiis satisfieri possit opinione, vel Privilegiis.*

### SUMMARIUM.

1 *Valor Sacrificii missæ ex se, & in se est infinitus.*
2 *Quoad applicationem finitus in infinitum quoad fructum generalissimum, in quo unus fidelis participans non præjudicat aliis, quia unicuique à Deo est assignata propria portio.*
3 *Fructus verò medius est finitus extensivè, & quò plures sunt participantes eò minùs participant de illo.*
4 *Fructus medius secundùm 22. Doctores est infinitus extensivè.*
5 *Unica tamen missa pluribus stipendiis licèt incongruis modò satisfieri non potest.*
6 *Quamvis olim licuisset ex opinione 22. Doctorum.*
7 *Quorum opinio probabilis speculativè quo-*
8 *ad usum prohibetur per Decretum de celebr. miss.*
9 *Tot missæ ergo sunt celebrandæ, quot præscriptæ ab offerente.*
10 *Quas non præscriptas ab eo taxare potest Episcopus, vel ipse Sacerdos juxtà consvetudinem extantem, aliàs ab Episcopo.*
11 *Tenetur Sacerdos celebrare pro offerente stipendium exiguum, si illud scienter acceptavit tacendo.*
12 *Missæ uni stipendium unum respondere debebat etiam tempore publicationis decretorum factę 22. Septembris 1625.*
13 Graviter peccat, *ideſt, mortaliter, &*
14 *tenetur restituere non dicens tot missas, quot sunt stipendia.*
15 *Petens missam simpliciter vult integram missam, aliis exclusis.*
16 *Nisi petat pro sola commoditate audiendi illam, exclusa expresè applicatione, tunc enim potest pro hac petere stipem, non obstante stipendio pro commoditate exhibito.*
17 *Fructum suum Sacerdos donare potest sed sine stipendio, nisi petens missam pro se consentiat edoctus, nisi petat obligatus pro alio*
18 *Lezana ponit quatuor modos satisfaciendi unica pluribus si petens consentiat edoctus; si Sacerdos se declaret, orabo pro te, & acquiescat; pro commoditate tantùm posita extrema necessitate, intellige si petat pro se, non ad instantiam alterius.*
19 *Ex nulla ergo alia causa, unica satisfit pluribus oneribus.*
20 *Pro generalissimo non datur stipendium pro aliquo.*
21 *Fructus medius triplex, satisfactorius, propitiatorius, & impetratorius.*
22 *Missam petens intendit totam, & integram, ac proinde omnes illos tres effectus, licèt unum expresè tantùm petat.*
23 Absolutè, *ideſt, indifferenter.*
24 *Pro collectis tantùm dicendis potest recipi eleemosyna*
25 *Minimi cum novem collectis unica missa satisfaciebant novem stipendiis, etiam congruis, receptis etiam post concessionem factam à Julio II.*
26 *Minores unica missa pro pluribus stipendiis non accedentibus singulis ad Julium satisfaciebant cum generali commemoratione, etiam post concessionem ejusdem Pontificis.*
27 *Idem concessit Carmelitis Siculis, addito anniversario in fine cujuslibet anni.*
28 *Cassinenses habebant privilegium recipiendi missas, & satisfaciendi per participationem.*
29 *Probatur privilegium Julii pro Minoribus non fuisse subreptitium.*
30 *Privilegia concessa uni domui, aliis quoq; omnibus.*
31 *Communicatio in his privilegiis inter omnes.*
32 *Revocationis horum privilegiorum decretum refertur.*
33 *Responsa in his S. Congr. sunt de mandato Papæ.*
34 *Imperat nemo sibi, sed subditis.*
35 *Interpretatio legum doctrinalis non prohibetur.*
36 *Revocantur hæc privilegia simpliciter, non quoad decreta reductoria missarum executiva facta ante.*
37 *Lex respicit futura, non præterita etiam quorum effectus pendent continuò in futurum.*
38 *Papa nulli revocando tollit jus quæsitum, nisi id dicat.*
39 *Loca decretorum sub num. 12 & 32. de missis receptis ante publicationem Bullæ, dicendis ad ejus formam, intelliguntur, nisi præcesserit decretum reductorium in vim privilegiorum.*
40 *Revocatio odiosa, ideo interpretanda, ut minùs lædat.*
41 *Bona fides excusat, ut non teneatur reficere missas, qui ex opinione probabili unica pluribus satisfecit, stipendium enim fecit suum.*
42 *Ignorantia juris invincibilis excusat in foro conscientiæ.*
43 *Scire obligatus excusatur, si non prævidit obligationem.*

1 DIxi *cap.* 8. *q.* 10. valorem missæ ex se esse infinitum, quotidiè enim ferè infinitis fidelibus tùm vivis, tùm defunctis impertitur, & nihilominùs non exhauritur, sed ulteriùs remanet aliis applicandus sincategorematicè, scilicet finitè in infinitum, finitè quidem quoad applicationem, in infinitum verò, quia remanet ulteriùs aliis applicandus. Si autem is valor spectetur ex parte applicationis respectu eorum, qui ejus fructum recipiunt est magna differentia, nàm fructus generalissimus, qui toti Ecclesiæ militanti fi-
2 delium viventium sivè in corpore, sive in anima extrà corpus distributivè applicatur, & communicatur, talem habet infinitatem in quantùm distribuitur, ut tantùm prosit uni, quantùm prodesset applicatus pluribus, ex hujusmodi enim consortio unus non præjudicat alteri, quia unusquisque fidelis capax recipit suam portionem sibi à Deo præfixam, distributivè ergo applicatio fit modo finito, collectivè verò rationem habet infiniti, quia non exhauritur, nec finitur, sivè spectetur extensivè, & distributivè, sivè intensivè, & collectivè. Est communis sententia *cum S. Thoma in* 4. *dist.* 41. *q.* 2. *art.* 4. *quæst.* 2. *Scot. quolib.* 20. *vers. de primo; Corduba lib.* 1. *q.* 3. *opin.* 5. *concl.* 3. *vers. tertio. Cajet. tom.* 2. *opusc. tract.* 3. *q.* 2. §. *Et confirmatur, Beja par.* 1. *casu* 12. *Fraxinel. sect.* 3. *p.* 4. §. 7. *ex aliis Pasqual. q.* 122.

3 Fructus verò medius respiciens petentes sivè gratis, sivè ex stipendio missam, nō est infinitus extēsivè, adeò quòd, quò plures sunt in eo participātes, eò minùs de illo recipiunt, cum is fructus in plures partes uti finitus in applicatione distributus diminuatur, ut patet in aliis totis, in quibus eò minores sunt partes, quò plures sunt communicantes in illis. Hæc opinio est magis communis, & proximior veritati cum S. Thoma in 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 3. *ad* 2. *Scoto quolib.* 20. *vers. de tertio; S. Bonav. art.* 2. *q.* 3. *Miranda tom.* 1. *q.* 41. *art.* 20. *Angles par.* 1. *Florum de valore missæ art.* 2. *concl.* 2. *de Lugo disp.* 19. *n.* 146. *cum aliis Pasqual. q.* 123.

4 Contrarium, quòd sit infinitus extensivè, ac proindè si offeratur pro pluribus etiam in infinitum, semper retinere eandem efficaciam, & unum participantem non præjudicare aliis, docent *Cajet. tom.* 2. *opusc. tract.* 3. *q.* 2. *&* 3. *p. q.* 79. *art.* 5. *Angel. Silv. V. Missa ille num.* 52. *iste q.* 9. *cum aliis* 19. quos citat contrà se Pasqualigus ibidē, cum quibus aliquando sensi; & horum argumentis ibidem respondet, undè non oportet illis respondere.

5 Colligitur ex priori opinione, unica missa non posse satisfieri pluribus obligationibus ex fructu medio, quia is finitus est extensivè, unde petens missam intendit totum fructum medium, ergo eidem promissus alii communicari non potest eadem missa, duobus enim creditoribus unica solutione, & satisfactione satisfieri non potest, cum ea sit indivisibilis, tot ergo non debent esse missæ, quot sunt obligatiooes, ut decrevit Bulla de celebr. miss. cujus verba mox referam sub num. 8.

6 Colligitur ex posteriori opinione, olim licuisse recipere plura stipendia, & eis satisfacere unica missa, quia unus creditor non præjudicabat aliis, ex quo fructus medius ab aliis Doctoribus habebatur pro infinito etiam extensivè. Verum quidem est, quòd licèt hæc opinio speculativè accepta non sit damnata pro improba-
7 bili, ut dixi *Resol.* 25. *de celebr. miss.* ejus tamē usus prohibitus fuit, itaut non possit amplius ullus Sacerdos unica missa pluribus satisfacere stipendiis, sivè congruis, sivè incongruis, ut expressè prohibetur
8 loco citato his verbis.

Deindè ubi pluribus missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia quantumvis incongrua, & exigua, sivè ab una, sivè à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis &c. S. Congregatio sub obtestatione divini Judicii, mandat, & præcipit, ut absolutètot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

9 Pro intelligentia hujus decreti, quod est secundum super duobus interrogata S. Congr. his verbis: *Secundò, super secundo ejusdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Quæritur an illa verba:* Præscriptæ fuerint, *intelligenda sint de præscriptione facta ab Ordinario, an ob offerente?* Respondit. *Ad secundum esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum, non præscripserit, tunc tot missæ celebrari debent, quot præscripserit Ordinarius secundum morem suæ civitatis, vel provinciæ.* Ad-
10 do ego, quod ipse Sacerdos potest determinare numerum missarum, quando Synodus, vel consvetudo præfixit taxam, undè responsum Sacræ Congregationis videtur intelligi, quando taxa eleemosynæ est ambigua.

Secundò interrogata fuit super idem
11 decretum his verbis: *Tertiò an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxtà qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minùs congruo teneantur missas sibi ab offerente præscriptas celebrare?* Respondit *Teneri*. Rationem addo, quia cum stipendium tenue scienter receperit, non recusando illud, consensit, & volens con-

contraxit obligationem, ut probavi *cap.* 9. *quæst.* 29.

12 Super dictum Decretum tria noto. *Primò* tempore ejus publicationis 22. Septembris 1625. qui habebant in capsa stipendia incongrua, non posse illis satisfacere unica missa, quia obstant illa verba: *Collata fuerunt, aut conferentur in futurum* Decretum enim prohibet, unica missa satisfieri pluribus stipendiis etiam incongruis non solùm conferendis post publicationẽ Bullæ, sed etiam collatis ante nondum satisfactis. *Secundò*, Sacerdotem unica missa attentantem satisfacere pluribus stipendiis, peccare mortaliter, ut indicant illa

13 verba *Graviter peccent*, nam mortale specificatur à gravitate transgressionis, sicut veniale à levitate. *Tertiò*, sic celebrantem,

14 si non suppleat missas alias, teneri ad restitutionem aliorum stipendiorum, ut clarè dicitur in Bulla.

15 Concludendum est ex his in nullo casu, in quo exigitur missa quoad fructum medium, unica satisfieri posse pluribus stipẽdiis sive congruis, sive incongruis ex quavis causa, cum id sit expressè hìc prohibitum, ut patet supra, ea ratione, quia idẽ fructus uni promissus non potest concedi alteri, cum sit de se finitus, ac proinde missam petens, eam totam pro se quærit respectu illius fructus, qui medius dicitur. Quod verum est, non solùm respectu diversorum stipendiorum, sed etiam respectu cujuscunque alterius obligationis gratis, seu alia ratione contractæ sine titulo Justitiæ, quia primus petens dum intendit integrum Sacrificium quoad fructu medium pro se, excludit alios.

16 Dixi, in casu, quo exigitur missa quoad fructum medium, quia puto pro eadẽ missa peti posse duo stipendia, quando scilicet Sacerdos expressè obligatus à volente missam præcisè quoad auditionem, nõ quoad applicationem, tunc enim ab alio recipere potest secundam stipem pro applicatione Sacrificii, tunc enim ipse dans stipem totum acquirit fructum medium, cum nullo modo fuerit applicatum petẽti missam quoad cõmoditatem audiendi illã, ut dixi *cap.* 9. *q.* 23. Et id est cõforme Responso Sacræ Congregationis dato 13. Julii 1630. apud Barbosam *in decis. Apostol. V. Capellanus num.* 23. his verbis: *Capellanus qui tenetur quotidie celebrare non potest novam eleemosynam accipere, & duabus obligationibus unica missa satisfacere, nisi in fundatione expressè cautum sit, quòd non teneatur sacrificium applicare.* Nescio quo pacto *Pasqual. q.* 908. *num.* 3. eam non admittat, cum probet ejus dictum.

17 Dixi quoq; quoad fructum medium, quia ut probavi *cap.* 8. *num.* 40. Sacerdos suum fructum donare potest suo amico, sine tamen stipendio, à qua sententia non videtur alieni *Pasqual q.* 948. & alii ab eo citati, qui ex presse loquuntur de stipẽdio, unica enim missa utriq; stipendio satisfieri non potest à Sacerdote applicante alteri fructum medium, & alteri specialissimum sibi proprium, obstante Decreto de celeb. missarum, & sic corrigo me de dictis resol. 25. de celeb, missarum, sicut correxi decis. Miscell. cum stipendio autem non licet, quia decipitur petens missam putans sibi præstari fructum ordinarium, & medium; Quare ut possit juste recipere debet se declarare nõ posse applicare illi, nisi proprium fructum specialissimum, & non medium, jam alteri debitum. *Vide Lezanam V. missa num.* 22. ubi refert quatuor casus, in quibus unica missa adhuc satisfieri potest pluribus obligationibus.

18 *Primus*, si id fiat de consensu partium. *Secundus*, si Sacerdos dicat, orabo pro te, quia jã obligatus sum, *Tertius*, si celebret pro commoditate eorum, qui petunt solùm missam audire. *Quartus*, quando est positus in extrema necessitate. *Tertium* casum probo, ut dixi suprà. Pro primo, & secundo. Si petens eleemosyna missã obligatus de mente testatoris, uel alterius, non potest convenire cum Sacerdote, quia principalis, pro quo intendit missã, vult eam regulari modo, hoc est, integrũ fructum medium, ac proinde excludit quemlibet alium; in quo etiam sensu intelligo, quando Sacerdos offert proprium fructum danti eleemosynam, nam si dat ex commissione alterius, non potest ipse paciscì cum Sacerdote ob adductam rationem. Quare primi duo modi cum nostro intelligendi sunt, quando petens missam non habet aliunde obligationem, ut quando missam pro se, aut pro aliis volũtariè, & liberaliter sine illorum commissione, tunc enim potest consentire Sacerdoti, ut applicet pro suo arbitrio. Quartus modus est merè speculativus in re non dabilis, cum quilibet Sacerdos debeat habere proprium patrimonium, & loco stipendii missæ quærenda esset tunc eleemosyna.

19 Quare exceptis præfatis casibus modò explicatis, non licet Sacerdoti pro unica missa recipere plura stipẽdia licèt etiã incõgrua, adeò quòd nec paupertas excusat, aut quælibet alia causa, dũ primus petens missam tradito stipendio sibi obligat Sacerdotẽ pro integro Sacrificio missę quoad fructũ mediũ, proinde nulli alteri illud idẽ applicare potest; nec proprium, nisi eo modo, quo suprà dixi; nec generalissimũ, cũ sit totius populi Christiani ex institutione Christi, & praxi Ecclesiæ, cui nullũ

20 debet correspondere stipendiũ, sicut medio fructui ex eadẽ Christi institutione, & Ecclesiæ observatione, ut dixi *cap.* 9. *Vide Pasqualig. à q.* 937. *& seq.* ubi rẽ distinctius proponit, & resoluit, nõ posse unica missa satisfieri pluribus stipendiis.

Ad

21 Advertendum autem est hìc fructum medium, cui, potest correspondere stipẽdium, esse in triplici differentia, *Primus* importat *satisfactionem*, ut cum petitur missa non solùm pro mortuis, sed etiam pro vivis in ordine ad remissionem pœnarum solvendarum in Purgatorio. *Secundus* refertur ad fructum *propitiationis*, ut Deus dignetur medio Sacrificio remittere culpas, ex quo dicitur Sacrificium propitiatorium, juxtà dicta *cap.* 8. ferè per totum. *Tertius* dicit fructum *impetratorium*, cum quis dat Sacerdoti stipem, ut pro se dicat missam de Spiritu Sancto, vel de aliquo Sancto, sperans se gratiam consecuturum &c. Non potest Sacerdos obligatus ad offerendum unum ex illis fructibus v. g. satisfactorium, recipere aliud stipendium pro fructu propitiatorio, aut impetratorio, & utrisq; unica satisfacere missa, quia quilibet petens vult totam missam pro se, licèt eam petat in ordine ad unum effectum, & non ad alios. Et id prohibetur in eodem decreto non so-
22 lùm ex illis verbis. *Pluribus missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis*. Quæ studiosè ponderanda sunt, propter illam dictionẽ. *Etiam*, quæ ampliativa est, inferens hunc sensum, quòd unica missa non potest satisfieri pluribus missis non solùm diversæ qualitatis, sed nec ejusdẽ qualitatis, Pontifex ergò suam prohibitionem, ne unica missa pluribus satisfiat, retulit ad qualitatem missarum, qualitas autem missarum refertur ad missas vel Sanctorum, vel Defunctorum, in his petitur fructus aut *propitiatorius*, aut *impetratorius*, qui potissimùm spectant ad viventes, undè missæ Sanctorum quoad hos duos fructus dicuntur vivorum, quamvis etiam earum fructus satisfactorius applicetur etiam defunctis in Domino, ergò prohibitio, ne pro unica missa recipiantur plura stipẽdia, refertur ad quemcumque ex illis fructibus. Non solùm ex præfatis verbis id pro-
23 hibetur, sed etiam ex illa dictione: *Absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint*. Urget enim, & importat prohibitionem habere locum respectu cujusq; fructus, tollens omnem exceptionem, verbũ enim *absolutè* importat indifferentiam, ac proinde inclusionem omnium fructuum sine ulla differentia, *Glos. V. absolutè cap.* 3. *de Baptismo*. Ità *Bonac. p.* 8. *num.* 15. *Rodriq. p.* 1. *cap.* 252. *num.* 6. *Averlaq.* 11. *sect.* 17. *v. item quia*. *Ex eis Pasqual. q.* 949. *num.* 4. *&* 5. *ubi num.* 11. *citat Silo. V. missa q.* 11. *& Scotum quolibet* 20. *art.* 9. ubi quòd petens missam intendit eam secundùm omnes fructus.

24 Notandum etiam est, aliud esse petere missam, aliud petere collectam, & orationem in missa, unica missa pluribus missis satisfieri non potest, nec stipendiis, & hoc prohibetur in decretis, non verò interdicitur receptio alterius eleemosynæ pro dicendis collectis, & applicanda indulgentia non promissa ei pro quo celebranda est missa, ut docet *Pasq. q.* 957. ubi me corrigit benè, quòd dixerim contra decretũ de celebratione missarum, posse Sacerdotem celebrando in Altari Privilegiato duplex recipere stipẽdium, fortè quia talis celebratio æquivaleat duabus missis, in hoc sensu valet correctio.

Demùm videndum est, an respectu privilegiorum unica missa pluribus stipẽdiis saltem incongruis possit etiam nunc satisfieri. Privilegia refero ad perpetuam rememoriam, non ad usum, iam omnia sunt revocata, ut infrà sub num. 32. referam revocationem.

25 Julius II. in sua Bulla 7. apud confect. fol. 127. incip. *Sacer. Ordo.* concedit Generali Ordinis Minimorum, quòd possit cum suis Fratribus dispensare, ut Sacerdotes in unaquaq; missa novẽ, vel septem collectas recitare valeant pro totidem integralibus missis non distinguendo inter eleemosynas exiguas, vel non exiguas, tàm ante, quàm post privilegii concessionem receptas. Quod privilegium eisdem firmavit Leo X. in sua incip *Exposcit dilectorum* 8. *apud eundem fol.* 142. Itaque novem collectis, & non ultra unica missa satisfaciebant novem missis, receptis novem stipendiis etiam congruis; etiam prima oratio ordinaria missæ currentis venit sub nomine collectæ, cùm verè sit collecta, licèt non dicatur commemoratio, sed simpliciter oratio. Vide ejus significationes apud Rubeum de divinis officiis *lib.* 2. *cap.* 27.

26 Leo X. in. sua incip. *Cũ sicut accepimus* 7. apud eundem *fol.* 141. concedit Minoribus de Observãtia, nõ specificando aliquẽ ex eorum Superioribus Sacerdotibus, ut unica missa pro multis satisfacere possint, faciendo commemorionem in genere respectu eleemosynarum, quæ uni Julio non æquivalent, tàm præteritarum, quàm post privilegium recipiendarum.

27 Julius II. in sua incip. *Exposcit*, apud Augustinũ à Virgine Maria Carmelitã Strictioris Observantiæ Rhedonensis in Provincia Turonensi V. *missa num.* 8. Carmelitis Siculis, qui propter eorum paupertatem tenues eleemosynas pro missis in dies recipiebãt, non valentibus singulas in particulari celebrare, concessit, quòd in suis missis continuè commemorationẽ generalem pro benefactoribus vivis & defunctis, & in fine cujuslibet anni anniversarium pro eis faciendo, tantùm eisdem fidelibus profit, ac si pro singulis particulariter celebrassent, exonerando sic eorũ conscientias. Privilegium est pro receptis ante privilegium datum anno 1506. & solùm respectu eleemosynarum tenuium.

Eisdẽ Carmelitis in Lombardia eandẽ fecit

fecit gratiam anno 1508. per Bullam incip. *Exponi nobis*, apud dictum Augustinum *num.* 11 ex motivo, quod habeant Capellanias in suis Ecclesiis quotidianas tenvibus dotibus, quarum nulla sufficit pro sustentatione unius religiosi &c.

28 Cassinensibus, ut legitur in calce eorum Bullarii Sixtus IV. concessit, quòd quibuscunque verbis utantur legantes, vel testantes, seù alii imponentes, & acceptantes missas, intelligantur ii tales ad participationem tantùm admitti, non ad totum missæ effectum. Parum differt, quòd idem Sixtus, ut legitur in Bulla 46. apud Rodriquez, concessit vivæ vocis Oraculo Religiosis S. Benedicti Vallisoletanæ, per indultum factum à Nicolao Franco Nuntio anno 1478. his verbis. Itē, *ut quascunque eleemosynas, vel quæcumque legata etiam pro tempore per quascumq; personas supradictis monasteriis hujus Observantiæ pro perpetuis Capellaniis, vel aliàs, liberè, & licitè possint ea recipere, habere, & retinere sine prædicto onere, ipsi tamen benefactores, vel defuncti participes sint benefactorum communium in dictis Monasteriis fiendorum.* Ex utroq; privilegio Cassinenses tenentur solùm recipere missas commendantes ad participationem, & non ad aliquam aliā obligationem; & hoc verum est, non solùm respectu missarum receptarum ante illud privilegium, sivè sint manuales, sivè ex legatis, ut insinuant ea verba *pro tempore*, quæ omne tempus comprehendunt præsens, & futurum Barb. claus. hac.

Nescio an jure, an iniuria Compend. Privileg. Minorum *V. missa* 3. *num.* 14. dicat supradictum privilegium à Leone X. concessum Minoribus de observantia esse subreptitium. Inquit enim, cavendum est omninò, ne quis utatur hujusmodi cōcessione, quia reverà est nullius valoris, prout multi viri famosi Theologi, & jurisperiti super hac consulti responderunt, num ultrà multa, quæ contrà hujusmodi concessionem dici possent, constat benè intuenti relationem, quò subreptitiè obtenta est, undè subiungit Procuratorem Ordinis promisisse illius revocationem, seù declarationem nullitatis procurare, sed de ea non constat. Eum sequitur Carmelita Discalceatus *in suo Directorio Regular. par.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *num.* 138. *citans Castillum*, & addens, hoc, & alia privilegia fuisse concessa pro aliqua particulari Provincia, vel domo pauperiori, unde nō sunt communicabilia aliis ejusdem Ordinis, vel aliorum Ordinum locis, quia ex Lezana *V. missa num.* 31. *& Basseo V. missa* 7. *num.* 11. gratiæ concessæ per brevia particularia alicui conventui nō solent communicari aliis etiam ejusdem Ordinis, cum quibus est *Pasqualigus quæstione* 959.

29 Ego autem dico, præfatum privilegium in primis non fuisse subreptitium, quia verum narratum fuit, nimirum il lis dari eleemosynas exiguas pervenientes minimè ad Julium, nàm initio præsentis centuriæ dabantur tantùm sex solidi, & minùs antecedenter, quod nec erat semi julius, ergo narrata fuit veritas, ac proindè sublata obreptio, seù subreptio, quæ locum non habet, ubi verum narratum. Deindè ex opinione valde probabili, & practicata olim, unica missa pluribus stipendiis satisfiebat, quia valor Sacrificii etiam extensivè est infinitus in opinione viginti duorum Doctorum, quos refert *Pasqual. q.* 122. ut retuli initio hujus capitis, cum quibus est Cajet. qui vivebat tempore Leonis X. qui ideò hanc gratiam facere poterat. Demùm Bulla Leonis directa fuit Generali, & universis Fratribus Ordinis Minorum de Familia, seù Observantia, nunc, & pro tempore ubicumque degentibus, ità se habet ejus inscriptio apud Confectium fol. 141. & Vadingum tom. 8. Bulla 25. nec in Historia ad finem anni 1517. quo ea Bulla data fuit quidquam dicit de subreptione. Quare Carmelita non bene dicit, hanc Bullam esse peculiarem, cum constet ex titulo fuisse concessam toti Ordini.

Lezana loco citato nihil dicit contrà ista privilegia, nisi quòd sunt revocata per decreta de celebr. missarum, ex num. 15. Bassæus loco citato nihil, sed ambo dicunt privilegia concessa uni domui concedi etiā
30 aliis, *Lezana tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 52. *Basseus V. Privilegium* 7. *num.* 12. ergo ille non loquitur congruenter quoad hoc, nec quoad alia, numquam ergo ea privilegia fuerunt subreptitia; quod magis confirmatur, quia Sacra Congregatio illa revocavit, ergo pro firmis antecedenter habuit.

31 Demùm nulli dubium est, dari communicationem horum privilegiorum inter Mendicantes, & non Mendicantes, ut respectu Mendicantium patet ex Bulla 32. *Dudum per nos* Leonis X. etiam apud Confect. fol. 160. respectu verò non Mendicantium ex Bulla 41. *Pii V.* incipit *Ex supernæ dispositionis* Sed referamus revocationem horum privilegiorum, quibus nunc nullus uti potest unica missa pluribus satisfaciendo stipendiis.

32 In tertio igitur decreto de celebr. missar. revocantur præfata privilegia, & alia quæcumq; sub his verbis.

Id verò ut deinceps observetur exactiùs S. Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia, quibusvis personis, Ecclesiis, & locis piis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, certarum missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seù orationibus plurium missarum

one-

operibus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Dubitatum fuit ſuper his poſtremis verbis, prout refertur in declarationibus ejuſdem Sacræ Congregationis, ejus tenoris: *Sextò*, ſuper tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum miſſarum, vel anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeù Orationibus plurium miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat. Quæritur, an verba (*in futurum ſuſpiciendis*) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt privilegium? *Reſpondit* ad ſextum, ità eſſe intelligendum.

Hinc oriuntur duæ difficultates. *Prima eſt*, an revocatione non obſtante dictorum privilegiorum, nunc uti poſſint dictis privilegiis, unica miſſa ſatisfaciendo pluribus ad formam illorum reſpectu miſſarū receptarum ante vigeſimum ſecundum diem Septembris anni 1625. quo Bulla de celebr. miſſar. publicata fuit? *Secunda*, an reſponſa Sacræ Congregationis ſuper hujuſmodi decreta de celebr. miſſar. habeant vim legis, facta ſcilicet de conſcientia, & mandato Pontificis? Affirmativa reſponſio ad hanc poſteriorem certiſſima eſt, ut clarè patet initio eorum reſponſorum his verbis: *Declarationes aliquot S. Congr. Concilii S. D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate editæ ſuper decretis ejuſdem Congregationis de celebratione miſſarum.*

33 Obiecit nobis quidam Abbas Caſſinenſis vir doctiſſimus ea verba Bullæ ſub §. Porro ne ullo. *Omnibus tàm Eccleſiaſticis perſonis cujuſcumque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocumque honore, ac poteſtate præditis præſentia decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.* Putans hanc interdictionem interpretandi comprehendere etiam ipsā Sacram Congregationem, ac proindè ſupradicta verba tituli declarationum importare licentiam datam Cardinalibus interpretandi doctrinaliter, & judicialiter non autem auctoritativè, & legaliter.

Sed reverà dicendum eſt illa verba tituli eſſe referenda ad auctoritatem explicandi ea decreta legaliter, ac ſi ipſe Pontifex ea declaraſſet. Quare reſpondendum eſt pro veritate eam prohibitionem non comprehendere Sacram Congregationem, quæ reverà fuit illorum legislatrix una cum Papa, nemo autem ſibi imperare poteſt, nec prohibere, *Gloſ. V. ceſſaverint à divinis cap. 13. de offic. ordin. juribus citatis*, actus enim imperii, ſunt erga ſubditos; ea ergo interdictio eſt contrà alios, qui nec judicialiter, nec auctoritativè ea decreta interpretari poſſunt, utique verò doctrinaliter, quia hæc declaratio non prohibetur, imò eſt neceſſaria, cum dubia facilè occurrere poſſint, *Rodriq. tom. 1. q. 11. art. 3.*

34

35

36 Ad primam difficultatem reſpondetur, etiam nunc uti poſſe, ſi ſuperiores in effectu fecerunt decretum reductorium miſſarum ad formam illorum privilegiorum, proſequendo celebrationem miſſarum illarum, ſicut ante faciebant.

Probatur, quia per Bullam hanc de celebratione miſſarum, non revocatur decretum reductorium, ſi quòd à ſuperioribus factum fuit, ſed ſolùm revocantur ipſa privilegia ad eum effectum, ne Superiores deinceps uti poſſint dictis privilegiis, tàm decernendo, quàm ſimul exequendo decretum modum celebrandi, & hoc eſt certum, quod ſola privilegia revocantur, non verò eorum uſus decreti executivus, cum de his non fiat mentio in Bulla, ſed de ſimplici revocatione privilegiorū, quæ deinceps nullā vim habēt ad decretandū in futurū, ut una miſſa cum pluribus collectis ſatisfiat pluribus ſtipendiis.

37 Confirmatur, quia lex futuris dat formam negotiis, non ad præterita facta trahitur; niſi nominatim in ea de præteritis caveatur *cap. 2. & fin. de conſtit.* adeò quòd nec in dubiis ad præterita extenditur, *Boſſius in append. de confeſſ. ſolicit. num. 62.* licèt futurus effectus ab actu jam perfecto pendeat, *Navar. conſil. 1. qui filii ſint leg. Honded. vol. 2. conſ. 14. num. 28. & 29.* ut hìc de celebratione miſſarum, qui ſemper, & continuò pendet ab illo decreto, cujus virtute celebratur, & ſatisfit unica miſſa pluribus ſtipendiis cum tot orationibus. Dum ergo privilegium antecedenter ad ſui revocationem ſortitum fuit ſuum effectum, æquitas poſtulat, ne revocetur quoad hunc effectum, niſi per expreſſam mentionem ſortiti effectus, quia per hanc ſortitionem privilegiatus habet jus hoc quæſitum, & dominium illius, neque enim Princeps, qui ſuis ſubditis jura quæſita conſervare intendit, præſumitur ea illis auferre, niſi id in terminis exprimat, *cap. licèt 12. de offic. ordin. cap. ex ſuarum 5. de auct. cap. ſuper eo 15. de offic. deleg.* Cum ergo Bulla revocet præciſè privilegia, & non eorum effectus, & executiones jam decretatas, ſequitur adhuc vigere eorum uſum celebrandi etiam nunc pro ſatisfactione antiquarum miſſarum, inter quas forſan aliquæ erunt perpetuæ, quibus ſolent correſpondere ex antiquitate duo aut tres ſolidi veriſimiliter, cum initio hujus centuriæ darentur tantùm ſex ſolidi.

38

Sed prædictis duo videntur obſtare, in primis decretum ipſum, quod retuli ſub num. 12 illis verbis: *Plura ſtipendia quantumcumque incongrua, & exigua collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus.* Nàm verba illa, *collata fuerunt*, referuntur ad præterita recepta ante publicationem Bullæ. Alterum eſt reſponſum ad 6. ſuprà relatum

tum sub num. 32. ubi S. Congr. respondet illa verba: *Plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis*. Referri ad onera in futurum recipienda non solùm post publicationem Bullæ, sed etiam recepta post concessionem pivilegii, quod scilicèt intelligatur revocatum etiamrespectu missarum receptarum post concessionem illius.

39 Respondeo, ea loca intelligenda esse de missis, super quibus nullum adhuc factum fuerat decretum reductorium, non verò de illis, super quibus fuerat decretũ, cujus effectus habet tractum successivum celebrationis, ut patet ex supra dictis. Confirmatur id quia ubi agitur de revocatione uti odiosa, ea interpretanda est,
40 ut minùs lædat quàm fit possibile, *Gonzal. glos. 36. num. 7. Tamb. tom. 2. disp. 2. q. 17.* Addo prædictis quæsitum fieri in numero plurali de privilegiis, & postea finiri in numero singulari ibi: Quæritur, *an verba in futurum suscipiendis intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?* Quasi Patres legerint diversa Privilegia, & invenerint aliqua amplissima ad onera tàm recepta, quàm recipienda post concessionem, alia non, ac proinde variaverint numerum quodam modo volentes comprehendere illud, quod non extenditur ad recepta post concessionem, si de facto receperint, quia non potuerunt satisfacere, dum privilegium ad illa non se extendebat.

Dubitatur hìc, an qui bona fide unica missa satisfecit pluribus teneatur vel reficere missas, vel restituere stipendia, postquam devenit in cognitionem adesse decreta in contrarium, quæ expresè prohibent unica missa posse pluribus satisfacere, sed unicuiq; stipendio debere respondere propriam missam.

41 R. Ad nihil tenetur, quia nihil habet, quod sit alienum, nàm cum satisfecerit omnibus stipendiis, alienum retinere non dicitur, cum omnia stipendia fecerit sua, dum omnibus obligationibus satisfecerit, secũdùm probabilem opinionem vigintiduorum Doctorum, quos contrà se citat *Pasqual. q. 123.*

Confirmatur ex iis, quæ dixi *resol. 25. num. 22.* imò hìc supponitur, quòd celebrans à bona fide transeat ad malam, quod non potest verificari in eo, qui secundùm opinionẽ probabilem unica missa pluribus satisfacit stipendiis, aliud enim est mutare opinionem, aliud bonam fidem in malam, hoc enim restringitur ad actum conscientiæ, quæ cum operetur prudenter non potest dici operatam fuisse cum mala conscientia.

Nec idem *Pasqual. q. 1199.* dissentit dũ ait, eum, qui unica missa satisfecit pro pluribus stipendiis bona fide, ea cessante teneri restituere id tantùm, in quo factus est ditior, consumpta pecunia. Rationẽ reddit, quia dum permanet in bona fide nihil scit se habere alieni, dum verò est in mala fide incipit scire se habere alienũ, nimirum, id, in quo factus est ditior, & locupletior. Sed ego loco citato dixeram, in nullo factum fuisse ditiorem, quia celebrando juxtà eam opinionem probabilem, cum stipendium fecerit suum, non dicitur factus ditior de alieno, sed de suo. Et hoc procedit respectu ejus, qui eam sequendo opinionem celebravit non solùm ante Decreta de celebr. missar. sed etiam post, quamdiù ignoravit prohibitionem, non posse unica missa pluribus stipendiis satisfacere, quia ut probavi loco citato, non fuit damnata opinio satisfaciendi unica missa pluribus stipendiis, sed tantùm fuit interdictus ejus usus; nec obstat, quod subiungit Pasqual. post Decreta de celebr. missar. non habere locum bonam fidẽ in accipiente plura stipendia pro una missa, quia monente lege ignorantia juris neminem excusat, cum teneatur hanc legẽ Sacerdos scire, cum ignorantia juris habeatur pro lata culpa, ut ibi multis probatur. Id inquam non obstat, quia etiam ignorantia juris excusat in foro conscientiæ,
42 quando est probabilis, *Sanch. lib. 9. disp. 32. num. 10. Megal. cons. 31. num. 4. Homobon. Consult. par. 2. R. 104.* quæ in casu nostro dubiis est. Neque obstat, quòd ignorantia eorum, quæ quis tenetur scire, non excusat, *cap. fin. de iniur. junctà glos. V. ignorantia, Navar. cons. 10. de Pœnit. num. 2.* Quia id intelligitur, si prævidit dubitationem, & non adhibuit diligentiam, nulla enim posita prævisione, aut dubitatione sciendorum, excusatur, ut docent
43 communiter omnes *cum Sanch. lib. 1. cap. 16. num. 24. & lib. 9. cap. 8. num. 44. Bonac. de peccatis p. 3. num. 18. & 27.* Et ex his patet responsio ad argumenta Pasqual.

---

## CAPUT DUODECIMUM.

### *De Capellaniis, & Capellanis.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Capella profanè idest parva Capra.*
2 *Catholicè idest casa parva, seù Oratorium, in quo celebratur missa.*
3 *Capellania est onus anniversarium celebrandi ad Altare designatum cum jure præcipiendi stipendium pro labore ad sui sustentationem.*
4 *Ecclesiastica Capellania est illa, quæ erigitur in beneficium auctoritate Episcopi, à quo, vel alio Prælato solùm confertur.*
5 *Laicalis verò, quæ fundatur à testatore, vel alia persona privata, nulla Episcopi interveniente auctoritate.*
6 *In dubio qualis sit, attendendus est ultimus status, unde si confertur ab Eccle-*

*siastico, censetur Ecclesiastica.*

7 *Testator apponere potest conditionem, ne in ea Episcopus se ingerat, vel convertat in Beneficium.*

8 *..eisnæ quilibet apponere potest conditionem, quam vult.*

9 *Ordinari Acolitus potest in Subdiaconum ad titulum Capellaniæ.*

10 *Laicalis ab Episcopo converti potest in Beneficium, nisi adsit testatoris expressa prohibitio.*

11 *Beneficium perpetuò confertur, Capellania laicalis ad nutum dari potest.*

12 *Beneficium de sui natura est perpetuum.*

13 *Capellania nulla requirit residentiam personalem, sed sufficit celebrare.*

14 *Est enim Beneficium, non solùm Ecclesiastica, sed etiam laicalis.*

15 *Capellanus eligendus debet esse actu Sacerdos, si id expressit testator.*

16 *Infirmus Capellanus uterque excusatur à missa per bimestre.*

17 *Capellaniæ fundantur etiam in Ecclesiis Regularium, & tunc dantur Sacerdotibus regularibus; laicæ Ecclesiasticæ Clericis.*

18 *Hæredes tenentur ministrare paramenta, & alia pro Capellano beneficiario, servantes indemnem Sacristiam Regularium, nisi à testatore provisum sit Sacristiæ.*

19 *Capellani transgressores in suo officio puniri possunt à patronis Ecclesiarum.*

20 *Capellanus eligitur vel à testatore, vel à suo hærede, nisi fecerit Rectorem Ecclesiæ suum executorem, quia tunc ad hunc spectat. Ista nominatio non est necessaria apud Regulares.*

21 *Jus nominandi, quod habet testator transit in ejus hæredem universalem.*

22 *Omnia sua jura, quæ habet tempore mortis transfert in hæredem.*

23 *Est enim hæres universalis ejusdem potestatis, ac defunctus dum viveret.*

24 *Hæreditas est successio in universum jus defuncti.*

25 *Testator potest nominare suum Capellanum.*

26 *Jus nominandi Capellanum non est de juribus Parochialibus.*

27 *Testator legando missam perpetuam quotidianam non dicitur contemplari Ecclesiam, nec Sacerdotem, sed solùm intendit prodesse animabus suæ, & suorum.*

28 *Capellaniæ in Ecclesiis Regularium, si sunt Beneficia, dicuntur sæculares, aliter regulares.*

29 *Rector alienæ Ecclesiæ jus non habet.*

1 CApella secundùm profanum sensum significat parvam capram, juxtà illud *Virgil. Eglog. 3. Tytire pascentes à flumine reiice Capellas*, id est parvas capras. Biblice verò, & catholicè significat casam parvam hoc est Oratorium parvum, & privatum; in primitiva Ecclesia solùm in domibus, & cryptis Martyrum, in quo fideles orabant, & Sacrificia Deo offerebant. Nostris autem temporibus, nomine Capellæ veniunt non solùm prædicta Oratoria, *ex cap. concedimus* 30. *dist* 1, 2 *de consecrat. juncta glos. V. in Capellis cum juribus ibi citatis*; sed etiam Oratoria publica, quæ construuntur in Parochiis, *cap.* 1. *de Novi operis nunt.* quæ sine Parocho erigi non possunt. *Tertiò*, pro Capellis intrà Ecclesiam constructis, quæ vulgariter Altaria vocantur. *Quartò*, alicubi Capellæ vocantur Parochiales subiectæ. Archipræsbitero in villis, si vocantur in diœcesi Parmensi. *Quintò*, eodem nomine venit omnis Ecclesia, ut dixi *cap.* 6. *num.* 26. In præsenti autem materia nomine Capellæ sumimus quodlibet Altare sivè Ecclesiæ, sivè Oratorii publici, in quo de mente testatoris, seù alterius missæ sunt celebrandæ, unde exercitium celebrationis, & jus celebrandi vocatur Capellania, & Sacerdos celebrans appellatur Capellanus. Interim vide plura, quæ dixi de Capellanis *cap.* 6. *à num.* 15. *& seq.* Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres igitur primò quid sit Capellania?

3 R. Est onus celebrandi annuatim missas ad certum Altare regulariter designatum à testatore, vel alio institutore, cum jure recipiendi stipendium pro labore ad sustentationem Capellani. Dico *annuatim*, quia Sacerdos celebrans aliquot missas pro unica vice, & non singulis annis, non est propriè Capellanus, quia ejus obligatio non est anniversaria, sed transiens eodem anno. Dixi *ad certum Altare*, quia solent testatores habere devotionem magis ad unum locum Sacrũ, quã ad alium & ad proprias Capellas suis sumptibus extructas. Dixi, *à testatore, vel alio institutore*, qua duobus modis institui possunt, vel per testamentum, vel per contractum inter vivos. Dixi *cum jure recipiendi stipendium*, dignus est enim operarius mercede sua. De stipendio missarum plura dixi *cap.* 10. per totum.

Quæres 2. Quotuplex sit Capellania?

R. Duplex Ecclesiastica, & laicalis, juxtà dicta *cap.* 6. *num.* 15.

4 Capellania Ecclesiastica est illa, quæ à patrono proposita pro celebratione missarũ auctoritate Episcopi erigitur in Beneficiũ ab eodẽ, vel alio Prælato conferendũ Clerico apto ad celebrandũ, unde eidem confertur in titulũ alicujus Sancti, & talis Capellanus tenetur ad Divinũ Officium recitandũ, quia Capellania hujus generis

est

est propriè Beneficium. Ità omnes cum *Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. glos. 5. num. 6. ad 20. Navar. cons. 5. & 7. de præbend. Garzias de benef. cap. 2. num. 81. par. 1. Castropal. tract. 13. de benef. disp. 1. p. 6. initio. Ego supra cap. 6. num. 27. Portell. par. 2. Resp. casu 75.*

5 Capellanìa verò laicalis est illa, quæ à testatore, vel alio instituta traditur ab illis, vel eorum hæredibus aut aliis Sacerdoti, qui assumit onus, & obligationem celebrandi missas secundùm mentem testatoris, & in hac nulla interponitur auctoritas Episcopi, ex quo dicitur carere qualitate Beneficii, ità docent præcitati, *Gonzal. glos. 5 à. num. 20 Ego cap. 6. num. 31. ubi plura de hac re. Rota par. 2. dec. 254. & par. 4. dec. 571.*

Quæres 3. In dubio quid dicendum, an Capellanìa sit Beneficium, an solùm legatum?

6 R. Si non constat qualiter initio fuerit instituta, attendendus est ultimus status, si enim confertur ab Episcopo, pro Ecclesiastica est habenda quia non est præsumendum, Prælatum sibi usurpasse jus alienum. Ità *Merlinus dec. 501. num. 7. cum aliis à me citatis cap. 6. num. 39.*

Quæres 4. An testator, vel institutor apponere possit in suo instrumento, ne Episcopus suam Capellanìam convertat in Beneficium Ecclesiasticũ, quia vult eam perpetuò esse merè laicalem?

7 R. Affirmativè, quia conditionem, & modum quilibet potest apponere rei suæ *l. in traditionibus ff. de pactis glos V. concessa*

8 *Clem. 2. de sepult.* quisq; enim in re sua est moderator, & arbiter, *l. in re mandata C. Mand.* Neque enim tale pactum, seu conditio est turpis, neque ipsi Episcopo est injuriosa, & præjudicialis neque lex aliqua resistit, siquidem, cum dentur hujusmodi Capellanìæ laicales, ratio dictat, ut perpetuò tales conserventur, quales ab initio fuerunt institutæ. Ità nonnulli colligunt *ex sess. 22. cap. 9. Covar. Castropal. Gonzal. cum aliis à me citatis dicto cap. 6. n. 35. Seraph. dec. 611.*

Quæres 5. An Clericus, cui data fuit Capellanìa laicalis, ordinari possit Subdiaconus ad ejus titulum, sine alio patrimonii titulo?

9 R. Affirmativè, si illi rradita fuit irrevocabiliter, & ad formã patrimonii, juxtà *cap. 2. sec. 21.* juxtà quod dixi eodem *cap. 6. num. 36.* siquidem Clericus eam adeptus non cogitur mendicare, dum ex ea honestè vivere potest. Necessarium quoq; est, ut tot sint annui redditus, quot tribuit taxatum patrimonium in synodo.

Quæres 6. An Capellanìa laicalis per Episcopũ converti possit in Ecclesiasticam?

10 R. Posse, quando testator non prohibuit expressè, & hoc de consensu hæredis, tùm quia id est favorabile Ecclesiæ; tùm quia est honorabilior Capellanìa ecclesiastica, quã laicalis; tũ quia melius conservatur in sua perpetuitate. Ità *Gonzal. Glos. 5. n. 58. Castropal. tract. 13. de Benef. dis. 1. p. 6. n. 3. Dixi cap. 6. n. 38. Pasq. q. 1041.*

Quæres 7. An utraq; Capellanìa conferatur perpetuò, an ad nutum amovibilis?

11 R. Ecclesiastica cum sit Beneficium cõfertur non ad tempus, neq; ad nutum revocabilem, sed perpetuo, quia propriè est Beneficium, *cap. Sanctorum dist. 70. Vivian. lib. 1. cap. 1. n. 61. ad 66. Abbas par. 2. cons. 47.* Laicalis assignatur ad libitum

12 hæredis, vel perpetuò, vel revocasiiliter, & nulla limitatione expressa, est revocabilis, quia Sacerdos in hoc æquiparatur colono partiariò, qui sicut potest pro suo libito recedere à colonia, ità & dominus illum licentiare. Confirmatur, quia Capellanus assimilatur quoque famulo, locando suas operas *Extr. Un. de decim. Riccius par. 2. dec. 220 num. 10.* & hæres comparatur conductori, qui pro suo libito cõducit vel ad tempus, vel perpetuò Sacerdotem ad celebrandum missas pro testatore. *Navar. cons. 6. de Præbend. ex eo Portell. par. 2. Respons. casu 75. num. 3.* ubi quòd si eam concessit perpetuò, non potest auferre, quia quod semel placuit, amplus displicere non debet nec licet mutare consilium, in detrimentum alterius. Quòd si Beneficium tale non sit simpliciter, sed dicatur manuale, tunc à Superiore est revocabile ad ejus nutum, etiam nulla subsistente causa, quia talis est ejus natura, ut docẽt communiter *Gonzal. glos. 5. §. 6. num. 46. Sanch. lib. 7. cap. 29. num. 112. cum aliis Castropal. de Benef. disp. 1. p. 5. num. 3.*

Quæres 8. An Capellanìa requirat residentiam in Capellano electo ad celebrandum, itaut per alium supplere non possit?

13 R. Non est necessaria residentia personalis, quando testator non expressit in sua dispositione, quòd Sacerdos electus debeat celebrare per seipsum, ratio est, quia celebratio missarum expediri potest per alium Sacerdotem, non enim obligatio est personalis, nisi id exprimatur, sed tantùm realis, quia qui per aliũ facit, per seipsum facere videtur, *cap. 72. de reg. jur. in 6. cap. Mulieres 6. §. illi verò, de sent. excom. l. 1. §. omnia C. de jure veter. enucl. Ità Riccius p. 1. resol. 348.*

14 Idem docui *cap. 6. num. 72.* Quia residentia non est opus in Beneficiis simplicibus, cujusmodi est Capellanìa tàm beneficialis, quàm laicalis, quibus per alium satisfieri potest, dum Sacerdos aliud onus non habet nisi celebrare missam ad differentiam Beneficii Curati, cujus Parochus residere personaliter debet, cum quotidie occurrere possit casus administrandi Sacramenta ovibus sibi commissis. Quæ necessitas non invenitur in Beneficiis, & Capellanis tantùm obligatis miss-

sas celebrare, quorum onus expeditur persemihoram. Imò Capellanus obligatus perseipsum celebrare, non tenetur residere, & moram trahere prope Ecclesiã, in qua debet celebrare, quia illi sufficit comparere ad celebrandum, esto Ecclesia esset extra civitatem, & Sacerdos Capellanus domum haberet in civitate, quia adhuc satisfacere potest suæ obligationi. Quod verum est, etiamsi testator pro ipso domum reliquisset prope Ecclesiam, si ibi aliud munus exercere non tenetur, nisi celebrare, quia testator præsumitur non sibi, sed Capellano voluisse prodesse, ac proinde cum huic beneficio renuntiare possit, & per hoc non noceat testatori, liber est ab habitatione designata, & domum aliis locare potest, si sibi relicta fuit ad habitandum.

Quæres 9. An Capellanus eligendus debeat esse actu Sacerdos, an sufficiat, quòd talis sit in habitu, & proxima potentia, itaut infra sex menses possit promoveri ad Sacerdotium?

15 R. Utique, quando testator id expressit in sua dispositione, aliter sufficit, quòd infra sex menses possit promoveri ad Sacerdotium, & tunc per alium celebrare debet, & id probatur, quia sicut beneficium curatum conferri potest recepturo Sacerdotium infra illud tempus, juxta quod dixi *cap.* 6. *q.* 6. *à num.* 43. qui majorem habet obligationem, ita & simplex Capellanìa eidem conferri potest, quæ aliam non habet obligationem, quàm celebrandi missas. Ità Doctoribus citatis ibidem docui, quibus adde *Riscium p.* 1. *resol* 350. *Ciarlin. cap.* 38. *num.* 15. Imò, & dari potest laicali carenti etiam prima tonsura, quia solùm Ecclesiastica requirit Clericatum.

Quæres 10. An Capellanus infirmus debeat supplere missas omissas, & si sunt quotidianæ supplere per alium?

16 R. Beneficiarius non tenetur, nec Capellanus laicalis infra bimestre ut probavi *cap.* 6 *q.* 8. *num.* 64. Illuc remitto lectorem, ne idem frustra repetam. Vide Riccium *par.* 1. *resol.* 351. multa congerentem pro utraque parte. *Fraxinel. sect.* 4. *concl.* 4. §. 13. ait, infirmitate præpeditum, post octo, vel decem dies, aut circiter, teneri per alium celebrare, quia datum ob causam repetitur, si ex infirmitate recipientis non potuit adimpleri, expressè *l. si pecuniam* 5. *ff. de condict. causa data.* Textus iste nõ obstat, quia loquitur de eo, qui accepta pecunia promisit servitium, sed infirmitate præventus non potuit negotium aggredi, certum enim est, quòd tenetur restituere acceptum; promissa causa non secuta. Re ergò integra, ut ibidem in summario dicitur, receptum restituitur. In casu autem nostro res integra non est, cum aliàs pluries celebraverit, & stipendium detur pro sustentatione celebrantis, quo tunc tempore infirmitatis magis indiget, ergò illo se privare non tenetur tradendo supplenti missas.

Quæres 11. An Capellanìa tùm Ecclesiastica, tùm laicalis institui possit in Ecclesiis etiam Regularium?

17 R. Capellanìæ passim fundãtur in Ecclesiis Regularium quidem laicales, quibus Superiores Regulares inserviunt per suos Sacerdotes Regulares, & quandoq; per Sęculares Sacerdotes, vel ex dispositione testatorum, vel ex defectu Sacerdotum Regularium. Cum autem Sęculares officiaturam, ut ajunt, in Ecclesiis

18 Regularium instituunt, tenentur hæredes subministrare Capellano Sęculari omnia necessaria ad celebrandum, nempe, paramenta, calicem cum adnexis, candelas, Clericum, Hostias &c. neq; enim Sacristia hoc incommodum pati debet, nisi pro hoc habeat correspondens emolumentum *Latiùs sub car.* 10. *num.* 88.

*Pasqual. centur.* 3. *q.* 293. ait Rectores

19 Ecclesiarum Sęcularium, & Regulariũ habere vim coercitivam etiam per censuras in Capellanos etiam Sęculares, qui tenẽtur observare ordinationes factas super horas, quibus Capellani debeant celebrare, ut cultus Dei ordinatũ, & rectè distribuatur, & exerceatur in Ecclesia, in hoc enim subiecti sũt ordinationibus pro recta celebratione in Ecclesia ad commodum fidelium missas audientium, unde transgressores retione delicti in Ecclesia perpetrati subduntur Rectoribus Ecclesiarum etiam Regularium, cum delinquant sub eorum jurisdictione, ac proinde sint subiecti ratione delicti.

Quęres 12. Ad quem spectet nominare Sacerdotem, qui missas celebraturus est pro testatore in Capellanìa sive Ecclesiastica, sive laicali?

20 R. Respectu utriusq; spectat ad eos, quos testator expressè volvit nominare Sacerdotem post ejus mortem, & in hoc nulla est difficultas, quia ejus voluntas omnibus modis servanda est, & deducitur *ex cap. nobis* 25. *de iurepatr* ibi: *In Capella, in qua vnus à patrono Præsbiter eligitur*. In casu verò, quo testator nullam mentionem faciat de electione Sacerdotis, sed dicat, quod celebrentur missæ in tali Altari, tunc si Rector Ecclesiæ Sæcularis sit relictus executor testamentarius, ad eum pertinet eligere, & nominare Capellanum, ex quo est executor ejus voluntatis, ac proindè etiam electionis Capellani, ut in his terminis docet *Rot. par.* 6 *decis.* 290. & 338. in eadem causa, dixi *Ecclesiæ Sæcularis*, quia in Ecclesiis Regularibus adsunt Sacerdotes, quibus Superior committit celebrationem. Quòd si Rector, in cujus Ecclesia missa est celebranda, non est executor testamentarius, tunc ad hæredẽ pertinet nomi-

minare Sacerdotem Capellanum. Tùm quia laici non ſunt incapaces juris nominandi, & eligendi ad celebrandum, ut patet, dum eligunt, & præſentant laici patroni Sacerdotem ad celebrandum, *ex cit. cap. nobis* 25. *de jurepar. Feder. de Senis. conſ.* 45. *num.* 1. *verſ. ſuper eo. Lambert. de*
21 *jurepatr. lib.* 2. *par.* 1. *q.* 5 *art.* 5 *num.* 5. Unde hoc jus tranſit in hæredem univerſalem, *Abbas in cap. cum* ſæculum, *de jurepatr. Ugolin. de poteſt. Epiſc. cap.* 5. *num.* 6. *apud Rotam par.* 9. *cit. deciſ.* 294. *num.* 7. & 8. Tùm quia omnia jura quæ habet teſtator tranſtulit in ſuum hæredem univerſa-
22 lem, *l. hæredes* 23. *ff. de acquir vel amitt. poſſeſ. l. nihil* 24. *ff. de verbor. ſignif.* Eſt enim hæres ejuſdem poteſtatis, & juris, cujus
23 fuit defunctus, dum vivebat, *l.* 60. *ff. de reg. jur.* cum hæreditas ſit ſucceſſio in univerſum jus defuncti, quod habuit tempo-
24 re mortis, *reg.* 63. *ff. de reg. jur.* Certum autem eſt, quòd teſtator habebat jus nominandi in ſuo teſtamento certum Sacerdotem, qui pro ipſo eſſet celebraturus, *ex adductis à Rota par.* 8. *deciſ.* 196. ergo hoc
25 idem ius tranſtulit in ſuum hęredem univerſalem, hoc ipſo, quòd non fecit Rectorem executorem ſui teſtamenti. Confirmatur, quia hæres dat ſalarium Capellano, ergo ratio dictat, ipſum debere eligere Sacerdotem, qui celebret miſſas in teſtamento relictas.

Dices: deputatio Capellani videturunũ de præcipuis juribus Rectoris, & adminiſtratoris ſuæ Eccleſiæ, *Rota par.* 2. *diverſ. deciſ.* 264. ac proindè non ad hæredes, ſed ad Rectorem, maximè cum teſtator videatur contemplatus fuiſſe Eccleſiam, non Sacerdotem, cum reſpexerit cultum illius, & non commodum Sacerdotis, quæ ſunt rationes illarum deciſionum, *item*
26 *par.* 5. *dec.* 45.

℟. *Ad primum*, id non pertinere ad jus Parochiale, cum ſine Capellanis eſſe poſſint jura Parochialia, ejus partes tamen ſolùm erant, ut Capellanus celebret juxtà horas à Rectore determinatas, cum illi ſubſit, dum in ejus Eccleſia celebrat, juxtà dicta ſub *q.* 11. *Ad ſecundum*, teſtatorem
27 non fuiſſe teſtatum contemplatione Eccleſiæ, neque Capellani, ſed intentionem ſuam fuiſſe conſulere animæ, demonſtrando Eccleſiam, quia extra non contingit celebratio, & ne relinqueret Sacerdotem eligendum liberum quoad Eccleſiam, Vide *Riccium par.* 4. *dec.* 210.

Quæres 13. In dubio an Capellania ſit regularis, an ſæcularis fundata in Eccleſia regulari?

28 ℟. Si illi inſerviat Sacerdos Sæcularis, habenda eſt pro Sæculari, ſecus ſi celebret regularis, ut docet *Garzias in addit. ad tract de benef. par.* 7. *cap* 10. *num.* 37 *verſ. ſed hoc non obſtante*, *Sanch. lib.* 7. *cap.* 29. *nu.* 27. *ex eis Barb. lib.* 3. *de jure cap.* 5. *num.* 14. ubi, quòd ſit Regularis, ait *Rodriq. tom.* 1. *q.* 34. *art.* 3. Dic ulteriùs, tunc eſſe Regularem, ſi collatio fiat a Superiore Regulari, & non aliter, ſicut cenſetur Sæcularis, ſi conferatur ab Epiſcopo ſivè in Eccleſia Sæculari, ſivè Regulari, quatenus eſt Beneficium, quia Regulares non ſunt capaces Beneficiorum.

Quæres 14. Rector beneficii an, & quomodo poſſit celebrare in aliena Eccleſia? Ratio dubitandi habetur ex ſequenti diſpoſitione, nam Baſilius Borghetus civis Parmenſis fundavit Beneficium patronale ad Altare majus Cathedralis ſub invocatione S. Herculani ſub his obligans Re-
29 ctorem verbis: *Quòd Rector dicti Beneficii teneatur, & obligatus ſit celebrare, ſeù celebrari facere ad Altare prædictum miſſas tres ſingula bebdomada, & unum anniverſarium ſingulo anno in perpetuum miſſarum* 30. *die ſequenti poſt feſtivitatem S. Herculani ſi fieri poteſt, ſin autem quàm citiùs fieri poſſit.* Dubitatum fuit ſuper duobus prædictis qualiter intelligatur dicta obligatio, an debeat habere executionem ſuam independenter à Venerabili Conſortio Sacerdotum inſigni in Cathedrali Parmenſi, an verò debeat in hoc dependere ab eodem Conſortio?

℟. Conſtat, obligationem eſſe quidem
30 Rectoris, qui dum ſcribo eſt D. Hieronymus Boſchius Sacerdos, executionem verò eſſe Conſortii, maximè quoad anniverſarium cum ſuis miſſis, nàm quoad hebdomadales miſſas nullum eſt litigiũ inter partes, ſed tantùm reſpectu anniverſarii cum ſuis miſſis, quorum executio ſpectat ad Cõſortium. Tùm quia Rector nullum jus habet in Cathedrali, cum non ſit membrum Conſortii. Tùm quia non poteſt comparere in Choro cum Cotta, nec alios invitare ad celebrationem anniverſarii. Tùm quia Conſortium habet ſuos Clericos deputatos Choro non ſolùm pro miſſis vivorum, ſed etiam defunctorum. Quare ex his ſequitur executionem anniverſarii ſpectare ad Conſortiũ, & non ad Rectorem, cujus eſt tantùm obligatio iſtandi, ut exequatur mens teſtatoris, unde ipſe teſtator videtur hoc expreſſiſſe illis verbis: *Seù celebrari facere*, ideſt procurare, ut celebrentur miſſæ per Conſortium. Neque aliter mens teſtatoris interpretari poteſt, aliter ſuum teſtamentum quoad hanc partem non prudẽter, nec juſtè diſpoſuiſſet, ſi Rector poſſet exequi hoc anniverſariũ in Cathedrali independenter a Conſortio in præjudicium jurium Conſortii, quod dicendum nõ eſt, quia verba teſtatoris ità intelligenda ſunt, ut non fuerit peccatum in ejus factione, *l. Plautius* 9. *ff. de auro*, & *arg. legato* ſciebat enim Baſilius teſtator ſe id facere non poſſe, ut rector ſibi uſurparet hujuſmodi executionẽ in aliena Eccleſia, erat enim dictus teſtator Præsbiter, ac proindè informatus de modo officiandi in Cathedrali.

Con-

Concludendum ergo est, dictum Rectorem debere tantùm instare, quòd Cõsortium debeat exequi dictum anniversarium etiam cum missis, ut ajunt, bassis, quæ cum sint accessoriæ cantatæ debent sequi naturam sui principalis *Reg. 42. in 6.* & dare Consortio solitam, & congruentem eleemosynam, servatio utrinque per Consortium, & Rectorem, quod disposvit testator illis verbis: *Si fieri posset, sin autem quàm citiùs fieri posset*, ideſt, receptis eleemosynis à Rectore debet Consortium celebrare anniversarium cum suis triginta missis, illa enim dilatio refertur ad fructus beneficii perceptos respectu utriusque *arg. cap. cum in sua 30. de decim. l. eum qui 33. ff. de usu cap.* cum idem diverso jure censeri non debeat.

## CAPUT DECIMUMTERTIUM.

*De Legatis Caducis, & Nullis.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Nullitas, Caducitas, & Revocatio legatorum differunt, quia nullitas procedit ex testamento initio invalido. Caducitas supponit ruptum testamentum, quod*
2 *enim cadit ante à stabat; demùm revo-*
3 *catio legati procedit à voluntate testatoris mutata.*
4 *Prædicta non præsumuntur, sed probanda sunt ab asserente.*
5 *Legatum nullum ex nullitate testamenti.*
6 *Nihil existens obligationem inducere non potest.*
7 *Etiam in foro conscientiæ.*
8 *Legatum fit caducum multis modis.*
9 *Primò, si fuit solutum vivente testatore.*
10 *Secundò, si legatarius præmoriatur testatori.*
11 *Tertiò, si moriatur ante existentiam conditionis.*
12 *Quartò, gravis inimicitia facit legatum caducum.*
13 *Quintò, cadit re alienata à testatore.*
14 *Sextò. Præteritione filiorum etiam posthumorum cadit.*
15 *Septimò, repudiatione non cadit si adit ab intestato.*
16 *Octavò, pereunte re numero legata, cadit legatum.*
17 *Cessante causa finali, legatum profanum cadit, non pium, cujus causa finalis, amor Dei, salus animæ, & charitas erga proximum; numquam cessat.*
18 *Causa finalis est illa, quæ movet agentem. Impulsiva, quæ facilius, vel difficilius movet, hujus expressio, vel taciturnitas non vitiat, sicut non dat esse, ut facit finalis.*
19 *Legata revocatione testamenti extinguuntur.*
20 *Prius testamentum revocabile per posterius, cum illud non sit amplius ultima voluntas.*
21 *Imperfectum non rumpit perfectum.*
22 *Clausulæ necessariæ ad revocationem sunt exprimendæ.*
23 *Minus solemne non rumpit magis solemne, utique Canonicum Civile.*
24 *Oretenus revocari potest legatum, probandum tamen testibus.*
25 *Revocatio est qui dolosum; non præsumitur.*
26 *Pia legata sunt nulla ex testamento nullo rupto, aut revocato.*
27 *Legatum pium licèt impossibile valet, & commutandum est, modò testamentum sit validum.*
28 *Res legata ex nullitate legati est jus, qui succedit ab intestato.*
29 *Prædicta locum habent etiam in foro conscientiæ.*
30 *Argumento valet à foro externo ad forum internum.*
31 *Repudiatum legatum adhuc adimplendum ab hærede.*
32 *Legatum non dicitur caducatum, quando testator ipse adimplevit onus ex alia causa.*
33 *Factum non præsumitur gestum voluntariè, sed necessariò.*

PRemitto, hæc tria, Nullitatem, Caducitatem, & Revocationem legato-
1 rum differre inter se. Nullitas namque importat, legatum nunquam recepisse esse, quod illi contingit, quandocumque testamentum fuit ab initio nullum, & invalidum, legatum enim existit per existentiam testamenti, ut multis probavi cap. 5. ubi de legatis ex testamento imperfecto, ideſt, nullo, & invalido. Caducitas verò supponit, legatum aliquando valuisse, quia testamentum subsistebat, & casu cadit cum ipso legatum. Id ergo cadit, quod ante stabat, juxtà illud ad *Roman. 14. 4. Domino suo stat, aut cadit.*
2 Stare ergo supponitur ad cadere, obiectum ergo caducitatis est id, quod stat, sed casurum, transiens de esse ad non esse. Revocatio verò pariter supponit esse legati, quod per revocationem testamenti factam à testatore desinit esse per ejus contrariam voluntarem, undè caducitas non à voluntate testatoris, sicut revocatio procedit, sed ex alio capite, ut infrà patebit.
3 Nullitas ergo procedit ex testamento imperfecto, caducitas ex testamento rupto, & revocatio ex mutatione voluntatis testatoris. Hìc de singulis agendum, & præsertim de caducitate legatorum.

Quæres igitur primò, an prædicta tria præsumantur, an verò probanda sint ab eo, qui illa asserit?

R. Non

4 R. Non præſumuntur, ſed probanda ſunt, hæ enim qualitates præſupponunt in eis aliquod eſſe, unde eorum negativa probanda eſt ab aſſerente. Confirmatur, quia facultas adimendi legata eſt odioſa, ac proinde ſtrictè interpretanda quoad prædicta, & cum ipſa legata ſint favorabilia legatariis, pro ipſis interpretanda ſunt exiſtere. Ita omnes cum *Alex. lib. 5. conſ. 169. num. 3. Natta conſ. 483. num. 14. Cephal. conſ. 62 num. 8. Menoch. conſ. 254. num 50. Mantica de coniect. lib 7. tit. 2 num. 2. ex eis Rota par. 6. dec. 269. num. 7. Peregr. de fideicom art. 18. num. 29. verſ. & quia in hac. Rota par. 7. dec. 190. num. 19. Ciarl. cap. 59. num. 9.*

Quæres 2. Quomodo legatum ſit nullũ ex invaliditate teſtamenti imperfecti?

5 R. Nullum eſſe, quia in ſuo exiſtere dependet ab exiſtentia teſtamenti, ergò nullo exiſtente teſtamento, non exiſtit legatum, eſt enim ſicut formalitas in Phyſicis, quæ ſine entitate non eſt, cum ab ea dependeat inexiſtere: Vide cap. 5. ubi de nullitate teſtamenti, ac proinde legatorum. Unde Gregor. XI. *deciſ. 271.* dicit legata non cõſervari, nec deberi, nullo exiſtente teſtamento ex præteritione fratris, inſtituta turpi perſona ex communiori opinione. Ratio eſt, quia quod nihil
6 eſt, nullum poteſt producere effectum obligationis in hæredem. Ità Doctores colligunt *ex l. hac conſultiſſima §. ex imperfecto C. de teſtam. l. 1. ff. de injuſto rapt. & l. ſi nemo, ff. de reg. iur. Ciarlin. cap. 109. num 40.* etiam in foro conſcientiæ, *ex Carpano ad*
7 *ſtat. Mediol. cap 295. num. 194. & 195. idem Ciarlin. cap. 91. num. 20. Bonac. diſp. 3. de reſtit. q. 17. p. 3. num. 18. Vaſq. cum de Lugo Cardin. diſp. 22. num. 274. verſ. alii tamen.*

Quæres 3. In quibus caſibus legatum caducatur, & ad nihilum redigitur, eſto antea validum fuiſſet?

8 Reſpondetur in multis caſibus legatũ fieri caducum, qui ſubiiciuntur.

Primò, quando in vita teſtatoris ſo-
9 lutum fuit legatario, quod enim ſemel ſolutum fuit, non eſt amplius debitum *l. Lucius 22. ff. de legat. 2. Rota part. 3. dec. 270 initio, & par. 6. dec. 336. num. 9. infra q. 10.* proponitur caſus.

10 Secundò, legatum caducatur, ſi legatarius moriatur ante teſtatorem, *l 1. § & cum, C. de caducis toll. Seraph. dec 471. Rota par. 9. dec. 217. num. 200.* Etiamſi legatum fuerit conditionale pendente conditione, *l. intercidit 58 ff. de condit. & dem.* Fit quoque caducum, ſi primus legatarius vivo teſtatore, moriatur, vel mortuo ſubſtituto, *Rota par. 4. tom. 1. dec. 432. num. 13. ex l. Un. §. proſecundo C. de caduc. tollend.* Ratio eſt, quia legatarius non acquirit jus ad legatum, niſi poſt mortem teſtatoris, ergò neceſſe eſt, quòd evaneſcat, ſi præmoriatur legatarius, dũ nondum eſt firmatũ teſtamentum morte teſtatoris.

11 Tertiò, legatum fit caducum, ſi legatarius moriatur ante exiſtentiam conditionis poſſibilis, ſecus ſi decedat ante exiſtẽtiam conditionis impoſſibilis, cum pro non adiecta habeatur, *l. ab omnibus 107. §. in teſtamento ff. de legat. 1.*

12 Quartò, cadit per ſupervenientem inimicitiam inter teſtatorem, & legatariũ, ut mors, ſeu gravis inimicitia, *l. ſi inimicitiæ 9 ff. de bis, quib ut indign Reccius par. 3. reſol. 75. Gratian. cap 771. de Lugo diſp. 247. num. 77.* Legatarius verò, ſi inimicitiæ auctor non eſt, nec in cauſa, non cadit, quia non meretur pœnam, qui culpam non cõmiſit. *l cum ſecundis tabulis 15. §. quoniam, eod.*

13 Quintò, alienata re à teſtatore, quæ erat legata, cadit legatum, & illud hæres ſolvere non tenetur, *l. rem. legatam 18 ff. de legat. adim. Ottob. deciſ. 162. aliis citatis, Ciarlin. cap. 79 num 4.* ubi ſubſequẽter docet de coniecturis mutatæ voluntatis, quæ præſumitur in alienatione facta. Vide etiam *Gratian. cap. 251. num. 49.*

14 Sextò, rupto teſtamento per prẽteritionẽ poſthumi cadunt legata, & non debẽtur, *l. 1. C. de poſthum.* non autẽ ex præteritione filiorum extantium vivente patre cum ipſis, *Auth. ex cauſa dixi cap. 5. q. 3.*

15 Septimò, qui ex alio titulo, quàm inteſtati adit hæreditatem, non tenetur ad fideicommiſſa, & legata, ut expreſſè dicitur *l fin. ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtam.* & hoc in caſu verificatur illa regula. Si nemo hæreditatem ſubit, ſolvitur omne jus teſtamenti 142. *de reg. jur.* Qui verò hẽreditatem adire non vult ex teſtamento ſibi relictam, ſed ad eam vult venire ab inteſtato, adhuc tenetur ad legata, & fideicommiſſa, *ex l. 1. §. fin. & l. 2. ff. ſi quis omiſſa &c.* quia præſumitur id feciſſe in fraudem legatariorum, & fideicommiſſariorum, quibus nihilominus debentur, quia ſuccedunt immediatè teſtatori, non hæredibus, ut de hac ſucceſſione immediatè docet *Gratian. cap. 661. num. 2.*

16 Octavò, pereunte re numero deſtinata legatario, cadit legatum, & nihil illi debetur, *l quidam 99. §. ſi tibi ff. de legat. 1.* Vide *Rotam par. 5. tom. 1. dec. 365. num. 35. & ſeq.* rem hanc explicãtem. Dixi *Re numero deſtinata*, quia ſi res in ſpecie ſit legata, & individuum ejus pereat, non perit legatum, ut ibidem dicitur, quia ſemper unum individuum ex ſpeciebus eſt debitum, niſi omnia individua ex ſpecie legata pereant. Vide *cap. 1. q. 27. & 44.*

17 Nono, ceſſante cauſa finali, ceſſat, & cadit legatum, niſi ex verbis teſtatoris aliud colligatur *l. Generali 32. ff. de uſu, & uſufr. leg.* Vide *Rotã p. 3. d. 233.* ubi de duplici

plici causa, finali & impulsiva, de illa est sermo, non de hac. Unde in legatis piis nunquam deficit causa finalis, amor scilicet Dei, salus animæ, & sublevatio pauperum, ideo nunquam cadit legatum piũ ex hoc capite.

18 Notandum hìc, quòd causa finalis est illa, quæ simpliciter movet agentem ad operandum, quæ si ei non proponeretur, nihil faceret. Impulsiva verò est illa, quę faciliùs, vel difficiliùs movet ad agendum, sed non simpliciter, unde sive sit vera, sive falsa, sive taceatur, sive exprimatur, actum non vitiat, sicut illi nec dat esse, cum id habeat formaliter à causa finali. *Marcus Paulus de Leone Romanus Jesuita in sua Praxi ad literas Majoris Pœnit. fol.* 59. & 60. Quare magis attenditur causa finalis, quàm impulsiva, *Megal. cons.* 23. *num.* 12.

Quæres 4. An legata revocatione testamenti, adhuc valeant, & debeantur?

19 R. Legata testamenti revocatione extingui, imò remanente testamento, revocari possunt legata quæcunq; non solùm scriptura, sed etiam oretenus.

Primum ad revocationem testamenti, extingui legata, probatur ex *l. Taberna* 7. *ff. de fundo instr.* Ratio est quia existunt sola testamenti existentia ut probavi cap. 5. per totum, præsertim *q.* 10.

20 Nulli autem dubium est, pius testamẽtum revocari posse per secundum, *l. si quis* 29. *ff. ad Senatus cons. Trebell. Instit. quibus modis testam. §. Posteriore, Rota par.* 4. *tom.* 3. *dec.* 581. *initio, dec.* 952. *& par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 233. *num.* 4. Debet autẽ posterius testamentum esse perfectum sicut prius, aliter hoc non tollitur per illud, quia imperfectum non potest agere in perfectũ,

21 *ex l. si jure* 18. *de legat.* 3. ubi relictum in voluntate solemni, per voluntatem minus solemnem non intelligitur tacitè re-

22 vocatum, & tradit *Rota cit. dec.* 652. *num.* 7. & 11. Et si in primo sint aliquæ clausulę repetendæ in secundo, ut per eorum expressionem sit primum revocabile, sine dubio sunt in eo exprimendæ, aliter pri-

23 mum ulterius viget, *ex l. si quis* 22. *de legat.* 3. *Cornelus vol.* 3. *cons.* 86. *num.* 7. *Alex. lib.* 1. *cons.* 134. *num.* 1. *Rota par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 233. *num.* 9. Verum quoque est, quòd solemne minus, non revocat solemne primum, si fiat comparatio inter minorem, & majorem solemnitatem juris civilis; si verò fiat comparatio inter jus civile, & Canonicum, tum minus solemne testamentum ad formam juris Canonici factũ scilicet ad præsentiam duorum, aut triũ testium coram Parocho, uti validum revocat primum factum etiam cum omni solemnitate juris civilis, dum enim est perfectum sicut primum, nihil prohibet, quin primum tollat, dum per confectionẽ posterioris, prius non amplius dicatur ultima voluntas, dũ alia superve-

nit, quæ dicitur ultima priorem constituens penultimam annihilatione eiusdẽ. Et hoc multis probat *Pasqual. q.* 257. *moralium num.* 2. *&* 3. Destructo igitur testamẽto priori per factionem secundi validi, extinguunt ur legata in eo scripta, non repetita in secundo, cum enim aliam non habeant existentiam nisi testamenti prioris, eo extincto, necesse est expirare legata in eo scripta.

24 Secundũ quòd legata ore tenus revocari possint, probatur per textũ *in l. in ipsum* 5. *C. familiæ Erciscundæ*, ubi ex duobus legatis alterũ probatur revocatũ per testes deponentes, testatorẽ ore tenus ad eorum præsentiã revocasse unum legatũ, & non alterum in suo testamento, quod voluit in reliquis sortiri suum effectum.

25 Observandũ autẽ est, quòd revocatio, testamenti, aut legatorũ nõ præsumitur. cũ actus revocationis sit odiosus, ut docui *cap.* 7. *n.* 61. *Paris. lib.* 9. *de resignat. q.* 25. *n.* 75. *Tambur. tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 17 *n.* 3. Asserẽti ergò revocationem testamenti, aut legati incumbit probatio.

Quæres 5. An legata pia etiam missarũ in testamentis nullis, aut ruptis, aut revocatis expressa, sint invalida, & non debeantur, sicut non debentur legata caduca *ex q.* 3. hìc.

26 R. Affirmativè, ex ea ratione sępius repetita, quòd legata, quæcunq; illa sint, aliam non habent existentiam, quam illius testamenti, in quo exprimuntur, cũ legatum sit donatio relicta in testamento, ergò sublato testamento, necessariò evanescit legatum in eo scriptum, sublato enim principali tollitur, & destruitur accessorium, quod est legatum expressum in testamento, quod respectu illius dicitur principale. Itè *Butrius in cap. quod Clericis de foro compet. num.* 10. *Gulielmus Bened. in repet. cap.* Raynutius *par.* 1. *vers. testamentum* 1. *num.* 20. *Crassus de success. V. testamentum q.* 19. *num.* 6. *Salicetus in Auth. Cassa C. de Sacrosc. Eccl. num.* 7. *Bartol. in l. fin. ff. de. bis, quæ pro non scriptis initio. Jason. in l. Marcellus ff. ad sen. Trebell. num.* 36. *Marta de success. par.* 4. *q.* 8. *art.* 2. *num.* 3. *vers. nec legatis. Alexander lib.* 2. *cons.* 277 *num.* 6. *vers. sed ubi; Socinus lib.* 3. *cons.* 5. *fine, Menchaca de success. §.* 22. *num.* 12. *Barbosa lib.* 3. *de jure cap.* 27. *num.* 95. quos contra se citat *Pasqual. q.* 990. de Sacrificio missæ, cujus obiectionibus satisfeci *cap.* 5. *q.* 3. lege totum illud caput, quod facit ad intelligentiam hujus quæstionis.

27 Quæres 6. An legatum pium, cujus adimplementum factum est impossibile, sit caducum, testamento subsistẽte?

R. Non esse caducũ, sed esse debitum commutandũ in aliud opus piũ auctoritate Episcopi, de pia re infra sequenti capite. Colligitur *ex l. legatũ* 16. *ff. de usu, & usuf. legato, Tiraquel. de cau. pia privil.* 38. *Peregr*

*regr. de fideicom. art.* 11. *num* 64. *Ruinus vol.* 2. *conſ.* 75. *num.* 5. & 8. *cum aliis Ciarlin. cap.* 5 *num* 58. *Gratian. cap.* 255. *num.* 47. Legata ergò pia, imò & profana cum onere licèt caduca, non extinguuntur, ſed convertenda ſunt in aliud opus, & in hoc ſenſu legata pia nunquam caduca fiunt, dū in aliud opus ſunt convertēda, ſubſiſtente teſtamento.

Quęres 7. Cujuſnam ſunt res ex legato deficiente teſtamento?

28 R. Sunt ejus, qui de jure ſuccedit in universū jus defuncti, nam teſtamētū, & legatum in eo ſcriptum pro nihilo habenda ſunt, ergo bona ſunt ejus, qui ſuccedit ab inteſtato, non enim præſtat impedimentum, quod de jure ſuum non ſortitur effectum, *Reg.* 52. *in* 6. ut non fuerunt ſortita teſtamentum, & legatum. Ità *Ciriacus contr.* 204 *lib* 2 *num.* 5. *Rimin. jun. conſ.* 363. *num.* 338. *ex illis Ciarlin. cap.* 109. *num* 23.

Quæres 8. An prædicta habeant locum non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro Conſcientiæ?

29 R. Affirmativè, ac proinde ſuccedens in bonis, quæ videbantur gravata legato etiam miſſarum, ad nihil tenetur in foro Conſcientię, ſi nec obligatur in foro externo; quia valet argumentum à foro externo ad forum Conſcientiæ, & è contra,

30 *Valer. in Differ. utriuſque juris in Prælud. V. forus. Sancb. lib.* 1. *diſp* 5. *num.* 20. *Bonac. q.* 2. *de reſt. p.* 2 *num.* 6. *§. verum* Ità in terminis noſtris *Grilenz. conſ.* 21 *num.* 9 *Sanchez. lib.* 1. *diſp.* 7. *num.* 16. & *diſp.* 38. *lib* 6. *num.* 20 *verſ. Tertiò, ex illis Ciarlin. cap.* 33. *num.* 135 & *cap.* 91 *fine, cum Carpano adſtatuta Mediol cap.* 295. *num.* 194 & 195. *Diana reſol.* 75. *cum multis aliis, quos citat de Lugo diſp.* 22. *de juſt num.* 250

Quæres 9. An legatum repudiatum à legatario cum onere miſſarum, vel alterius rei debeatur ab hærede?

31 R. Affirmativè, *l. Celſus* 29. *de legat.* 2. ubi, quod legata ~~caduca~~ remanent apud hæredem cum onere ſuo. Ratio eſt, quia teſtamentum validum eſt, ergò & legatum ſuſtinendum eſt cum per repudiationem non fuerit extinctū. Confirmatur, quia res trāſit cum onere ſuo, ex vulgatis juribus; bona enim teſtatoris in eo caſu remanent obligata pro illo onere adimplendo.

Quæres 10. An legatum factum pro reparatione Eccleſiæ, caducetur, ſi ipſe teſtator dum vivit, reparet Eccleſiam?

32 R. Eſſe caducum, ſi teſtator eam reparavit eo animo, & ex eadem cauſa, qua ipſe legavit, ut probat textus allegatus ſupra num. 9. aliter debetur, non obſtante reparatione facta ab ipſo teſtatore, ut ſi eam reparavit ex neceſſitate, ſeu decreto facto, ut repararetur, tunc enim reparatio non cenſetur facta ex cauſa legati quæ erat voluntaria, non neceſſaria, nam legatum eſt donatio quæ fit liberè, & voluntariè, ut patet ex definitione ipſius legati data ſub *cap.* 1. *q.* 1. reparatio autem facta ex neceſſitate, & decreto Superioris, non eſt voluntaria, ſed neceſſaria, aliquid enim factum præſumitur potius ex cauſa neceſſaria, quam ex voluntaria, *Caſtr. lib.* 2. *conſ* 133. *num.* 3 *Corn. lib* 1. *conſ.* 316. *num.* 7. *Aymon. conſ* 160 *num.* 83. Legatum ergò hoc non dicitur impletum ex priori cauſa expreſſa in teſtamento, in quo erat voluntaria ratione legati, quod eſt donatio, ac proinde voluntaria, ſed reparatio Eccleſiæ fuit facta ex neceſſitate, ergò non animo caducandi illud, ſed recurrendi ei neceſſitati. Ità probat *Ludovicus. dec.* 236.

33

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

### *De Commutatione Legatorum.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Commutatio eſt converſio unius Legati in aliud quando deſignatum non poteſt impleri.*
2 *Quinam Superiores poſſint commutare.*
3 *Pontifex Romanus per univerſum orbem.*
4 *Epiſcopi in ſuis diœceſibus pro ſuis ſubditis jure communi.*
5 *Commutatio fit etiam teſtatore eam probibente.*
6 *Jure Tridentini Epiſcopus uti delegatus Papæ ex cauſa neceſſaria.*
7 *Quod non tollit facultatem jure cōmuni conceſſam illi, poteſt enim quis uti duabus facultatibus ad agendum.*
8 *Capitulum Sede vacante.*
9 *Abbates, & Prælati nullius.*
10 *Veniunt enim ſub nomine Epiſcopi.*
11 *Cardinales quoq; in ſuis Titulis.*
12 *Superiores Regulares habentes poteſtatem quaſi Epiſcopalem.*
23 *Abbates Sæculares & Regulares locales.*
14 *Poſſunt commutare legata.*
15 *Cauſa juſta eſt neceſſaria ad validam commutationem.*
16 *Papa verò etiam ſine cauſa validè commutat.*
17 Non niſi *certam dat formam.*
18 *Papa ſine cauſa commutat legata.*
19 *Alii Superiores inferiores ſolùm cum cauſa.*
20 *Cauſa neceſſaria, juſta, & impoſſibilitas fere idem in legatorum commutatione.*
21 *Impoſſibilitas Phyſica, qua aliquid nullo modo fieri poteſt.*
22 *Impoſſibile moraliter quod eſt contra bonos mores.*
23 *Secundò, quod lædit famam, & exiſtimationem*

24 *Tertiò, quod pendet à voluntate Principis non ſolitum concedi.*
25 *Quartò, quod non poteſt fieri per remedium ordinarium.*
26 *Quintò, quod pietatem lædit.*
27 *Sextò, quod à lege probibitum eſt.*
28 *Septimò, difficile valde factu eſt impoſſibile.*
29 *Impoſſibile ergò triplex, inhoneſtum, injuſtum, & incommodum.*
30 *Impoſſibile dicitur, quod impeditur à jure, vel ab homine.*
31 *Impedimentorum duorum majus vrget.*
32 *Obligatio major tollit minorem.*
33 *Impoſſibilium nulla eſt obligatio.*
34 *Impoſſibile triplex à natura, à jure, & ab homine.*
35 *Commutatio legati eſt converſio ejus ab uſu impoſſibili ad uſum poſſibilem.*
36 *Prima cauſa commutandi Legata eſt inſufficientia pecuniæ.*
37 *Secunda impoſſibilitas exequendi illud.*
38 *Tertia impoſſibilitas ædificandi ædem Sacram*
39 *Quarta, ſi relictum non ſit ità neceſſarium, ſicut reparatio.*
40 *Quinta, negligentia exequendi facit transferre.*
41 *Commutatio in minus ſufficit.*
42 *Hæredis, & alterius habentis intereſſe quærendus eſt conſenſus, quando ille debet pecuniam, vel rem dare.*
43 *Epiſcopus commutat Legata ſuæ Cathedralis.*
44 *Epiſcopus non commutat ultimas voluntates relictas Eccleſiis aliorum Prælatorum ſibi inferiorum, ipſis recuſantibus.*
45 *Non commutatur Legatum miſſarum in dotem Puellarum.*

1 COmmutatio in legatis eſt cõverſio oneris legati ab uno uſu in aliũ ex cauſa juſta, & neceſſaria facta à legitimo Superiore, ut mens teſtatoris aliquo modo adimpleatur, quando adæquatè adimpleri non poteſt, juxtà tenorem ſuæ voluntatis, quando ſcilicet uſus à teſtatore determinatus exequi non poteſt ob aliquod impedimentum vel juris, vel facti interpoſitum. Ità omnes infra citandi in quæſtionibus

Quæresigitur primò: quinam ſit legitimus Superior in commutandis oneribus legatorum?

2 R. Romanus Pontifex, Epiſcopus Capitulum Sede vacante, Cardinales in ſuis Titulis, & Superior Regularis, unuſq; eorum reſpectu ſuorum ſubditorum, nam neceſſarium eſt, quòd in Eccleſia Dei ſit hæc poteſtas commutandi pias teſtantium ultimas voluntates, quando adimpleri non poſſunt in forma ſpecificata à teſtatore, ne in totum pereant, ſed miniſterio commutationis redundent in utilitatem tùm teſtantium, tùm aliorum fidelium, ad quorum commodum dicuntur relicta.

3 Pontifex ergò Romanus onera legatorum commutare poteſt, ut ſupponitur in *Clem. quia contingit, de relig. domib. ibi: cum tamen ea, quæ ad certum uſum largitione ſint deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, ſalva quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate, converti.* Ejus autem poteſtas cum extendatur per univerſum orbem, omnium fidelium, imò etiam infidelium ultimas voluntates, cauſa exigente ab uno uſu in alium convertere poteſt, maximè legata pia, cum per hanc conditionem, & qualitatem facta ſint bona Eccleſiaſtica ſpecialiter ſubiecta poteſtati Spirituali Eccleſiæ.

4 Epiſcopus pariter idem præſtare poteſt reſpectu ſuorum ſubditorum, & ex officio ſuo, ut colligitur *Act.* 20. 28. *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.* Regit ergò oves ſuas, dum ſolicitus eſt, ut pia legata, ſi non poſſunt exequi juxtà uſum à teſtatore deſtinatum, adimpleantur ab hæredibus ſecundùm alium uſum eis ab Epiſcopo propoſitum Et quod id eis competat ex officio, & propria auctoritate colligitur etiam ex *cap. nos quidem 3. de teſtam.* ubi, quòd ſi infra annum à die monitionis hæres non exequitur voluntatem teſtatoris, officium eſt Epiſcopi exequi ejus voluntatem in uſu deſtinato à teſtatore, vel in alio, ſi ille adimpleri non poteſt, ut colligitur ex illis verbis: *quodſi infra dictum tempus, ſive in loco, quo conſtitutum fuerat, ſeu ſi ibi non poteſt, & alibi placet ordinari.* Ecce, quòd manifeſtè patet, poſſe auctoritate propria ut inſinuat illud verbum *placet*, Monaſterium illud, de quo ibi, facere fabricare in alio loco, ſi non poteſt ædificari in loco deſignato à teſtatore. Idem colligitur *ex cap. tua nobis* 17. *de teſtam.* expreſſis verbis: *cum igitur in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundùm defuncti voluntatem univerſa procedant, licèt etiam à*
5 *teſtatoribus id interdici contingeret.* Si ergò univerſa defuncti bene procedere debẽt, ſi non poteſt exequi ejus voluntas quoad uſum deſtinatum, procedet quoad aliũ poſſibilem ab Epiſcopo determinandum. Confirmatur, quia jure civili *l. legatum* 16. *ff. de uſufr. legato*, hæredes cum primioribus civitatis poſſunt convertere legatũ in alium uſum; quod etiam ſupponitur in *l. fin. ff. de operib. publicis*, ubi non facile exequi poteſt opus præſcriptum; à fortiori id poterit Epiſcopus in legatis piis pro ſalute animarum, cum ex eorum pietate ſubiiciantur poteſtati Eccleſiæ.

6 Dices, Tridentinũ *ſeſſ. 22. cap.* 6. prædictis obſtare videtur ibi nãq; ſic ſcribitur:

*In*

*In commutationibus ultimarum uoluntatum Episcopi tamquam delegati Sedis Apostolicæ summariè, & extrajudicialiter cognoscant.* Ergò in his non procedunt ex officio, & jure proprio. Et hujus opinionis plures citat Barbosa *allegat.* 83. *n.* 2. ubi ex Marta *de jurisd. par* 2. *cap.* 10. *num.* 35. quòd Episcopus non potest mutare usum eleemosynarum de una in aliam rem, seu personam.

Non obstat obiectio, quia Pontifex delegando non abstulit Episcopis potestatem ordinariam commutandi ultimas uoluntates, circa quas procedere potest altero ex dictis modis, potest enim quis procedere in causis duplici potestate, si
7 eam habet, *Navar. tom.* 2. *q.* 3. *de Reddit. Eccles. Monit.* 7. *num.* 3. Et quòd potestas delegata à Pontifice Episcopo non auferat ordinariam, quam antea habebat, nec arguat ea carere habetur *cap. Per hoc* 17. *de hæret. in* 6. ubi de duplici potestate ordinaria, & delegata in causis Fidei.

8 Sub nomine Episcopi in commutationibus legatorum veniunt omnes alii Prelati habentes territorium, & locum nullius, si quidem cum isti habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, venientes sub
9 nomine Episcopi, ex adductis à *Barb. V. Episcopi num* 18. nihil prohibet, quin possint commutate legata suorum subditorum, quando non potest adimpleri voluntas determinata testatoris. De qua re *Barb. ad cap.* 6. *ejusdem sess. num.* 10. *citat Monetam.*

10 Capitulum Sede vacante Episcopali potest commutare legata in omnibus casibus, in quibus de jure communi potest Episcopus, ut docet *M. Anton. Cucbus lib.* 2. *instit. Moralit. tit.* 9. *num* 82. *Moneta de ultim. volunt. cap.* 5. *n.* 427. *ex illis Barb. allegat.* 83. *num.* 16. *vers. capitulum.* Quia succedit in omnia jura Episcopis concessa de jure communi.

11 Cardinales quoq; in suis Titulis possũt legata commutare, quia in illis habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ergò si possunt Episcopi, etiam illi. Ità Moneta *cit. cap.* 5 *n* 452. *ex illo Barb. allegat.* 83. *num.* 16. *vers. Capitulum.*

12 Superiores demùm Regulares majores scilicet Provinciales, & Generales, ac Abbates locales ex officio suo possunt commutare legata eorum Monasteriis relicta. Probatur, quia, & ipsi dicuntur habere peteſtatem quasi Episcopalem, & & Episcopis comparantur, *Glos. V. Regularis cap ne pro defectu.* 41. *de elect. Rodriq q.* 17 *art.* 17. *& q.* 20 *art.* 10 *Portellus V. Prælatus, initio, ubi citat D. Thomam* 2. 2. *q.* 23. *art.* 7 *ad* 5. *& cap. Episcopus, § si ergò* 11. *q.* 3. Ergò per eã possunt, quicquid potest Episcopus erga suos subditos; sed Episcopus potest commutare legata suorum subditorum, ergò & Prælatus regularis erga suos. Confirmatur id, quia apud laicos adest hæc potestas commutãdi legata, posito casu necessitatis *ex citatis leg. Legatum* 16. *ff. de usufr. & l. fin. ff. de operib. publicis*, ergò non est deneganda Superioribus regularibus, sed eò magis asserenda est in eis, cùm ampliorem potestatem debeant habere, ubi tractatur de salute animæ, & executione mentis testatoris. Ità *Capucin. in compend. privileg. V. legata citans Bartolum in Minor. lib.* 2. *dist.* 2. *cap* 3. *fol mihi* 193. *ejusdem Sorbi vers. & idem dicendum esse, & vers. sed dices.* Olim Sixtus IV. & Leo X. vivæ vocis oraculo concesserunt Prælatis regularibus hujusmodi legatorum commutationem, modo fiat absq; scandalo hæredum. Quæ modo non sunt attendenda, cum vivæ vocis oracula jam fuerint revocata. Neque ex illorum concessione arguitur, Prælatos regulares antea non potuisse ex officio commutare legata ab uno usu ad alium. Quia habenti jam facultatem, & potestatem agendi de jure, & ex officio non prohibetur Princeps à concessione privilegiorum, cũ proprium illius sit facere gratias, & privilegia concedere. Papa enim quandoq; concedit specialiter, quod jure communi competit *Glos. V. ante sententiam cap. ut debitus bonor* 59. *de appellat.*

13 Abbates non solùm sæculares, seu alii habentes plenam jurisdictionem in populum possunt commutare legata, ut dixi supra sub *num.* 9. ut colligitur *ex cap. cum, & plantare §.* 1. *& cap. quoniam de privileg. & cap Abbas eod in* 6 *docent Moneta de commutat ultim. volunt cap.* 5. *num.* 568. *& seq.* quod ampliat etiam quoad reductionem missarum, de qua re infrà suo loco, *referente Petro Bellasio Florentino Ordinis Fesulani in suo Promptuario Regulari V. Abbas num.* 31. sed etiam Regulares
14 locales ex officio possunt commutare legata suis Monasteriis, aut Ecclesiis facta, quando non possunt exequi ad eum usum ad quem ille testator destinaverat, habent enim & ipsi, licèt sint locales, jurisdictionem quasi Episcopalem, *Glos. in Clem.* 1. *de reb. Eccles. non alien. Innoc. in cap.* 1. *de cler. Peregr. Aretius cons.* 63. *ex illis Tambur. tom.* 1. *de jure Abbat. disp.* 1. *q.* 5.

Quæres 2. An ad commutationem legatorum requiratur justa causa, & quænam ea sit?

R. Ad commutationem legati validè
15 faciendam necessaria est justa causa in Episcopo, & aliis volentibus commutare; non verò in Pontifice Romano. Justa autem causa fundatur, & specificatur ab impossibilitate Physica, aut morali, qua non ità facile potest adimpleri mens testatoris juxtà usum ab eo destinatum.

16 Prima pars, quòd cõmutatio legati facta sine justa causa sit nulla, probatur, quia cum id non fiat potestate dominativa, sed

ſpirituali juriſdictione, conceſſa ſub hac forma juſtę cauſę, ea non ſubſiſtente attẽtata commutatio ſuum non ſortitur effectum, cum deficiat forma in agendo. Ed id patet etiam ex Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 6. quæ non niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa conceſſæ fieri debent*. Ea enim particula:
17 *Non niſi*, dat certam formam, *Mar. Anton. lib. 1. reſol. 94. n. 2. ex Menoch. remed. 4. Adipiſc. poſſeſſ. num. 710.* ac proinde ea non ſervata, pro infecta habetur commutatio.

18 Pars ſecunda, quòd in Pontifice Romano non ſit neceſſaria iſta cauſa quoad valorem commutationis, probatur *ex Clem. quia contingit, de relig. domib.* ubi Papa mãdat Rectoribus Hoſpitalium, ut bona eis relicta per teſtatores, recuperent pro infirmorum, & leproſorum alimentis ab uſurpatoribus, qui ea in uſus proprios dãnabiliter converterãt, ſubdẽdo hęc verba: *cũ tamẽ ea verba, quę ad certũ uſũ largitione ſũt deſtinata fideliũ, ad illũ debeant, non ad aliũ, ſalva quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate converti*. Ex quibus infertur, quod diximus, nimirùm, Pontificem legata teſtatorum convertere poſſe in alium uſum, etiam ſine cauſa ſicut fecerant præfati ſed injuſtè uſurpatores bonorũ Hoſpitalium. Quibus Papa potuiſſet gratiam facere ſuper dictis bonis.

Confirmatur, quia Pontifex abſolutũ habet dominium ſuper bonis teſtatorum relictorum Eccleſiis, & piis locis, cum in his quoque poſſit etiam contra voluntatẽ teſtatorum diſponere, nemo enim poteſt facere, quò minus leges in ſuo teſtamento locum habeant *l. teſtandi 13. C. de teſtam. cap. relatum 15 de teſtam.* ſi ergò Legislator poteſt reddere ineptã voluntatem teſtatoris, ſeu eam moderari, ità & ab eo relictum ad unum uſum adimplebilem pro ſuo prudenti arbitrio ſine neceſſitate convertere in alium etiã contra voluntatem ipſius, *ex cap. tua nobis 17 de teſtam.* cum ejus poteſtas uti libera & efficax à nulla cauſa dependeat in operando. Et ità videtur ſentire *Rodriq. tom. 1. q. 27.* dum initio art. 5. contra Baldum Angelum, & Salicetum negantes, licere Papæ alterare uſum à fidelibus deſtinatum, reſpondit, id intelligendum eſſe de poteſtate ordinaria, & de legatis nõ piis, ſecus de legatis piis, ſubdendo, & ſic voluntas, & legata teſtatoris circa pias cauſas poſſunt per Papam mutari in aliũ pium uſum, etiam ſine cauſa ſe tenente ex parte rei, non autem ſine cauſa ſe tenente ex parte ipſius Papæ, quia ab eo factũ bona fide, & omnis ratio motiva Principis habetur pro cauſa ſecundũ Baldum apud ipſum. Ità tenet *Vericell. tract. 1. q. Moral. q. 17. initio.*
19

Tertia pars, quòd Superiores ex juſta cauſa commutare poſſint, probatur ex
20 verbis Tridentini: *Ex juſta, & neceſſaria cauſa*, omnis autem cauſa nẽceſſaria eſt etiam juſta, & omnis cauſa juſta eſt etiã neceſſaria in eo ſpecificata, & juſtificata, quòd Superior poteſt legatum à teſtatore ad unum uſum deſtinatum commutare in aliũ, quandocumque non poteſt Phyſicè, aut moraliter adimpleri, impoſſibilitas ergò exequendi mentem teſtatoris eſt cauſa juſta, & neceſſaria commutandi uſum legati, ſive ſit impoſſibilitas phyſica ſeu moralis, ſive juriſi ſive facti. Et pro intelligentia horum.

21 Notandũ eſt, illud eſſe Phyſicè impoſſibile, quod nullo modo fieri poteſt, ut fabricare Eccleſiam in aere. Moraliter verò impoſſibile dicitur illud, quod licèt potẽtia phyſica fieri poſſit, moraliter tamen quandoq; fieri non poteſt, & hoc dicitur multis modis.

22 Primò illud dicitur impoſſibile ex cujus factione leditur fama, honor, & exiſtimatio alterius, *l. Filius 15. ff. de condit. inſtit. l. Nepos Proculi 125. de verb ſig.* ibi: *cum ſalva dignitate mea potero Megal. conſ. 33. num. 7.*

23 Secundò, illud dicitur impoſſibile fieri, quod eſt contra bonos mores *Gloſ. V. habere non poteſt cap. faciat homo 3. 22. q. 2.* Et quod non eſt honeſtum dicitur impoſſibile, *Gloſ. V. 1. cap. Caſſinenſis 15. diſt. 61.* ubi & quod juſte fieri non poteſt dicitur impoſſibile, *cap. Sanè 3. 24. q. 2.*

24 Tertiò, illud dicitur impoſſibile, quod pendet à voluntate Principis *l. idem Julianus §. conſtat ff. de legat. 1. Barboſ. Axiom 118. num. 2.* intellige ex citatis ab eo, quãdo non ſolet concedere *Sanch lib. 5 diſp. 5. num. 4. Genuenſ. cap. 44. num. 3. & cap. 88. num. 4. in Praxi Neapol.*

Quartò illud cenſetur impoſſibile,
25 quod non poteſt fieri per remedium ordinarium, ſed per extraordinarium tantùm, *Innoc. in cap. Paſtoralis, de cauſa poſſeſſ. num. 1. cum aliis Sanch. lib. 5. diſp. 5. num. 4. verſ. & confirmatur.* Procedit, ut præcedens quando concedi non ſolet, *ex eodem Sanch. cit. verſ. ad argumenta*

26 Quintò, illud dicitur impoſſibile, quod pietatem lædit, *Megalus 1. 2. lib. 2. cap. 11. num. 42.* juxtà dicta primo, & ſecundo modis.

27 Sextò, illud dicitur factu impoſſibile, quod à lege prohibetur fieri *l. Conditiones ff. de condit. inſtit. cap. Faciat homo 15. 22. q. 2. Gloſ. in Reg. 78. in 6.*

28 Septimò illud dicitur impoſſibile, quod factu eſt valde difficile, & magnum incommodum præſefert, *l. idem Julianus 41. §. Conſtat. ff. de legat. 1. l. fin ff. de operis publicis* ibi: *Et non facile ad reficiẽdum peccunia inveniatur*, legatum in aliud convertitur, ut ibi dicitur, quia pro impoſſibili habetur. Quod ergò eſt valde difficile factu eſt impoſſibile, *Sanchez lib. 6. cap. 2. num. 13.* Unde impoſſibilium

bilium, & valdè difficilium idem eſt judicium, *Barboſa Vas V Impoſſibile num.* 15. & æquiparantur impoſſibile, & valdè difficile, *Graff. tom.* 1. *conſil* 5. *de celebr. miſſar. num fin.* Et impoſſibile dicitur, quod commodè fieri non poteſt, *Gloſ. V. Impoſſibile cap Caſſinenſis* 17 *diſt.* 16. *Silv. & Tabiena V. eodem* diſtinguunt triplex impoſſibile, nempè incommodum, injuſtum, & inhoneſtum.

29

30 Octavò, impoſſibile dicitur, quod impeditur jure, vel homine fieri, præceptũ igitur juris, vel contradictio hominis aliquid faciendum reddunt impoſſibile, quibus ſublatis impedimentis fit, quod fieri

31 non poterat, *Gloſ. V. Tranſire cap. fin.* 33. *q.* 2. Unde duobus impedimentis concurrentibus uno contrariante alteri, minùs dicitur impoſſibile impeditum ab urgentiori, e. g. ſervitus infirmi præfertur miſſę auditioni, quæ cenſetur impoſſibilis impedita à ſervitute facienda infirmo, nam

32 obligatio major tollit minorem, *arg. cap.* 1. *de ſponſa duorum, Beja par.* 4 *caſu* 23 *initio.*

Demum omnia jura clamant, impoſ-

33 ſibilium nullã eſſe obligationem, *l. Si quis* 3 *ff. adſen Syllanum, l.* 145. *ff. de regul. jur. & reg.* 6 *in* 6. Procedit ſivè impoſſibile ſit

34 à natura, ſivè à jure, ſivè ab homine, ut Doctores explicant præfatas regulas.

35 Poſitis ergo prædictis modis, & eorum ſingulis, Superior dicitur habere juſtam cauſam convertendi legatum ab uſu impoſſibili deſtinato à teſtatore ad alium poſſibilem, quod magis patebit infra afferendo varias cauſas, per quas commutari poſſunt legata facta impoſſibilia, ut adimpleantur juxtà uſum à teſtatore expreſſum in ſuo teſtamento.

Quæres 3. Quænam ſint cauſæ in ſpecie quibus licet commutare unum legati uſum in alium? R. ſunt ſequentes.

36 Prima eſt inſufficientia pæ. uniæ deſignatæ. Ità *Bertach lib.* 4. *de Epiſcopo par.* 4 *num* 71 *cum aliis. Barboſ Alleg* 83. *num.* 7. *& ad cap* 6. *ſeſſ.* 22. *num.* 3. Colligitur etiam *ex l. fin. ff. de operis public. citata impoſſib.* 7

37 Secunda impoſſibilitas adimplendi legatum ad uſum deſtinatum. Ità *Guidopapa deciſ.* 556 *Moneta de Commut. ultim. vol. cap.* 5. *num* 322. *Perez. de Lara lib.* 1. *de Anniverſ & Capell cap.* 14. *num.* 27. *Barb.*

38 *Alleg.* 83. *num.* 8. *& ad ſeſſ* 22 *cap.* 6. *num.* 4. Tertia impoſſibilitas ædificandi Monaſterium, ſeù Eccleſiam, aut Altare in loco à teſtatore deſignato, poteſt Epiſcopus alium locum deſignare. Ità *Rodriq. tom.* 2. *q.* 125. *art.* 10 *cum aliis Barb ad cap.* 6. *num* 5. *& ea allegat. num.* 10. *& num.* 11. de Monaſterio in campeſtri loco fabricando in alio loco utiliori fidelibus, & Monachis, quia locus minùs utilis cenſetur impoſſibilis impeditus ab utiliori, ergo eorum quæ dixi 7. & 8. Impoſſib. Vide Vericellum *tract.* 1. *quæſt. moralium q.* 18. *initio.*

39 Quarta, ſi relictum non ſit ità neceſſarium, ſicut uſus illius pro Eccleſiæ reparatione, tunc converti poteſt in uſum magis neceſſarium, præcipuè quando annuatim ſolvitur, pro una vice commutari poteſt, etiam ſi ſit miſſarum. Ita *Genuenſ. in praxi cap* 19 *& in Practic. Eccleſ. q.* 213. *cum aliis Barboſ. ad Trident. num* 6 *& Allegat* 85 *num.* 14. *& ſeq. Diana par* 2. *tract* 3 *reſol.* 26.

40 Quinta, poteſt Epiſcopus ob negligentiam exequendi voluntatem defuncti legatum transferre de loco ad locum, ubi ſatisfiet. Ità *Lapus Allegat.* 87. *num* 4. *Moneta cit. cap.* 5. *num.* 335 *ex illis Barboſ. in Trid. num.* 8. *& Alleg* 83. *num.* 16 Ea enim negligentia eſt ſufficiens cauſa transferendi obligationem, cum ea negligentia faciat de facto impoſſibilem executionem legati.

Quæres 4. An Superior commutaturus legatum debeat illud ſemper convertere in melius, vel ſaltem in æquale.

41 R. Non ſolùm poteſt illud commutare in æquale, ſeù in melius, ſed etiam in minus, data juſta cauſa. Ratio eſt, quia juſta cauſa ſufficit, cum adimpleri non poteſt juxtà uſum deſignatum à teſtatore, ne hujus mens pia pereat, ut quandoq; poſſet perire, ſi non converteretur in minus. g. legavit Calicem argenteum, ſed in bonis teſtatoris non invenitur ſufficiens peculium pro eo calice, tunc Epiſcopus rationaliter commutat in minus nempe in Calicem ex materia aurica lchi. Peulium relictum pro fabricanda Eccleſia inſufficiens convertitu in Oratorium, ſeù Capellam. Legatum relictum pro paupere puella in ordine ad matrimonium Spirituale convertitur ex cauſa in matrimonium carnale, non enim puellis expedit matrimonium ſpirituale.

Qui verò ſuſtinẽt Epiſcopum non poſſe facere commutationes legatorum, ſimpliciter id negant ſivè commutatio referatur ad minus bonum, ſivè ad majus, qui multi ſunt apud *Barboſ allegat.* 83. *num.* 2. Quod eſſe falſum ſuprà oſtendimus. Alii tenent, poſſe Epiſcopum commutare legata ſolùm in æquale, & in melius, *Silv. V. Legatum* 4 *q* 12. *Beja par* 4. *caſu* 22. *cum aliis ibidem citatis, & Diana par.* 1. *tract* 7. *reſol* 26. Suſtinenda ergo eſt reſponſio ad quæſtionẽ, poſſe Epiſcopum commutare legatum in minus, non tantùm in æquale, & majus, data juſta cauſa, quæ cum fundetur ut plurimùm in impoſſibilitate exequendi mentem teſtatoris, arguere poteſt juſtam eſſe mutationem in minus, aliter ſæpè periret pia mens teſtatoris.

Quæres 5. An Superior in commutatione legatorum debeat requirere conſenſum.

42 R. Superior debet requirere conſenſũ hære-

hæredis, seù executoris testamentarii, & Rectoris Ecclesiæ, ad quam legatum pertinet, quòd si hæres, aut Rector nolint præstare consensum, Superior nihilominùs procedet ad commutationem in casu quo legatum non potest adimpleri in forma specificata à testatore. Id autem procedit, quando peculium, expendendum ad formam commutationis est apud hæredem, seù Rectorem, & non aliter.

Prima de consensu requirendo probatur *ex cap. nos quidem 3. de testam.* ibi: *Tecum implere neglexerit, tunc per te ædificetur* nota duo hìc, *Primum* Monasterium fuisse ædificandum alio in loco, si non poterat in determinato à testatore, vocandus erat hæres, quia debebat ipse ponere pecuniam; *Secundum*, quòd Episcopus poterat procedere in fabricatione Monasterii; negligente, vel renuente hærede, sufficit ergo petere consensum, non enim requiritur in Episcopo obtentio consensus, ut patet ex textu, & ratio quoque est quia potestas commutandi legata uti spiritualis, & competens illi ex officio non dependet à laicis, nec ab aliis. De consensu requirendo ità *Canonistæ ibi, Barb. allegat. 83. num. 6. de Lugo disp. 24. num. 306. ex illis Vericell. quæstion. Moral. tract. 1. q. 17. num. 4.*

Secunda, quòd non sit requirendus hæredis consensus, quando per ipsum non est pecunia expendenda, ut cum rem legatam jam designavit Ecclesiæ, probatur, *ex cit. cap nos quidem*, ideo enim requisitus ille fuit, quia ex pecuniis hæreditatis debebat fabricare Monasterium, ergo qui satisfecit suæ obligationi, cum jam functus sit officio suo, nullum potest habere interesse in commutatione legati, quo sit requirendus.

Quæres 6. An Episcopus possit commutare legata spectantia ad suam mensam, vel ad Capitulum, seù Ecclesiam Cathedralem.

43 R. Affirmativè, quando ea non potest adimplere in specie relicta à testatoribus, nam adest causa impossibilitatis. *Moneta cap. 5. num. 378. & ex eo Barb. allegat. 83. n. 16. vers. pro complemento.*

Respondent alii negativè ex cap. possessiones 10. de reb. Eccles. non alien. Ubi Episcopus non potest alienare possessiones, quæ sunt de mensa Episcopali, vel capituli. Sed meo judicio is textus non facit ad rem, cum aliud sit alienare possessiones, aliud commutare legata.

Quæres 7 An Episcopus possit commutare ultimas voluntates relictas Ecclesiis aliorum Prælatorum inferiorum?

44 R. Non posse, ipso recusante, nisi in casu negligentiæ. Ità *Quar. de auctor. Archiep. num. 21. Rota par. 2. Divers. dec. 159. num. 1 Moneta cap 5. num. 382. Barb. allegat. 83. num. 16. vers. Episcopus.* In hoc enim potissimus est delegatus Sedis Apostolicæ, *ex sess. 2. cap. 6.*

Quæres 8. An commutari possit legatum missarum in dotem puellarum?

45 R. Negativè, quia esto propter exiguitatem stipendii non possint celebrari tot missæ, quot petit testator, non ideò converti debent missæ in dotes puellarum, quia causa justa hìc non reperitur fundata in impossibile, cum possint missæ de majori numero commutari in minorem; præterquamquòd ea conversio esset præjudicialis testatori, cujus animæ non amplius posset suffragium præstari celebratione missarum.

---

## CAPUT DECIMUMQUINTUM.

### *De Reductione Missarum.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Reductio est diminutio missarum ex justa causa secundùm earum numerum facta à Superiore.*
2 *Exiguitas reddituum est causa diminuendi numerum missarum.*
3 *Dispensatio omnis facta ab inferiore sine causa est invalida.*
4 *Causæ reductionis duæ assignantur, magnus missarum numerus, & exiguitas eleemosynarum.*
5 *Episcopus jure antiquo, & Tridentini reducit missas.*
6 *Episcopus confirmatus, & in possessione existens, & non ante reducere potest missas suæ diœcesis, juxtà quod dico num. 20. 21. 22.*
7 *Electio ei non dat jurisdictionem, sed confirmatio.*
8 *Potestate jurisdictionis reducit missas.*
9 *Episcopi quatuor sunt, electio, confirmatio, possessio, & consecratio.*
10 *Cardinalium potestas in reducendis missis.*
11 *Capitulum, sede vacante reducit missas.*
12 *Abbas pariter nullius.*
13 *Abbas Regularis localis.*
14 *Abbas item Generalis.*
15 *Provinciales Ordinum.*
16 *Generales Ordinum reducunt missas, juxtà quod dico num. 20. 21. 22.*
17 *Tridentinum cap. 4 sess. 25 non derogavit Juri communi reducendi missas, nec quoad Episcopos, nec quoad alios supradictos.*
18 *Concilium Tridentinum promulgatum 24. Januarii cœpit obligare à Kalendis Maii 1564.*
19 *Extenditur caput Tridentinii de reductione missarum.*
20 *Reductio fit in synodo, & Capitulo, non extrà.*
21 *Tantùm de missis impositis ante Tridentinum.*

22 Per

22 *Per legata simplicia, non ex conventione, nec limine*
23 *Informatio datur super præteritis, non futuris, quæ ignorantur.*
24 *Concilium, quod loquatur de missis etiam impositis post Concilium est opinio probabilis.*
25 *Causa finalis non extendit legem, ubi variis nascuntur effectus.*
26 *Prohibitio probibitioni additur.*
27 *Tridentinum non loquitur de legatis conventionalibus.*
28 *Neque de impositis in limine fundationis contrà aliquos.*
29 *Hodie reducuntur missæ ex legatis tantùm simplicibus, solùm tamen impositis ante Kalendas Maii 1564.*
30 *Jus commune de missis reducendis sublatum sicut Tridentinum.*
31 *Prohibitum una via, alia non permittitur. Prohibitum directè, indirectè non permittitur. Prohibitum non licèt omninò facere.*
32 *Anniversarium cum missa est reducibile, ut suprà.*
33 *Anniversarium est missa cantata cum officio, vel sine illo.*
34 *Anniversarium sine missa quoquis tempore est reducibile*
35 *Missæ in aliud opus bonum converti non possunt.*
35 *Anniversarium converti potest in missam etiam Conventualem.*
37 *Missa perpetua non potest reduci in temporalem.*
38 *Accessorium sequitur principale in favorabilibus non in odiosis*
39 *Loci distantia dat causam commutationi legatorum.*
40 *Solemnitas cantus in limine posita non mutatur.*
41 *Missa quotidiana carens applicatione est reducibilis.*
42 *Quid priùs reducendum? missa, an alia legata?*
43 *Eleemosynarum reductio potest fieri quovis tempore.*
44 *Episcopus quis dicatur in Tridentino de reductione missarum.*
45 *Abbatis nomine venit qui potest congregare synodum, non localis regularis carens populo sæculari.*
46 *Tempus Capituli, & synodi est de forma validæ reductionis.*
47 *Tempus assignatum ad agendum est de forma, & valore actus*
48 *Synodi, & Capituli nomine in reductione veniunt Canonici, & assistentes Superiori.*
49 *Episcopus, & Generalis debent petere consilium in reducendis missis.*
50 *Conscientiæ commissum non est delegabile.*
51 *Consilium petens non tenetur illud sequi, nisi consiliantes sint collegæ illud petentis.*
52 *Reductio ex Tridentino non restringatur ad primum Synodum, vel Capitulum Generale.*
53 *Prohibitio est stricti juris.*
54 *Missæ sunt reducibiles apud quemcumq; fundus frugifer*
55 *Causæ expressæ in Tridentino reducendi missas sunt aut magnus missarum numerus, cui non possit satisfieri, aut exiguitas eleemosynæ.*
56 *Sacristiæ manutentio est occatio minuendi missas, si non habet proprios redditus.*
57 *Expensæ pertinent ad eum, de cujus interesse agitur.*
58 *Expensæ litis, &c. sunt causa reducendi missas*
59 *Paucitas Sacerdotum causa est reducendi missas.*
60 *Causa incidens est reductiva missarum*
61 *Consuetudo non celebrandi non est causa diminuendi missas.*
62 *In missis omissis, & manualibus datur reductio*
63 *Stipendium ubi est justum non datur reductio.*
64 *Sine legitima causa facta nulla est.*
65 *Dispensatio sine causa ab inferiori facta est nulla.*
66 *Intentio est de substantia actus moralis.*
67 *In dubio non est obligatio missarum.*
68 *In dubio nemo obligatur.*
69 *Delegabilis non est reductio missarum ex vi Tridentini.*
70 *Conscientia est testimonium judicans bonas, & malas actiones.*
71 *Jurisdictio ordinaria quandoque non est delegabilis si ex conscientia exercenda est.*
72 *Agens numquam habet rationem formæ, & solemnitatis in actu.*
73 *Solemnitas respicit circumstantias actus.*
74 *Princeps laicus nullo modo potest reducere missas.*
75 *Laicus jurisdictionem Spiritualem exercere non potest*
76 *Episcopus reducit ex privilegio etiam missas Regularium.*
77 *Privilegium factum Episcopo Parmæ reducendi missas*
78 *Sacerdos propria actoritate minuit missas ad rationem stipendi currentis.*
79 *Stipendiis propriis nemo aliis servit.*
80 *In factione testamenti peccatum non præsumitur.*
81 Si prævidisset, providisset.
82 *Voluntas testatoris recipit interpretationem à Charitate.*
83 *Thesaurus Ecclesiæ est spiritualis cumulus compactus ex passionibus Christi, & justorum infiniti valoris.*
84 *In operibus bonis meritum, & satisfactio spectatur.*

85 *Chri-*

85 *Christus solus nobis mervit, & cum aliis satisfecit.*

86 *Reductio missarum fit sine dispensatione Thesauri.*

87 *Thesaurus duobus modis applicatur, per Sacramenta ex passionibus solùm Christi, & per Indulgentias etiam ex passionibus justorum.*

PRecedenti capite actum est de commutatione Legatorum extrà rationem missarum, modò hìc agendum est de reductione missarum, quæ est species commutationis legatorum.

In primis autem quærendum est, quid sit reductio missarum? Sub quo nomine veniunt etiam Anniversaria, quæ sine missis non fiunt.

1 R. Est diminutio missarum, ex justa causa, secundùm numerum facta à Superiore.

Dixi primò, quòd est *diminutio missarũ*, quia non restringitur legatum, seù fructus, qui non habentur ex legato, sed ipsarum missarum numerus cum relatione ad ipsos fructus jam diminutos, undè facta missarum restrictione ad minorem numerum, non indè inferendum est, esse diminutum salarium dandum celebranti, ut in facti contingentia firmavit *Janvar. par. 1. resol. Moral. 42. numer. 11.* Gratia enim reductionis facta à Superiore non intelligitur circa pretium, quia non intendit præjudicare Sacerdoti, imò nec hæredi, qui non tenetur solvere nisi illud salarium quod reliquit testator, aut lege, & consvetudine inductum fuit. Reducitur ergo numerus missarum, non salarium debitum, imò exiguitas reddituum, & fructuum est causa, ob quam

2 fit missarum reductio à majori numero ad minorem.

3 Dixi 2. *ex causa justa*, nemo enim, præter Papam, ut dixi *cap. præced. num. 16.* sine justa causa potest commutare ultimas testatorum voluntates, etiam quoad reductionem missarum, cum enim reductio hujusmodi sit quędam species dispensationis, in favorem legatarii, necesse est, ut fiat ex justa causa, aliter dispensans pręter peccatum invalidè ageret inferior, ut omnes docent, requirentes in dispensante justam causam, *cum Sayro in Clavi lib. 3. cap. 10 num. 5. & 6. Navar. Prælud. 9. num. 15. Suarez lib. 6. de legib. cap. 10. Castropal. par. 1. de dispens. p. 8. §. 2. num. 2.* In præsenti autem materia, justa causa maximè est necessaria, cum agatur de alteranda mente testatoris in grave præjudicium animæ illius, cum jura clament, ultimas hominum voluntates omnibus modis esse servandas 4. 13. *q. 2. cap. tua nobis, de testam* & pro lege habenda est, *Auth. de nupt. §. disponat.*

4 Causa autem justa reducendi missas est impossibilitas moralis, juxtà dicta præced. capite, & à Tridentino *sess. 25. cap. 4.* duplex assignatur. *Prima*, si numerus missarum sit ità magnus, ut ei non possit satisfieri. *Secunda*, si fructus ità exigui sint, ut nullus velit satisfacere ex parva eleemosyna, & aliæ similes. His ergo positis Superior missas reducendo, quodammodo declarat mentem testatoris fuisse, ne hæredes, nec Capellanus gravarentur, quia præsumitur de jure noluisse, ut hæres nec Capellanus gratis seù injusto stipendio pro ipso celebrarent, sed juxtà stipendium congruum pro tempore currens neq; enim potest testator Sacerdotem obligare, ut suis stipendiis militet, juxtà illud D. Pauli 1. *Corintb. q. 7.* nec famulus, nec familiaris gratis servit, sed justo stipendio ejus, cui inservit, ergo testator ex his intendit diminutionem missarum ad congruitatem stipendii.

Dixi 3. *reductio facta à Superiore* potestate scilicet sibi facta à jure communi, tam verteri, quam novo, ut mox patebit & juxtà inferiùs dicenda.

Quæres 2. An Episcopus jure communi antiquo possit reducere missas ad minorem numerum: Vide *q. 5.*

5 R. Affirmativè, ut colligitur *ex cap. cum accessissent 8 & cap. ex par. 12 de constit.* In priori namq; capite narratur, quod capitulum suppressit Primiceriatum, & in posteriori Præbendam quib. stantibus, secuta fuit quoque diminutio missarum, quarum onus erat annexum dictis Beneficiis, ac proindè ex necessitate arguitur in Episcopo potestas minuendi numerum missarum sicut diminuuntur Præbendæ ex diminutione reddituum. Confirmatur, quia Episcopus ex officio suo, quo habet regere Ecclesiam suam, legitima subsistẽte causa, sicut potest commutare legata alia ab uno usu in alium, juxtà dicta cap. cap præced. ita & missas reducere. Et hãc sententiã tenet *Navar. cap. 25 num. 138.* posse Episcopum etiam extra synodum reducere missas quem sequuntur *Rodriq. in summa cap. 251. fine, Miranda tom. 1. q. 41. art. fin. fine, Sorbus V. missa §. ubi primò. Antonellus de regim. Eccles. Episc. lib. 1 cap. 14. Pasqual. de sacr. missæ q. 1162. Diana p. 1. resol. 4. de celebr. miss.* sequitur noviſſimè Fagnanus ad dictum *cap. 12. num. 23.* Vide tamen infra *q. 5.*

Quæres 3. An Episcopus statim ac est electus possit reducere missas ejus Ecclesiæ, cui fuit præfectus.

6 R. Negativè, sed solùm post confirmationem, & adeptam suæ Ecclesiæ possessionem, quia per confirmationem, & non per electionem acquirit jurisdictionem, *cap. Nos si 9 cap. transmissam*

7 *15. de elect. cap. inter corporalia de translat. Prælat. cum aliis Barb. de offic. Episc. par. 1. tit. 1. cap. 4. numer. 9.* Per quam

8 quam poteſt miſſas reducere, is enim eſt actus juriſdictionis. Unde ſciendum eſt, quòd in Epiſcopo quatuor ſpectantur,
6 Electio, Confirmatio, Poſſeſſio, & Conſecratio, ratione primi acquirit jus ad rẽ, hoc eſt, ad ſuam Cathedralem, per Confirmationem verò jus in re, & poteſtatem juriſdictionis, quam tamen exercere non poteſt, niſi immiſſus ſit in Poſſeſſionem ſuæ Eccleſiæ; juriſdictio enim exercetur in ſubditos, qui acquiruntur per poſſeſſionem Eccleſiæ, demùm per Conſecrationem conſequitur poteſtatẽ Ordinis, per quam exercere poteſt ea, quę ſunt Ordinis, ut conſecrare Eccleſias, conferre Ordines &c. *cap. tranſmiſſam* 15 *de elect. Barb. cit. cap.* 5. *per totum.*

Quæres 4. An poteſtas reducendi miſſas jure communi competens Epiſcopis conveniat etiã aliis habẽtibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem reſpectu ſuarum Eccleſiarum? Vide *q.* 5.

R. Competit in primis Cardinalibus etiam non Epiſcopis; Capitulo ſede vacante; Abbatibus ſæcularibus nullius; Abbatibus Regularibus localibus, & eorum Præfectis Generalibus; demum Provincialibus, & Generalibus Ordinũ, iure communi.

10 *Primum* de Cardinalibus probatur, quia in ſuis titulis tantam habent poteſtatem, quantam Epiſcopi in ſuis diœceſibus, *ex cap. hi qui, de major. ubi Canon. cum Fagnano num.* 15 Confirmatur, quia poſſunt derogare fideicommiſſis pertinentibus ad ſuas Eccleſias, *ex Moneta de commut. ultim. uol. cap.* 9. *concl.* 22. *num.* 634. & commutare ultimas voluntates, ſicut poſſunt Epiſcopi, *ibidem num.* 452. *referente noſtro Cotonio lib.* 3. *controv.* 8. *cap.* 3. *num.* 55. ergò & reducere miſſas, quod eſt minus, quàm mentem teſtatoris tollere.

11 *Secundum* de Capitùlo probatur, quia omnis poteſtas ordinaria, quæ erat in Epiſcopo, dum viveret, tranſit in Capitulum poſt illius mortem, & quoad ſpiritualia, & quoad temporalia, ut juribus citatis docet *Diana par* 8. *reſol.* 1. *ubi reſol.* 34. ait, poſſe commutare ultimas teſtatorum voluntates, ſicut poterat Epiſcopus jure communi ordinario, ergò & reducere miſſas, quæ eſt ſpecies commutationis.

12 *Tertiũ* de Abbatibus ſæcularibus nullius, probatur, quia iſti habent poteſtatem juriſdictionis quaſi Epiſcopalem, qualem habent Epiſcopi, *Gloſ. V. Diœceſanis Clem* 1. *de foro compt. in* 6. *Serapbin. dec.* 1386 *fine. Ciarlin. cap.* 67 dicit Archipreſbiterum Carpi, cum habeat jura Epiſcopalia, poſſe cognoſcere cauſas criminales, & matrimoniales Abbas pariter habens jura quaſi Epiſcopalia venit ſub nomine Epiſcopi, *ex eodem Ciarlino cap.* 220. *num.* 68. & Diœceſani, *ibidem num* 72. ubi multa alia dicit de his Prelatis nullius, & exemptis cũ ſuis territoriis ab Epiſcopis, ſcitu digna. Ergò Abbas, & quivis alius quovis nomine appelletur habẽs jura quaſi Epiſcopalia cũ ſuo territori o poteſt miſſas reducere de jure communi.

13 *Quartũ* de Abbate regulari locali probatur, quia is habet juriſdictionẽ quaſi Epiſcopalẽ in ſua Eccleſia, ut dicitur *in cap. Abbates* 3. *de privileg. in* 6. *Tambur. tõ.* 1. *de jure Abbat. diſp.* 1. *q.* 4. & 15. Facit *cap nullã* 9. 18. *q.* 2. ubi dicitur totã poteſtatẽ Monaſterii pertinere ad Abbatẽ, ergò & hæc reducendi miſſas ſuę Eccleſiæ.

14 *Quintum* de eorum Præfectis; ſeu Abbatibus Generalibus probatur, quia iſti uti ſupremi Superiores in Ordine ſuo nõ minoris ſunt poteſtatis, imò majoris ex eorum ſuperioritate, quæ id expoſtulat in illis, quæ enim, ſecundùm Philoſophum, ſunt diſperſa in inferioribus, potiori, & perfectiori ratione intelliguntur unita in Superioribus, ne dicantur illis imperfectiores

15 *Sextum* de Provincialibus, reſpectu Eccleſiarum ſuæ Provinciæ probatur, quia iſti habent, & ipſi jura quaſi Epiſcopalia *Rodriq tom.* 1. *q.* 12. *art.* 5. *q* 17. *art.* 6. *q.* 20 *art.* 10. *Portell. V. Prælati juriſdictio; Lezana tom.* 2. *cap.* 13 *num* 26. *Miranda tom.* 1. *q.* 14. *art* 2. *Peyrin. de Prælato q.* 1. *cap* 4 *num* 3 *fine*, unde Epiſcopatus, & Prælaturæ regulares æquiparantur, *Gloſ. V. Regularis*, *cap. ne pro defectu* 41. *de elect.* Unde Prælati majores ut Provincialis, & Generalis, æquiparantur Epiſcopis, *Gloſ. V. Proprii*, *Clem.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien.* apud præcitatos, ergò poſſunt eadem poteſtate reducere miſſas in ſuis Eccleſiis, ſicut valent Epiſcopi in ſuis.

16 *Septimũ* de Generali probatur, quia nõ eſt minoris poteſtatis ſuorum Provincialium, imò majoris, unde *Rodriq. cit. tom.* 1. *q.* 12. *art.* 5. Generalem aſſimilat in juriſdictione Patriarchis, & Primatibus, Provinciales Archiepiſcopis, & Cuſtodes Epiſcopis, ergò poteſt miſſas reducere in ſuo ordine.

Quæres 5. An per decretum Tridentini *cap.* 4. *de reform ſeſſ.* 25. de reductione miſſarum, ſublata fuerit poteſtas hujus generis Epiſcopis, & aliis Prælatis de jure communi conceſſa reducendi miſſas? Ratio dubitandi eſt, quia *Navar. cap.* 25. *num.* 138. ait ſolos Epiſcopos, & non alios habere à jure communi poteſtatem reducendi miſſas, unde reſpectu Epiſcoporũ Tridentinum non facit jus nouum, ſed ſolùm reſpectu Abbatum, & aliorum, qui antea nullum jus habebant reducendi miſſas, acquiſitum ſolùm per Tridentinum. Ex quo ſequitur ruere ea, quæ diximus in præcedẽti quæſtione, nimirũ Abbates, & Generales Ordinũ; & alios Superiores majores jure cõmuni antiquo

jam habuiſſe poteſtatem reducendi miſſas, ſed hanc poteſtatem à Concilio accepiſſe, ſubſequenter revocatam per Decreta de celebrat. miſſarum ibi: *Ac primò diſtrictè probibet, ac interdicit, ne Epiſcopi in diæceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla miſſarum celebrandarum aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.*

17 R. Decretum Tridentini nulli Prelato abſtuliſſe poteſtatem reducendi miſſas, quam habebant jure communi, imò eam non ſolùm Epiſcopis, ſed etiam aliis Prælatis confirmaſſe, & ſtabiliſſe exercendã in Synodo reſpectu Epiſcoporum, & in Capitulis Generalibus reſpectu Regularium. Utriuſq; verò eam limitatam fuiſſe exercendã (reſpectu onerum impoſitorum poſt ipſum Concilium, quod publicatum fuit anno 1564. die 24. Januarii à Pio IV. ejus Bulla 73. incip. *Benedictus Deus*, & cæpit obligare à Kalendis Maii eodem anno) per ſupradictum primum Decretum de celebr. miſſar. ità quòd deinceps nihil poſſunt Epiſcopi, & multò minus alii inferiores Prælati circa reductionem onerum receptorum poſt Tridentinum, reſpectu quorum recurrendum eſt ad Sedem Apoſtolicam.

*Primum*, quòd Tridentinũ nulli abſtulerit facultatẽ reducendi miſſas imò eis confirmarit, probatur referendo Decretũ ipſius Tridẽtini *ſeſſi.* 25. *cap.* 4 *de reform.*

19 Contingit ſæpe in quibuſdam Eccleſiis, vel tàm magnum miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri; vel eleemoſynam hujuſmodi pro illis celebrandis adeò tenuem eſſe, ut non facilè inveniatur, qui velit huic ſe muneri ſubiicere; unde depereunt teſtantium voluntates, ac eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur.

Sancta Synodus cupiens, hæc ad pios uſus relicta, quò pleniùs, & utiliùs poteſt impleri, facultatem dat Epiſcopis, ut in Synodo Diæceſana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut in ſuis Capitulis Generalibus, re diligenter perſpecta poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hæc, quicquid magis ad honorem Dei, & cultũ, atq; Eccleſiarum utilitatem uiderint expedire. Ità tamen, ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios uſus reliquerunt.

20 Sacrũ igitur Conciliũ dum dat facultatẽ prędictis, nõ inſinuat illos caruiſſe eadẽ, ſed eandem confirmaſſe exercendã per illos in Synodo, & Capitulo. Quicquid dicat Navar. eſſe jus nouum quoad Prelatos inferiores, antiquum verò confirmatum per Tridentinum quoad Epiſcopos cum aliis allegatis *à Barboſa allegat.* 29. *n.* 15. *Lezana V. miſſa n.* 30. aſſeretibus poſſe Epiſcopum extrà Synodum miſſas reducere, quod tamen eſt expreſſè contra Tridẽtinum præſcribens, reductionem miſſarũ eſſe faciendam in Synodo, quoad hoc enim moderatum fuit jus antiquum, quo Epiſcopi tenebantur adhibere conſensũ Capituli *ex cit. cap. hìc ſub q.* 2. unde loco Capituli ſucceſſit Synodus, & docet *Bonac. de Sacram. diſp.* 4 *q. fin. p.* 7. *§.* 2. *num.* 9. non poſſe Epiſcopum abſq; conſenſu Synodi reducere miſſas, quem plures ſequuntur, *apud Dianam par.* 1. *tract.* 14. *reſol.* 3.

21 *Secundum*, quòd modò reducere non poſſint onera miſſarum niſi quæ fuerant relicta ante promulgationem *Tridentini*, clarè patet ex prædictis verbis, unde alia non eget probatione. Unde omnibus abrogata fuit facultas reducendi miſſas poſt Concilium receptas, pro qua re eſt recurrendum deinceps ad Sacram Congregationem, ut expreſſè dicitur in eiſdem Decretis de celeb. miſſarum.

Quæres 6. Quænam onera miſſarum ex Tridentino ſint reducibilia? Legata miſſarum ſpectari poſſunt, vel ratione temporis, ratione cujus alia ſunt perpetua, alia ad certum tempus. Alia item impoſita ante Tridentini promulgationem, quę fuit facta anno 1564. ut dixi ſupra in præcedẽti quæſtione, & in alia Bulla 80. incip. *Sicut ad Sacrorum*, in qua dicitur jus poſitiuum incipere à Kalendis Maii ejuſdem. Alia verò impoſita poſt Kalendas Maii. Ratione verò qualitatis alia ſunt legata ſimplicia, alia ex conventione, alia in limine fundationis, quæ propriè Beneficia ſunt, & de hoc triplici genere legatorum latè dixi *cap.* 6. *à num.* 6. De his omnibus eſt quæſtio loquendo præcisè reſpectu Cõcilii, præſcindendo à Decreto primo de celebr. miſſar.

22 R. In Tridentino ſermonem eſſe de legatis tùm ad tempus, tùm in perpetuum relictis ante Concilium hoc eſt ante Kalẽdas Maii 1564. legatis ſcilicet *ſimplicibus*, non conventionalibus, nec *in limine* fundationis; Tridentinum ergò concedit reductionem onerum miſſarum impoſitarum ante Kalendas Maii, quę ſcilicet ſunt legata tantùm ſimplicia.

Prima pars de legatis ſimplicibus probatur ex verbis ipſius Tridentini: *Contingit ſæpe in quibuſdam Eccleſiis vel tam magnum miſſarum celebrandarum numerum ex variis defũctorum relictis impoſitum eſſe.* Miſſæ autem relictæ defunctorum dicũtur legata ſimplicia, dum à teſtatoribus relinquuntur celebranda in ſuis teſtamentis.

Secunda pars, quòd hęc legata ſimplicia impoſita ante Kalendas Maii 1564. & nõ poſt

post relicta, sint reducibilia, probatur, tunc ex citatis verbis: *Ex variis defunctorum relictis impositum esse* Nota illud *impositum esse* item *relictis*, quæ referuntur ad præteritum, non ad futurum; non enim dixit; *relinquendis, nec imponendis*. Et infra: *Sancta Synodus cupiens hæc ad pios usus relicta*. Et infra. *Qui pro suarum animarum salute legata ad pios usus reliquerunt*. Manifestè ergo patet Tridentinum loqui de legatis relictis ante Concilium, & non relinquendis post ipsius promulgationem. Confirmatur, nam Patres in Synodo erant informati de ingenti numero missarum jam relictarum, quibus non poterat satisfieri, vel propter tenuitatem proventuum, vel propter nimium earum numerum, qui Sacerdotes excedebat, ideo ne mentes testatorum defraudarentur statuit earum reductionem esse faciendam ab Episcopis, Abbatibus, & Generalibus in suis respective Ecclesiis; informatio autem non datur de oneribus suscipiendis, cum ignorentur, sed de jam impositis, ut de illis remedium adhibeatur, ergo Concilium loquitur de impositis ante illud tempus. Ratio præterea est, quia Tridentinum intendit occurrere præteritis, & non dare occasionem in futurum succumbendi oneribus importabilibus cum periculo non satisfaciendi, ut facile solet accidere. Et hæc veritas apertè colligitur ex primo Decreto de celebr. missar. illis verbis: *Interdicit, ne Episcopi in diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ullamissarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro bis omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur*. Per quod Decretum decernitur Episcopum, & Generales non posse reducere missas post Concilium receptas, nec in limine fundationis, non aliâ ratione, nisi quia Concilium eis non dederat hanc facultatem, sed solùm reducendi simplicia legata ante Concilium impositа, adeo quòd Sacra Congregatio de mandato Sanctissimi potestatem eis concessam reliquit intactam propter honorem, & reverentiam, quam solent deferre Tridentino.

Hanc sententiam, quòd Concilium loquatur de oneribus impositis ante illius promulgationem, docent *Rodriq. tom. 1. q. 43 art. 13. Miranda tom. 1. q. 41. art. 24. cum aliis Barb allegat. 29. num. 5. Pasqual. de sacrif. missæ q. 116. num 3. Diana resol. 2 de celebr. missar. Lezana V. missa n. 30.*

24 Contrarium, quòd Concilium loquatur etiam de legatis impositis post Tridentinum, docent pleriq; apud Pasqual. & Dianam quia ratio finalis Concilii dantis talem facultatem Episcopis æque militat etiam quòd ad onera missarum impo-sita post Consilium. Et confirmatur, quia ut dictum fuit, Sacra Congregatio deinceps prohibuit reductionem missarũ post Tridentinum receptarum, ergò signum est, quod hanc facultatem Episcopi, & Generales antea habebant ex eodẽ Concilio, prohibito enim superveniens arguit antea factum licuisse, ergò ex vi Tridentini poterant Episcopi ante hanc prohibitionem reducere onera missarum post Tridentinum receptarum.

25 Respondetur, rationem fiualem non extendere legem, quando apparet diversitas effectuum, esto enim æque militet eadem ratio in oneribus futuris, quæ in præteritis, diversi tamen sunt effectus, nam quoad præterita non datur occasio avaritiæ, & recipiendi onera sub spe reductionis, sicut in futuris. Ad confirmationem dico, eam prohibitionem esse directè contra eam opinionem quæ proinde numquam licuit, nam prohibitio prohibitioni additur, & una per aliam fortificatur, ut docet *Pyrrus Corradus lib 9. Praxis dispens. cap 7. num 2.*

26

27 Tertia pars, quòd Tridentinum non loquatur de conventionalibus, probatur, quia legata convẽtionalia fiunt inter vivos ex spontanea actione, & contractu independenter à dispositione testatoris, ut multis docui *cap. 6. n. 7.* Sed in Tridentino sermo est tantùm de relictis defunctorum, ut patet supra *n. 22.* ergò de conventionalibus nihil disponit.

Quarta pars, quòd idem Tridentinum nihil disponat de legatis in limine fundationis, probatur quia illa adiunctam habent rationem Beneficii initio suæ erectionis, juxtà dicta *cap. 6. num. 14.* unde voco illa *Legata beneficiaria* auctoritate Episcopi erecta; sed in Tridentino nulla fit mentio de legatis habentibus annexũ Beneficium, ergò de his nihil disponit. Ità *Sorbus V. missa vers. notandum, cum aliis Barb. allegat. 29. num. 12. Pasqual. q. 1163. referens sexdecim Doctores, Diana resol. 1. de celebr.*

28

Contrariũ, quòd Tridentinũ disponat etiã de legatis in limine fundationis, docent *Miranda tom. 1. q. 41. art. 24. Trullenchus, Ledesma, Caspensis, & Garzia apud Pasqual q. 1163.* Quia militat eadem ratio quæ in legatis simplicibus; & Tridentinũ loquitur generaliter respectu omniũ legatorũ defunctorũ, quæ solent etiã fieri in limine erectionis Beneficiorum.

Respondetur, non sufficere eandem militare rationem, quando variantur effectus, ut dixi supra, & præterea adest specialis ratio, nimirũ canonica institutio in his Beneficialibus legatis, quæ uti specialis abhorret genericã, quã non admittit, unde Conciliũ non loquitur generaliter de omnibus legatis, sed tantùm de simplicibus habentibus esse à testatoribus personis privatis.

Quæres 7. An hoc tempore possint reduci onera missarum ex vi Tridentini ab Episcopis, Abbatibus, & Generalibus, non obstante illo Decreto de celebr. missar.?

29 R. Affirmativè, sed tantùm onera missarum ex legatis simplicibus imposita ante Concilium Kalendis Maii 1564. juxtà dicta, & probata in præcedenti quæstione. Ita docent omnes *cum Bonac. de Sacram. disp. 4. q. ult. p. 7. §. 2. num. 11. Aversa q. 11 de Sacr. Euchar. sect. 18. vers. tertio, fine, Pasqual. q. 1162. num. 6. Diana resol. 10. par. 6. tract. 6. Pellizar. tract. 5. cap. 9. num. 91. & tract. 6. cap. 3. num. 16. de Generalibus Pasq. q. 1166. cum aliis.* Et res clara est, quia Decretum de celebr. missar. prædictis interdicit tantùm reductionem missarum in limine fundationis, & receptarum post Concilii promulgationem, ergo eis relinquit facultatem reducendi relictas ante ipsum Concilium, quod eis hanc facultatem dedit super legatis simplicibus.

Quæres 8. An sublatum sit illis jus antiquum reducendi quascumq; missas ex quibuscumq; legatis, sive simplicibus, sive conventionalibus, sive in limine fundationis impositis, sive ante, sive post Tridentini promulgationem.

30 R. Utique omnibus superioribus tùm Episcopis, tùm Abbatibus, tum Generalibus, & aliis, de quib. supra q. 2. & 4. Ratio est, quia in illo Decreto de celebr. miss. sub num. 23. relato, interdicitur Episcopis, & Generalibus, ne reducant onera missarum post Concilium, aut in limine fundationis imposita, ne ergo hoc interdictum sit vanum, frustatorium, & inefficax, necessariò sequitur, sublatum fuisse jus antiquum reducendi onera missarum. Confirmatur, quia prohibitum
31 una via, non debet alia admitti, *Reg. 84. in 6 l. Julianus 6. §. Minor, ff. qui, & à quibus manum Barb Axiom. 193. n. 1.* Prohibitum enim directè, indirectè fieri non potest, *l. secus ff. ad leg. Falcid.* Unde prohibitum non licet omnino fieri, *cap. Jam nunc 8. 28 q. 1.* cum negativa uti malignantis naturæ omnia destruat, quæ sibi adversari possunt. Vide Pasq. q. 1167.

Quæres 9. An ab Episcopo, & aliis possit fieri reductio missarum etiam post Tridentinum relictarum, si testator id expressit in suo testamento respectu quorumcumq; legatorum etiam in limine fundationis?

32 R. Affirmativè, S. Congreg. ad primum quæsitum de celebr. missar. his verbis: *Veruntamen si in ipsà Beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, aut moderari; legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.* Et id docuerat *Azor. par. 2. lib. 6. cap. 24. q 6. cum aliis Pasqual. q. 1167.* qui idem ait esse dicendum etiam de aliis legatis quibuscumq; quando testator expressè dixit, se contentum esse, ut Episcopus reducat, quia Decretum hoc de celebr. missar. non sustulit speciales testatorum leges quo ad hoc.

Quæres 10. An Anniversaria defunctorum sint reducibilia ex tenore Tridentini, & eo modo, quo legata missarum?

33 R. Affirmativè, nimirùm Anniversaria ex legatis tantùm simplicibus, & impositis ante Concilium, alterius verò generis legata non, juxtà superiùs dicta. Ratio desumitur ex definitione Anniversarii, quod est missa cantata cum officio defunctorum integro, vel diminuto, vel etiam sine officio, juxtà usum Ecclesiarum. Et deducitur id ex S Hieronimo relato cap. Non mediocriter 24. *dist. & de consecr.* ibi: *cum pro cunctis animabus Psalmus, vel missa dicitur.* Etimologia autem nominis *Anniversarii* dicitur, quia pro defuncto fit oblatio, revoluto anno à die mortis suæ, *Glos. V. pro Anniversariis cap. cum creatura 11. de celebr. missar.* Quare cùm non detur Anniversarium sine missa, licèt dari possit sine officio, & cum sola missa cantata, sequitur Decretum Concilii de reductione missarum comprehendere etiam Anniversaria, quæ sine missa non fiunt. Ita omnes apud *Dianam resol. 5. de celebr miss. Barbos. allegat. 29. n. 4. Fagnanus ad c. ex parte, de constit. num. 30.*

Quæres 11. An si Anniversarium, irregulariter loquendo, non constet ex missâ, sed tantum officio defunctorum, possit ab Episcopo, & aliis reduci, non obstante Decreto de celebrat. missarum.

34 R. Affirmativè, relictum sive ante, sive post Tridentinum, non virtute Tridentini, quia de his nihil disponit, sed solùm de celebratione missarum, secundum *Joan Franc. de Leone par. 2. cap. 11. num. 33 & Fagnanum in dictum cap. ex parte de constit.* sed virtute juris communis ex dictis q. 1. cui proinde non obstat Decretum illud de celebr. missar. quod prohibet Episcopis, & Generalibus reductionem missarum tantùm ex dispositione Concilii, receptarum post illius promulgationem, nihil dicendo de officiis defunctorum. Ità *Tambur. de missa lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 5. quam approbat Pasqual. q. 1170. num. 2.*

Quæres 12. An missæ commutari possint in Anniversaria? Et hæc in missas?

35 R. Conversio primi nō est rationabilis; nec proinde fieri potest, sicut posterioris. Ratio est, in reductione missarum minuitur earū numerus ad rationē stipendii, remanēte obligatione earūdēm missarum quoad numerū diminutum, hoc enim est propriū reductionis exercitiū, ut restringatur earum numerus, non verò ut missæ convertantur in aliud bonū opus, multò

enim

enim salubrius est Sacrificium missæ, quã sint aliæ deprecationes, orationes, & officia defunctorum. Confirmatur, quia per reductionem solius numeri sine mutatione rei legatæ salvatur mens testatoris in re legata, & solùm numerus restringitur, ergo ità faciendum est. Potest verò Anniversarium requirens majorem eleemosynam utiliùs converti in tot missas quibus respondeat competens salarium.

Pasqual. q. 1188. dicit missas privatas esse reducibiles in Anniversaria. Probat ex natura reductionis, quæ habet reducere opera excedentia ad terminos æquitatis; fieri enim potest, quod unicum Anniversarium correspondeat proventibus, qui supersunt ex destinatis pro notabili quantitate missarum, qui alioquin non sufficerent pro iisdem missis privatis. Constat ex praxi, quia S. C. frequenter reduxit magnum numerum missarum in Anniversaria. Et hæc quoq; in missas privatas. Adde, quòd ex Tridentino missæ commutantur in commemorationes; & ex privilegiis, de quibus dixi *cap.* 11. *num.* 25. missæ convertebantur olim in collectas, ergo hujusmodi reductio unius oneris in aliud fieri potest.

℟. Missas non esse reducibiles in Anniversaria, neque enim natura reductionis consistit in conversione unius oneris in aliud, sed propriè consistit in diminutione missarum regulata ad stipendium congruum, hoc enim modo reducuntur onera excedentia ad terminos æquitatis. Neque verum est, quod subdit, fieri nimirùm posse, quod unicum Anniversarium correspondeat proventibus, qui supersunt ex destinatis pro notabili quantitate missarum, qui alioquin non sufficerent pro ejsdem missis privatis. Hoc, inquam verum non est, quia experientia docet, unico etiam Anniversario respondere tale stipendium, quod sufficeret pro pluribus missis, nimirum pro sex, aut octo missis. Non expedit ergo animabus defunctorũ missas convertere in Anniversaria, sed in missas, quæ augentur respectivè ad illa. Confirmatio ex auctoritate *S.* Congr. Tridentini, & privilegiorum non obstat, quia ea dependent ab auctoritate Pontificis, qui habet plenitudinem potestatis, & qui potest non solùm missas reducere ad minorem numerum, sed etiam convertere in aliud bonum opus, quod facere non possunt inferiores, quibus concessa est potestas reducendi missas tantùm, & non commutandi eas. Et quantùm ad Tridentinum, Commemoratio facienda pro defunctis supponit reductionem, undè missę non dicuntur commutatæ in Commemorationem, neque æquivalere missis reductis, aliud ergo est reductio, aliud Commemoratio, quæ supponit reductionem, ut observat ipse *Pasqual. q.* 1175. *num.* 8.

Quæres 13. An Anniversarium reduci possit in missam conventualem?

36 ℟. Affirmativè, quando deest stipendium pro eo celebrando, quod sufficit pro missa Conventuali, aliter non. Ità *Garzia in summ. tract.* 3. *diffic.* 10. *dub.* 9 *par.* 7 *num.* 13. *Pasqual. q.* 1187. sine causa ergo non datur hujusmodi reductio.

Quæres 14. An onera perpetua missarum converti possint in temporalia?

37 ℟. Negativè, dum enim singulis annis respondet aliqualis fructus, secundùm quem singulis quoque annis possunt moderari missæ, nulla ratio suadet hanc conversionem, quia in tantùm durat obligatio celebrandi, in quantùm perseverat annua fructuum perceptio, ergo hac perpetuò durante, continvò etiam, & perpetuò durare debet obligatio celebrandi; Confirmatur, quia reductio fit secundùm numerum, non secundùm temporis limitationem, quod non regulat moderationem missarum. Vide *Pasqual. q.* 1185. referentem Marchinum, qui tract. 3. de ordine *par.* 2. *cap.* 19. *num.* 7. affirmat posse reduci de perpetuis in temporalia, cujus rationes id certè non probant; & Garziã, *qui in sum. tract.* 3. *diff.* 10 *dub.* 9. *p.* 4. *num.* 11. dicit, moderari onera remanente perpetuitate, nisi adsit periculum, quòd pereat totus proventus pro missis, quia tunc potest onus perpetuum commutari in tẽporale. Sed hoc posterius mihi non placet, quia pereuntibus inculpabiliter omnibus proventibus cum fundo, liber est Sacerdos ab obligatione celebrandi, ut infrà probabo suo loco.

Quæres 15. An moderari possint legata missarum quoad tempus, locum, solemnitatem, & alias circumstantias? & quo jure id fieri possit.

℟. Affirmativè, & quidem respectu quorumque legatorum sivè ante, sivè post Concilium impositorum, sivè simplicium sivè conventionalium, non autem beneficialium, quoad qualitates onerosas, data semper justa causa; & hæc vocatur commutatio unius usus in alium, remanente celebrationis obligatione; & id fit non jure Tridentini hujus capitis 4 *sess.* 25. sed jure communi, & ex officio Superioris, & jure quoque de legato Tridentini *sess.* 22. *cap.* 6.

Primum de moderatione, seù de commutatione unius usus in alium probatur ex dictis præced. cap de commut. jure communi, & delegato Tridentini *cap.* 6. *sess.* 22 Non obstante Decreto de celebr. missar. quod Episcopis, & aliis intercedit solùm reductionem missarum, non moderationem circumstantiarum, sine quibus potest subsistere Sacrificium, per hujusmodi enim conversionem temporis, loci, & alterius circumstantiæ, & solemnitatis defunctis nihil detrahitur de suffragio Sacrificii, quod potissimum intẽ-

dunt,

dunt. Ità *Felin. in cap. cum accessissent, de consist. num.* 19. *Azor. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 24. *q.* 6. *cum aliis Pasqual. q.* 1186. *num.* 3.

Secundum, quòd non possint moderari legata beneficialia, quoad suas qualitates, cum quibus fuerunt instituta, probatur expresè prohibitum per *Trident. sess.* 25. *cap.* 5. illis verbis: Ratio postulat, ut illis, quæ benè constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seù certa illis onera sunt iniuncta in Beneficiorum collatione, seù in quacumque alia dispositione eis non derogatur. Idem in præbendis Theologalibus &c. Etiam accedente patronorum consensu, ut notat hìc Barbosa num. 11. & extat declaratio S.C. quam refert *Pasqual. q.* 1186. *num.* 2. referens ad hoc Rotæ decisiones.

Cõmutari ergo potest locus legati in aliũ locum ex causa alicujus impedimenti, ut si Ecclesia sit violata, vel Altare occupatum &c. Ità *Azor par.* 2. *lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 4. *Fraxin. de obligat. concil.* 4. §. 11. *cum aliis Barb. ad cap. nos quidem* 3. *de testam. num.* 5. *Vide dicta cap.* 6. *q.* 17. *&* 18.

Tempus quoque ex causa transfertur, ut si celebrandum sit Anniversarium die prima Februarii prævenirit potest, si sit dies Dominicus. Obligatio quoque celebrandi tali hora incommoda mutari potest in aliam commodiorem. *Pasqual. q.* 1180. *num.* 8. *&* 9 1169. *num.* 4.

Solemnitas quoque variari potest, ut si missa sit cantanda, & non adsint cantores defectu stipendii, seù alterius impedimenti, recitatur sine cantu. Quicquid dicat *Pasq. q.* 1169. *num.* 2. *&* 3. non posse mutari solemnitatem cantus eo argumento quòd solemnitas tamquam accessorium sequitur naturam sui principalis quod est missa non reducibilis, ergo nec solemnitas omissibilis Respondetur enim accessorium sequi suum principale, quando diversa ratio non militat, *Barb. hoc Axiom. num.* 10. diversa autem ratio hìc militat, quia nihil impedit celebrationem missæ, utique ejus solemnitatem. Deindè missa quotidiana cum certis missis in cantu potest reduci, ergo & cantus earum, accessorium ergo sequitur principale in favorabilibus, non in odiosis.

38

39 Ratione loci mutandi refero exemplũ. Regulares non solent officiare nisi in Choro, non accedendo personaliter ad Capellam, ubi cantanda est missa, ut faciunt clerici in suis Ecclesiis; in Choro existentes non possunt correspondere celebranti in Capella nimis remota ob magnitudinem Ecclesiæ, & distantiam inter Capellam, & Chorum? Numquid Superior poterit dispensare, ut missa, quæ de mente testatoris erat cantanda in Capella designata, cantetur ad Altare majus, ut commodè, & congruenter respondere possint in Choro, posito tantùm feretro ante illam Capellam, si cantanda erat missa defunctorum?

℟. Id fieri posse pro missis defunctorum cantandis, quia illa distantia est sufficiens causa commutandi Altare minus in majus. Si verò Capella sit juris patronatus, & in die Titularis ejus cantanda sit missa, illuc omninò accedendum est pro solemni missa ejus Sancti, cui dedicata est

40 Capella, hoc enim dicitur esse limine fundationis, & hæc qualitas indispensabilis est juxtà *cap.* 5. *sess.* 25. *citatum.*

Quæres 16. An reducibilis sit missa quotidiana, quæ nullam habet obligationem applicationis?

41 ℟. Est quidem reducibilis propter exiguitatem stipendii, intellige de missa ante Tridentinum imposita, non verò reduci potest imposita post Tridentinum, obstante Decreto de celebratione missarum, quod intercedit reductionem quarumcumque missarum post Tridentinum receptarum, vel in limine fundationis, sivè habeant applicationis obligationem, sivè non, cum ea prohibitio sit universalis, & absque ulla limitatione, ergo comprehendit onera quarumcumque missarum sivè cum applicatione, sivè sine illa imposita. Ità *Tamb. lib.* 3 *de missa cap.* 1. §. 2. *num.* 4. *ex eo Pasqual. q.* 1169 *num.* 1. *&* 2.

Quæres 17. An quando legatum est ex Missis, Anniversariis, eleemosynis, seù dotibus dandis pauperibus, data fructuum diminutione facienda sit reductio missarum, eleemosynarum, & dotium ex æquo, seù alio modo?

42 ℟. Si singulis oneribus præscripti sint, & assignati proventus ex certis fundis, tunc singula onera reducenda sunt ad rationem currentis stipendii, respectivè ad missas; respectu eleemosynarum diminutio facienda est super ipsis, sine diminutione numeri personarum, ità quòd singulis ex æquo distribuendæ sunt eleemosynæ ex assignatis fructibus diminutis. Hoc enim *modo* servatur voluntas testatoris *in omnibus* legatis, & oneribus, quantùm patitur distributio proventuum, & assignatio facta à testatore. Quod si singulis oneribus permixtim, & in confuso annuatim sint assignati tot redditus, quibus singulis oneribus sit satisfaciendum, in reductione procedendum est ab eleemosynis, adeò quòd restringi etiam debet numerus pauperum, ut salvetur integrè missa sine diminutione; nàm talis præsumitur esse mens testatoris, ut in reductione minus lædatur, quam fieri potest, ergo reductio prius facienda est in eleemosynis, quam in missis, quia missæ Sacrificium plus illi prodest, quàm datio eleemosynæ, seù etiam recitatio officii

de-

defunctorum, illud enim impertit satisfactionem ex opere operato, hæc verò tantùm ex opere operantis. Ità *Fagnanus ad cap. Ex parte, de constitut. n.* 34. *Pasq. de Sacrif. q.* 1070. *num.* 3. *Garz. par* 7. *de benef. num.* 131. *ex illis Passer. ord. Prædicat. de statu homin. q.* 187. *num.* 1095. *tom.* 2.

43 Nota quòd reductio missarum, & Anniversariorum, his temporibus facienda, intelligenda est de impositis ante Concilium. Respectu verò eleemosynarum, seu dotium dandarum pauperibus, quovis tempore Episcopus de jure communi, & de jure delegationis Tridentini *sess.* 22. *cap.* 6. hæc reducere potest, licèt legatum missarum post Tridentinũ receptũ in eodem testamento cum dotibus expressum non possit reduci obstante Decreto de celeb. missar. quia dotium legata nihil habent accessorii cum missis, cum sint diversa legata, & inter se disparata.

Quæres 18 Quid veniat nomine Episcopi, Abbatis, & Generalis in Tridẽtino in Decreto de reductione missarum.

44 ℟. Nomina Episcopi, & Generalis satis nota sunt in Concilio illis verbis: *Facultatem dat Episcopis, ut in Synodo diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis Generalibus.* Restat difficultas quinam Abbates veniant sub illis verbis: *Itemque Abbatibus* nam alii sunt sęculares, alii sunt regulares, & utriusque generis alii habẽt populum, & territorium cum jurisdictione quasi Episcopali potentes congregare Synodũ, *Ciarlin. cap.* 120 *num.* 123. *Tambur. tom.* 1. *disp* 24. *q.* 7. Alii nullam habent jurisdictionem, sed solùm dignitatem abbatialem sine populo, qui subsunt Episcopis, vel Abbatibus jurisdictionis, ut Abbates regulares titulares. Demũ sunt Abbates regulares jurisdictionis super suos monachos, vel Canonicos Religiosos; inter quos aliqui habent etiam populum sęcularem, & territorium.

45 Ego puto Concilium loqui de solis Abbatibus tùm sæcularibus, tùm regularibus habentibus etiam sæcularem populum, & territorium; non autem de Abbatibus dictis localibus sine populo cum solis monachis, vel Canonicis regularibus sibi subiectis. Ratio est, quia facultas tributa in Tridentino Episcopis, & Generalibus exercẽda est ab illis in Synodo, & ab his in Capitulo Generali; sed Abbates territtorium habentes congregare possunt Synodum, & non alii Abbates, ergò illis tantùm competit hæc facultas, non istis, aliter sine Synodo, sine Capitulo, quibus carent contra Tridentinum possent reducere onera missarum, ac proinde illis tribuisset ampliorem facultatem nullo tempore coarctatam.

Quæres 19. An reductio facienda in Synodo ab Episcopo, & in Capitulo Generali à supremo Ordinis Superiore ità sit de forma, ut non valeat facta extrà illud tempus?

46 ℟. Illud tempus esse de forma, itaut si extrà fiat reductio non valeat, si fiat virtute Tridentini, non autem si fiat jure cõ-

47 muni. Probatur, quia illud tempus assignatum habetur pro forma substantiali, qua omissa ruit attentatum, *Jason cons.* 191. *n.* 6. *lib.* 2. *Hippolit. Rim. lib.* 1 *cons.* 87. *n.* 16. *Surd cons.* 97. *n* 25. In terminis *Pasqual. q.* 1165 *n.* 2. *cum Bonac. de Sacr. disp.* 4. *q. ult. p.* 7. *§.* 2. *n.* 9 *Tamb. de missa lib.* 3. *cap.* 1. *§. n.* 6. Dixi, si fiat ex vi Tridentini, non verò si fiat de jure antiquiore, quia in cap. 8. & 12. de constit. ex quibus deducitur hæc potestas, nulla fit mentio de Synodo, nec Capitulo regulari.

Quæres 20. An negotium reductionis discutiendum sit coram omnibus in Synodo, & in Capitulo Generali congregatis clericis sæcularibus, & regularibus? An

48 solùm coram præcipuis?

℟. Sufficit, negotium discutere cum principalibus de Synodo, hoc est coram Canonicis, & de Capitulo, hoc est, coram definitoribus, seu assistentibus, vel Consiliariis ipsius Generalis. Ratio id suadet, quia in Synodis, & Capitulis plures personæ conveniunt, ex quarum multitudine, & aliquorum imperitia potius confusio, quam recta negotii discussio generaretur, in his enim non simplex suffragiũ jacitur in urnam, nec scribitur in cædula, sed necessarium est discurrere, & ratiocinari circa difficultatẽ, & modum reducẽdi missas, omnia tandẽ resolvendo ad honorẽ Dei cultum Ecclesiæ, & salutem animarum defunctorũ, ergò non omnes de Synodo, vel Capitulo sed principaliores consulendi sunt.

Quæres 21. An Episcopus, item Generalis debeant, ille in Synodo, hic in Capitulo petere, & sequi consilium congregatorum, ad hunc effectum?

49 ℟. Debent petere consilium, non tamẽ illud sequi tenentur; primum probatur, quia hoc insinuat forma præscripta in Tridentino de reductione facienda in Synodo ad eum finem, ut consulat peritos de Synodo, non enim otiosa debet esse cõgregatio Synodi respectu negotii hujusmodi de reductione missarũ. Secundum, quòd non teneatur sequi eorum consiliũ,

50 colligitur ex illis Tridẽtini verbis: *Possint pro sua conscientia statuere quicquid viderint expedire*, ubi enim agitur de conscientia res determinãda est ab eo, qui propriã cõscientiam regulare debet in negotio, in quo aliorum sententiam non tenetur sequi, quia propria conscientia uniuscujusque à se mensuratur, & non à conscientiis aliorum.

Confirmatur, quia licèt quis teneatur alterius consiliũ petere, nõ tamen tenetur illud

51 illud ſequi, niſi conſulentes ſint collegæ, & participes officii, *l. Titium* 48. *ff. de admin. & pericul. tutor.* Quia conſilium non inducit obligationem in conſiliato, 48. *de regul jur in* 6. Ità *Paſqual. q.* 1165. *num.* 6.

Quæres 22. An facultas in Tridentino conceſſa Epiſcopis, & Generalibus reducendi miſſas reſtricta fuerit exercenda in primis Synodo, & Capitulo factis immediatè poſt Tridentini promulgationem?

52 R. Negativè, ſed habet tractum ſucceſſivum, accidere enim ſolet, quòd proceſſu temporis fructus, & proventus paulatim minuantur; & prætereà, quòd augeatur ſtipendium, ut experientia comprobatum eſt, ac proindè proventus, non poſſe correſpondere juſtis eleemoſynis auctis, ex quorum alterationibus tamquam juſtis cauſis ſucceſſivè contingentibus arguitur, facultatem reducendi miſſas non reſtringi ad primam Synodum, nec ad Capitulum primum immediatè factum anno 1564. poſt Kalendas Maii promulgationis Tridentini, ſed habere tractum ſucceſſivè.

Confirmatur, quia Decretum primum de celeb. miſſar. interdicendo Epiſcopis, & Generalibus in eorum Synodis, & Capitulis, ne reducant miſſas impoſitas vel poſt Tridentinum, vel in limine fundationis, concedendo reductionem in aliis legatis ſimplicibus impoſitis ante Concilium, apertè inſinuat Tridentinum illis dediſſe eam facultatem etiam noſtris tēporibus exercendam.

Quibus poſitis, neſcio, qua ratione *Paſqual q.* 1175. initio referat adeſſe reſponſum S. C ſub 15 Decembris 1629. declarans, facultatem a Tridentino conceſſam fuiſſe coarctatam ad primam Synodum, & Capitulum Generale. Videtur enim id pugnare cum verbis Tridentini indefinitè expreſſis, attento quoque Decreto de celebr. miſſar. dum enim prohibet reductionem miſſarum poſt Tridentinum, vel in limine fundationis impoſitarum, & non interdicit reductionem impoſitarum ante Concilium, manifeſtè patet remanere ejuſdem Tridentini facultatem etiā nunc moderandi impoſitas ante promulgationem Tridentini, dum enim unum prohibetur, aliud cenſetur remanere in ſuo robore, cum prohibitio ſit ſtricti juris, *Farinac. deciſ.* 429 *num.* 2. *Vol.* 4. ex collectis per ipſum.

53

Quæres 23. An reducibiles ſint miſſę legatorum exiſtentium quoad proprietatē, & fructum apud hæredes, & non in bonis Eccleſiarum? Ratio dubitandi eſt, quia in Tridentino habentur hæc verba: *Contingit ſæpe in quibuſdam Eccleſiis.* Et infrà. *In prædictis Eccleſiis.* Item. *Atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire.* Quæ videntur referri ad onera miſſarum, quarum onerum proprietas, & fructus ſunt penès Eccleſiam, in qua miſſæ ſunt celebrandæ.

54 R. Miſſæ ſunt reducibiles apud quem cūq; ſit fundus, ex quo colliguntur fructus pro ſtipendio dando celebranti, dummodo fundus frugifer aſſignatus pro ſatisfactione celebrantis non ſufficiat pro currenti ſtipendio celebrantis, ſivè ſit apud Eccleſiam, ſive apud hæredem. Ratio eſt, quia reductio fundatur ſuper tenuitate fructuū, quorum diminutio accidere poteſt, ſive fundus ſit apud Eccleſiam, ſive apud hæredes.

Ad rationem dubitandi reſpondetur, quòd cum legata miſſarum ſint exequenda in Eccleſiis, extra quas non contingit celebratio miſſarum ex legatis, ideò de Eccleſiis fit mentio; à quibus autem ſint danda ſtipendia nullum fit verbum, ſive dentur annuatim miniſtris Eccleſiæ, ſive ſemel, & deinde per miniſtros Eccleſiarum diſtribuantur celebrantibus.

Quæres 24. Quænam cauſæ debeant movere Superiorem ad licitè, & validè faciendam reductionem miſſarum?

55 R. A Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *cit.* aſſignantur duę magnus numerus miſſarū, & exiguitas fructuum, illis verbis: *Contingit ſæpe in quibuſdam Eccleſiis, vel tàm magnum miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatis fieri: Vel eleemoſynam hujuſmodi pro illis celebrandis adeò tenuem eſſe, ut non facile inveniatur, qui velit huic ſe numero ſubiicere.*

Magnus numerus miſſarum intellgitur, quando illæ ſunt addictæ certo diei, quo non poteſt ſatisfieri, vel defectu Sacerdotum, vel adſunt aliæ miſſæ priores, quibus de jure eſt prius ſatisfaciendum. In his ergò facienda eſt reductio, cum adæquata ſatisfactio ſit tunc impoſſibilis. Sed hæc amplius fieri non poteſt per Tridentinum; cū ſupponantur miſſæ potius manuales, & receptæ poſt Tridentinum, unde recurrendū eſt pro illarū reductione ad Sedem Apoſtolicam.

Secunda cauſa de exiguitate, & *tenuitate* eleemoſynarū cauſata ex *diminutione* redditū eſt uſitatior, unde *ſuper ea* diſcurrendū eſt, notando, quòd *diminutio* redditū pro miſſis celebrandis oriri poteſt, vel à cauſa intrinſeca rei fructiferæ, quæ in ſe patitur diminutionē; vel ab extrinſeco contingit attenuari redditus, licèt in ſe non diminutos.

Priori modo diminutio fructuum accidit, cum res non reddit ſolitos fructus, qui aliàs colligebantur ſufficientes ad ſatisfaciendum Sacerdoti celebranti; & hoc contingere poteſt ex variis accidētibus, vel quia fundus non colitur ex pigritia; vel quia diſſipantur grandine; vel quia ſegetes, & fructus pendentes, à militibus, vel furibus aliis diripiuntur etiam in horreo extantes; aut ab aliis incenduntur, vel domus incendio vaſtatur, vel

eget

eget reparatione, quia minatur ruinam; vel quia fundus alluuione minuitur, vel redditur infrugifer; vel molendinum est reparandum &c. vel quando fiunt aliæ expensæ pro meliorando fundo, quæ sint extraordinariæ, vel pro lite mota super bonis subiectis oneri missarum, & similia, ut docet *Tambur. de missa cap. 1. §. 1. Marchin. de ordine tract. 3. par. 2. cap. 19. num. 26. Lezana V. missa num. 30. Pasqual q. 1177.* Defectus quoque capitalis alienati sivè justè, sive injustè, sufficiens est causa movens Pontificem ad concedendam reductionem, non extantibus fructibus, quibus forent alendi Sacerdotes celebrantes.

Posteriori modo, ab extrinseco quoq; attenuantur stipendia quæ aliàs erant cōgrua facta incongrua ex temporum varietate, quibus augetur salarium, vel ex consuetudiue, vel ex taxa facta ab Episcopis, unde Sacerdotes nolunt stare antiquo stipendio nimis exiguo attentis præsentibus temporibus. Legi ego in quibusdam testamentis de annis 1300, 1400 circum circa, quòd duo dabantur solidi pro una missa, & sub hac centuria 16. initio dabantur sex solidi celebrantibus, postea aucta paulatim moneta, duodecim solidi, nunc verò vigintiquatuor solidis satisfit Sacerdoti pro unica missa.

Quæres 25 An in causa tenuitatis fructuum habenda sit ratio expensarum sacristiæ in reductione missarum?

56 R. Affirmativè, quando Sacristia non habet proprios redditus, quia Sacristia de suo expensas facere non tenetur, ergò deducendæ sunt ex redditibus legatorum, unde ex illis deductis missæ reducuntur juxtà proportionem fructuum remanentium. Ità colligitur *ex 7. Responso S. Congreg. relato cap. 10. num. 71. dixi resol. 25. num. 51. Pasqual. q. 34. & 1176.* Quia expensæ semper pertinent ad eum, de cu-
57 jus utilitate, seù intereſſe agitur, *Bald. in l. si aliquando ff. de offic. Proconſ. Angel. in l. Turres C. de operib. pub. Grammat. conſ. 17. Garzias de expenſ. & melior. cap. 21. num. 30.*

Quæres 26. An expensæ factæ in lite pro recuperando fundo, vel pro reparanda domo, fundo &c. alluuione damnificatis, &c. an sint causæ sufficientes pro
58 reductione missarum?

R. Sic, quia factæ fuerunt pro ipso testatore, ergò in eum referendæ sunt, non in Ecclesiā, quæ de suo ponere nō debet, neq; gratis servire. Ità *Tambur de missa cap. 1. §. 2. num. 11. ex eo Pasqual. q. 1177. n. 8.* Intellige, si relictum non sit pingue, nam si colligantur fructus abundantiores, expensæ non debent diminuere missas, cum omnes fructus annui sint obligati pro missis.

Queres 27. An paruus numerus Sacerdotū sit causa legitima reducendi missas quando ex defectu proventuum Monasterii non possint alimentari tot Sacerdotes, qui satisfaciant oneribus missarum?

59 R. Sic, quia satisfactio omnium missarum adæquata est facta impossibilis Ità *Marchinus de ordine tract. 5. par. 2. cap. 19. num 26 Lezana V. missa num. 30. Tambur. de missa cap 1 §. 2 num. 11. ex illis Pasqual. q. 1177. num 9. Azor par. 3. lib 12. cap. 6. q. 5. Barb. allegat 29. num. 3. Riccius par. 4. decis. 25* Nostris temporibus diminutus valdè est numerus Sacerdotum, in grave præjudicium Religionum, ut experientia in dies comprobat, quod dico.

Quæres 28. An causa incidens, & causalis sufficiat ad legitimam missarum reductionem: non perpetua, sed temporanea?

60 R. Affirmativè licere in utroque casu, sed diversimodè, nàm ex causa temporanea pro eo anno licet reductio, ut accidit in casibus sterilitatis, grandinis, incursionis militum &c. Ex causa verò perpetua reductio continuatur, cum causa durante. Ità *Rodriq. par. 4. sum. cap. 52. Perez. de Lara lib. 1. de Capell. cap. 15. Fraxin. de obligat. Sacerd. sect. 7. Janvar. par. 1. resol. 47. num. 13. Vers. tamen.* Intellige nisi proventus fundi specialiter designati sint opulenti excedentes stipendium ordinarium, quia tunc compensantur anni boni cum malis omnes enim fructus fundi designati sunt obligati pro missis indifferenter quolibet anno.

Quæres 29. Quid si numerus Sacerdotum sit sufficiens, sed habeant antiquam consvetudinem non celebrandi quotidiè, sed per hebdomadas singulis assignatas. Numquid in hoc casu locus est reductioni missarum? an verò omnes teneantur quotidiè celebrare, ut satisfaciant oneribus, cedendo huic consvetudini?

61 R. Si fructus annui colliguntur ex fundis designatis pro satisfactione onerum correspondentes stipendiis currentibus, debent omninò satisfacere, quia nulla hìc est causa reductionis, cum stipendium sit justum; nec illis potest suffragari ea consvetudo non celebrandi, cum sit contrà justitiam, qua tenentur Sacerdotes vel celebrare per se ipsos, vel per mercenarios.

Quæres 30. An detur reductio in missis omissis, & manualibus?

62 R. Affirmativè, posita tenuitate stipendii. Verum quidem est, quòd difficiliùs reducuntur missæ manuales, cum regulariter supponantur earum eleemosynæ receptæ secundùm currentem taxam, distractio tamen pecuniarum illarum pro indigentiis Monasterii, suæ Ecclesiæ videtur sufficiens causa reductionis. Vide Pasq. 1178.

Quæres 31. An sint reducibiles missæ, quibus annuatim correspondet stipendium currens justum, & legitimum?

63 R. Negativè, quia reductio locum habet, ubi vel ſatisfieri non poteſt ex penuria Sacerdotum, vel ex defectu ſalarii currentis; ſed in caſu præſenti adeſt legitimum ſtipendium, ergo non eſt locus reductioni.

Quæres 32. An reductio ſine legitima cauſa facta ſit valida?

64 R. Negativè, quia diſpenſatio ſine cauſa facta eſt nulla, de communi *Caſtropal.*
65 *de diſpenſ. p. 8. §. 2. num. 2. Carb. allegat. 33. num. 3.* ſed reductio eſt ſpecies diſpenſationis, ergo ſine cauſa non ſubſiſtit. Tùm quia reductor non intendit eas reducere, niſi ad formam Tridentini requirentis juſtam cauſam, præſumitur enim habere rectam intentionem, ergo ſi abeſt cauſa, non habet intentionem reducendi, ac proindè reductio pro non facta habetur.
66 Intentio enim eſt ſubſtantiale fundamẽtum validitatis actus, *l. multum intereſt C. ſi quis alteri, Gloſ. in l. ſi ficta C. de donat. ante nupt. & in cap. ſuper Abbatia, ff. de offic. deleg. Roland conſ. 10. num. 8. lib. 3. Menoch. lib. 1. præſumpt. 80. num. 1.* Ità docent *Graff. par. 1. deciſ. lib. 2. cap. 45. num. 19. Leo par. 2. Theſauri cap. 11. num. 19. Paſqual. q. 1179. num. 1.*

Quæres 33. An reductio ſit neceſſaria, ubi in dubium revocatur obligatio celebrandi miſſas. Caſus occurrere poteſt in antiquis oneribus, ut ſi non conſtet de incorporatione legati facta Eccleſiæ, ſeù Monaſterio; vel quid acciderit, ſi mota fuerit lis ſuper fundo onerato miſſis, & de ejus fine non conſtat. Item ſi ex libris rationum conſtent aliquę ſolutiones expenſarum, vel receptiones ſolutionum inæquales, & diverſæ; vel quod deinceps nihil reperiatur in libris regiſtratum.

67 R. Poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, dubio adhuc remanente, ad nihil tenetur Superior, quia intrat illa regula: In dubio potior eſt pars poſſidentis ſuam libertatem, & in dubio nullus cenſetur obligatus, *l. quicquid* 99 *ff. de verb.*
68 *obligat.* Obſervandum tamen eſt, quòd ſi conſtat de obligatione, & nihil reperitur in ſcriptis de annuis ſolutionibus, nec de capitali ſoluto, & incorporato Monaſterio, ſeù Eccleſiæ, adhuc ſatisfaciendum eſt oneri miſſarum, quia dum conſtat de receptione oneris celebrandi, tunc præſumitur de annua ſolutione, licèt non ſit regiſtrata in libris. In caſu verò, quòd conſtet de aliquibus ſolutionibus ſivè ſimilibus, ſivè variis, & deinceps aliæ non appareant, præſumendum eſt, hæredes ceſſaſſe à ſolutione ſivè ex cauſa, ſivè ex incuria, parum refert, in quo caſu Eccleſia ad nihil tenetur, quia in tantùm obligatur celebrare, in quantùm recipit ſtipendium. In priori ergo caſu reductio fieri poteſt, reducendo miſſas ad tres Julios, unde ſi eo antiquo tempore dabantur ſolidi quatuor pro qualibet miſſa, unica miſſa ſatisfit viginti obligationibus, attentis præfatis circumſtantiis.

Quæres 34. An reductio miſſarum ſit delegabilis ab Epiſcopo, ſeù Generali?

69 R. Negativè ex vi Tridentini, quia ubi cauſa eſt commiſſa conſcientiæ alicujus, ea non eſt delegabilis, delegatio enim cõmitti non poteſt, dum eligitur induſtria perſonæ, *cap. fin. §. is autem, de offic. deleg. cap, is cui, eod. in 6. Sanch. lib. 3. diſput. 7. n. 18. & ex l. hæc quidquam 9. §. ubi ff. de off. pro conſ.* delegabiles non ſunt cauſæ, in quibus eſt habenda plena cognitio, & decretum interponendum; ſed cauſa reductionis miſſarum committitur à Tridentino conſcientiæ illorum, & cognitioni, ac diſcuſſioni eorundem, ibi: *Re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia*; ergò nõ eſt delegabilis, dum reductionis actus dependet à Juſtitia utriuſque nam conſcientia eſt actus judicialis unicuique judicanti proprium, & perſonalis circa agendum benè, vel malè, adeo quòd ſingulorũ eſt teſtimonium pro, vel contra ſeipſum, Paulus *ad Rom. 2. 15. teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum & cap. 9 initio.*
70 *Teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea.* Conſcientia ergò eſt teſtis, hoc eſt, Judex bonorum, malorumque actuum. Cũ ego conſcientia non ſit delegabilis cum non excedat perſonam conſcientientis, non poterit Epiſcopus delegare reductionem miſſarum, quam ex propria conſcientia facere debet ex præſcripto Tridentini.

Eſt contra *Tambur. lib. 3. de miſſa cap. 1. §. 2. num. 6.* ubi probat, quia cum hujuſmodi cauſa ſit commiſſa, ſub nomine dignitatis tàm Epiſcopis, quam Generalibus, non eſt electa induſtria perſonæ; citat *Sanch. lib. 2. diſp. 40. num. 17.* Deinde iſta poteſtas eſt ordinaria cum ſit conceſſa omnibus ſucceſſivè exiſtentibus pro tempore Epiſcopis, & Generalibus, ergò delegabilis.

71 R. Utramq; Tamburini rationem procedere ubi in commiſſione, & facultate data non fit de conſcientia mentio *tunc* enim locum habet delegatio, *nec cenſetur* electa induſtria perſonæ, *ut in caſu* præſenti, in quo Epiſcopi, & Generales debent facere reductionem pro ſua conſcientia, quam cum non poſſint aliis communicare, nec cauſam delegare. Ità *ex l. nulli*, ibi *Pro ſua conſcientia C. de Epiſcop & Cleric.* ibidẽ *Baldus n. 4. Jaſon. n. 12. verſ. quintò limita. Monach. n. 12. Sanch. lib. 8. diſp. 27. num. 43. cum aliis Barboſ. clauſ. 24. num. 8.*

Paſqual. q. 1180. probat noſtrũ reſponſum hac ratione, quia hoc complexũ. *Epiſcopus, & Synodus* habet rationem formę, ſecundùm quam operandum eſt, ergó Epiſcopus per ſe ipſum cum Synodo debet miſſas reducere.

72 Nõ placet hęc ratio, quia Superior, qui

eſt

est caput, & principalis agens non potest venire sub ratione formæ, quia etiam in moralibus forma solemnitatis respicit modum, quo agens operari debet, juris enim solemnitas consistit in circunstantiis, secundùm quas agens operari debet,
73 cum ergò agens non includatur in forma, nec rationem formæ habeat, frustra ponitur pro forma, quæ in casu nostro in eo consistit, ut reductio non quovis modo, sed tantùm in Synodo fiat, quod non tollit, nec ponit delegationem. quæ pendet à persona sub ratione, qua illi facta fuit commissio, nempe pro conscientia sua, nam ratio Synodi respicit solùm tempus, quo facienda est reductio, non conditionem Superioris, an per se, vel per alium possit agere.

Quæres 35. An Princeps laicus possit reducere missas, quæ non sunt ex Beneficio, sed ex Capellanìa laicali?

74 R. Nullatenus posse, quia is actus est potestatis spiritualis, cum habeat pro obiecto missam ipsam, quem facere non potest laicus, qui nullam potestatem su-
75 per spiritualia habet, *cap. decernimus 2. de judic. cap tua de decim. Rota decis. 9 vers. prima apud Dianam par. 6 cap. 1. cap. si Imperator 11. dist 96. cap. non placuit 23. cap. Laicis 24. 16. q. 7. cap. Ecclesia 10 de constit. cap. cum Laicis 12. de reb. Eccles. non alien.* Vide *Pasqual. q. 1172.* rem hanc probantem.

Fagundez super præceptum primum Eccles. *lib. 3. cap. 7 num. 16. & 17.* probat Principem laicum posse reducere missas Capellaniarum laicalium, quem refert *Castropal. par. 4. tract. 22. disp. un. p. 15. n. 6. & 7.* dicens illius rationes esse levissimas & reverà tales sunt, quia aliud est procurare, quod ultimæ testantium voluntates executioni mandentur, quoad solutiones scilicet legatorum, aliud est reducere missas ex tenuitate stipendiorum, illud conceditur laicis, hoc solùm Prælatis Ecclesiarum.

Quæres 36. An Episcopus habens facultatem reducendi onera missarum in Ecclesiis suæ diœcesis, possit reducere eadem in Ecclesiis Regularium existentibus in sua diœcesi?

76 R. Affirmativè *resol. 25 num. 33. ex me Lezana V. missa num. 31. & Pasqual: q. 1180.* limitat in casu, quo privilegium Episcopo concessum sit reducendi missas *de diœcesi*, tunc non extendi ad regulares, utique si utatur verbo *in diœcesi*. Sed ego utrumque admitto, quia onera missarum à Regularibus recepta in suis Ecclesiis dicuntur esse diœcesis Episcopalis, hærent enim loco, & personis, quæ sunt in diœcesi, & de diœcesi, sæculares enim, qui reliquerūt hujusmodi onera utroq; modo suberāt Episcopo cui actu subsunt hæredes vivētes. Et licèt hi modi loquendi *in diœcesi* & *de diœcesi* faciāt diversū sensū in odiosis, itaut Regulares dicantur in hoc in diœcesi quoad sitū, & non de diœcesi, quia non subsūt ejus jurisdictioni contentioſę, quoad favorabilia verò sūt in diœcesi, & de diœcesi, quia possūt se submittere ejus jurisdictioni gratiosæ quoad. absolutionē à censuris reservatis *Sanch lib. 4. cap. 39. n. 32.* ergò & in his.

77 Tale privilegium concessit Sacra Congregatio approbatū ab Alexandro VII. Episcopo nostro Parmensi Illustr. D. D. Carlo Nembrino sub his verbis: *Die quinta Iunii 1655. Sacra Congregatio Emin.* Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, referendum S. D. N. Sacrā Congregationem inclinare, ut facultas Episcopo concedatur reducendi onera missarum ad rationem unius Julii pro singulis missis celebrandis ex simplicibus tantùm legatis piis, non autem onera missarum in fundatione Beneficiorum seu Capellaniarum, vel ex contractu provenientia. Die 9. Junii 1655 S. D. N. audita sententia ejusdem Sacræ Congregationis annuit supradictæ petitioni. Habetur in ejus Synodo fol. 189.

Prædictis à nobis non obstat, quòd in supplicatione in eodem folio extensa fiat mentio de visitatione facta ab Episcopo, quæ solùm fit super clericis, & eorum Ecclesiis, & non super Religiosis exemptis. Quia visitatio fuit solùm causa cognoscendi necessitatem reductionis onerum, non verò motiuum concedendi facultatem, pendens ab eo, quòd exoneratur conscientia Sacerdotū, & satisfit menti legantium, quæ causa cum sit communis Clericis, & Religiosis ad utroſq; facultas reducendi missas se extendit. Et certè quoad Religiosos, qui subsunt Episcopo ratione parvorum Conventuum nulla est difficultas, cum sint subditi, sicut clerici sæculares.

An dictū privilegiū primo actu sit finitū, an habeat perpetuitatē? Dico esse perpetuū, cum tempore, vel actu primo non limitetur, decet enim Principis beneficiū esse mansurum, *reg, 16. in 6.*

Quæres 37. An dari possit diminutio missarum per ipsum Sacerdotem Capellanum, quadam auctoritate privata, quādo manifestè constat de injustitia stipendii, seu de ejus incongruitate? E. g. Anno 1600. testator reliquit quotidianā assignādo solùm sex, aut octo solidos pro singulis missis, & tale onus receptū fuit cum ea eleemosyna. Nunquid poterit tuta conscientia Superior Monasterii dicere tantū tot missas, quot sunt Julii, qui solent recipi annuatim pro eo onere? Clarum enim est, nostris temporibus dari unum Juliū pro qualibet missa.

78 R. Datur, & sufficit, ut celebrētur tot missæ, quot Julii singulis annis recipiūtur ex redditibus. Probatur. Tū quia nemo gratis servire tenetur, siquidē nullus suis

ſtipendiis militat, Paulus ad Corinth. 9. 7. *quis militat ſuis ſtipendiis unquam*, ergò ſufficit celebrare tot miſſas, quot poſſūt illis correſpondere ſtipendia ad taxam tempore celebrationis. Tum quia ſi teſtator
79 prędiſſet, ſeu cogitaſſet ſtipendium eſſe in futurum augendum, ſi fuiſſet ſuper hoc interrogatus, veriſimiliter reſpondiſſet, ſe velle indemnitatem celebrantis nec velle, ut pro ipſo gratis, aut ſtipēdio injuſto celebraret, id enim eſſet irrationabile, & iniquum, quod præſumendum non eſt in teſtatore, ità enim mens ejus eſt intelligenda ne ſit peccatum in factio-
80 ne teſtamenti, *l. Plautius* 9. *ff. de auro, & arg. legato*. ſi ergò prævidiſſet, ità diſpo-
81 fuiſſet, *Dec. cons.* 227. *num.* 11. *& conſ.* 189. *verſ. ad hoc facit*, *Signor conſ.* 183. *num.* 10. *& conſ.* 296. *num.* 3. *Bariola conſ.* 14. *fine*, *Sperell. dec.* 144. *num.* 3. *Rota par.* 8. *dec.* 134. *num.* 5. Ubi quòd ſi teſtator cogitaſſet ſuos deſcendentes ingreſſuros Religionem excluſiſſet ſubſtitutos, Doctoribus allegatis. Quare in caſu noſtro, ſi prę-
82 viſſet augmentum ſtipendii, certè non oneraſſet celebrantem tot miſſis, ſed miſſas præſcripſiſſet ad rationem juſti ſtipendii pro tempore currentis. Tum quia voluntas teſtatoris recipit interpretationem à Charitate, *l. cum alimenta*, *ff. de alim. legat. Bald. conſ* 150. *num.* 1 *fine Vol.* 2 *Mantica lib* 6. *de conject. ult. volunt tit.* 11. *num.* 5. ergò potiori ratione etiam à Juſtitia, quæ ponit æqualitatem inter locatorem, & conductorem, nam teſtator, & ejus hęredes dicuntur conducere Sacerdotē ſuas operas locantem. Tum quia teſtatoris mens debet eſſe rationabilis, & ejus volūtas velle, quod eſt Juri conſonum; ſed rationabile eſt, & juri conſonum, quòd ſtipendium ſit juſtum, quod eſſe non poteſt, niſi minuatur numerus miſſarū, aut augeatur ſtipendiū ab hærede, qui tamē nō tenetur ex probatis *cap.* 10. *n.* 53. *& ſeq.* Tū demū, quia ad diminutionē legati, diminvitur ejus onus, ut probo *cap.* 17. *q.* 2. ergò tot miſſæ ſufficiunt, quot ſtipendia ſecūdum argumentum.

Prędictis videntur obſtare reſponſa Sacræ Congregationis his verbis: Quæritur, quid ſi legatum ſit ità tenue, ut nō ſit, qui velit onus illi injūctū ſubire; & ſi recurrēdum ſit ad Sedē Apoſtolicam pro moderatione oneris, totū, aut fere totū inſumēdum ſit pro expenſis ad id neceſſariis? R. Et ſi legatū ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſupra impoſiti, abiis ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicā eſſe adeundam, quę abſq; ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re judicaverit eſſe.

Secundo ſuper ſecundo ejuſdē Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot miſſæ, quo ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint. Quæritur an verba illa: *Præſcriptæ fuerint* intelligenda ſint de præſcriptione factā ab offerente, vel ab ordinario? Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario Quod ſi tribuens eleemoſinam numerum miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius, ſecundum morem ſuæ Civitatis, vel Provinciæ.

Tertiò, an cum Ordinarius præſcrrpſerit eleemoſynam congruam juxtà qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare? Ad tertiū teneri.

Ex quibus reſponſis manifeſtè patet recurrendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam, quantumvis ſtipendium ſit adeo exiguum, & tenue, ut nullus vellit celebrare. Munus eſt ergò ſolius Sedis Apoſtolicæ reducere miſſas, & nullius alterius niſi delegetur ab eadem Sede.

Confirmatur, quia celebrantes onera miſſarū recipientes ſe obligant juxtà conventionē factā ſalarii, ſive tenuis, ſive ſufficientis, ut habet tertiū reſponſum, ergò data tenuitate eleemoſynę miſſę non poſſunt æquari ſtipendiis auctis.

Reſ. hanc diminutionē nō eſſe propriè reductionē, quā Sedes Apoſtolica ſibi reſervat, ſed ęqualitatē ſervandā inter numerum miſſarum, & ſtipendiū juſtū pro tempore ſpectatum, quam ipſe teſtator interpretativè facit, in quantū intendit numquā voluiſſe celebrantē, pro ſe miſſā eſſe celebraturū gratis, aut cum ſtipēdio injuſto contra Juſtitiam, ut probant argumenta ſuperius formata.

Non obſtat Reſponſū Sacræ Congregationis, quod intelligitur, quando celebrans acceptavit onus cum exiguo ſtipēdio, quod non erat conformę currenti juſto taxato ab Ordinario, vel conſuetudine introducto, in hoc enim ſibi præjudicavit, unde hanc æqualitatem miſſarum, & ſtipendii ſervare non poteſt; & id ſatis comprobatur per tertiū reſponſū, *in quo* decernitur, quòd Sacerdotes accipientes ſtipēdiū incongruū, tenentur ad miſſas præſcriptas. Quare quod miſſæ numerentur ad rationē ſtipendii juſti, intelligitur reſpectu augmenti facti poſt contractam obligationem.

Quæres 36. An in reductione miſſarum fiat diſpenſatio Theſauri Eccleſiæ? The-
83 ſaurus autem Eccleſiæ eſt Spiritualis cumulus omnium bonorum, & paſſionum Chriſti, & Sanctorum ejus, infinitus, cum immediatè procedat à perſona Verbi ſimpliciter infinita, quod dignificavit omnia opera naturę humanę à ſe aſſumptæ per unionem hypoſaticā, ſcilicet duarum naturarum divinæ, & hu-

humanæ in subsistētia Verbi, ac proinde uti infinitus exhauriri, nec ad nihilum redigi potest, cum ex sua infinitate sit indefectibilis, dum ex eo, quid quid accipiatur ulteriùs aliud, & aliud finitè in infinitum remanet accipiendum. Quòd autem iste Thesaurus indeficienter perseveret in Ecclesia Dei patet ex eo, quòd Christus pro omnibus passus est, ergo usquead finem sęculi perseveraturus est, ut ex eo omnes percipere possint suam portionem, quam Deus ex se nulli negat benè disposito. Hujus autem dispensatio spectat ad Romanum tantùm Pontificem uti patronum, & custodem hujus Thesauri, cujus distributionem quandoque committit Episcopis, & aliis, ut accidit in concessione Indulgentiarum, quæ hauriuntur ex hoc Thesauro.

Ad hunc Thesaurum spectant etiam passiones sanctorum, quæ illis superfuerunt, in quantum plus passi sunt in hac vita, quàm eorum peccata meruerant, aliquorum enim sanctorum passiones excesserunt eorum debitum, ideo ne prodigerentur, fuerunt reservatæ in hoc Thesauro, ut patet in Apostolis, Sancto Francisco, & aliis Dei eximiis servis, qui plus passi sunt, quam indigerent pro satisfactione suorum peccatorum à Deo illis remissorum. Quod clarius probatur in Virgine Gloriosa, quę nullo actuali peccato, nec originali, subiecta fuit, & in Joanne Domini Præcursore antequam nasceretur sanctificato, & cum bona opera Virginis fuerint quasi immensa, & Præcursoris eximia, & illis non indiguerint pro peccatorum remissione, quibus carebant, sine dubio cum passionibus Christi reservata fuerunt in eodem Thesauro Ecclesiæ. Et licèt passio Christi pro sua infinitate sit sufficiens pro omnibus, Sanctorum tamen passiones non sunt dicendæ vanæ, & inutiles, sed honorificæ, & utiles, dum à passione Christi suum recipiunt valorem.

84 Demùm in bonis operibus, & justorum duplex spectatur valor, meriti scilicet, & satisfactionis, nam in eodem bono opere consideratur meritum, cum scilicet fit ab homine existente in gratia, à qua opus bonum denominatur meritorium vitę ęternæ, & præterea dicitur satisfactorium, quatenus laboriosum, & pœnale est. Differunt autem in eo, quod meritorium alteri non applicatur, sicut satisfactorium, ex quo unus debitum alterius de suo solvere potest. Christus autem propriam

85 passionem nobis applicavit non solùm satisfactoriè, sed etiam pro nobis mervit, quia ipse solus habuit gratiam capitis ad aliorum bonum ordinatam, dum ipse solus à Deo deputatus fuit ad redemptionē generis humani. Hæc colliguntur ex *Extravag. Com. 2. Unigenitus de Pœnit. Sanct. de Jubilęo anni Sancti cap. 3. dub. 4. Covar. in cap. Alma mater. par. 1. §. 4. num. 7. Becan. 28. de Sacram.*

86 R. In reductione missarum non habere locum dispensationem Thesauri Ecclesię quia earum moderatio fit ad servandam æqualitatem inter Sacerdotē, & onus susceptum, quod regulatur ad Justitiam stipēdii. Testator enim præsumitur velle tātū suffragium, quantū exigit stipendium

87 justū. Confirmatur, quia Thesaurus duobus modis applicatur primò per Sacramēta, quorū receptione fideles recipiunt primam gratiam per Baptismum, & Pœnitentiam, & illius augmentū per reliqua, sed etiam solutionē totius pœnæ per Baptismum, & per alia Sacramēta partis peccatorum ritè remissorum: secundò concessione indulgentiarum facta regulariter à Papa, & ab aliis, communicata eis facultate. In receptione autem Indulgētiarum applicatur Thesaurus satisfactionū Christi, & Sanctorum, in receptione verò Sacramentorum applicatur solùm passio Christi, quia ab eo solo Sacramenta suam vim recipiunt, non à passione Sanctorū, & ideo eorum satisfactiones nō concurrunt in usu Sacramētorum, quia hęc operantur ex opere operato idest ex passione operata à Christo institutore illorū *Becan. cap. 28. de Sacram. q. 1. n. 13.* sed neutra applicatio reperitur in reductione missarum, ut patet, cum defunctis nullum possit conferri Sacramentū, & licèt Papa possit illis conferre Indulgentias, id tamen non facit in reductione missarum, cum illis nihil applicetur, imò auferatur diminutione missarum.

## CAPUT DECIMUMSEXTUM.

### *De Præscriptione Legatorum.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Præscriptio est jus acquirendi alienum putatum proprium.*
2 *Jus hoc à lege inductum fuit ad sedandas lites & in odium Domini negligentis res suas.*
3 *Longum tempus decennium inter præsentes vicennium inter absentes.*
4 *Longissimum tempus est spatium 30. vel 40. annorum.*
5 *Immemorabilis præscriptio, cujus initium ignoratur; varii sunt ejus effectus.*
6 *Centenaria non est efficacior immemorabili.*
7 *Usucaptio tribuit mobilia, præscriptio immobilia. Illa refertur ad initium possessionis captæ, hæc ad finem.*
8 *Consuetudo respicit communitatem, præscriptio privatos.*
9 *Odiosa valde est materia præscriptionis.*
10 *Tantùm præscriptum, quantùm possessum.*
11 *Juramentum locum habet in præscriptione*

cùm

*cùm probatur ignorantia per illud pro restituendo spoliato.*

12 *Præscriptio habet locum in utroque foro.*

13 *Conditiones ejus sunt quatuor. Possessio, Bona fides, Titulus, & lapsus temporis.*

14 *Possessio naturalis, & civilis necessaria ad præscribendum, quæ est apprehensio, & detentio rei facta adminiculo animi corporis, & juris non resistentis, nomine proprio possidentis.*

15 *Possessio necessaria ad præscribendum.*

16 *Continvari debet saltem animo.*

17 *Possidere oportet nomine proprio.*

18 *Res præscribi non potest si probibeatur.*

19 *Quis probibeatur præscribere? Carens usu rationis.*

20 *Servus pro domino tantùm præscribit.*

21 *Religiosus non sibi, sed Religioni.*

22 *Homo liber non præscribitur.*

23 *Religio non præscribit sibi Religiosum.*

24 *Præscriptio habet tractum successivum.*

25 *Obedientia præscribi non potest.*

26 *Visitatio, neque procuratio.*

27 *Celebratio præscribi non potest tempore interdicti.*

28 *Ecclesiæ, & Oratoria publica non præscribuntur.*

29 *Res publicæ non præscribuntur.*

30 *Jus decimarum, & primitiarum laicus sibi præscribere non potest.*

31 *Beneficia ecclesiastica non præscribuntur excepto Patronatu.*

32 *Jura spiritualia non præscribuntur à laicis.*

33 *Res sacræ non præscribuntur, &*

34 *Fines Provinciarum, Episcopatuum, & Parochialium.*

35 *Tributorum regalium exemptionem subditi non præscribunt.*

36 *Probibita absolutè alienari non possunt præscribi.*

37 *Res furtiva non potest à fure, nec ab emente etiam bona fide, nisi post 30. annos.*

38 *Bona fides necessaria ad præscribendum.*

39 *Bona fides idest, bona conscientia, juxtà illud:* Quod non est ex *fide, idest, quod fit contrà conscientiam bonam,* est peccatum.

40 *Bona fides debet esse cum res apprehenditur, & incboatur possessio.*

41 *Conscientia dubia ab initio impedit præscriptionem, non post, si deponat dubium.*

42 *Error invincibilis juris clari tollit bonam fidem in foro tantùm externo.*

43 *Juris verò dubii in neutro foro tollit bonam fidem.*

44 *Ignorantia facti non tollit bonam fidem.*

45 *Ignorantia juris etiam clari non impedit præscriptionem fructuum.*

46 *Hæres universalis ex mala fide testatoris non præscribit.*

47 *Utique successor particularis incipiendo à se.*

48 *Hæredi universali tantùm immediato nocet mala fides testatoris.*

49 *Qui non potest præscribere, nisi per lapsum 30. annorum.*

50 *Mala fides non legalis, sed tantùm peccaminosa impedit præscriptionem.*

51 *Mala fides testatoris non nocet legatario bonæ fidei.*

52 *Mala fides unius personæ, vel rei non nocet respectu alterius.*

53 *Interrumpitur defectu bonæ fidei.*

54 *Interruptio alia naturalis, si desint conditiones, alia civilis contingens per citationem, seù litis contestationem.*

55 *Dormit, cum legitimè impeditur, ne curat.*

56 *Bona fides necessaria est etiam in immemorabili.*

57 *Bona fides requiritur etiam in præscriptione actionum, & obligationum.*

58 *Ad præscribendam pœnam delicti requiritur bona fides.*

59 *Ad servitutes quoque pariter requiritur.*

60 *Emens ab Ecclesia sine solemnitatibus rem facit suam.*

61 *Titulus saltem præsumptus. Tertia conditio ad præscribendum.*

62 *Titulus verus dat rem sine præscriptione.*

63 *Titulus est radix, & causa acquirendi aliquid.*

64 *Titulus præsumitur, & non probatur post 30. aut 40. annos.*

65 *Nisi jus resistat, quia tunc probatur titulus, qui tamen non probatur si præscriptio sit immemorabilis.*

66 *Unde magis necessaria est bona fides, quæ debet comitari omne tempus, non autem titulus.*

67 *Res mobiles privatorum etiam Ecclesiæ inter præsentes præscribunt cum titulo, & bona fide triennio, inter absentes quadrienio.*

68 *Immobiles verò decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, bona fide cum titulo.*

69 *Immobiles Ecclesiæ præscribuntur spatio 40. annorum, sine titulo, si jus resistat requiritur centenaria loco tituli.*

70 *Centenaria est necessaria pro Romana Ecclesia in immobilibus tantùm, mobiles requiruat tempus sub num. 67.*

71 *Monasteriorum requiritur 40 in rebus immobilibus.*

72 *Idem respectu Hospitalium, & locorum piorum.*

73 *Idem respectu legatorum piorum.*

74 *Fideicommissum in duobus differt à legato.*

75 *Missarum legata præscribi non possunt contrà defunctum.*

76 *Hæres sibi non potest præscribere legatum missarum contrà Capellanum.*

77 Præ-

77 *Præſcriptio eſt actus voluntarius, non neceſſarius.*
78 *Ignorantia probabilis excuſat hæredem, & Capellanum à refectione miſſarum, & reſtitutione fructuum legati dum durat bona fides; poſt tenetur proſequi miſſas.*
79 *Præſcriptio non currit contra impeditum.*
80 *Minor numerus miſſarum præſcribitur contra defunctum.*
81 *Maior numerus præſcribitur favore defuncti dum durat ignorantia.*
82 *Actus geſtus per errorem non nocet erranti.*
83 *Conſuetudo obligatoria non inducitur à ſingularibus perſonis.*
84 *Conſuetudo non inducitur ex errore.*
85 *Servitus procedens ex actibus merè facultativis non præſcribitur.*
86 *Servitutes mixtæ, & reales præſcribuntur decennio inter præſentes, vicennio inter abſentes, diſcontinuæ requirunt tempus immemorabile.*
87 *Officium preſcribitur ſpatio decennii inter præſentes, & vicennii inter abſentes, ſine titulo ſpatio tricennii, ſi Eccleſiaſticum ſpatio 40 annorum.*
88 *Beneficium triennio præſcribitur.*
89 *Juſpatronatus decennio, & vicennio ſine titulo requiritur tricennium.*
90 *Actiones civiles, & debita laicorum tricennio, Eccleſiæ quadragennio.*
91 *Principis bona ſunt in quintuplici differentia.*
92 *Bona ratione ſupremi dominii non præſcribuntur.*
93 *Neque reſervata ſuæ dignitati.*
94 *Utique competentia Coronæ ratione hæreditatis, legati &c. centenaria præſcribuntur.*
95 *Bona fiſco incorporata centenaria, ante vicennio præſcribuntur.*
96 *Bona eidem competentia uti privato præſcribuntur, ut aliis privatis.*
97 *Feuda, & Emphiteuſes præſcribuntur.*
98 *Facultas eſt poteſtas agendi, vel non agendi independenter, unde ejus actus ſunt voluntarii, non neceſſarii, ſed independentes à quocumque alio.*
99 *Facultativa non mixta actioni, ſeu approbationi, aut alterius patientiæ non præſcribuntur.*
100 *Mixa verò, & pendentia ab alio præſcribuntur.*
101 *Non autem facultativa à lege, vel privilegio pendentia.*
102 *Religio Tertii Ordinis præſcripſit viſitationem paſſivam à Generali Minorum.*
103 *Præſcriptio paſſivæ viſitationis &c. habetur ſine poſſeſſione ſolo temporis curſu non agente Superiore.*
104 *Tempus præſcriptionis à die probibitionis incipit.*
105 *Non currit præſcriptio contra juſtam ignorantiam.*
106 *Lex etiam eccleſiaſtica decennio præſcribitur.*
107 *Præſcriptio in quibus caſibus currat, vel non currat.*
108 *Præſcriptio non datur contra actum habentem decretum irritans.*
109 *Præcedētia inter Regulares quinquennio præſcribitur.*
110 *Peccatum actuale eſt illa traſgreſſio legis tranſiens cauſans peccatum habituale, quod eſt macula relicta cum reatu pœnarum.*
111 *Peccata quoad culpam, & pœnam gehennæ, & cenſurarum non præſcribuntur.*
112 *Utique quoad accuſationem, & inquiſitionem, & pœnas legales ſpatio 20. annorum Exceptis nonnullis.*
113 *Contra Bullam Cœnæ non præſcribitur, ſed ea omnem interrumpit præſcriptionem*
114 *Præſentia inter præſcribentem, & præſcriptum importat domicilium in eodem loco.*
115 *Currere debet de momento ad momentum.*
116 *Tutus eſt in conſcientia licèt poſt lapſum temporis veniat in cognitionem rem non fuiſſe ſuam.*

IN hoc capite agendum eſt, an legata tùm profana, tùm pia etiam miſſarum præſcribi poſſint. ideo pro ejus reſolutione præmittenda eſt exacta cognitio de materia præſcriptionis.

Quæres igitur primò, quid, & quotuplex ſit præſcriptio?

1 R. Ad primum, præſcriptio eſt jus uſucapiendi, & poſſidendi rem alienam capacem præſcriptionis propriam putatam bona fide, & titulo ſaltem præſumptivè juſto, ab eo ſcilicet, qui credebat eſſe ſuã, quam à ſe abdicare non tenetur, licèt poſt tempus neceſſarium ad præſcribendum deveniat in malam fidem hoc eſt, cognoſcendo rem eſſe alienam. Quæ autem non poſſunt præſcribi referuntur à *Gloſ. in cap. Cum non deceat* 12. *de præſcript.* & à me infra q 9. In quæſtionibus ſequentibus explicabitur hæc definitio. Vide quæ dixi in tract. de præcedent. à num. 52.

2 Hoc autem jus præſcribendi alienũ ut tale non cognitum, ſed proprium putatum, introductum fuit jure poſitivo ad evitandas lites, & in odium eorum, qui negligunt res ſuas ut dicitur *in Rub. & in textu l. 1. de Uſucap. Caſtropal. de inſtit. in genere p. 22. per totum, Leſſ. lib. 2. cap. 6. Sagr. lib. 9. Clavis cap. 12. de Lugo diſp. 7. de Juſtitia.*

R. Ad ſecundũ. Præſcriptio in ordine ad tempus reſpectu cujus completur, & perficitur, triplex eſt Longi tẽporis. Longiſſimi

gissimi temporis, & Immemorabilis.

3 Longi temporis præscriptio est illa, quę decennio completur respectu præsẽtium, absentium verò, quę vicennio absolvitur. Quod decennium sit longum tempus respectu præsentium, & vicennium respectu absentium, expresse dicitur in §. 1 Instit de Usucapt. Adestitit. *De præscriptione longi temporis decem, vel viginti annorum* in Codice, & præfatus annorum numerus exprimitur ibidem in Auth. Malæ fidei. Quare cũ id certum sit ex præfixione legum præfatarum non est immorandum.

4 Longissimi temporis præscriptio completur spatio triginta annorum, vel quadraginta, *ex tit. de præscript. 30. vel 40. ann.* Respectu Sacrorum Canonum pro rebus Ecclesiarum est tempus quadragenarum, *ex cap. De quarta, de præscript.* Hoc tempus longissimum, 30. aut 40 non requirit tituli probationem, sed præsumitur, stãte semper bona fide, quando jus non resistit, ut dicam *infra q.* 30. *& Doct. citat Pasqual. q.* 1191. *de Sacrficio missæ num.* 3.

5 Immemorabilis præscriptio est illa, de cujus initio non constat, quia nullus recordatur quamvis senex rem non fuisse sub possessione præscribentis. Varios parit effectus, *in primis* namque operatur, ut omnia ad solemnitatem, & substantiam rei præscriptæ necessaria intervenerint. *Angel Bald & alii in l. Qui aliena §. 1. ff de acquir. hæred. & Canon in cap. Pervenit, de censib. Rota par. 5. tom 1. dec. 249. num. 2.* quod procedit etiã in casibus, in quibus jus resistit, *Paris. Vol. 1. cons. 111. num. 50. Rota cit. n. 3.* Bona autem fides omninò necessaria est toto hoc tempore, cum nunquam prę-scribi possit sine bona fide, *cap. fin de prę-scrip. & Reg. 2. in 6. Glos. in cap. 1. de præscript. in 6. V. Nisi, Covar. §. 8. num. 4. Gratian. cap. 52. num. Rota par. 5. tom. 1. dec. 265. num. 17.* Præscriptio immemorabilis æquiparatur privilegio Principis, *l. Hoc jure 3. §. Ductus aquæ, ff. de aqua quotid.* Ubi dicitur, quòd habetur loco cõstituti, *cap. Super quibusdam 26. de verb. sign. ibi Barb. num. 5. multis allegatis.* Habet quoque vim tituli, *Natta lib. 2. cons. 154. Josepb. Ludou. Perusina dec. 107. num. 36. Gutier. q. 14. num. 21.* Nam titulus præsumitur in immemorabili, *Menoch. lib. 3. præsumpt. 131. num. 45. & cons. 90. num. 66.* Probata immemorabili præscribens dicitur habere titulum meliorem de mundo. *Bertrandus vol. 2. cons. 120. num. 3. Gozadin. cons. 8. num. 37. Puteus lib. 1 dec. 205. num. 2. & 3. cum aliis Barb. ad cap. 26. de verb. signif. num. 7.* Quæ privilegio sunt acquisibilia, etiam præscriptione immemorabili acquiruntur, *Abbas in cap. Cũ contingat, de foro compet. ibi Canon. Peregrin. de jure fisci lib. 1. tit. 12. num. 61. cum aliis Barb. cit.* Unde nec titulum allegare necessarium est, *Menoch. lib. 1. præsumpt. 131. n. 26. Covar. §. 3. n. 7. Barb. n. 9.* Non potest tolli per Principem, sicut 30. aut 40. annorum, *Gratian. cap. 2. n. 22.* In ea nõ est dabilis interruptio, *Oldrad. cons. 224. Molina de primog. lib. 2. cap. 6. n. 47. cũ aliis Barb. ad cap. 8. de præscrip. n. 12.* Non habet locum in facultativis, *ex l. Cum notissimi C. de præscript. 30. an Anchar. cons. 339. num 8. Rota par. 5. tom. 1. dec. 249. n. 8.* Vide *infra q.* 47.

6 Centenaria præscriptio completur cursu centum annorum, non tamen est efficacior immemorabili, dum hæc habet initium, quo caret illa, ità quòd habens contra se immemorabilem, habet quoq; centenariam. Ità *Molina apud Cardin. de Lugo disp. 7. num. 68.*

Quæres 2. Quomodo differant inter se
7 Præscriptio, Usucaptio, & Consuetudo?

℟. Præscriptio tribuit immobilia acquirenti, Usucaptio mobilia. Ità *Scotus in 4. dist. 15. q. 2. Vers. Ex hoc dico, num. 2. Bonac. disp. 1. de restit. q. fin. p. 2. §. 2. num. 28.* Nihilominus confunduntur, & pro eodem jure acquirendi alienum usurpantur *Unde in l. 3. de usucapt.* definitur usucaptio acquisitio dominii per cõtinuationem possessionis temporis lege definiti, non distinguendo inter dominium rerũ mobilium, & immobilium, *de Lugo disp. 7. n. 2. Castropal. disp. un. p. 22. §. 1. n. 3.* Ego autem inter utrumq; assigno hãc differentiã, quòd usucaptio refertur ad initium possessionis rei alienæ, non enim possidetur, nisi capiatur, præscriptio verò ad absolutionẽ, & finẽ continuatæ possessionis, quæ perficitur præscriptione, idest lapsu temporis lege definiti, nam præscriptio finem importat, unde est illud Terentii: *Tutè ipse his rebus finem præscripsisti.*

8 Consuetudo in eo differt à Præscriptione, quòd illa non nocet, nec prodest alicui in particulari, sed omnibus indifferenter, & sic uti universis; nec certus est qui per eam præscribit, & nec contrà quem præscribit. Præscriptio verò utilitatem affert præscribenti, & damnum præscripto. Hæc respicit correlativa privata, & inter privatos ut plurimum procedit, illa plures in communitate requirit, & majorem populi partẽ. Vide *Paulũ Rubeum ad decis. 20. par. 3. Rotæ Recent. Becanum de consuet. q. 1. num. 3.* Præscrptio igitur acquirit privatis personis singulariter, consuetudo communitati; illa prodest, & nocet privatis, hæc prodest cõmunitati.

Quæres 3. An præscriptio sit quid odiosum?

9 ℟. Est materia valde odiosa, quia tollit ab uno, & tredit alteri, *ex Auth. Ut Ecclesia Romana Cẽten. Collat. 2. tit 4. §. Habeat it aq;.* Ubi allegatio cẽtenarię ad præscribẽdum vocatur impia. *Paulus Rubeus loco citato.* Quare in hac strictè interpretandum, restrin-

reſtringitur enim præſcriptio ad actus, per quos exercetur, & proprios facti terminos non excedit, *Bald. in l fin. Unum C. commun. utriuſque jud. num.* 8. *Jaſon. ibid. num.* 37. Undè ortum habuit hæc regula: 10 *Tantùm præſcriptum, quantùm poſſeſſum.* Deducta ex *l.* 1. *§. Julianus ff. de itin & actu privato.* Idem Rubeus loco citato.

Quæres 4. An juramentum habeat locum in præſcriptione? 11

℟. Juramentum in litem non conceditur, quia qui ſe defendit tempore utitur circunventione, ex allatis ab eodem Paulo Rubeo *num.* 16. In caſu reſtitutionis in integrum ignorantia probatur juramento, ut poſſit præſcriptus agere ad reſtitutionem *Rota par.* 1. *recent. dec.* 621. *n.* 4. *Merlin. dec.* 811. *fine.*

Quæres 5. An præſcriptio habeat locum non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ? 12

℟. Affirmativè, quia poſſidens rem bona fide facit ſuam ex legitima juris cauſa, undè eam in conſcientia ſibi retinet, & non tenetur reſtituere alteri, qui ampliùs dominus non eſt diſpoſitione legis, eſto poſt lapſum temporis à lege definiti devenerit in cognitionem rem ſemper bona fide anteà poſſeſſam fuiſſe alienam. Eſt communis *D. Thomas quol.* 12. *q.* & 4. *ex Scoto Faber. diſp.* 44 *de reſtit num.* 11. *Hiquæus in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *num.* 36. & 37. *Barboſa ad cap. Vigilanti* 5 *de præſcript. num.* 4. *de Lugo diſp* 7. *num.* 5. *Bonac. par.* 2. *§.* 2. *n.* 32. *Caſtropal. p.* 22. *§.* 2. *num.* 3.

Quæres 5. quot conditiones requirantur, ut præſcriptio ſit legitima in utroq; foro, & rem de aliena faciat propriam poſſidenti eam?

℟. Quatuor conditiones copulativè 13 ſunt neceſſariæ. Poſſeſſio, bona fides, titulus probabiliter præſumptus, & lapſus temporis lege præfiniti. Singulæ conditiones ſunt explicandæ in ſequentibus quæſtionibus.

Quæres 7. An, & qualis poſſeſſio neceſſaria ſit ad legitimam præſcriptionem? 14

℟. Certum eſt ad præſcribendum requiri poſſeſſionem, ità quòd non ſufficit ſolùm naturalis poſſeſſio, ſed neceſſaria eſt civilis cum retentione rei nomine proprio, non prohibitæ poſſideri. Nam poſſio in ordine ad præſcribendum eſt apprehenſio, & detentio rei facta adminiculo animi, corporis, & juris non reſiſtentis, per eum nomine proprio poſſidentem. Itaque quatuor requiruntur ad hujuſmodi poſſeſſionem, primò apprehenſio naturalis rei, retentio ſaltem civilis ſecundò, tertiò nomine proprio; quartò jure non reſiſtente. 15

Prima pars de apprehenſione rei patet, quia ſine apprehenſione non contingit poſſeſſio, cujus initium ab ea habetur per actum temporis, ponendo ſcilicet pedem ſuper rem immobilem, vel manucapiendo rem mobilem, vel verbo, aut alio actu ſenſibili inſinuante, & præferente poſſeſſionem rei non ſolùm corporalis, ſed etiam incorporalis, incorporalia enim quaſi poſſidentur, imò reverà ſimpliciter dicuntur poſſideri, dum ſolo animo verbo expreſſo fiunt ſub alterius poſſeſſione, & in hoc nulla eſt difficultas.

Quòd autem poſſeſſio neceſſaria ſit ad præſcribendum, expreſsè dicitur *in l. fine* 25. *ff. de uſucapt Reg.* 3 *in* 6. & non ſufficit naturalis quæ conſiſtit in reali apprehenſione rei corporis adminiculo, ſed neceſſaria eſt civilis, legalis, & juridica, per quam res ſolo animo licèt abſens poſſidetur, ità omnes *cum Barb. ad dictam reg. Caſtrop. p.* 22. *§.* 4. *num.* 2. *de Lugo diſp.* 7. *num.* 12. *Faber. diſp.* 44. *num.* 19.

Secunda pars de redentione rei apprehenſæ patet, quia hujuſmodi poſſeſſio 16 debet habere tractum ſucceſſiuum, ut præſcribi poſſit res poſſeſſa, præſcriptio autem currere debet ſuper tempus à lege præſcriptum, ergò non ſufficit momentanea poſſeſſio ſed durare debet, ut poſſit perfici præſcriptio, quæ menſuratur poſſeſſione juxtà illius Regulam. *Tantùm præſcriptum quantùm poſſeſſum*, cum ſine poſſeſſione diuturna nondetur præſcriptio, ex dictis ſupra.

Tertia pars, quòd nomine proprio poſſideat, probatur, quia poſſidens alieno nomine, non ſibi, ſed alteri, cujus nomine poſſidet, quærit. Confirmatur, quia poſſidens alterius nomine tantùm naturaliter poſſidet, & non civiliter, cum poſſeſſio civilis ſit illius, cujus nomine alter poſſidet. Hinc eſt, quòd Procurator, Tutor, Seruus, Filiusfamilias, Colonus, Conductor, Depoſitarius &c. non poſſunt præſcribere res, quas apud ſe habent, quia in ſe non tranſtulerunt dominium, nec poſſeſſionem civilem, ſed tantùm naturalē, quæ excludit dominium, ſine quo, & civili poſſeſſione non datur præſcriptio. Ità *Caſtropal. par.* 22. *§.* 4. *num* 4. & 5. *de Lugo diſp.* 7. *num.* 13. *Baſſæus V. præſcriptio n.* 3. *verſ. Secundò.* 18

Quarta pars, quòd poſſunt præſcribi, quæ jure non prohibentur, & cum unum contrarium ex alio cognoſcatur, videndū eſt quinam prohibeantur præſcribere, & quænam res interdicantur præſcribi, id autem ſupponitur ex definitione poſſeſſionis, quæ eſt detentio rei adminiculo Corporis, animi, & juris non reſiſtentis, cum ergò jus reſiſtit, & prohibet, poſſeſſio exerceri non poteſt ſive activè, ſive paſſivè, ac proinde præſcriptio tùm locum habere non poteſt, quia ſine poſſeſſione non contingit præſcriptio. *Unde Bonac. q. fin. part.* 2. *§.* 2. *num.* 5. id ponit pro ſecunda conditione, quā nos conjunximus cū prima, dū dicit ad præſcribendū requiri capacitatem activam reſpectu poſſiden-

tis, & passivam respectu rei possidendæ. Pro cujus intelligentia.

Quæres 8. quis prohibeatur possidere, & præscribere?

16 R. Ille prohibetur possidere, & præscribere, qui animo caret, & insanæ mentis est, dum inchoat rem apprehendere, ratio est, quia ad præscribendum requiritur non solùm corporalis actus, sed etiã animus, in quo consistit civilis possessio. Dixi, *dum inchoat* nam habens usum rationis dum rem apprehendit, & posteà fiat amens, seu furiosus continuat possessionem, quia prior voluntas sibi utilis pręsumitur durare 20 *l. justo* 44. *§. Eum, quiff. de usucap. l. siis qui* 27 *ff. de acquir. possess.* Pariter seruus pręscribere non potest, quia possidere non potest, sed possidetur *ex l. sequitur* 4. *§. servus de usucapt. Castropal. §. 3. n.* 1 *&* 2 Potest tamen pro suo domino pręscribere, *Sayr. lib.* 9. *cap.* 12. *n.* 9. Religiosus quoq; præscribere non potest, dũ possidere non potest nomine proprio, *Bonac.* 21 *n.* 7. cum sit incapax dominii. Sed quoniã est communis regula, quicquid acquirit Monachus suo monasterio acquirit, sequitur, quòd sicut possidere potest pro Monasterio, ità & illi præscribere, licèt sibi neutrum agere possit, cum respectu sui sit horum actuum incapax.

Quæres 9 quænam res prohibeantur præscribi? Plures quidem sunt, & de singulis aliquid dicemus

22 R. Primò, homo liber præscribi non potest, *l. usucaptionem* 9. *de usucapt.* quia homo liber sub nullius dominio esse potest, *Instit. eod. tit. §.* 1. ità omnes docent *Sayrus lib.* 9. *clauf. cap* 12. *num.* 3. *vers. primo, Castropal. §.* 15. *num.* 1 Dixi homo liber quia seruus præscribi potest, *l. fin. de usucapt.*

Dices, Religiosus est homo liber, neq; enim professione perdit libertatem, cum non fiat seruus, & tamen à Religione, in qua profitetur, præscribitur, ut colligitur ex *Trident. sess.* 25. *cap* 19. & probatur, quia in eo concurrunt quatuor conditiones, nam professus à Religione possidetur, *Glos. V.* possidere cap. non dicatis 11. 12. *q.* 1. & quidem bona fide, dũ putat esse validè professum, justo quoq; titulo professionis, ergò quinquennio lapso illum sibi pręscribit, ex quo post illud tempus volens reclamare non auditur, cum præsumatur justè possessus à Religione, non obstante nullitate professionis.

23 R. In textu ne verbum quidem de præscriptione fieri, per quam dominium pretio æstimabile abuno transfertur rei in alium; sed translatio professi à statu laicali, seu medio ad statum Religiosorum fit sine pretio mediante professione, & in ipso actu professionis perfectè acquiritur Religioni, ergò non habet locum pręscriptio, quę in acquirendo habet tractũ successiuũ, ità quòd inchoatione possessionis nõ acquirit perfectè pręscribens dominium rei, sed tunc cùm tẽpus lege præscriptum labitur. Ad argumentum respondetur, deficere primam conditionem, quia in ipsa inchoatione possessionis per titulum professionis in momẽto acquirit Religio dominium professi, si fuit valida professio, & etiam si non fuit valida præsumitur perfecta acquisitio ejus etiam in momento. Tridẽtinum autem negat audientiam, non quia sit 24 præscriptum illius dominium Religioni, sed quia præsumit, illũ ratificasse professionem apud Deum, ut docet *Sanch. lib* 7. *disp.* 37. *n.* 9. *vide de Lugo disp.* 7. *n.* 9 ubi ait contra nulliter professum non posse in conscientia præscribi, quia ad acquirendum verè hunc statum Religionis requiritur personalis consensus professi, qui abest ex nullitate professionis. Unde præsumptio validæ professionis locum habet tantũ in foro externo ex quo respondet ad obiectionem, quam sibi fecit, pręscriptionem habere quidem locum in utroq; foro, sed ex Tridentino non haberi, Religiosũ nulliter professũ præscribi à Monasterio post quinquennium, sed solùm ipsum pręsumi ratificasse professionem, non Monasteriũ illam sibi pręscripsisse, cum de nulla non possit fieri valida solo lapsu quinquennii, dũ requiritur formalis consensus professi in eam, & non sufficiat præscriptio, quæ hìc locum non habet.

Secundò subditus sibi præscribere non 25 potest exemptionẽ à suo Prælato regulari, vel Episcopo, quia jure naturali illis promiserunt obedientiam contra quam præscriptio nihil potest, *cap. non liceat* 12. *de præscript.* jus enim publicum præscribi nõ potest cujusmodi est potestas Superioris in subditum, qui nullo pacto ab ea se eximere potest. Nihilominus à subditis præscribi potest obedientia per translationem ad alium Superiorem, in quo casu licet, quia non perdunt subiectionem, sed mutant Superiorem; *cap. cum olim* 18 *de præscript.* Est communis *apud Sayr. num.* 5. *§. secundo. Castropal. §.* 15 *num.* 1.

26 Tertio, visitatio, & procuratio debita Episcopo, seu alii Superiori à subditis pręscribi non potest, obstante *cap. cum ex officii* 16. *de præscript. ubi Barb. n.* 2. *citat. Doctores, Sayr. cit. Castropal. num.* 1.

27 Quartò, Sacerdos non potest præscribere celebrationem missæ pulsatis campanis in Ecclesia tempore interdicti. Deducitur *ex cap. Alma mater, de sent. excom. in* 6. *Glos. V. Consuetudine. cap. cum inter, de consuet. Sayrus cit. vers. Tertiò, Castropal. num.* 1.

28 Quintò, Ecclesię, Oratoria publica, Monasteria, & alia loca pia pręscribi non possũt, cũ sint loca publica *l. Usucaptorum* 9. *ff. de usucapt. Sayr. cit. vers. quartò.*

29 Sextò, res profanę ad publicam utilitatem destinatę, ut viæ, pontes, plateæ &c.

præ

præſcribi non poſſunt, *l. Uſucaptionem 9 ff. de Uſucap. l. Præſcriptio C. de operib. publicis*, etiamſi populus deſinat eis uti, *l. viâ ff. de via publica Caſtropal. §. 15. n. 1. de Lugo num. 145. Sayr num. 3. verſ. quintò.*

30 Septimò, jus percipiendi deci mas, primitias, oblationes &c. laicus præſcribere non poteſt, *cap. cauſam 7. de præſcript.* quia nõ poteſt poſſidere ſpiritualia, cujuſmodi eſt hoc jus, ergò nec præſcribere; ratio quoq; eſt, quia hæc dantur miniſtris tantùm eccleſiaſticis propter adminiſtrationem Sacramentorum. Ità *Barb. ibid. collib. 1. variar. cap. 17. num. 5. Sayr num. 4. verſ. quartò* quamvis laici ſint incapaces juris percipiendi decimas, *ex citato cap. & ex cap. quamvis 17. de decimis*. Poteſt tamẽ Epiſcopus ex juſta cauſa concedere etiam ad vitam alicui fructus, non tamen jus percipiendi illas, ex communi Barboſa *ad hoc cap. 17. n. 4.* & ad aliud, ubi alia dicit. Dico jus percipiendi decimas, quia poteſt ſibi præſcribere jus non ſolvendi illas ex tolerantia, patientia Parochi, hoc enim jus cum ſe teneat ex parte laici Spirituale non eſt. Dixi, laicum non poſſe præſcribere jus actiuum, quia Parochus contra Parochum poteſt præſcribere, cum ſit capax juris ſpiritualis, *cap. ad aures 6. de præſcript.* requirens ſpatium quadraginta annorum, ibidem Barboſa.

31 Octavò, Beneficia eccleſiaſtica, excepto Beneficio Juſpatronato, non præſcribuntur niſi per clericos, cum ea poſſederint pacificè per triennium *ex Reg. 33. Cancell.* quam latè explicat de *Lugo diſp. 7. num. 103. aſq. 137.* non autem per laicos, cum ſint incapaces juris ſpiritualis. Præſcribere verò poſſunt laici Juſpatronatum, ex quo poſſeſſores eſſe poſſunt hujuſmodi, ac proinde præſcribere, ſolent enim originem trahere a bonis laicalibus, ideo illis permittitur præſcriptio ob bonum publicum. Ita *Covar. in Reg. poſſeſſor par. 2. §. 10. num. 2. Roland. à Valle lib. 1. conſ. 47. num. 31. cum aliis Barboſa ad cap. cauſam 7. de præſcript. num. 9. Caſtropal. §. 13. num. 12.* requirit quadragenariam, ut dicunt ibidem. Permittitur ergò præſcriptio, quia Eccleſiæ parùm refert habere hunc, vel illum in patronum, unde præjudicium fit ſolùm vero patrono. Quare in re præſtandi, & nominandi datur præſcriptio, dum non Eccleſiæ, ſed tantùm patrono ſequitur præjudicium.

32 Nonò jura ſpiritualia dependentia a poteſtate Eccleſiaſtica nullatenus præſcribi poſſunt a laicis, quia ſunt incapaces hujuſmodi juris. Ita omnes cum *Sayro cap. 12. num. 4. de Lugo num. 144.* Imò nec Sacerdos ſimplex ſibi præſcribere poteſt jus conferendi Ordines, & confirmationis Sacramentum, cum dependeant a poteſtate ordinis, quæ ab uno ad alium transferibilis non eſt per præſcriptionem ſed tantùm per collationem ordinis, aut id fiat ex ſuprema Pontificis poteſtate. Vide præcitatum de Lugo.

33 Decimò, res ſacræ prohibentur præſcribi, *ex l. Uſucaptionem, 11. ff. de Uſucap.* intellige per laicos, cum Deo omnino ſint dedicatæ. *Sayr. num. 8. Angel. V. Præſcriptio n. 21. Panor. in cap. cum non liceat, de præſcrip.* Quare laicus non poteſt præſcribere calicem, paramenta, & hujus generis exiſtentia in dominio Eccleſiæ; hęc verò, & alia una Eccleſia contra aliam præſcribere poteſt, *cap. ad aures 6. de præſcript. ubi Barb. citat Doctores num. 3.*

34 Undecimò, fines Provinciarum, Parochialium, & Epiſcopatuum cum ſuis inhærentiis a nullo præſcribi poſſunt, quãdo de eis certò conſtat, *cap. Cuicunq; ibi Gloſ. V. Provinciam, cap. licet in regulis, cap. inter memoratos 16. q. 3. cap. ſuper eo 4. de Parocb.* ubi Barboſa citat Doctores, quibus addo *Caſtropal. §. 15. num. 1. de Lugo num. 143.*

35 Duodecimò, ſubditi non poſſunt ſibi præſcribere exemptionem a ſolutione tributorum, & cenſuũ debitorum Principi in recognitionem ſupremæ poteſtatis, & propriæ ſubiectionis, *l. competit. C. de præſcript. trig. eſt communis apud Sayr. lib. 9. cap. 12. num. 5. verſ. ſexto, de Lugo diſp. 7. num. 137.* Dixi ſubditi, quia alii præſcribere poſſunt.

36 Decimotertiò, prohibita abſolutè alienari, ut feudalia, majoratus, fideicommiſſum, in præjudicium vocatorum ullo unquam tempore præſcribi poſſunt. Ità *Covar in Reg. poſſeſſor par. 3. §. 3. concl. 3. cum aliis Caſtrop §. 15. num. 3.* Niſi obſtet immemorabilis, quæ habet vim tituli, & præſumptionis adfuiſſe omnia requiſita ad juſtam acquiſitionem, *ex adductis ab eodem Caſtropal num. 5. & ſupra hìc n. 5.*

37 Decimoquartò, res furto, vel rapina ablata, ſive mobilis, ſive immobilis præſcribi non poteſt à fure, ut certum eſt, cum ſit ab initio poſſeſſor malæ fidei. *Inſtit. de uſucap. §. Furtiva quoque res l. Sequitur 4. §. quod autem ff. de uſucap.* Imò nec ab emptore immediato, nec mediato, licèt bona fide immediatus emat à fure, & mediatus ab immediato eadem bona fide, ut colligitur ex *Inſtit. cit.* ibi: Quod autem dictum eſt, furtivarum, & vi poſſeſſarum rerum uſucaptionem per leges prohibitam eſſe, non eo pertinet, ut ne ipſe fur, quive per vim poſſidet, uſucapere poſſit; nam his alia ratione uſucaptio non competit, quia ſcilicet mala fide poſſident, ſed ne ullus alius, quãvis ab eis bona fide emerit; vel ex alia cauſa acceperit uſucapiendi jus habeat. Pondera ea verba: *Sed ne ullus alius, quamvis ab eis bona fide emerit* quæ inſinuant, quod dixi, nimirùm nec mediatũ emptorẽ bonę fidei uſucapere poſ-

se, est enim universalis negativa excludēs quemcumq; emptorem. Sic docet de *Lugo disp. 7. num* 139. quod numero 143. intelligit non posse præscribere intra tempus ordinarium scilicet intrà decennium, aut vicennium, utiq; per lapsum triginta annorum, ut docet *Glos. dictæ Instit. V.* prædicto, juribus ibi citatis.

Quæres 10. In quo consistat bona fides necessaria ad præscribendum?

38 R. Certum est, bonam fidem esse necessariam ad præscribendum expressè *cap. vigilantis* 5. *cap. fin. de præscript. Reg.* 2. *in* 6. ubi, quòd possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. Et cum hæc propositio sit negativa universalis, & includat omne tempus, necessariò sequitur, quòd mala fide possidens per quodcumq; tempus, etiam per mille annos, rem possessam non potest præscribere, nec rem alienam semper talem facere suam, talis enim retentio furtiva est contra divinum præceptum negatiuum. *Furtum non facies*, quod semper, & in perpetuum obligat ad non furandum, & ad restituendū alienum retentum, furtum enim committitur non solùm auferendo, sed etiam detinendo alienum, *Scotus in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *num.* 28. *vers. de primo, tom.* 9.

39 Bona autem fides est bona conscientia, sicut mala fides est mala conscientia, fides autem sumitur pro conscientia juxtà illud ad *Roman.* 14. *fine: omne quod non est ex fide* ideſt quod fit contra conscientiam, *peccatum est*, quia obligatio est operandi secundùm rectam conscientiam, quæ bona conscientia dicitur. Fides autem bona in re hac est prudenter credere, rem à se possessam esse propriam, & non alienā, seu probabiliter ignorare esse alienam. Est communis, *Faber disp.* 44. *num.* 21. *Castropal.* §. 6. *de Lugo disp.* 7. *sect.* 3. *à num.* 16. *Bonac. disp.* 1. *de restit.* 9 *fin p.* 2. §. 2. *num.* 14. *Sayr. lib.* 9. *Clavis cap.* 12. *num.* 12.

40 Ista autem bona fides debet adesse cum inchoatur possessio rei, & perseverare in possidente usque ad lapsum temporis præfiniti à lege, aliter adveniens mala fides interrumpit cæptam præscriptionem, & eam omnino destruit, itaut amplius continuari non possit, nisi mala fides contingat ex errore, quo cognito, cessat mala fides conversa in bonam, ac proinde continuatur præscriptio. Ità *Sayrus cap.* 12. *num.* 12. *vers. quando autem Bonac. cit. num.* 17.

Quæres 11. An conscientia dubia impediat præscriptionē, & eam interrumpat?

41 R. Cōscientia dubia initio possessionis rei impedit præscriptionē, quia incipiens possidere cū dubio an res sit sua nō habet bonā, sed malā fidem, ergò præscribere nō potest, *ex l. bonæ fidei* 48. *ff. de acquir. rerum dom. Castropal.* §. *ult. num.* 1. *Lessius lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 3. *Facbin. cap.* 65. *lib.* 1. *controv.*

Si verò dubium superveniat post inchoatam possessiionem, præscriptio non interrumpitur; sed ulteriùs durat, quia bona fides non interrumpitur, ergò ulterius durat præscriptio, cum enim possidens adhibet debitam diligentiam ad videndum an res sit sua, an aliena, & dubium vincere non potest, subintrat regula: In dubio melior est conditio possidentis Ità *Faber. disp.* 44. *num.* 23. & 24. *Castropal.* §. 7. *num.* 1. *vers. sed ob prædictum. Sayrus cap.* 12. *num.* 14. *Bonac. num.* 20. Contra nonnullos apud dictum Castropalaum.

Sed quid dicendum, si post adhibitam diligentiam possidens credat se esse obligatum rem dimittere? Dico, in hoc casu amittere bonam fidem, & non posse ulteriùs præscribere, sed cessare ab ea, quia talis conscientia destruit bonā conscientiam, dum noluit dimittere conscientiam dubiam persuasione illius axiomatis. *In dubio melior est conditio possidentis.* Ità *de Lugo num.* 27. *Castropal.* §. 7. *num.* 3. dicentes spectato jure non solùm ciuili, sed etiam naturali, & Canonico præscriptionem interrumpi, quia illud judicium quamvis erroneum reddit malam conscientiam, & peccaminosam, *ex l. si fur* §. 1. *de usucap.*

Quæres 12. An error invincibilis iuris tollat bonam fidem, & præscriptionem?

42 R. Affirmativè, quando jus est clarum, & quidem in foro externo tantùm, non in foro conscientiæ.

Prima pars clara est in *l.* 4. *ff. de juris, & facti ignor.* his verbis: *Juris ignorantiam in usucaptione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat.* Vide *Castropal.* §. 8. *per totum, Bonac.* §. 2. *n.* 19. *Fabrum disp* 44 *num.* 26. *de Lugo num.* 29. *vers. communior. Sayr. num.* 22.

Secunda, quòd procedat in foro externo tantùm, probatur, quia in *cap. Vigilanti* 5. *& cap. fin. de præscript.* dicitur, solùm malam fidem, quæ peccatum mortale constituit, excludere bonam fidem; ergò cum ignorantia invincibilis hujusmodi non sit peccatum mortale, non destuet bonam fidem, neque præscriptioni nocebit Ità *Medina C. de restitut. q.* 17. *prope finem, Molina cum Lessio lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 17. quorum opinionem reputat probabilem *Castropal.* §. 8. *num.* 7. *de Lugo num.* 29.

Quæres 13. An error invincibilis iuris obscuri, & dubii tollat bonam fidem, & præscriptionem?

43 R. Negativè, quia talis ignorantia non dicitur juris, cum de ratione legis sit, quod sit clara, & manifesta, cum non consistat in opinione Doctorum, hæc ergò ignorantia non constituit possessorem in mala fide, sed adhuc dicitur habere fidem bonam. Ità omnes

apud

apud *Caſtropal.* §. 8. *num.* 3. *Bonac. num.* 19. *verſ. reſp.* 2. *de Lugo num.* 29. *Faber. diſp.* 44. *num.* 26. *Baſſeus num.* 6. *Sayr. num.* 23. Sequendo enim in hoc opinionem Doctoris aſſerentis legem non habere locum in eo caſu, prudenter agit, ac proinde bonam fidem habet.

Quæres 14. An ignorantia facti tollat bonam fidem?

44 R. Negativè, ità expreſſè *cit. l. juris* 4. *de ignor.* juris relata ſub *q.* 12. Eſt communis apud mox præcitatos. Quare emens rem ab Epiſcopo, vel alio Prælato credens præſtitum fuiſſe conſenſum ab ejus Capitulo; vel à minore, quem putabat majorem, ritè præſcripſiſſet, quia in his caſibus ignorantia cadit ſuper factum, non ſuper jus. *Bonac. num.* 19. *verſ. hinc ſequitur.*

Quæres 15. An ignorantia juris licèt clari impediat uſucaptionem fructuum ejus rei, quæ uſucapi non poteſt, & tollat bonam fidem?

45 R. Non, quia hæc ignorantia non cadit ſuper ipſum jus præciſè, ſed ſuper receptionem ipſorum fructuum, & ſic ignorantia potius facti, quam juris. Ità *ex l. bonæ fidei* 48 *ff. de acquir. rer. dom. Bonac. num* 19 *Caſtropal.* §. 8. *num.* 4. Et alii apud præcitatos.

Quæres 16. An mala fides teſtatoris noceat hæredi ſuccedenti cum bona fide, itaut non poſſit uſucapere, & præſcribere rem alienam?

46 R. Hæres univerſalis ſive ſuus, ſive extraneus; & immediatus, quamvis habeat bonam fidem non poteſt præſcribere bona teſtatoris, quæ mala fide poſſidebat, intellige præſcriptione ordinaria, poſſe verò præſcribere extraordinaria lapſu triginta annorum, mediatus verò hæres præſcrlbere poteſt ſtante ejus bona fide ab ipſo incipienda, & finienda tempore ordinario. Intellige in foro externo.

Prima pars, quòd hæres univerſalis non præſcribat cum ſua bona fide, probatur per *tex. in l. cum hæres* 11. *ff. de diverſ. & tempor. præſcrip. l. nec uſufructuarium C. de uſufr. inſtit. de uſucapt.* §. *Divina* Ratio eſt, quia cum hæres repreſentet eandem perſonam cum defuncto, participat etiam eandem ejus malam fidem, & ſic cum eo non poteſt uſucapere, nec præſcribere Eſt communis *Canon in cap. ſi diligenti de præſcript. ubi Abbas Anton. & Felin Andreas Fachin. lib.* 1 *contr cap.* 66. *cum aliis Caſtropal.* §. 9. *initio, Rodriq. par.* 2 *cap.* 23 *num.* 2 *Baſſeus num.* 7. *Faber diſp.* 44. *num* 27. *de Lugo diſp.* 7. *num.* 59.

47 Secunda pars, quòd ſucceſſori non noceat particulari &c. probatur *ex cit. cap. cũ hæres ff. de diverſis, & tempor. præſcript.* illis verbis *cũ hæres in jus omne defuncti ſuccedat* & infra. *Tamen uſucapere non poterit, quòd defunctus non potuit.* Hæres autem particularis non dicitur ſuccedere in omne jus defuncti, ergò negatio uſucaptionis afficit ſolùm hæredem univerſalem, nõ particularem. Ità præcitati.

48 Tertia pars, quòd mala fides teſtatoris noceat ſolùm immediato hæredi, & non hæredi primi hæredis, probatur, quia ex uno eodemq; capite duplex fictio reprobatur, *ex Bartolo in l. is, qui pro emptore, de uſucapt. q. fin.* ergò & in caſu iſto, conſequenter nihil prohibet, quin mediatus hæres cum ſua bona fide poſſit inchoare uſucaptionem. Ità *Crotus in l. Pompejus* §. *cum quis ad finem ff. de acquir. poſſeſſ. Covar. par.* 2 §. 9 *num.* 6 *Caſtropal.* § 9. *num.* 5. *Bonac. num.* 21.

49 Quarta pars, quòd univerſalis hęres immediatus non poſſit pręſcribere ordinaria pręſcriptione decẽnii, vel vicennii, ſed ultra triginta, probatur ex textu dictę legis *cum hęres* 11. in fine enim dicitur: *Idem juris eſt, cũ de longa poſſeſſione quęritur; nec enim rectè defendetur, cum exordiũ res bonæ fidei ratio non tueatur.* Longa autẽ poſſeſſio ad pręſcribendũ eſt decennium inter præſentes, & vicennium inter abſentes, juxta *tit. C. de præſcriptione longi temporis decem, aut viginti annorum.* Relativè ad ſequentẽ titulum. *De præſcriptione triginta, vel quadraginta annorum.* Horum enim annorũ præſcriptio vocatur extraordinaria, illorum verò longa, & ordinaria, & dixi ſub *q.* 1. *hìc.* Ità *Gloſ. in reg. cum quis in* 6. *Bald. in l. nihil. C. de uſucap. Aretinus, & Crotus in l. Pomponius* §. *cum quis ff. de acquir. poſſeſſ. Leſſius lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 42.

Contrarium tenent alii, nunquam ſcilicet hujuſmodi hæredem poſſe præſcribere, quos ſequitur *Caſtropal.* §. 9. *num.* 3. Quia à mala fide defuncti continuò impeditur, cum ejus repræſentet perſonam, & continuat ejus poſſeſſionem infectam, quæ purgari non poteſt per longiſſimũ tempus, ergò nunquam præſcribere poteſt, dum perpetuò manet ea mala fides teſtatoris. Sed reſpõdetur, quòd cũ mala fides ſit tantũ ex parte teſtatoris, non ex parte hæredis niſi legalis, non autem peccaminoſa, quam requirit lex Canonica

50 *ex cap. Vigilantis* 5. *& cap. fin. de præſcript.* ideò non poteſt impedire uſucaptionem niſi legalem, non autem Canonicam, dum hæres incipit poſſidere bona fide ſua, cui in hoc non habet nocere mala fides teſtatoris, qui ſuum peccatum communicare non poteſt ſucceſſori. Præterea falſum eſt, poſſeſſionem infectam continuari in ſucceſſore ſive univerſali, ſive particulari, ut probavi *cap.* 1. *num.* 72.

Quare ex his infertur, hęredẽ, & ſucceſſorẽ ſive univerſalẽ, ſive particularem ſtante ejus bona fide in foro cõſcientię uſucapere, & pręſcribere illud, quod mala fide

de

de possidebat ejus auctor, ex quo ad hunc forũ animæ in hoc necessaria est mala fides non legalis, sed Canonica, secundùm quam possidebat cum peccato sciens esse rem alienam.

Quæres 17. An mala fides testatoris noceat legatario existenti in bona fide, ità quòd non possit usucapere, & sibi præscribere legatum?

51 R. Non nocere, sed posse sibi usucapere, & præscribere legatum stante ejus bona fide, quia est hæres solum particularis, & non universalis, cui soli lex, de qua initio præcedentis quæstionis prohibet usucaptionem, & non singulari, ut probavi sub num. 43. ergo præscribere potest, stante ejus bona fide, quæ non potest inficià mala fide testatoris. Ità *Bonac. num.* 21. *de Lugo num.* 59. *Faber. num.* 27.

Quæres 18. An mala fides respectu unius personæ, vel rei impediat præscriptionem respectu alterius personæ, vel rei?

52 R. Negativè, quia ad impediendam præscriptionem requiritur mala fides, & quidem peccaminosa ex probatis q. 16. sub vers. Contrarium, sed mala fides unius quoad peccatum transfundi non potest in habentem bonam fidem, ut patet, ergo mala fides unius non impedit alterius præscriptionem. Vide *Castropal.* §. 10. distinguentem. Sed ratio universaliter probat.

Quæres 19. Quomodo præscriptio interrumpatur defectu bonæ fidei, seù etiã defectu tituli?

53 R. Benè capta possessio rei alienæ ad sui præscriptionem requirit, ut possidens continuò maneat in bona fide, & titulo quousque lapsum sit tempus necessarium de jure ad præscribendum, aliter si bona fides cessat adveniente mala fide, statim præscriptio cessat, & extinguitur, dum ei deficit unum ex substantialibus; undè Doctores dicunt, quòd præscriptio interrumpi potest duobus modis, naturaliter,
54 *ex l. naturaliter* 5. *de Usucap.* & civiliter, scilicet citatione, aut litis contestatione. Ità omnes cum *Covar.* §. 12. *num.* 4. *concl.* 1. *Molina disp.* 78. *Lessio lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 49. *Castropal.* §. 16. *num.* 2. & 3. *Lugo num.* 150. *Barb. ad cap illud* 8. *de præscript.* ait interrumpi etiam extrajudicialiter, quando protestationes tales sunt, quæ possint inducere malam fidem, quod meo judicio est interrumpere naturaliter, defectu scilicet bonæ fidei.

Quæres 20. Quid sit præscriptionem dormire?

55 R. Tunc præscriptio dormit, & non currit contrà præscriptum, quando impeditur benè cæpta possessio ab initio, e. g. tempore hostilitatis, schismatis, pestis &c. *ex cap. ex transmissa* 10. *de præscript. ibi Barb. Castropal.* §. 16. *num.* 1. *de Lugo num.* 149. infra *q.* 51.

Quæres 21. An bona fides necessaria sit in præscriptione immemorabili? De immemorabili supra num. 5.

56 R. Affirmativè, & colligitur *ex cap. Vigilantis* 5. *de præscript.* ibi: *Quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem. Reg.* 2. *in* 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Negativa enim expressa in his legibus perpetuum tempus comprehendit, ergo & præscriptionem immemorabilem, quæ non admittitur cum mala fide. Ratio est, jure naturæ prohibetur furtum, qualis est retentio rei alienæ, ut talis cognitæ, & sic cum mala fide. *Castropal.* §. 6. *num.* 1. *citans Glos. V. nisi de præscriptionib. cap.* 1. *in* 6. *ubi de communi Doctorum Barb. num.* 15.

Quæres 22. An bona fides requiratur in præscriptione actionum, & obligationum, sicut in præscriptione rerum?

57 R. Affirmativè, quando actiones, & obligationes ex sua natura referuntur ad agendum, vel non agendum, ut ad solvendum debitum ex contractu, vel aliter contractum. Item ad abstinendum à venatione, piscatione, pastu bestiarum, ab electione &c. circa quæ nullum habetur jus, in his ergo acquirendis necessaria est bona fides. Ratio est, quia jura, de quibus in præcedenti quæstione, absolutè, & indifferenter requirunt bonam fidem in quavis acquisitione, & usucaptione, siquidem loquuntur de possessione, quæ comprehendit non solùm res, sed etiam actiones, & obligationes rerum, illæ enim sunt capaces passivæ possessionis, sicut res corporales. Ita *Covar. par.* 2. §. 11. *Fachin. lib. contr. cap* 63 *cum aliis Castrop.* §. 6. *num.* 3. *Layman. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 1. *cap* 8. *num.* 12. *ex eodem Castrop. num.* 4. *de Lugo disp.* 7. *num.* 49.

Quæres 23. An requiratur bona fides ad præscribendam pænam debitam ex delicto? Vide infrà q. 54.

58 R. Requiri, & in eo consistere, dum judicat, se non teneri ad eam solvendam, nisi post condemnationem, & exactionem faciendam per eos, ad quos spectat illam exigere, unde si non exigatur, dicitur illius debitor illam sibi usucapere & præscribere, non obstante, quod sciat, se illius esse debitorem, quia scientia hæc non tollit bonam fidem, eo quòd non inducat obligationem ad solvendum, sed tantùm ad solvendam executionem contra se faciendam. Ita *Covar. par.* 2. §. 11. *num.* 5. *Molina disp.* 66. *tract.* 2. *Lessius lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 6. *ex illis Castropal.* §. 6. *vers. aliud de Lugo disp.* 7. *num.* 50. Excipitur casus hæresis, nam hæredes non possunt præscribere, si habeant cognitionem hæresis, utique verò spatio 40. annorum, si ignoraverint hoc tempore, *cap.* 2. *de præscript. in* 6. & *cap. Accusatus* §. *penult. de hæret. in* 6. utrobique Barbosa, *de Lugo*, & *Castropal. cum aliis.*

Quæ-

Quæres 24. An ſine bona fide præſcribantur ſervitutes ruſticales?

59 R. Requiri etiam in his bonam fidem, quæ cenſetur eſſe, dum patiens ſervitutẽ nihil obſtat, ſed patitur, & tolerat alium tranſire per ſuum fundum, ducere aquã, venari, piſcari, paſcere aliena animalia. Ità *citatis q.* 22. *Caſtropal. §. 6. n.* 5. *de Lugo diſp.* 7. *n.* 51. *ad* 55. Sed præſcriptio hujuſmodi non eſt ſecura quia patiens videtur ex gratia permittere prędictos actus, licèt ſint ſibi prędiciales.

Quęres 25. An emens à Rectore Eccleſię ſive ſęcularis, ſive regularis ſine requiſitis ſolemnitatibus ſcienter, emptũ faciat ſuũ, & prędcribat, non obſtante contractus nullitate ex extravag. Ambitioſæ de rerũ alien. & Decreto contra Regulares alienantes ſine licentia Congregationis?

60 R. *Leſſius lib.* 21. *cap.* 6. *dub.* 5. in fine, quòd ſi emat à Prælato rem Eccleſiæ, putans Capitulum conſenſiſſe, poteſt præſcribere, quia eſt error facti, reſpectu cujus præſcriptio locum habet, juxtà dicta hìc *q.* 14. *num.* 44. Si verò putaſti non requiri conſenſum Capituli eſt error juris, ac proinde non præſcripſiſti, niſi fructus, ſecundùm *Covar. §.* 7. *num.* 6. intellige tẽpore ordinario. Quare in caſu noſtro cum habeat malam fidem, in quantùm ſcit requiri ſolemnitates à dictis juribus præſcriptas non præſcribit.

Ego autem dico, emptorem rem Eccleſiæ feciſſe ſuam, ſi juſtum pretium ſoluit, non obſtante nullitate contractus, quia alienatio ſine ſolemnitatibus facta, eſt ſolùm nulla, ſi Eccleſia velit; ſecus ſi Eccleſia velit ſtare alienationi, emptor eſt verus dominus rei emptæ, ſive bona, ſive mala fide. Ità fere omnes cum deciſionibus Rotæ apud Theodoſium Rubeum de alienat. *num.* 2. *fol.* 143.

Quæres 26. An, & qualis titulus ſit neceſſarius ad præſcribendum? Eſt autem tertia conditio ad validè præſcribendum.

61 R. Requiritur titulus, non eſt tamen neceſſarius verus, & juſtus, ſed ſufficit præſumptus, non eſt autem probandus, ſed præſumitur poſt lapſum triginta annorũ, duobus ſuppoſitis; ſcilicet bona fide, & nõ reſiſtẽtia juris prohibentis alienationem, quòd ſi jus reſiſtat, & adſit bona fides, requiritur præſcriptio immemorabilis, ut titulus præſumatur.

62 Prima pars de titulo vero non neceſſario, probatur, quia quando titulus eſt verus, juſtus, & validus ex parte rei e. g. ſi vera eſt emptio, donatio, &c. non eſt neceſſaria præſcriptio ad acquirendum dominium, cum habeatur ex vera venditione, *Gloſ. V. Juſtus titulus cap. cum olim* 18. *de præſcript.* habens enim juſtum titulum ſecurus eſt, & non eget præſcriptione *de Lugo diſp.* 7. *num.* 13. *Caſtropal. §.* 5. *num.* 2. *verſ. ad uſucaptionem. Leſſius lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. *Bonac. p.* 2. *§.* 2. *num.* 22. Et alii omnes requirentes titulũ apparentem juſtum, probabiliter talem reputatum propter bonã fidem, ſi enim appareret falſus, & nullus; nihil præſcribi poſſet ex mala fide.

63 Titulus autem dicitur radix, & cauſa ex qua oritur jus ad acquirendũ aliquid. Ejus generis ſunt omnes contractus, donatio, hæreditas, legatum &c. pariter inventio rei in domo eſt ſufficiens titulus, quòd res ſit ſua, unde in jure reperitur *ſi tit. Pro ſuo*, qui dici poteſt titulus generalis ad quãlibet acquiſitionẽ, acquirẽs enim rẽ, facit ſuã. Vide *Caſtropal. §. V. num.* 2.

64 Secunda pars, quòd titulus præſumatur adfuiſſe initio uſucaptionis poſt lapſũ triginta aut quadraginta annorum in rebus Eccleſiæ, probatur *à Covar. par.* 2. *§.* 5. *&* 8 *apud Caſtropal. §* 5. *num.* 5 *&* *§.* 12. *num* 7 *Bonac. num.* 24. *de Lugo num.* 13. Vide *Barb. ſuper primum cap. de præſcript. in* 6. ubi multa congerit, & quãdo probandus titulus etiam poſt longiſſimum tempus.

65 Tertia pars, quòd requiratur immemorabilis, quando ſuppoſita bona fide jus reſiſtit, probatur, quia ipſa tanti tẽporis, cujus initii memoria non extat, rationem habet tituli. Ità *Covar. par.* 2. §. 3. *Silu. V. præſcript.* 1. *num.* 3. *apud Bonac. num.* 25. *de Lugo num.* 13. *Caſtropal. num.* 11. *Paſqual. q.* 191. *num.* 3.

Quæres 27. An magis ſit neceſſaria bona fides, quam titulus?

66 R. Utique, quia ſine bona fide nũquã præſcribitur, etiamſi per mille annos fuiſſet in poſſeſſione cum mala fide, quæ per nullum tempus etiam infinitum purgari poteſt, cum foveat iniquitatem; ſed ſine titulo poſt poſſeſſionem 30. annorum, aut quadraginta reſpectu rerum Eccleſiæ, præſcribitur. Ad præſcribendum verò tempore ordinario longi temporis decem, aut viginti annorum præter bonam fidem requiritur etiam titulus. Ità *Bonac. p.* 2. *§.* 2. *num* 24. *de communi.*

Quæres 28. Quoti anni requirantur ad præſcribendum res mobiles? Res mobiles quoad hoc ſunt non ſolùm res, quæ loco moventur, corporales, ſed etiam incorporales, ut jus, & actiones ad eas comparandas, & obligationes ad eaſdem ſolvendas?

67 R. Res mobiles ſive privatorum, ſive Eccleſiarum cum titulo, & bona fiide, ſpatio trium annorum præſcribuntur inter præſentes, ſpatio verò quatuor annorum inter abſentes. Ità *ex l. Un. C. de uſucaptione tranſfom. inſtit. de uſucaptione §.* 1. *Auth quas actiones C. de Sacroſ. Eccleſ.* Ità omnes cum *Covar. par* 2. *§.* 2. *num.* 5. *Caſtropal. §.* 11. *num.* 2. *Fabro diſp.* 44. *num.* 35. *Sayro lib.* 9. *cap.* 12. *num.* 25. *Bonac. diſp.* 1. *de reſtit q. fin p.* 2. *§.* 2. *num.* 28. *Baſſæo V. præſcriptio num.* 11. *de Lu-*

*go*

go *disp.* 7. *num.* 69. Si verò res mobilis caret titulo, vel sit furtiva, stante semper bona fide, non præscribitur, nisi spatio triginta annorum, etiam si sit res Ecclesię, quia in hoc nullum habet privilegium res Ecclesiæ diversum à re profana, licèt res mobilis esset Ecclesiæ Romanæ, *ex allatis à Castropal. num.* 1. 4. 5. & 6. *Barb. ad cap.* 14. *de præscript. n.* 4. infra nonnullos.

Quæres 29. Quoti anni requiruntur ad præscribendas res immobiles privatorũ? Nomine rerum immobilium hìc veniunt non solùm fundi, domus &c. sed etiam census, annui redditus, usufructus, servitutes, jura, & actiones ad ipsa immobilia.

Notandum est, quòd annui redditus, & annua legata alio modo præscribuntur quam semel solvenda, nam hæc præscribuntur totaliter lapso tempore præscripto, illorum verò tot debent esse præscriptiones quot sunt annie. g. si teneris mihi ad annuam præscriptionem, & per annos 30. non solvisti, tibi præscripsisti solùm unam præscriptionem, illam scilicet, quam debebas facere præterito anno primo à cessatione, & nullas alias subsequentes eam, quia ad præscribendum in his requiritur, quòd cessaveris per annos 30 lapsos retrò numerandos usq; ad ultimam solutionem, ità præscriptio incipit singulis annis. Ità *Castrensis in l. plures* 18. *C. de fide instr. num.* 6. & eum omnes sequuntur. Singulis ergò annis post tempus lapsum acquiritur una præstatio non soluta a parte anteriori, successivè semper prosequendo, dummodo non impediatur temporis cursus.

68 R. Requiritur cum bona fide, & titulo decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes. Ità *l. Un. C. de Usucapt. transfor. instit. de Usucapt.* §. 1. Est communis, *Castropal* §. 12. *initio, de Lugo num.* 70 *Sayrus lib.* 9. *cap.* 12. *num.* 26. *Faber num.* 35. *Lessius lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 23. *Bonac. num.* 28. *vers. Dixi.* Si verò res immobilis careat titulo, adsit tamen bona fides, requiritur lapsum triginta annorũ, ex eisdem.

Quæres 30. Quoti anni requirantur ad præscribendum res immobiles Ecclesiæ cum suis juribus?

69 R. Requiritur spatium quadraginta annorũ cum bona fide sine titulo, quãdo jus cõmune non resistit, resistente verò necessaria est immemorabilis præscriptio, ut non sit probandus titulus.

Prima pars, de quadragenaria sine titulo jure non resistente Canonico probatur *per tex. cap. de quarta* 4. *cap. ad aures C. cap. illud* 8. *cap. auditis* 15. *de præscriptione.* nulla facta mentione de titulo. Ità docẽt citandi mox.

Secunda pars, quòd quadragenaria sine titulo nõ sufficiat, sed requiratur immemorabilis, colligitur *ex cap.* 1. *de præs. in* 6. Ità *Paris. in cap. si diligenti, de præscript. n.* 46. *Covar* §. 5 *num.* 2. *& lib.* 1. *var. cap.* 37. *num.* 6. *cum alis Barb ad cap.* 1. *de præscript. in* 6. *num.* 8. *de Lugo num.* 15. *Castropal.* §. 12. *num.* 6. *& 7. Lessius lib.* 2. *cap.* 6 *num.* 23. *vers. Ubi adverte. Bonac. num.* 28. *vers.* Dixi contrà; ubi, quòd ad præscribendum cõtrà rem immobilem Ecclesiæ, extrà Romanam, requiritur quadragenaria, sivè adsit titulus, sivè non, tàm inter præsentes, quàm inter absentes, sivè præscribens si privatus, sivè Ecclesia contra aliam Ecclesiam.

Quæres 31. Quantum temporis spatiũ requiratur ad præscribendum contrà Ecclesiam Romanam?

70 R. Respectu mobilium requiritur tantum tempus, quantum in mobilibus aliarum Ecclesiarum; respectu immobilium requiritur centenaria, quæ sufficit sine alio titulo.

Prima pars de præscriptione mobilium patet ex q. 28. quoad hoc enim nullum habet speciale privilegium, nisi quòd habent aliæ Ecclesiæ. Ità *Glos. & Doct. in auth. quas actiones C de Sacros. Eccles. Sancb. lib.* 2. *cap* 23. *num.* 96. *cum aliis Castropal.* §. 11 *num.* 5. contrà Panormitanum, Silvestrum, Lessium ab eo citatos.

Secunda pars de centenaria immobilium auctorem habet dictam Auth. *quas actiones* quam acceptat jus Canonicum *cap. nemo* 17. 16. *q.* 3 *cap. ad audientiam* 13. *cap. cum vobis* 14. *de præscript.* Ità docent omnes *cum Castropal.* §. 12. *num.* 2 *de Lugo disp* 7. *num* 73 *Barb ad cap. ad audientiam num.* 5. *Sayr lib.* 9. *cap* 12. *num* 28. *Lessius lib* 2. *cap* 6. *num.* 25 *Bonac. num.* 28. *vers. addo.*

Quæres 32. Quoti anni requiranturad præscribendum contra res Monasteriorum?

71 R. Quoad res mobiles, tot anni requiruntur, quoti requiruntur ad præscribundum contrà laicos privatos, *ex q.* 28. Quoad immobiles requiritur spatium 40. annorum jure ordinario, *ex q.* 29 Jure verò privilegii, Monasterium S. Pauli extrà Urbem gaudet centenaria *ex Bulla* 15. *Pauli III* Canonici Regulares Lateranenses præscriptione 60. annorum, *ex Bulla* 10. *Sixti IV.* Olivetani quoque *ex Bulla* 12. *Juli II.* Quibus præscriptionibus etiam centenaria gaudent cæteri Regulares tàm non mendicantes, quàm Mendicantes, ut docent *Confectius in sum Privileg. tit.* 12. *cap.* 1. *de Lugo disp.* 7. *num.* 73 *Castropal.* §. 12. *num.* 4. *Lessius lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 25.

Quæres 33. Quoti anni requirantur ad præscribendum res Hospitalium, & aliorum locorum piorum?

72 R. Totidem, quotidem requiruntur in præscriptione rerum Ecclesiarum inferiorum, juxtà dicta *q.* 30. Ita *Lessius lib.* 2. *cap* 6. *n.* 25. *Castropal.* §. 12. *num.* 3. *de Lugo n.* 73.

Quæ-

Quæres 34. Quoti anni requirantur ad præſcribenda legata tùm profana, tùm pia extrà miſſas?

73 R. Legata utraq; ſunt præſcriptibilia ab hærede adverſus legatarios; profana quidem ſpatio trium annorum inter præſentes, & quatuor inter abſentes, de rebus mobilibus; de immobilibus verò ſpatio decennii inter præſentes, & vicennii inter abſentes; ſi ſint annua legata requiritur tricennium cũ tot præſcriptionibus quot ſunt anni. Pia verò ſolùm quadragenaria præſcribuntur, ſive ſint unica vice ſolvenda, ſive ſingulis annis, ad formã aliorum legatorum ſingulis annis ſolvendorum. Ultrà tempus requiritur quoq; ut admoneatur legatarius an velit illud acceptare, nec ne, lapſo enim tempore ſi nõ exegit, contra illum præſcribitur ab hærede, cui ſufficit, ut legatarius habeat notitiam legati.

Prima pars, quòd legata ſint præſcriptibilia, probatur, quia pręmiſſa admonitione, & nõ exacta à creditore intra pręfixũ tempus ad pręſcribendũ ipſo jure acquiruntur hęredi, ac ſi renuntiata fuiſſent hæredi, præſumitur enim creditor negligere ſuum creditum, & legatum.

*Cõfirmatur*, quia præſcribi poteſt jus adeundi hæreditatem, *l. licet* 8. *C. de jure deliber.* poſt longum tempus, ergò & legata, cum dependeant ab hæreditate. Eſt communis *Covar. lib.* 1. *var. cap.* 9. *num* 5. *Dec. conſ.* 554 *num.* 2. *Pariſ. lib.* 3. *conſ.* 92. *num.* 34. *cum aliis Paſqual. q.* 1047 *num.* 3. Ratio procedit in utroque genere legatorum, quæ poſſunt negligi à legataribus quibuſcunque.

Intellige reſpectu piorum, quæ relicta ſunt pauperibus certis, & nominatis à teſtatore, nam ſi ſermo ſit de legatis diſtribuendis perſonis incertis pauperibus nũquam præſcribuntur ſed ſolvenda ſunt pauperibus electis, dum enim legatarii ſunt incerti, admoneri non poſſunt, neq; proinde poſſunt dici negligentes, dum ignorant, nec jus habent niſi facta illorũ electione.

Secunda pars, de triennio, & quadriennio in legatis utriuſq; generis, colligitur ex dictis *q.* 27. de præſcriptione rerũ mobiliũ tùm privatorum, tùm Eccleſiæ.

Tertia pars, de quadrigennio reſpectu legatorum piorum ſive ſint Eccleſiarum, ſive pauperibus factorum, de rebus immobilibus, & annuis redditibus, probatur, quia legata habent rationem cauſæ piæ, quæ non niſi ſpatio 40. annorum præſcribitur *Auth. quas actiones in fine C. de Sacroſ. Eccleſ.* Ità omnes *cum Panorm. in cap. de quarta cap Sanctorum, de præſcriptione Covar. §.* 1. *num.* 3. *Caſtropal. §.* 12. *num* 3. *fine Paſqual. q.* 1048. *num.* 6.

Quarta pars, quòd tot debeant eſſe prę-
ſcriptiones, quot ſunt anni, patet ex dictis ſub *q.* 29. Quare præſcriptio in profanis regulatur ſpatio 30. annorum, itaut ſingulis annis unica fiat acquiſitio cũ præcedentibus, ſemper numerando à parte anteriori, quo legatarius ceſſavit exigere annuos redditus, nam ſubſequentes pręſtationes hæres nondum fecit ſuas, cum debitum tempus nondum præterierit ad præſcribendum, dum unam præſtationem ſingulis correſpondentem annis ſibi acquirit. Ità colligitur *ex l.* 3. *ff. de annuis legat. benè Caſtrenſis in l. Plures* 18. *de fide inſtr. num. Corneus lib.* 2. *conſ.* 43. *num.* 3. *cum. aliis Paſqual. quæſt.* 1048. *num.* 5.

Quinta pars, de præmonitione faciẽda legatariis probatur, quia ad ſalvandam bonam fidem debitoris ſe eximendi ab obligatione ſolvendi legata, requiritur ſcientia, & negligentia legatarii, ex qua ſequitur bona fides hæredis putantis nolle legatum, ex quo tanto tempore negligit illius exactionem. Ità *Covar. lib.* 1. *var. cap.* 9. *num.* 5. *Cummanus conſ.* 47. 67. & 91. *Gutier. lib.* 2. *canon. cap.* 26. *cum aliis Paſqual. q.* 1047. *num.* 5.

Dices, fideicommiſſa non poſſunt præſcribi in præjuditiũ vocatorũ ex dictis *q.* 9. *Verſ. decimotertio*, ergò neq; legata, coæquantur enim legata, & fideicommiſſa, ex vulgatis juribus.

74 Reſponſum eſt, non coæquari, quando lata eſt differentia, ut hìc; nam non præſcribuntur fideicommiſſa, ne vocatis in teſtamento præjudicetur, in legatis autẽ, in quibus ſoli vocantur legatarii, nulli præjudicatur, dum negligunt exigere, quod ſuum eſt. Adde, quòd hoc eſt ſpeciale in legato, ut dominium rei legatæ tranſeat in legatarium ipſo jure, quod non procedit in fideicommiſſo, *Rota par.* 7 *dec.* 189. *n.* 25 Hinc eſt, quòd præſumi poteſt, legatariũ renuntiaſſe juri ſuo, dũ negligit ejus exactionẽ; hoc autem præſumi non poteſt in fideicommiſſo, præſertim in vocatis omnibus, qui ſuccedere habent primo fideicommiſſario.

Quęres 35. An pręſcribi poſſint ab hęrede legata miſſarũ, & anniverſariorum?

75 R. Non poſſe præſcribendo ſibi rem legatam, & eximendo ſe ab obligatione oneris faciendi celebrare, ratio eſt, quia hæres unum ſine altero ſibi præſcribere non poteſt, ſunt enim indiviſibilia, ità quòd ſentiens emolumentum rei legatæ debet etiam ſentire incommodum celebrationis, quæ ſine ſtipendio non dicitur; ſed hæres non poteſt præſcribere exonerationem oneris celebrandi adverſus teſtatorem, ergò neq; legatum ipſũ obnoxiũ ſtipendio miſſarũ. Minor probatur, quia pręſcriptio fundatur in negligentia crediloris non curantis de re ſua, ut omnes docent, quos citaui in præcedenti quæſtione de negligentibus exactionem ſuorum legatorum ſine onere eis relictorũ; ſed teſ-

tator post mortem non potest dici negligens, cum non possit amplius agere, experiri, & exigere celebrationem missarū, quod onus clarè reliquit sustinendum ab hæredibus, & aliis, quos nominavit in ultima sua voluntate, ergò contra eum neutrum præscribi potest. Ità *Pasqual.* ex parte *q.* 1047. *n.* 6. *&* *q.* 1048. *n.* 7. dicens, hæredem non posse præscribere contra defunctum, utiq; contra legatarium scientem jus suum, & negligentem exigere suum creditum.

Quæres 36. An hæres possit præscribere sibi legatum cum onere missarum adversus Capellanum, vel Ecclesiam, in qua erat celebrandum, procurando celebrationem ab alio Capellano exercendam, vel ab una Ecclesia ad aliam absq; præjudicio testatoris?

76 R. Nō potest hęres propriè sibi pręscribere legatum annuum missarū nec quoad emolumentū stipendii decursi, nec quoad exemptionem missarum, dum enim non præscribitur contra defunctum respectu missarum, nec contra celebrantē respectu legati decursi si missas non celebravit, & stipendium annuum nō petierit, quia hoc tamquam accessorium sequitur naturam principalis, nimirum missarum celebrandarum, propter quas est debitum. Quod si missas celebravit, & stipendium neglexit, debitor in hoc casu potest illud sibi præscribere annuatim secundùm naturā annuorum legatorū decursorum regulādo tempus ad spatium 40. annorum, cum sit pium legatum, acquirit ergò singulis annis unam pensionem ex decursis, & maturatis annis antecedentibus quadragenariam successivè. Et ità intelligendus est *Pasqual. q.* 1048.

Ulteriùs in casu, quo Capellanus, seu Ecclesia negligat celebrationem missarū, hæres, seu Commissarius testatoris sibi jus quodāmodo præscribit favore testatoris, ut missæ alibi celebrentur, facto verbo cū illis, an velint prosequi celebrationem, à quibus recusantibus missarum celebratio transfertur ad aliam Ecclesiam, etiā nullo temporis lapsu spectato ad præscribendum, cum teneatur hæres, vel executor testamentarius quamprimùm consulere menti testatotris, cùm enim id ex debito Charitatis facere debeat, non est propriè pręscriptio, quę est actus voluntarius, sed obligatio, quę est actus necessarius. In hoc autem casu negligentiæ executor, Ecclesia seu Capellano laicali recusante onus in posterum, auctoritate propria potest trā-
77 sferre onus ab una in aliam Ecclesiam, si in priori destinata à testatore, non inveniatur Sacerdos, qui velit celebrare, sicut mutare potest Sacerdotem.

Quęres 37. An ignorantia probabilis sit causa prescribēdi legatū cum onere missarum tàm ex parte hęredis, quàm ex parte celebrātis eorū favore adversus defunctū?

78 R. Præscriptio hìc locum habet, *ità* quòd præscribens suum facit legatum cū suis fructibus, & exemptionem à celebratione respectu missarum correspondentium illis fructibus, ità quòd nō teneatur illas reficere hæres & legatarius, pro eo tempore, quo erat in bona fide lapsu quadragenarii temporis præscripti pro causis piis, fructibus scilicet decursis cum missis non celebratis.

Quòd hìc locū habeat prescriptio probatur, quia ejus quatuor conditiones huic casui applicantur, nā ambo sunt in possessione ex titulo hæreditatis, & legati, cum bona fide ignorantes onus missarū adiunctum, ergò præscriptio locum habet, posito præfixo temporis lapsu, nam ignorantia facti non tollit bonā fidē, sed prescriptioni prodest, *l.* 4. *ff. de juris, & facti ignor. supra num.* 42. *&* 44.

79 Dices præscriptio non currit contra nō valentem agere, & impeditum, *in l.* 1. *§. ult. ff. de Annal. except. cap. quia diversitatem, de conceff. præbend. Rota par.* 6. *dec.* 270. *num.* 2. *&* *par.* 7. *dec.* 21. *num.* 14. *ex Baldo lib.* 1. *cons.* 342. *vers. sed in contrarium.* Sed defunctus agere non potest, ergò nec contra eum currit præscriptio, ut pro ipso non sint reficiendæ missæ ab iis, qui legatum acceperint. Confirmatur id, quia ut dictum fuit *q.* 35. *&* 36. contra defunctum præscribi non potest, cum non possit agere, quod verum videtur ex æquo respectu utriusque casus.

R. Argumentum procedere contra eos, qui præscribunt, & præscribuntur ex scientia in utrisq; suppositā, in hoc enim casu debet esse potentia ex parte *patientis*, ut constare possit de eius negligentia, per quam præscribens dicatur habere bonā fidem, quòd suū reliquerit negligens. Id autē necessarium non est in præscribente cum bona fide antecedente initiū possessionis causata ab illa ignorantia, dū enim jam bonam habet fidem, non est opus, quòd eam emendicet à potentia alterius contra quē prescribit. Statim autē ac devenerint in malā fidē, tenentur deinceps satisfacere menti testatoris, cum enim legatum & obligatio celebrandi habeant tractū successiuū, illi non præscripserunt sibi nisi decursas præstationes, & exemptionem missarum; futuris autem sine dubio debent missæ correspondere.

Difficultas nihilominus est, an missæ incipiendæ sint retro numerando à die malæ fidei cęptæ usq; ad 39. annum, quo nondum est lapsum tempus quadragenariæ requisitum in præscriptione legatorū piorum? Ratio dubitandi est, quia in prescribendis annuis legatis, tot debent esse præscriptiones, quot sunt anni ex dictis sub *q.* 29.

Puto, sufficere missas inchoare à *die* malę fidei, & nō ante, quia bona fides purgavit, & nō extinxit omnē obligationē usq;

dum vi-

viguit poſt lapſum tempus 40. annorum; perfecta enim præſcriptio in omnibus prodeſt præſcribenti, ut ad nihil teneatur, aliter non eſſet perfecta. Ad rationē dubitandi reſpondeo, quòd annuæ præſtationes petunt tot præſcriptiones, quot ſunt anni, quando bona fides oritur ex negligentia præſcripti, nō autem ex ignorantia præſcribentis.

Quæres 38. An minor numerus miſſarum præſcribi poſſit à Sacerdote contra defunctum?

80 R. Affirmativè, ſuppoſita invincibili ignorantia bonam producente fidem, nā bona fides dat jus ad præſcribendum præſcripto tempore, quod hìc eſt annorum quadraginta, juxtà dicta in prēcedētibus. Ità *ex Tambur. lib. 3. de miſſa cap. 7. §. 1. n. 1. Paſqual. q.* 1192. hìc autem illum impugnat, in eo, quòd requirit vicennium, quia ſupponit præſcriptionem verſari inter abſentes, nimirùm, inter Sacerdotē, & defunctū, reſpondēdo eſſe inter præſentes, nimirùm inter Capellanum, & hæredem repræſentantem perſonam defuncti. Sed quicquid ſit de hoc, dic tu, hoc non attendi, ſed quadragenariam cū agatur de cauſa pia.

Procedit reſponſū primò reſpectu cujuſcunq; Capellaniæ ſive laicalis, ſive Eccleſiaſticæ, nam quoad lapſum temporis in utriſq; attenditur ratio cauſæ piæ, quę requirit quadragenariam. Ità *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 3. q. 5. verſ. Hoc ut clariùs, Garz. de benef. par. 1. cap. 42. num. 116. cum aliis Paſqual. q.* 1193. contra Perez de Lara, & alios cū Tambur. dicentes ſufficere tempus ordinarium, quo præſcribitur contra res laicas, qualis eſt Capellania laicalis. Dicas tu, tempus non deſumi ab hoc, ſed ex cauſa pia celebrationis, minuuntur enim miſſæ, non ſtipendium, non legatū, & Capellania dicitur laicalis per reſpectū ad Eccleſiaſticam, non per reſpectum ad actum celebrationis, reſpectu cujus eſt cauſa pia, non laicalis, nec profana. Procedit ſecundò durante bona fide, nam ea tranſeunte in malam deinceps tenetur celebrare ad mentem teſtatoris requirentis miſſam e. g. quotidianam, juxtà dicta in præcedenti quæſtione.

Quęres 39. An è contra major numerus miſſarū pręſcribi poſſit contra Sacerdotē favore defuncti? V. G. ſi ex ignorantia invincibili, vel inertia etiam celebravit miſſam quotidianam loco quatuor, aut quinque ſingulis hebdomadibus. An teneatur proſequi quotidianam?

81 R. Nihil in futurum fuit præſcriptum contra celebrantem, quia bona fides, & ignorantia prodeſt tantùm pro eo tempore, quo durat in his, quæ habent tractū ſucceſſiuum. Sicut ergò in contrario caſu præcedentis quæſtionis ignorantia profuit celebranti, & nocuit defuncto, ità in præſenti profuit defuncto, & nocuit celebranti. Unde intrat illud axioma: *Quod operatur propoſitum in propoſito, operatur oppoſitū in oppoſito. Bara. Axiom.* 171. Ratio verò, quare celebrans veniens in cognitionem ſui erroris non amplius tenetur ad quotidianam ea eſt, quia actus geſtus per errorem non nocet erranti, 82 *l. ſi per errorem ff. de juriſdict. om. jud.* imò errant habetur pro contradicente, *Bald. in l. error. C ad leg. Falcid.* cum ergò non conſenſerit in obligationem miſſæ quotidianæ, non tenetur ulteriùs eam celebrare. Ità *Tamb. lib. 3. cap. 7. §. 2. num. 6.* contra Fraxinellū *ſec. 4. concl. 4. §. 17. initio apud Paſqual. q.* 1195. qui probat, quia favore Eccleſiæ, & piæ cauſæ laudabilis conſuetudo decennalis obligat in futurum, *cap. ad Apoſtolicam, de Simon.* Sed hæc ratio nihil, quia conſuetudo non à ſingularibus perſonis, ſed à communitate inducitur, nec per errorem, & ignorantiam recipit eſſe, 83 ex adductis à *Diana reſol. 14. de conſuet. p. 6.* Clarum autē eſt in caſu noſtro, celebrationē miſſæ quotidianæ accidiſſe ex errore, & ignorantia, nō ex actu voluntario volendi ſe obligare ad id, ad quod non tenebatur; nemo enim tam liberalis Sacerdos invenitur, qui vellit gratis celebrare. Quare argumentum Fraxinelli ſupponit falſum, nempe adeſſe in caſu noſtro conſuetudinem, quod verū non eſt, quia conſuetudo obligatoria non inducitur ex error 84 re, *l. quod* 39. *ff. de legib.* 40.

85 Quæres 40. Quoti anni requiruntur ad præſcribendum ſervitutes? *Dixi ſub. q.* 24. in acquirendis ſervitutibus requiri etiā bonam fidem, dum patiens nihil obſtat, tunc enim cenſetur donare illam proximo ſuo.

Adverte autem, quòd nulla ſervitus procedens ex actibus merè, & purè facultativis præſcribi poteſt, quia ex illis nulla obligatio naſcitur, ut colligitur *ex l. Proculus ff. de damno infecto l. ſi in meo fundo ff. de aqua pluvial. Covar. §. 4. num. 6. Caſtropal. §. 13 num. 4. dicam infra q.* 47. in reliquis procedit quæſtio.

86 R. Primò: ſervitutes mixtæ, quæ ex re debentur perſonæ, ut uſusfructus, penſiones, annui redditus, præſcribuntur cum titulo inter præſentes decennio, inter abſentes vicennio, ſine titulo tricennio, *ex l. fin. C. de præſcript. Caſtropal. §. 13 num. 5. de Lugo num. 75. Sayr. lib. 9. cap. 12. n. 30. verſ. quartò.*

R. Secundò, ſervitus realis, quæ ſcilicet adhæret rei continua, vel quaſi continua, ut ſigni immittendi, oneris ferendi, ſtillicidii, aquæductus &c. eodem modo præſcribitur, ſicut ſervitus mixta, *l. fin. C. de præſcript. l. ſi quis diuturno ff. ſi ſervit. vend. Gomez 2. var. reſol. cap. 15. num. 26. & 27. Covar. lib. 1. cap. 17. num. 11. Caſtropal. p. 22. §. 13. num. 6. de Lugo num. 76.*

℟. Tertiò ſervitus realis diſcontinua requirit tempus immemorabile, *l. hoc jure §. ductus aquæ. ff. de aqua quotidiana, & æſtiva. l. ſervitutes ff. de ſervitute.* Non requiritur ſcientia, & patientia adverſarii, ſicut nec in aliis habentibus titulum. *Covar. lib. 1. cap. 17. num. 11. Anton. Gomez. cit. cum aliis Caſtropal. §. 13. num. 7. de Lugo num. 77.* In carente ergò titulo requiritur ſcientia, & patientia in ſervitutibus realibus continuis, vel quaſi continuis inter præſentes, & abſentes, in lapſu verò tricenii ea patientia non requiritur, nec in immemoriali reſpectu diſcontinuæ ſervitutis, ut præcitati docent. Servitus autem diſcontinua conſiſtit in itinere per alienum agrum, ducendi currum, paſcendi animalia, venandi &c.

Quæres 41. Quotum tempus requiratur ad præſcribendum officium, & juriſdictionem ſive Eccleſiaſticam, ſive laicalem?

87 ℟. Requiritur decennium inter præſentes, & vicennium inter abſentes cum titulo, & ſine titulo tricennium. reſpectu juriſdictionis Eccleſiaſticę quadragenium *Caſtropal. §. 13. num. 10.*

Quæres 42. Quoti anni requirantur ad præſcribendum beneficium?

88 ℟. Præſcribitur triennio bona fide, & pacificè poſſeſſum. Ex Reg. Cancellariæ. Ità quòd ſecurus eſt in conſcientia retinendo illud poſt trienniũ, etiamſi deveniat poſt in malam fidem. Ex opinione probabiliori relata *Caſtropal. de Benef. tract. 13. diſp. 2. par. 33. & hic de præſcript. §. 13. num. 10. verſ. ab hac.*

Quęres 43. Quot anni requirãtur ad præſcribendũ juspatronatũ contra privatũ?

89 ℟. Inter præſentes decennium, inter abſentes vicennium, ſi adſit titulus; aliter requiritur vicennium. Ratio eſt, quia licèt jus præſentandi habeat neſcio quid ſpiritualitatis, tamen quia Eccleſiæ non præjudicatur, nihil enim refert, habeat ne hunc vel illum patronum præſentatorem, ſed tantùm homini privato, ideo hoc tempus ſufficit, non requiritur quadragennium. Ità *Molina diſp. 70. &. 75. Leſſius lib. 2. cap. 6. n. 33. ex illis Caſtropal. §. 13. n. 11. contra Covar. §. 10. n. 8.* requirentem quadragennium. Adverſus Eccleſiã præſentantem requiritur quadragenarium cum titulo, ſine illo immemorabilis, *ex eodem Caſtropal. num. 12. de Lugo diſp. 7: num 89. & 90.*

Quęres 44. Quotum tempus requiratur ad præſcribendas actiones civiles, & debi-

90 ta, quæ exigi poterant?

℟. Reſpectu privatorum præſcribuntur ſpatio triginta annorum niſi actiones brevius tempus poſtulent. Reſpectu Eccleſiæ, & locorũ piorum petit quadragenariam. *De Lugo diſp. 7. num. 80.*

91 Quæres 45. An præſcribi poſſint ea, quę ſunt Principis, & quantũ tempus requiatur? Bona Principis *Covar. §. 2. num. 7.* dividit in quinq; ſpecies. *Sub prima* quæ illi cõpetunt in recognitionem ſuæ ſupremæ poteſtatis, ut juriſdictio, obedientia, vectigal, & cenſus. *Sua ſecunda*, quæ reſervantur eidem ratione ſuæ dignitatis, inter quæ alia ſunt, quæ nunquam communicat, ut ferre leges per univerſum Regnum, monetam nomine ſuo cudere; recipere ultimò appellationes, revocare ſententiam, quæ tranſivit in rem judicatam. Alia ſunt, quæ quandoq; concedit, imponere tributa, tabelliones creare, veniam ætatis dare minoribus, legitimare, reſtituere famam, & ſtatum priſtinum, remittere pœnam delicti, dum pars non eſt læſa, malefactores ad mortem ſẽtentiare. *Sub tertia* numerantur ſpectantia ad coronã Regni, & ad ipſum Principẽ, ut prata paſcuorum, ſaltus ferarum, vivaria, prędia ruſtica, urbana &c. *Sub quarta* continentur bona propria illi cõpetentia ut perſona privata. *Sub quinta* demũ bona cõfiſcata ex delictis ſubditorũ. Quę etiam refert *Caſtropal. §. 14.*

92 ℟. Bona primi generis non poſſunt præſcribi, quia cum à jure Principis procedãt leges præſcriptionis, non eſt veriſimile velle concedere leges, per quas ſubditi eximantur à recognitione ſui ſupremi dominii, & poteſtatis. Ità *Covar §. 2. n. 8. Leſſius lib. 1. cap. 6. n. 41. Caſtropal. §. 14. n. 4. de Lugo diſp. 7. num. 85. & 88.*

93 ℟. Bona ſecundi generis primæ ſpeciei non poſſunt præſcribi, quia ſi ea non concedit verbo gratiæ ſuæ, multò minus lege præſcriptionis eiſdem ſubditis indulget. Ità *Molina diſp. 75. Caſtropal. num. 7. de Lugo num 85.* Secundæ ſpeciei juriſdictionis præſcribi poſſunt ſpatio temporis immemorabilis, ſicut & tributa, quæ ob neceſſitates imponuntur non naſcentia cum principatu, *de Lugo num. 88.* vel centum annorum, cum titulo, *cum aliis Caſtropal. num. 7.*

94 ℟. Bona tertii generis competentia Coronæ ex hæreditate, legato, donatione, fideicommiſſo, aut emptione præſcribuntur cum titulo ſpatio centum annorum, *Caſtropal. num. 8. de Lugo num. 87. ex l. ut inter divinum C. de Sacroſ. Eccleſ.*

95 ℟. Bona quarti generis pertinentia ad fiſcum ante ſententiam vicennio regulariter præſcribuntur, etiam poſt ſententiam nondum fiſco incorporata, modò adhuc reperiantur apud delinquentem, vel tertium poſſeſſorem; incorporata verò præſcribi non poſſunt, niſi per centenariam, *ex l. omnes C. de præſcript. 30 ann. Caſtropal. §. 14. num. 2. de Lugo aliter ſentit num. 82. & 83.*

96 ℟. Bona quinti generis ei competentia uti privato, præſcribuntur eodẽ ſpatio tẽporis, quo uſucapiuntur bona aliorũ privatorum,

torum, *de quib. quæst.* 28. & 29. Ità *Covar. §.* 2. *fine*, *Castropal. §.* 14. *fine*, *de Lugo nu.* 86.

Quæres 46. An possit prescribi feudum, vel emphiteusis contrà Ecclesiam, aut alios privatos?

97 R. Affirmativè, dummodo notitiam habeant novi successores, & non contradicant, præscribitur autem contrà Ecclesiam spatio 40. annorum, contrà privatum spatio annorum decem inter præsentes, viginti inter absentes juxtà dicta *q.* 29. Ità *ex Bartolo Molina disp.* 70. *de Lugo num.* 90.

98 Quæres 47. An detur præscriptio in facultativis? Facultas autem est potestas agendi, vel non agendi, & actus ab ea procedens dicitur voluntarius, non necessarius, undè si misceatur, & probetur coactivus amittit rationem facultatis propriè acceptæ, cujus actus pendent à solo arbitrio agentis, ut ire per viam publicam, hospitari, molendino uti &c. *Eugen. lib* 1. *conf.* 29. *num.* 32. Mera facultas est illa, ex qua nulla actio, aut exceptio oritur ut hospitari amicum, militem, ire per viam publicam, &c. *Gabriel. de præscript. concl.* 10. Facultativus actus est ille, qui non pendet à consensu, & approbatione alterius, *Innoc. in cap querelam de elect. nu.* 6. *Afflict. dec.* 67 *num* 1. *Puteus lib* 1 *dec.* 269 *Rota par.* 4. *tom.* 1. *decis.* 396. *num.* 7. Jus facultandi aliquando competit ex natura rei, ut potestas eundi per viam publicam, molendi apud quemcumque hospitandi ad suum placitum quemcumque &c. aliquando ex lege, & privilegio.

99 R. Jus facultativum meræ libertatis non mixtum actioni, approbationi, nec alterius patientiæ non potest præscribi, utique verò à prædictis pendens, aut à lege, seù privilegio ortum habens.

Prima pars de mera facultate impræscriptibili probatur, quia nulli apta est inferre obligationem, nec jus ad acquirendum in præjudicium alterius. Ità allegati *à Rota par.* 3. *decis* 389. *num.* 4. *Seraph. dec.* 716 *num.* 10. etiam si per mille annos quis egerit, *Abbas in cap. ex parte, de conces. præbend. Boerius decis.* 125. *Surd. cons.* 127 *num.* 20 *Caputaque par.* 1. *decis.* 306. *numer* 7. *ex illis Rota par.* 4. *dec.* 400. *num.* 3. *Pasqual. q.* 1081.

100 Secunda pars de præscriptione in facultativis pendentibus à consensu, & approbatione vel à patientia alterius probatur *per Doctores allegatos suprà par.* 4. *decis.* 396. *num.* 7. *tom* 1.

101 Tertia pars, de præscriptione facultatis passivæ ortum habentis à lege, seù privilegio, probatur per *Cravetam cons.* 111. *num.* 23. *Hond. lib.* 1. *cons.* 82. *n.* 9. *Cancer. par.* 2. *cap.* 34 *num* 144. *Menocb. lib.* 2. *cons.* 201. *numer.* 62. *Rota par.* 2. *decis.* 11. *numer* 9. Hac ratione aliàs probatum fuit, Religionem Tertii Ordinis Sancti Francisci, cujus ego indignus sum alumnus, præscripsisse contrà Generalem Minorum de Obser-

102 vantia Confirmationem proprii Generalis, & visitandi facultatem sibi concessam per Sixtum V. Nàm à Sixto V. usque ad annum 1645. Generalis Observantiæ non confirmaverat nostrum, neque visitaverat Ordinem tentãs prædicta facere, undè probata fuit præscriptio ultrà quadragenariam, & sic frustratoria fuit ejus intentio, cum nihil obtinuerit.

103 Et licèt præscriptio non procedat sine possessione ex dictis *q.* 7. tamen in præsenti casu currit præscriptio sine possessione, quæ tunc necessaria est, quando quis ea mediante vult acquirere novum jus, non autem quando quis præscriptionem inducit ad se defendendum contrà actionem, & visitationem alterius, quia tunc præscriptio perficitur absq; ulla possessione ex solo temporis cursu, aliter nunquam contrà actiones præscriberetur, si necessaria esset possessio, præscriptio igitur longissimi temporis inducitur ex sola negligentia non facultatis, quod agere potest, absq; aliquo facto, & ministerio præscribentis. Ità *ex Cravet a cons.* 111. *num.* 20. *Surd cons.* 73. *n.* 48. & *cons.* 111. *n.* 20. *Rota par.* 4. *tom.* 3. *decis.* 547. *à num.* 12. *ad* 15.

Quæres 48. Quandonam præscriptio incipiat in negativis?

104 R. Incipere à die prohibitionis cum acquiescentia partis adversæ. Ità *omnes cum Seraph decis.* 1086 *n.* 1. *Rota Recent. par.* 5. *tom* 1 *decis.* 265 *num.* 36. & *par.* 8. *decis.* 11. *num.* 10 Prohibitio autem in eo consistit, quòd unus conatur aliquid facere, & alter vetat agere. *Vide Castropal. §.* 13. *num.* 8. & 9.

Quæres 49. An præscriptio currat contra ignorantem præscriptum?

105 R. Non currit, quando ignorantia est justa, seu probabilis, utiq; quando est culpabilis, aut procedit ex negligentia, sic Doctores *allegati à Paulo Rubeo ad decis.* 3. *part.* 3. *num.* 26. & *par.* 6. *dec.* 270. *n.* 6 Nam cum præscriptio fundetur in negligentia domini non currantis suum recuperare, post lapsum temporis non potest se tueri allegando ignorantiam fundatã in negligentia, jura enim non subveniũt negligentibus, sed tantùm diligentibus, *l. Non enim* 16 *ff. Ex quibus causis major;* Itaq; *l. Sicut* 3. *fine C. de præscript.* 30. *annor.* quòd actiones non dentur ignorantibus post præscriptionem 30 annorum, intelligitur de ignorantia culposa. Lege dictum Rubeum *cit. decis.* 3. ubi de restitutione præscripti contra præscribentem quando concedatur.

Quæres 50. An, & quomodo præscriptio inducatur contra Legem?

106 R. Lex tàm civilis, quàm ecclesiastica spatio decennii consuetudine ei cõtraria præscribitur, & abrogatur. Probatur ex

cap.

cap. fin. de conſvetud. *Licèt etiam longevæ conſvetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeò valitura, ut vel jure poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcripta.* Tria ergo ſunt neceſſaria ad præſcriptionem, & derogationem Legis, primò, quòd conſvetudo ſit rationabilis, hoc eſt, expediens bono communi, & non nutritiva peccati, quod in dubio relinquitur diſcutiendum à Judice, *Barb. hìc num.* 11. *Diana par.* 6. *reſol.* 1. *de conſvet.* Secundò, quòd conſvetudo ſit legitima, ſivè legitimè præſcripta importat, quòd ſit inducta actibus uniformibus cum intentione abrogandi legē. Tertiò poſitis legitimis actibus ſubſequēs decennium tandem præſcribit, tollit, abrogat, & deſtruit legem. Tota difficultas ſtat in hoc tempore reſpectu legis Eccleſiaſticæ, nàm reſpectu civilis omnes conveniunt ſufficere decennium, *ex l. ſed ea 3 ff. de legib.* ubi longa conſvetudo legē inducit, longa autem conſvetudo eſt decennium expreſsè *inſtit. de uſucapt. §. 1. & Gloſ. in Rubric. C. quæ ſit longa conſvetudo.* Proponitur titulus, & non reſolvitur in tribus legibus quibus ille conſiſtat.

Sed probatur etiam legem Eccleſiaſticam decennio abrogari. Nàm id ex textu allato colligitur illis verbis: *Licet etiam longenæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas.* Quæ Pontifex Gregorius IX. accepit *à l. 2. cit. C. Qua ſit longa.* Dicens longam conſvetudinem, quæ ſcilicet decennio perficitur non eſſe vilis auctoritatis eſt, ut operari poſſit abrogationem legis introductione alterius ſibi contrariæ. Deindè illa verba: *legitimè præſcripta* facit ſenſum diverſum ab his *canonicè præſcripta*, nàm illa referuntur ad legem Civilem, hæc ad Canonicam, ergo conſvetudo præſcribitur contrà legem tempore a lege prę̃ſcripto, non à canonibus.

Inſuper, ut quis præſcribat contrà Eccleſiam Romanam requiritur centenaria ex probatis *q.* 31. neceſſaria etiam contrà Principem, imò ejus jurisdictio eſt impręſcriptibilis *ex q* 45. ſed nullus umquam dixit ad præſcriptionem legis Eccleſiaſticæ, requiri centenariam, ergo ſufficit decennium, cum quadragenium ſit tantùm pro præſcriptione bonorum Eccleſiæ, inter quæ non computatur lex, quæ eſt in utilitatem ſubditorum, & eorum bonū, non legislatoris, cujus eſt juriſdictio. Ità *Joan. Præpoſitus in 2. D. Thomæ q.* 97. *dub.* 1. *num.* 10. *dub.* 2. *num.* 14. *Jacobi Gordoni lib. 2. ſummæ q* 14. *cap.* 4. *num.* 14. *& 15 Megal. in prompt. V conſvetudo num.* 5. *& 8. cum Bonac. & aliis cum Caſtropal. tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *par.* 2. *§.* 2. *num.* 5. quos refert, ſed non ſequitur *Diana par.* 6. *reſol.* 2. *de conſvetud. verſ. ſecunda*, illos ſequitur *de Lugo diſp.* 7. *num.* 94.

Contrarium, quòd in præſcriptione legis Eccleſiaſticæ requiratur quadragenaria, docent *Sayrus lib.* 3. *Clavis cap.* 11. *num.* 8. *Diana reſolut.* 2. *verſ. ſed quicquid*, ubi plures citat, *Barboſ. ad cap. fin. de conſvet. num.* 13. *Gloſ. V. legitimè præſcripta*, quia ad res Eccleſiaſticas requiritur quadragenaria præſcriptio. Sed cum id ſit verum reſpectu bonorum ipſius Eccleſiæ tantùm, & juriſdictionis auferendorum, non eſt recedendum à priori opinione. Cæpta autem præſcriptio continvari debet, quia unicus actus interrumpit ejus poſſeſſionem; *ex Ludoviſ dec.* 162. *num.* 9. *& 15. aliis citatis à Diana par.* 6. *reſol.* 4. *de conſvet.* Procedit etiam in foro conſcientiæ, ut poſt decennium non peccent agentes contrà legem Canonicam, quia non ampliùs eſt, nec viget, nec obligat.

Quæres 51. Contrà quos præſcriptio currat, vel non currat?

107 R. Non currit primò tempore hoſtilitatis belli peſtis, & ſchiſmatis, *cap. ex tranſmiſſa* 10. *de præſcript.* Ità *Honded. lib.* 1. *conſ.* 89. *num.* 18. *Pariſ. lib.* 3. *conſ.* 9. *num.* 34. *Gratian. cap.* 403. *num* 34. Secundò filiis exiſtentibus in poteſtate patris non currit tempus, ſed dormit. Ità *Bartol. in l.* 1. *§. ſi quis propter ff. de itiner. actuque privato, Honded. lib.* 1. *conſ.* 83. *num.* 56. *Surd. dec.* 151. *num.* 3. *&* 4. *cum aliis Gratian. cap* 433. *num.* 86. Tertiò, contrà pupillum non currit, etiam longiſſimi temporis, *l. ſicut, C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *an. Rota par.* 7. *dec.* 61. *num.* 13. *&* *par.* 8. *dec.* 28 *num* 40. ubi, quòd non à morte patris, ſed à die, quo ille major fuit effectus incipit currere contrà pupillum. Quartò, præſcriptio in debito conditionali non incipit currere niſi poſt adventum diei, quia mora, ſeù negligentia non conſideratur niſi poſt adventum diei, *ex adductis à Rota par.* 8. *deciſ.* 3. *num.* 6. Quintò, ſtante mala fide numquam currere poteſt, *ex cap. ſi diligenti* 5. *de præſcript. Afflict. dec.* 13. *num.* 6 *Gratian. cap.* 78. *num.* 44. Sextò, non currit contrà prodigum, & furioſum. Ità *ex Sforza de reſtit. in integr. q.* 90. *art.* 2. *num.* 10. *Donatus Anton. de Marinis lib.* 1. *cap.* 299. *num.* 3. Septimò, ut currat in juriſdictionalibus abſque probatione veri tituli requiritur tempus immemorabile. Ità *Abbas lib.* 2. *conſ.* 62. *num.* 18. *Bartol. lib.* 1. *conſ.* 139. *num* 6. *cum aliis Gratian. cap.* 441. *num.* 11. Octavò excommunicato exiſtenti in mora petendi abſolutionem currit tempus. Ita *Bald. in cap.* 1. *fine, de præſcript Gratian. cap.* 223. *num.* 29.

Quæres 52. An inducatur præſcriptio contra actum habentem decretum irritans?

108 R. Negativè, quia introduci non poteſt conſvetudo, quæ refertur ad actum factum contra legem habentem decretum irritans, hoc enim tollit omnem conſvetudinem in contrarium *Boer. deciſ.* 1. *num.* 49. *&* 50. *Covar.*

*var. par. 4. cap. 6. §. 10. num. 35. Rota par. 3, tom. 3. dec. 574. num. 26. & 27.* lex enim irritans facit perſonam inhabilem; conſvetudo autem non poteſt tollere incapacitatem, *Decius in cap. Novit. de judic. num. 84. Felin. & Aymon cum Svar. lib. 7. cap. 19. num. 13.* Apud eandem Rotam num. 28. Decretum irritans inficit titulum, & poſſeſſionem, & operatur nullitatem uſque ab initio, *cap ſi eo tempore, de elect. in 6. Caſſador. dec. 1. reſtit. ſpoliat. num. 7. Puteus lib. 1. dec. 386. Rota par. 4. tom. 2. dec. 312. num. 39 & 40. & par. 7. dec. 279. fine*, ubi, quòd præſcriptio impeditur per clauſulã: *Sublata*, & per decretum irritans. Talis autem naturę eſt decretum irritans, quod inficit, & deſtruit omnem contrariam conſvetudinem; non ſolùm præteritam, ſed etiam futuram impedit, ne introducatur, *Felin. in cap. cum acceſſiſſent, de conſtit. num. 30. verſu Quartò limit. Ruin. lib. 2. conſ. 13. n. 13. cum aliis Rota par. 5. tom. 2. deciſ. fin. num. 24.*

Quæres 53. An in prȩcedentia prȩſcriptio locum habeat?

109 R. Affirmativè, quia nullo jure reprobatur, ut pluribus probavi in Theatro *præced. q. 14 & 15.* de tempore ad præſcribendum præcedentiam, quod eſt quinquennium, quia hoc ſpatio Religio ſibi præſcribit profeſſum, ergo & profeſſus locum eodem tempore, acceſſorium enim, ut prȩcedentia ſequitur naturã ſui principalis, quod eſt Profeſſio, fundamentum ſcilicet à quo originatur jus præcedentiæ. Vide loco citato *à num. 52. ad 107.* ubi alia de præſcriptione, quæ non repeto, ne ſim prolixior.

110 Quæres 54. An peccata præſcribi poſſint? In delictis plura conſiderantur *Primò* peccatum actuale, quod conſiſtit in violatione, & tranſgreſſione legis committendo contrà præceptum nagativum, vel ommittendo contrà præceptum affirmativum, & id cum conſiſtat in actione tranſeunte non eſt poſt factum, ſed aliud poſt ſe tamquam effectum relinquit, & vocatur macula *Secundò* quæ conſiſtit in turpitudine peccati auferenda per contritionem, aut Sacramentum Pænitentiæ. *Tertiò* delictum obligat transgreſſorem ad ſubeundam pœnam æternæ damnationis ex peccato contractam, quæ mediante contritione, vel Sacramento Pœnitentiæ de æterna commutatur in temporalem, quæ ſatisfactionibus, & Indulgentis ſolvitur. *Quartò*, ſi delictum eſt præjudiciale proximo in honore, vel rebus, delinquens contrahit duplex debitum, unum legale ſatispatiendi, & ſubeundi pœnam à lege impoſitam; & alterum reſtitutionis honoris, vel rei ablatæ, vel reparationis damni illati. Circà hoc quartum remanet difficultas, nam in aliis peccata per Pœnitentiam tolluntur, nulla temporis præſcriptione agente pro peccatoribus, quia præſcriptio reſpectu divinæ legis locum non habet.

111 R. Nulla datur præſcriptio in delictis quoad culpam, & pœnam æternæ damnationis, cum debeant tolli Sacramentis, & Indulgentiis, ac bonis operibus nec præſcribuntur eorum pœnæ ſpirituales, cum tollantur abſolutione Eccleſiaſtici miniſterii. Ità *Gloſ. in cap. Admonere 33. q. 2. Abbas in cap. fin. de præſcript. ibid. Felin.* 112 *cum aliis Farinac. q. 10. num. 31.* Quorumcumque delictorum ſivè publicorum, ſivè privatorum, etiam confeſſatorum, etiam occultorum inquiſitio ex officio Judicis, ſeù accuſatio præſcribitur ſpatio viginti annorum, *ex l. Quærelaff. ad leg. Cornel. de falſar. ex adductis à Farinac. q. 1. nu. 68 & q. 10. à num. 1. ad 14.* Crimina verò adulterii, ſtupri ſine vi, inceſtus, & lenocinii, niſi inter ſe ſint mixtà quinquennio præſcribuntur, *l. Mariti § quinquennium ff. ad leg. Jul. de adulter. num 15.* Crimina verò injuriarum præſcribuntur unico anno, *ex l. ſi non convitii, fine, C. de injur.* reſpectu tantùm actionis prætoriæ, non civilis, quæ in tribus conſiſtit, in pulſatione, verberatione, & introitu in domum, aliæ dicuntur prætoriæ, *Farinac. q. 10. num. 21.*

Non præſcribuntur hæc delicta, nimirum crimen utriuſque læſæ majeſtatis, patricidium, ſuppoſitio partus, apoſtaſia, aſſaſſinium, monetarium, Simonia abortus, & concuſſio, textus referuntur à *Farinac. q. 10. num. 29.* Vide *de Lugo diſp. 7. à num. 97.*

Quæres 55. An contrà Bullam Cœnæ Domini detur præſcriptio?

113 R. Negativè, ſed per eam omnis præſcriptio cȩpta contra ipſam, & Romanã Eccleſiam ſingulis annis dicitur interrupta, ut nullus unquam poſſit præſcribere contra illam, tollens omnes conſuetudines etiam immemorabiles. Ità Urbanus VIII. *in ſua incip.* Romanus Pontifex 47. *poſt. initium, & poſt Appendicem Bullarii, Gratian capi 52. num. 6. Megal. conſ. 72. n. 4. Sperell. dec. 37 n. 48. Barboſ deciſ. Apoſt. 595. V. Præſcriptio. fine. Fagnanus ad. cap. pervenit, de adulteriis num. 44.*

Quæres 56. Qualis præſentia, requiratur inter præſcribentem, & præſcriptũ, juxta dicta ſub *q. 28. & 29.*

114 R. Præſentiam importare, utrumque habere domicilium in eodem loco; ſic enim; interpretantur ea verba: *Sin autem non in eadem Provintia ſint &c. l. fin. C. de præſcript. longi temporis Angelus ibidem Alex. lib. 2. conſ. 118. num. 16. Cephal. conſ. 29. num. 14. Maſcard. de probat. concl. 1214. num. 68. cum aliis Merlin. dec. 811. num. 3.*

Quæres 57. An tempus aſſignatũ in prȩcedentibus quȩſtionibus ad complendam prȩſcriptionẽ debeat currere de momẽto ad momentũ, ut poſt illud, prȩſcribens ſit tutus in utroq; foro, quoad hanc exceptionem

nem præscriptionis contrà Adversarium?

115 R. Debet currere de momento ad momentum, quia in ultima hora perficitur scriptio, cum enim sit materia valdè odiosa, de proximo complenda non habetur pro completa. Ita *Jason. in l. 3. §. Habeo ff. de acquir. possess. Rebuff. de pacifica possess. num. 320. cum aliis, Paulus Rubeus ad decis. 20. num 23. & 24. par. 3 Rotæ, quæ idem docet dec. 226. num. 48. p. 7.* Undè allegari nõ potest à præscribente in sui favorem, nisi totum tempus sit lapsum, *Rota p. 4 tom. 3. dec. 671.* Adeò quòd nihil operatur, nisi sit completa, *Rota p. 8. dec. 28. num. 39.*

Quæres 58. An postquam tempus præscriptionis fuerit adimpletum possidens tutus sit in utroque foro, itaut molestari amplius non possit, etiam si venerit in malam fidem, rem non fuisse suam?

116 R. In neutro foro molestari potest, quia res usucapta facta est propria possidentis, vel quasi possidentis, si sit res incorporalis. Est communis contrà quosdam apud *Sayr. lib. 9. cap. 12. num. 33. & dixi q. 5. suprà.* Quare quando est completa interrumpi amplius non potest, sicut poterat antequam compleretur, *Mantica decis. 296. num. 5. Ludovis. dec. 51. num. 8. Rota par. 5. tom. 2. decis. 591. num. 22.* Pro foro externo intellige, nisi læsus petat restitutionem in integrum.

Quæres 59. An præscriptio locum habeat in sequenti casu?

117 Petrus in suo testamento reliquit hæredem universalem suum nepotem ex fratre pupillum cum onere faciendi celebrare duo anniversaria singulis annis in perpetuum cum decem missis pro singulo anniversario. Pupillus possidens, & utens hæreditate abhinc annis triginta, ignorans usque ad id tempus supradictam obligationem, modò quærit, an possit se tueri præscriptione; & eximere se ab hac obligatione, vel titulo possidendi non ex testamento, sed ab intestato, ut in totum effugiat hoc onus.

118 R. Non posse se eximere ab hac obligatione, sed teneri reficere anniversaria præterita, & futura celebrari facere, quia mens testatoris cum sit apertè clara nullam admittens ambiguitatem, omnibus modis servanda est *cap. Ultima 4. 13. q. 2.* Et licèt ea ignorantia quamvis probabilis, & inculpabilis usque ad id tempus, quo devenit in notitiam tali oneris, excusaverit pupillum, non tamen deinceps eum excusare potest, cum ea obligatio extingui non potuerit mediante ignorantia, quæ solùm excusat à peccato mortali, & à pæna, ex communi Doctorum apud *Sanch. lib. 9. disp. 32. num. 28. & seq.* non autem ab obligationibus, & debitis.

Præscriptione autem se eximere non potest ab hoc onere, ut probavi hìc *q. 35. num. 75.*

119 Neque repudiata hæreditate ex testamento, volendo bona possidere ab intestato, excusari potest à prædicto onere, si-

59 quidem adhuc tenetur satisfacere suo oneri, *ex l. 1. §. fin. l. 2. ff. si quis omissa*, quia præsumitur id fecisse in fraudem testatoris, & Ecclesiæ, ut dixi suprà hìc num. 15. Bona enim remanent obligata tali oneri ad quemcumque transeant, quovis titulo, cum tale onus sit mixtum ex persona, & re extante penès ipsam.

120 Redeũdo ad præscriptionem, ea hìc locum habere non potest, non solùm defectu quadragenariæ, quæ requiritur ad præscribendum contra causam piam, ut docet *Pasqual. de Sacrif. Missæ, q. 1193. n. 3.* Doctoribus citatis. Verùm etiam, quia præscriptio versatur circa debitorem, & creditorem viventes, ex quo fundatur in

121 scientia, patientia, & negligentia creditoris non petentis, *Merlin. dec. 497. num. 14. Pasqual. cum aliis q. 1047. num. 5.* certum autem est, quòd testatori ea convenire non possunt maximè negligentia, cum mortui nulla sit voluntas ad has actiones,

122 *cap. si gratioſè, de Rescr. in 6.* ergò contrà defunctum nemo præscribere potest, cũ pro ipso quotidie exclamet ipsum testamentum contra hæredem.

Quid si hęres aliqua fecit celebrare anniversaria ex sua devotione pro testatore, & suis defunctis, dum ignorabat suã ob-

123 ligationem? Computari possunt in satisfactionẽ, quia ad satisfaciendũ non est necessaria intentio satisfaciendi, sed sufficit præstare opus, in cujus executione viget intentio satisfaciendi.

---

## CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

### *De Cessatione Legatorum.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Cessatio legatorum est eorum extinctio, & destructio.*

2 *Cessant Revocatione, Caducitate, Præscriptione, & Destructione.*

3 *Pereunte legato in totum, vel in partem, perit etiam onus.*

4 *Domus refecta particulatim est eadem numero, non verò si tota.*

5 *Quamvis remaneat ara, domus, vel agri, cessat tamen onus legati, cum non sit frugifera, donec fructus reddat, detractis expensis.*

6 *Pecunia licèt non implicata sed versa in utilitatem* Monasterii *non facit cessare onus missarum.*

7 *Difirabentes pecuniam sine utilitate loci pii tenentur, non verò eorum successores si non est versa in communem utilitatem.*

8 *Pecunia, vel alia res periens ex culpa non liberat ab onere.*

Casu

9 *Caſu legatum periens, ceſſat onus miſſarum, niſi præceſſerit culpa, ſeu mora, quæ adeſt, ſi pecunia ſublata fuit intra bimeſtre non celebratis miſſis manualibus, vel pecunia non implicata invento ſtabili frugifero.*
10 *Evictione legati ceſſat onus miſſarum.*
11 *Legatum miſſarum durat perpetuò ultra centum annos.*
12 Hæredis *nomine veniunt omnes hæredes in infinitum.*
13 *Animæ in purgatorio manere poſſunt uſq; ad diem judicii.*
14 *Innocentius Papa detinetur in Purgatorio uſque ad diem judicii.*
15 *Legata miſſarum ceſſant ſpatio 100. annorum, eſt minus probabilis.*
16 *Uſusfructus extinguitur morte uſufructuarii*
17 *Legata, & uſusfructus purificantur.*
18 *Infinitas evitanda in omni materia, niſi finem habeat illimitatum num. 22.*
19 *Animæ non manent in Purgatorio ultra decennium, dictum Soti erroneum 23.*
20 *Miſſarum onus durat ultra centum annos, probabilius.*
21 *Uſusfructus extinguitur ſpatio cẽtum annorum, ne ſit inutilis proprietario.*
22 *Infinitas quandoq; non evitatur, cum habet cauſam illimitatam 18.*
23 *Soti opinio de purgatione decennii eſt erronea 19.*
24 *Legatum inſufficiens ad onus exequendũ non ceſſat.*
25 *Sed commutatur per Epiſcopum.*
26 Si nupſerit Titio. *Requiſita negans perdit legatum, modò non pæniteat intra triennium.*
27 *Deſtructo loco pio, ceſſat legatum receptum verò non extinguitur demolitione, vel profanatione, ſed in eo ſuccedit alia Eccleſia, cui fuit unita.*
28 *Legatum debetur, licèt conditio ſit impleta, imò expirata etiam ante mortem teſtatoris.*
29 *Conditio triplex, poteſtativa, caſualis, & mixta.*
30 *Conditio quibus dictionibus inferatur.*
31 *Conditione poteſtativa nõ impleta ex incuria legatarii ceſſat legatum, non verò ſi caſu fortuito, vel aliorum facto non impletur ab eo.*
32 *Poteſtativa impletur poſt mortem teſtatoris, aliæ quovis tempore.*
33 *Conditio habetur pro impleta, ſi per legatarium non ſtat.*
34 *Onus annuum omninò implendum aliter impeditum ceſſat legatum.*
35 *Labore annuo deficiẽte deficit annuũ leg.*
36 *Correlativorum uno deficiente, ceſſat alterum.*
37 *Modus eſt onus, & gravamen, ſeu moderatio adiuncta legato.*
38 *Modus antequam fiat non impedit acquiſitionem legati, ſicut facit conditio, quæ impedit ejus acquiſitionem, donec adimpleatur, & non eſt tranſmiſſibilis ſicut legatum modale.*
39 *In dubio cenſetur conditio; non modus.*
40 *Legatarius perdit legatũ ſi illud nõ implet cũ poteſt, & nõ impeditur niſi ſit annuus labor, quem non præſtat etiã impeditus.*
41 *Conditio habetur pro impleta, ſi non ſtat per eum, vel ejus culpa.*
42 *Cauſa finalis quæ principaliter movet, impulſiva, quæ præbet occaſionem.*
43 *Cauſa reſpicit, & præteritum, & futurũ.*
44 *Ceſſante cauſa finali ceſſat legatum.*
45 *Non in legatis piis, cum in eis divinus cultus ſit perpetuus.*
46 *Pereũte fũdo ſine negligẽtia perit obligatio*
47 *De ſuo nemo tenetur laborare pro aliis.*
48 *Caſu fortuito tenetur ex pacto*
49 *Negligens tenetur, licèt pereat fundus.*
50 *Nõ verò ſucceſſor ignorãs ejus negligẽtiã.*

1 CEſſatio Legatorum ſupponit eorum exiſtentiam præcedenti tempore, antequam de eſſe tranſeant ad non eſſe, nam ſi nunquam extitiſſent, nunquam ceſſarent, quia non entis nullæ ſunt paſſiones. Eſt autem ceſſatio legatorum eorum extinctio vel quoad rem, vel quoad fructus rei frugiferæ, vel quoad obligationem, ità quòd deſtructa re legata tollitur obligatio oneris adiecti, juxtà quod dicam in ſequentibus quæſtionibus.

Quæresigitur primò quot modis ceſſet legatũ miſſarum, & aliorum onerum!

2 R. Multis modis. *Primò* revocatione teſtamenti, nam legatum aliud eſſe non habet, niſi quod recipit à teſtamento, ergò eo revocato intelliguntur etiam revocata legata, juxtà quod dixi cap. 13. *Secundò*, legatum ceſſat caducitate, ut ſi ruptum fuit teſtamentum, & de hoc dixi eodem cap. 13. *Tertiò*, ceſſat præſcriptione, juxtà dicta præcedenti cap. *Quartò*, deſtructione rei legatæ, juxtà quod mox dicam.

Quæres 2. An deſtructione rei legatæ in totum, vel in partem, ceſſet onus celebrandi, vel dandi eleemoſynam adiectũ rebus legatis?

3 R. Pereunte re legata in totum vel in partem, ceſſat quoq; onus, & obligatio conjuncta rei legatæ totaliter, vel partialiter. Probatur *per l. Si grege 22 l. ſi ità ſcriptum 68 ff. de legat. 1. l. Ei qui amplius 20 ff. de mortis cauſa donat. l. Plautius 43. fine, l Qui bæredi 44. §. Si pars, ff. de condit. & dem.* Ratio eſt, quia obligatio innititur rei legatæ, ſicut accidens inhæret ſubiecto, ſed ſubiecto deſtructo ſicut perit accidens, ità re legata, vel ejus fructibus pereuntibus ceſſat obligatio. Confirmatur, quia talis præſumitur eſſe mens teſtatoris, ut nolit obligare Sacerdotem, qui nõ tenetur gratis celebrare, vel dare eleemoſynam de ſuo, qualis de jure eſſe debet, ergò pereunte legato, & emolumẽto ceſſat obligatio celebrandi, quæ ſup-

ponit emolumentum, & stipendium. In terminis *Parlador. par.* 3. *Differ.* 17. §. *Un. num.* 7. *ex eo Januar. par.* 1. *resol.* 42. *num.* 13. *Vers. Et si pro parte*, *Pasq. q.* 1074. ubi deficientibus fructibus, cessat obligatio celebrandi, ubi citat quamplures in his terminis.

Quæres 3. An cesset obligatio in totum, quando remanet area e. g. domus combustæ, super qua erat legatum, vel fundus agri redditur infrugifer alluvione, vel arena conspersus? Ratio dubitandi est, quia remanet aliqua pars legati, unde in *l. Si grege* 22. *de legat.* 1. dicitur, quòd insula combusta, potest vindicari area. Et in *l. Si ità scriptum* 68. §. *Si domus fuerit legata, licèt particulatim ita refecta sit, ut nihil ex pristina materia superfit, tamen dicemus, utile manere legatum; at si ea domo destructa, aliam eodem loco testator ædificaverit, dicemus interire legatum, nisi aliud testatorem sensisse fuerit prubatum.* Perit ergò legatum, si in totum reficiatur domus combusta, non autem si paulatim reficiatur ex parte scilicet tantùm destructa, ratio est, quia domus ex refectione eadem numero est ac proinde subiecta legato, ædificata verò iterùm est alia domus, quæ non dicitur illa prior, ac proinde non est subiecta legato.

5 R. Cessat obligatio missarum, quia licèt remaneat area, tàm domus, quàm fūdi, extinguitur tamen fructificatio, dū domus non amplius locatur, nec ager colitur, certum autem est, quòd celebrationi debet correspondere proprium stipendium colligendum ex fructibus fundi domus, seu agri, res enim legata cum onere missarum debet esse frugifera ex Decret. de celebr. missar. non extante ergò frugiferatione, cessat obligatio, quæ utiliter fundatur in fundo frugifero, non verò inutili. Quòd si domus reficiatur, & ager labore, & industria reducatur frugifer, detractis expensis omnibus ex annuis redditibus, quibus cessavit obligatio celebrandi, Sacerdos deinceps tenetur celebrare, quia incipiunt domus, & ager novos reddere fructus nulli obligatos nisi pro celebratione missarum.

Ratio dubitandi ex illis textibus nihil contra hoc responsum, quia area domus, & ager licèt infrugifer non amittunt rationem legati, cum fructificatio respiciat legatum non quodcumq; sed solùm oneroſum; de quo non loquuntur illi textus. Legatum ergò missarum transit semper cum suo onere, quandocunque est actu frugifer, quia spectatur secundùm utilitatem corporalem respectu celebrantis, & utilitatem spiritualem animę respectu testatoris.

Quæres 4. An peccunia relicta implicādo in re frugifera, si consumetur in beneficium Ecclesiæ, vel Monasterii inducat obligationem celebrandi, an verò cessationem? e. g. Si distrahatur in fabricatione sive necessaria, sive voluntaria, in solutione debitorum, in emptione tritici &c. item in emptione utensilium pro hospitatione militum, ut accidit scribente me hìc Parmæ, nā omnes Regulares coacti fuerunt recipere in suis Monasteriis milites, & eisdem subministrare utensilia cū dāno irreparabili &c.

6 R. Monasterium adhuc tenetur celebrare missas, & exequi alia onera, quæ à testatore adiecta fuerant legato pecuniarum, quamvis eas non implicaverint, qua obligatione tenentur etiam successores in Monasterio, Ecclesia, seu alio loco pio. Ratio; acceptatione legati se obligaverunt observare mentem testatoris, & quantùm fuit ex parte testatoris fructus annuus debebat respondere celebrantibus, qui fuerunt in causa pecuniæ distractionis, ne peccunia implicaretur in fundum frugiferum, cum ergò testator ex parte sua fecerit, quod promisit, debent Sacerdotes ex parte sua stare promissis, cum receperint peccuniam vinculatam, & obligatam cum onere missarum, quælibet enim res transit cum onere suo, & cùm per receptionem pecuniæ contracxerint cum testatore, & hæredibus, necessariò sequitur, quòd debeant exequi voluntatem testatoris, ex contractibus enim onerosis oritur utrinq; obligatio. Ità docet *Pasqual. q.* 1064. *n.* 3. dicens, teneri successores in loco pio celebrare, quādo pecunia versa est in utilitatem Monasterii, & alterius locii pii, quod probat *l.* 1. *initio ff. de in rem verso.*

Quæres 5. An quandò pecunia, vel aliud distractū fuit sine aliqua Monasterii, seù loci pii utilitate, teneātur pręsentes, & successores celebrare missas?

7 R. Pręsētes, qui consenserunt, vel distraxerunt pecuniam, vel aliud sine aliqua loci utilitate, peccāt contra Justitiā, & tenētur procurare implicationem pecuniæ distractę, seù alterius rei alienatę, quę erat subiecta tali oneri, & in hoc nō est dubitandū, quia acceptione pecunię, vel alterius rei contraxerunt obligationē cū hęrede, qui testatoris personā repręsentat. Successores verò non tenentur, quando res non fuit conversa in utilitatē loci pii, quia obligatio carens debitis requisitis, inter quę, in re hac, deficit implicatio in re fructifera, non potest transferri in successores, cū antecessoris culpa non debeat nocere successoribus. Ità idem *Pasqual. q.* 1064. *num.* 6. & 7.

Quæres 6. An si res pereat culpa ministri Ecclesię, cesset in hoc casu obligatio missarum?

8 R. Si res pereat per cōversionē legati, in utilitatē loci pii, sine dubio tenetur, & viget obligatio, propter rationē allatā in *q.* 3. adfuit enim culpa trāsgressionis Decreti de celebr. missar. quod mandat pecuniam

tiam investiri in re frugifera, & non posse distrahi. Et potissimùm tenentur illi, qui fuerunt in culpa tamquam auctores distractionis, & alienationis rei, egerunt enim contrà Justitiam, ac proindè tenentur satisfacere. Ità *Fraxinell. sect. 4. concl. 4. §. 27. Tambur. de Missa lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 89. cum aliis Pasqual. q. 1064. num. 6.* Itaq; ut cesset obligatio celebrandi oportet, quòd res pereat sine culpa illorum, ad quos spectat administratio, sed casu res pereat.

Quæres 7. An teneantur celebrare, quando res, seù pecunia accepta casu perit, ut si furto sublata fuerit.

9 R. Negativè, quando periit sine culpa mora, aut peccato, quia nemo ex casu fortuito tenetur, nisi subsit unum ex illis tribus. Ità *Sum in V. Casus, Angel. num. 2. Armilla ibidem. Sà ibidem, ex l. Si ut certò 5. §. Nunc. videndum ff Commodati, l. Si quis 10 ff Locati.* Tunc autem quis dicitur esse in mora in præsenti materia. *Primò* respectu missarum manualium, si intrà bimestre non cepit celebrare missas ex dictis *cap 9 num. 80 Secundò*, respectu implicationis pecuniæ, si enim invenit idoneam proprietatem frugiferam, & non investivit pecuniam, dicitur esse in mora, & in culpa, ac proindè sibi pecunia perit, & tenetur celebrare pro sua culpa, & mora. *Tertiò*, si res perit ex mera ejus negligentia, quia pecunias non custodivit sicut suas, tenetur ad missas, quia fuit in culpa.

Quæres 8 An evictione fundi designanti à testatore, vel ejus hærede, vel empti ab Ecclesia pecuniis testatoris, seù hæredis cesset legatum cum suo onere?

10 R. Si evincatur fundus, facta ejus restitutione, cessat obligatio missarum, quia corruente fundamento legati, extinguitur etiam onus celebrationis, quod illi inhærebat, quia alia ratione celebrans non tenebatur celebrare, nisi quia utebatur fructibus annuis illius fundi, sed ampliùs non habet jus ad illos, ergo cessat onus celebrandi non currentibus ulteriùs fructibus. Si hæres assignavit fundum evictum & habet alia bona testatoris, tenetur aliũ fundum tradere, vel solvere annua stipendia pro missis, quia bona testatoris remanẽt obligata, quando ipse non designavit talem fundum evictum à Domino, tunc enim simpliciter extinguitur legatum cum suo onere.

Quæres 9. An diuturnitate temporis cessent Legata cum suis oneribus?

11 R. Onera missarum à testatoribus relicta in perpetuum, & sine limitatione temporis, perpetuò durare usq; ad finem sæculi, ac proindè Ecclesia habente obligationem celebrandi missam e. g. quotidianam pro defunctis testatoris in perpetuum, non extingui umquam hanc obligationem ex parte Ecclesiæ, seù etiam hæredis, qui talem obligationem, cum sit realis, transfert in suos successores acquirentes eadem bona obnoxia huic obligationi. 21

Probatur id *ex l. Annuam. 6. l. cum quidam 23. ff. de ann. legat. l. in annalibus 22. C. de legat.* In quibus locis dicitur annuum legatum deberi in perpetuum, non solùm usq; ad centum annos, sed etiam ulteriùs, & sine temporis limitatione, nàm legatũ relictum certæ personæ, ut dicitur in citata lege Cod. *& ejus hæredibus*, debetur hæredibus in infinitum quia appellatione hæredis veniunt hæredes in infinitum in

12 legat. Vide *Barb. appell. 113. n. 5.* Ratio est, quia legata missarum cum fiant pro animabus testatoris, & suorum defunctorũ, quorum animæ cruciari possunt in Purgatorio ultrà centum annos, ratio exigit, ut missæ pro eo celebrentur sine ulla temporis limitatione, nos enim ignoramus, quot annis animæ maneant in Purgato-

13 rio, ideò testatores relinquunt hujusmodi onera perpetuò duratura usq; ad finem sæculi, non enim repugnat, quòd aliqua anima remansura sit usq; ad finem Judicii universalis in purgatione, undè apud Surium in vita S. Larbergiæ legitur quòd Papa Innocentius in Purgatorio retinetur usq; ad diem Judicii; refert Carolus de Baucio Sacerdos Capuanus in Tract. de Judicio Universali, *q. 10. de Purgat.* ci-

14 tans D. Augustinum, qui *lib. 9. Confess. 1. 13.* ait, se orare pro sua matre mortua annos ante triginta, rogans, ut quotquot ejus librum legerint, ejus meminerint ad Altare, ergo S. Augustinus putavit suam matrem potuisse indigere suffragis missarum etiam post centum annos, dum ejus liber potest perpetuò legi etiam usque ad diem judicii. Ità docent *Bonac. de contract disp 3. q. 17. p. 8. §. 6. num 2. Homob. in consultat Vol 2. par. 7 resp. 27. quos citat, Diana par 5. tract 14. resol. 84. cum multis aliis. Ciarlin. cap. 143. à. num 20. Gratian. cap. 131.*

15 Contraria sententia, quòd annua legata etiam missarum cessent lapsu centum annorum, à plerisque tenetur, & ab eis probatur auctoritate *l. An usufructus 63. ff. de usufr. & quemad. l. si usufructus 8. ff. de usufr. legato* In quibus usufructus relictus Civitati, aut Municipio nõ durat ultrà centum annos, sed tandem consolidatur cum proprietate, ne sit perpetuò inutilis, de natura enim usufructus est extingui morte usufructuarii, & legatarii *l. Ambi-*

16 *guitatem 12. C de usufr. & habitat. instit. de usufr. §. Finitur.* ergo idem dicendum est de legato cum onere, parificantur enim usufructus, & legatum annuum, *l.*

17 *in singulos 8. ff. de annuis legat. l. fin. C. de Sacros. Eccles.* Etiam si fuerit relictum Ecclesiæ *Glos. V. Longævi hominis, cit l. An usufructus 63. ff. de usufr. & quemad.* Et ratione, tùm quia infinitas evitan-

18 da est in omni materia, *l. qui bona, §. fin. ff. de damno infecto l. 1. C. de sent. quæ pro eo, cap. eum in multis, de rescript.* Tùm quia animæ defunctorum liberantur spatio cẽtum annorum à qualibet pœna quantumvis gravissima, imò secundùm Scotum *in 4. dist. 19. q. 3. art. 2.* Animæ in Purgatorio ultra decennium non detinentur, ergò frustra celebratur pro illis. Et hanc opinionem esse probabilem, & communẽ
19 docent plerique relati à *Ciarlin. cap. 143. num. 11. Naldus V. usufructus num. 12.* quam probabiliorem in jure putat Diana citatus, quamvis dicat in praxi servari oppositam, quos contra se citat *Pasqual. q. 1059.*

20 Ego autem dico longè probabiliorem esse nostram auctoritate, & ratione probatam, & esse magis communem, cum non omnes Doctores citati pro contraria loquantur in terminis nostris præcisè de celebratione missarum. Ad auctoritatẽ dico, non valere arguere ab extinctione usufructus spatio centum annorum ad cessationem legati eodem tempore, dispar enim est ratio, nam in usufructu datur extinctio, ut possit esse utilis proprie-
21 tario, in casu verò nostro non est necessaria hujusmodi extinctio, quia apud hæredem universalem remanet usufructus bonum cum proprietate, vel utrunque transfertur in Ecclesiam, seu locum piũ, ex quo patet, usumfructum non esse inutilem, sed semper utilem proprietario in legatis, dum fructus sequuntur, ut plurimùm proprietarium. Ità *Covar. lib. 3. Var. cap. 9. n 10. cum aliis Ciarlin. n. 22.* Ad
22 rationem primam dico, tunc esse evitandam infinitatem, quando causa est limitata tempore; clarũ autem est, animas defunctorũ semper egere suffragiis, cũ nobis incertũ sit, quandonã liberentur à pœnis. Unde meritò testatoris verba trahuntur ad infinitã durationem, & sic nullum est absurdum, *Gratian decis. 22. n. 10. & cap. 131. n. 14. Berous. cons. 155. lib. 1. initio ex illis Ciarlin. cap. 143. n. 24* Ad opinationẽ
23 Soti, quæ est secunda ratio, respondetur, eam pati exceptionem censuræ, unde *Suarez disp. 46. de Pœnit. sect. 4. num. 6* vocat erroneam, & dignam aliqua censura.

Quæres 10 An legatum cũ onere fabricandi Monasterium, aut Ecclesiam, cesset, & extinguatur, si sit insufficiens ad exequendum onus injunctum?

℟. Non cessat, nec extinguitur, sed
24 remanet apud hæredem cum onere suo, in quo casu Episcopus cum hæredis consensu commutat in aliud opus, quod adimpleri possit per designatum pecuniæ legatum.

Primum probatur, quia legatum caducum remanet apud hæredem cum onere suo, *l. Celsus 29 ff. de legat. 2.* Voluntas enim, & mens testatoris adimplenda est omnibus modis, *cap. ultima 4. 13. q. 2.* ergò si non potest adimpleri uno modo, adimpleatur alio. Quare legatum cum onere illicito relictum adimpletur per opus licitum, *l. legatum 10. ff. de usu, & usufr.*

25 Secundum patet ex dictis cap. 14. de commutatione legatorum facienda per Episcopum, hinc est, quod legata onerosa numquam caduca fiunt.

Quæres 11. An extinguatur legatum sub hac conditione: *Si nupserit Titio* si puella neget nuptias, licèt posteà se offerat ad nuptias?

26 ℟. Si intra triennii interpellationis nõ nubat, postquam erit apta viro, cessat legatum, & ei amplius non debetur, *l. 2. §. Ad filiorum C. quando, & quibus quarta pars. lib. 10. ibi Bartolus, & Joannes de Platea, Gratian. cap. 37. n. 9. cap. 254. per totum.* Contra Castrensẽ asserẽtem, mulierem privari legato sibi facto sub conditione, si nupserit Titio, cum primùm interpellata recusat nubere illi, quamvis posteà pœniteant quovis tempore. Limitatur ergò ejus pœnitentia intra triennium secundũ Mutam *super Consuet. Panor. cap. 47. num. 95. Mant. lib. 2. de coniect. ult. vol. tit. 18. num. 23. apud dictum Gratianũ.* Transacto ergò triennio, cessat, & evanescit legatum, cum non sit amplius locum pœnitentiæ.

Quæres 12. An destructa Ecclesia, seu loco pio, extinguatur, & cesset legatum illi relictum?

27 ℟. Si pereat Ecclesia demolitione, vel profanatione, antequam moriatur testator, vel antequam sit illi quæsitum, caducatur, quia non existit cui acquiratur, ex dictis *cap. 13. n. 10.* Si verò post acquisitũ legatum Ecclesia pereat, non cessat legatum, nec revertitur ad hæredem, sed in eo succedit Romana Ecclesia, cum sit hæres omnium aliarum Ecclesiarum per orbem. Ità *Bartol. in l. fin. ff. de colleg. n. 22. vers. quæro quid fiet. de reb. & alii apud Peregrin. de fideicom. art. 11. n. 64. & aliis Gratian. cap. 131. n. 15.* Dicas nihilominus legatum acquiri illi Ecclesiæ, cui profanata unitur, ut praxis docet in singulis diœcesibus.

Quæres 13. An legatum relictum sub conditione: *Si erit consul, Officialis &c.* cesset, an debeatur, si legatarius adimplevit conditionem ante mortem testatoris, imò & finierit officium?

28 ℟. Non extingui, sed deberi, expressè *l. Si quis. 7. C. de institut. & substit* sufficit enim, quòd conditio semel sit adimpleta, etiam in momento, & quovis tempore, ex dictis *cap. 1. num. 31.*

Quæres 14. An conditione deficiente, cesset legatũ, & non debeatur? Dixi sub *cap. 1. num 9.* conditionem esse triplicẽ,
29 Potestativã, quæ se tenet ex parte legatarii;

rii; caſualem, quę extraneorum eſt à legatario; & mixtam, quę pendet ex parte legatarii; & aliorū. Conditio autē exprimitur per dictionē ſi, ſeu per caſum ablatiuū,
30 *l. Si debitor § ff. Quibus modis pign. Bart. l.* 1. *ff. de condit. & dem. q.* 3. *Ludoviſ dec.* 492. *n.* 7. Dictio *quando* importat conditionē, *Bartol. in l.* 1. *ff. quando dies, n.* 17. *Cæpbal. conſ.* 161. *n.* 4. *Ruin. lib.* 4. *conſ.* 68. *n* 7. Gerundium adiunctum futuro tempori dicit conditionē, *l. Si tum ex parte, de acquir. hæred. ibi Gloſ. V. Adeundo, Bart. ibi in fine, Ludoviſ. dec.* 187. *n.* 6. *Bart. in l.* 1. *ff. de condit. & dem.* intelligunt aliqui, quando gerundium regulatur à perſona legatarii, non à perſona loquentis, *Marinus lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 16. nihilominus *Rota part.* 4. *tom.* 2. *dec.* 456. *num.* 11 refert etiam ad teſtatorem. Dictio *quandocunq;* denotat conditionem, *l. cum vis ff de condit. & dem. Alber. hac dictione Ludoviſ dec.* 371. *num.* 6. Dictio *quatenus* eſt conditionalis, *Aymon. conſ.* 802. *initio, Ludoviſ. deciſ.* 555. *num.* 2.

31 ℟. Si conditio ſit tantùm poteſtativa, legatario non implente, ceſſat legatum, & illi non acquiritur; ſi verò conditio ſit caſualis, vel mixta, & per eum non ſtat, lucratur legatum; ſi autem habet adjunctum aliquod onus, legatum ſuum facere non poteſt, niſi illud exequatur, licèt impediatur caſu, vel quovis alio modo.

Prima pars, quòd legatarius non implens conditionem, cū poteſt, extinguatur, & ceſſet legatum, probatur, quia cōditio habet vim formę, qua non ſervata corruit actus, cui adiicitur, *l. Qui hæredi* 44. *l. Mævius* 54 *ff. de condit & dem.* Ratio eſt, quia alia ratione nō reliquit legatum, niſi illud adimpleatur, deficiente ergò cōditione poteſtativa ceſſat, & deſtruitur legatum; proinde enim eſt, ac ſi non eſſet factum. Eſt communis, *Seraph. dec.* 838. *n.* 6. *Ludoviſ. dec.* 187. *n.* 9. *& dec.* 555. *n.* 3. *Menoch. dec.* 27. *n.* 7. *de Lugo diſp.* 24. *de juſt. n.* 244. *Caſtropal. tract.* 32. *diſp.* 1. *p.* 7. *num.*
32 6. *& ſeq.* Hæc autem conditio implenda eſt poſt mortem teſtatoris, *ex l.* 2. *ff. de cond. & dem. Anton. Gomez primo Reſol. cap.* 12. *num.* 61. *&* 68. *Merlin. diſp* 206. *Layman. lib.* 3 *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 10. *Verſ. Illud porrò. Caſtropal. num.* 17. Caſuales verò, & mixtæ, quovis tempore impleri poſſunt.

33 Secunda pars, quòd legatarius ſuum faciat legatum, & illud non perdat, ſi per eum non ſtat, nec ſit in culpa, ex conditionibus caſualibus, ſeu mixtis, impeditus probatur *ex l. Dedi tibi* 3. *§. Quamquam, ff. de condict. cauſa, l. Quæ ſub conditione* 8. *§. Quoties de condit. inſtit. l Si Titius* 14. *l. Jure* 24. *l. In teſtamento* 31. *ff. de cond. & dem. l.* 122 *ff. de reg. jur.* In quibus locis aperte dicitur, quòd conditio habetur pro impleta ad conſequendum legatum, & hæreditatem, ſi per hæredem, vel legatarium non ſtetit, ut impleretur. Eſt communis apud præcitatos, & dicitur hoc reſpectu conditionum caſualium, & mixtarum, neque enim rationabile eſt, quòd quis ex alterius malitia damnum patiatur, aut ex caſu fortuito, ſi ipſe in culpa non fuit.

34 Tertia pars, quòd non conſequatur legatum, ſi non faciat onus adiunctum licèt ab alio impeditum, probatur, *ex l. Scio* 10. *& l. Mævia* 13 *ff de legat. annuis*, nàm ex priori textu habetur, quòd diminuitur legatum relictum amico pro gerendis negotiis ſuorum filiorum, qui erant tres, ſuperſtite uno tantùm, diviſum ergo fuit legatum, & ſalarium taxatum, quia ſicut dividitur labor, ità, & pecunia legata, ergo mortuis omnibus filiis, deficit in totum legatum, quia deſinet omninò labor, ſunt enim correlativa ad invicem la-
35 bor, & pecunia, quæ eſt legatum, uno autem relativorum deficiente, tollitnr,
36 & alterum, *l. fin. ff. de acceptiſ. l. Alteri* 25. *ff. de adim. legat. Unde Merlinus, dec.* 55. *num.* 3. dixit onus in legatis reſtringi pro rata commodi. Nec obſtat poſterior lex adducta, quia in ea ſupponitur legatum relictum, ut agat curam filii ſui, eſſe relictum non pro labore adminiſtrationis, ſed gratis, undè impediri non potuit per filium recuſantem legatarium adminiſtratorem ſuorum bonorum. Confirmatur id ex ſequenti cauſa.

Joannes Franciſcus Marcianus Primarius Advocatus Neapolitanus, & Regius Conſiliarius tuens jura ſui genitoris, juxtà quod refert Donatus Antonius de Marinis *lib.* 2. *reſolution. quotidian. cap.* 8. defendendo legatum deberi ſuo genitori Regio Conſiliario; licèt non poſſit ampliùs patrocinari in cauſis hæredum Principis Averſanæ, cujus legati verba ſunt hæc: *Laſcio al Signor Marcello Marciano mio Avocato ducati trecento l' anno, durante ſua vita ſolamente, da pagarſegli di terza, in terza, pregandolo, che debba haver penſiero delle mie liti, e particolarmente della lite, che tengo col fiſco reggio.* Probat hoc legatum, ex quo non eſt conditionale, ulteriùs deberi, quamvis ampliùs non patrocinetur; quia l. Sejo, & l. Mevia, in quibus probatur non deberi legatum relictum ad patrocinandum, defectu patrocinii ex caſu fortuito, ergo ex illis duabus legibus colligitur legatum ceſſare, ceſſante patrocinio ex conditione caſuali. Reſpondendo autem gerundium *Pregandolo* non importare conditionem, quando ſe tenet ex parte teſtatoris, concludit hunc caſum nō comprehendi ſub illis duabus legibus, quæ negant deberi legatum defectu conditionis patrocinandi ex caſu fortuito, cum ſit Regius Conſiliarius, cui prohibetur patrocinari privatis.

Quæres

Quæres 15. An cessante modo, extinguatur legatum? Modus autem est illud
37 gravamen, vel onus, quod à testatore imponitur hæredi, vel legatario exequendum, de *Lugo disp. 24. de just, num. 245.* & cognoscitur modus expressus cum hac dictione, *ut* coniuncta similibus verbis: Lego tibi centum cum hac lege, conditione, seu pacto, ut facias &c. Et quoniã in legato conditionato inveniri potest gravamen, & onus, ideò utile erit distinguere unum ab alio.

38 Distinguuntur autem *primò*, quòd conditio suspendit acquisitionem legati quousque adimpletum sit onus illi adjunctũ, unde prius debet fieri onus, quàm quod acquiratur legatum, quod de conditionali evadit purum purificatum per adimpletionem gravaminis. Quandoq; tamen onus sequitur legatum cautione data verbo, vel facto de adimplendo gravamine, ut patet in legato relicto amico, si curam habebit filiorum testatoris, nam promissio purificat legatum. Modus verò non suspendit acquisitionem legati, sed illud supponit perfectũ, ut eo mediante possit onus exequi à legatario, unde gravamen adimpletur post acquisitionem legati. *Secundò*, legatum non potest peti nisi purificata conditione, propter ejus suspensionem, utiq; modale, ex quo non suspẽdit, & datur, ut exequatur onus injunctum. *Tertiò*, conditionale non transmittitur ad hæredes, nisi conditione purificata, quia ante eam dominus non est legati; utique legatum modale transmittitur, cum ab initio sit sub dominio legatarii, præstita cautione de modo adimplendo, *ex l. A testatore ff. de condict & dem Anton Gomez cap. 12. num. 71 Castropal de just. disp. 1. p. 8. num. 4. Barbosa lib. 3. Voto 136. num. 51. ad. 58.*

39 In dubio autem conditionis, an Modi, post adhibitam diligentiam in perscrutatione mentis testatoris? Præsumendum est legatum esse cõditionale, ut dixi *cap. 1 q. 5 num 32 Gratian cap. 44. num. 17. & cap. 136. num. 14.* dicit, censendum esse modale, non conditionale, juribus, & Doctoribus citatis, *Marianus quoq; lib. 2. cap. 8. num. 21.*

40 R. Legatario non adimplente gravamen, quando potest ex parte sua, extinguitur legatũ, adeò quòd sibi illud non lucratur; si verò per eum non stat, sed casu, vel malitia alterius non potest illud implere, non perdit illud, sed lucratur; nisi gravamen sit annuũ juxtà dicta in tertia parte præcedentis quæstionis, quia respectu illius extinguitur, & cessat.

Prima pars, quòd perdat legatum, dũ non implet onus, cùm possit, probatur, quia datur contemplatione gravaminis, aliàs non dandum, si sciret, legatariũ nolle exequi sibi præscriptum opus. Colligitur ex infrascriptis juribus.

41 Secunda pars, non extingui legatum, si per eum non stetit, probatur, quia modus habetur pro completo, si non stat per eum, à quo debet impleri *l. si Titio 95 ff. de legat. 1. l. quæ sub conditione 8. §. quoties ff. de condit. instit. l. 1. C de his, quę sub modo* Est communis apud *Gratian. cap. 136. n. 23. Alex. in l. 1. C. de iustit. & substit. n. 5. Cephalus cons. 129. n. 104. ex illis Rota par. 5. dec. 293. n. 15. Castropal. disp. 1. de just. p. 8. n. 9.* Advertat tamẽ legatarius, quod modus quantumvis difficilis, de facto tamẽ, & quatenus licet, observandus est, & pro viribus exequendus, eo modo, quo fieri potest, ut docet *Rota par. 5 dec. 65 num. 22. ex Alciato in l. impossibilis, ff. de verb. obligat. num. 13.* Testatoris enim voluntas implenda est, quantùm fieri potest, *l. quæ sub conditione §. quoties. ff. de condit. instit.*

Tertia pars, quòd extinguatur onus annuum, si casu, seu ab alio impediatur probatur eisdem mediis, quibus idem probatum est respectu conditionis. Confirmatur, quia modus, & conditio licèt diversa sint in principio ad deducendam rem in esse, æquiparantur tamen in fine, & in effectu, *ex l. 1. C. de iis, quæ sub modo.* Sed in oneribus conditionatis deficit legatum, ergò & in modalibus.

Quæres 16. An cessante causa, cesset quoque legatum, propter quam fuit re-
42 lictum? Causa autem duplex est. Finalis, quæ principaliter movet ad agendum, quæ si non adesset, nihil ageretur. Et impulsiva, quæ simpliciter, & principaliter non movet, sed solùm dat occasionem Ità *Merlin. dec. 126. num. 68. Layman lib. 3. tract 4. cap. 5. num. 4. vers. propleniore, Sanchez lib. 10 disp. 6. num. 19 Navar. cap. 23 num. 107 Pasqual q. 392. num. 5. P. Navarra lib 3. cap. 1. num. 301 Bartol. in l. 2. §. Titio de donat*, dicit, quòd si causa respiciat utilitatem alterius, quã ejus, cui res datur, ut do tibi centum, ut emas prædium Titio, causa hæc præsumitur finalis *ex l. 70 ff de condit. & dem.* Quando verò respicit commodũ donatarii, seu legatarii præsumitur pariter finalis si requiratur ad substantiam actus de necessitate, aliàs erit impulsiva. Quoniam autem secundùm Philosophum, & veritatem quicquid agit homo, agit propter aliquem finem, unde causa in his moralibus est finalis movens agentem, & testatorẽ ad disponendum, quæ vel desumitur ex facto præterito, ut *ex l. damus 52 ff. de cõdit. indebiti l. si it à legatum 12 ff de condit. & dem.* in quibus locis agens movetur ex facto præterito tamquam causa movente ipsum ad disponendum, unde Bartol. loco citato dixit, quòd causa propriè
43 sumitur de præterito, intellige tu respectivè ad eas leges, non quod dicatur etiam propriè de re in futurum, imò pro-

priis-

priiſſimè, cum cauſa finalis ſecundùm Philoſophos cauſet antequam ſit e.g. Lego centum Seję ut nubat, vel ſi nubet, nuptiæ me moverūt ad legādum,& patet eſſe futuras, non præteritas, & ſunt cauſa finalis, quia aliud me non movit ad legandum, niſi nuptiæ. Legavi centum ſingulis annis Titio, ſi curam, vel ut curam habeat filiorum meorum, cura ergo futura eſt cauſa finalis, ſine qua non legaſſem, cum ea ſolùm me moverit ad id faciendum.

44 R. Ceſſante cauſa finali ceſſat quoque legatum. Probatur *ex l. alteri 25 & l. filio 31. §. Matriff. de adim. legat. Ità Bartol. in l. 2. §. Titio ff. de donat. per l. Titio ff. de condit. & dem. ex illis Marinus lib. 2. cap. 8. num. 14. Rota par. 3. dec. 233. num. 2. Gram. dec. 59. num. 3. Cæpbal. conſ. 81 num. 8. Paſqual. q. 244. num. 2. aſſerentes non ceſſare ceſſante impulſiva. Ciarlin. cap. 142. num. 4.* Ratio eſt, quia effectus pendet à ſua cauſa finali ergo ea non exiſtente, deſinit eſſe effectus, defectus enim cauſæ finalis vitiat diſpoſitionem, *l. cum codicillis 34. ff. de teſtam. tutela*. Cum enim principalis cauſa non exiſtit, nec ea, quæ ſequuntur ſubſiſtunt, *Reg. 139. & 172. ff. de regul. jur.* Cauſa deficiente, quæ eſt neceſſaria ad effectum producendum, deficit effectus, *l. 1. C. de condict ob cauſ.* Si autem poſt acquiſitum legatum ceſſet cauſa, non ideo ceſſat effectus, & legatum ipſum, ſed retinetur, *l. cum uxori C. quando dies legati, l. fin ff. undè liber Bald. in l. filia ff. de Senator. Tiraq. ceſſante cauſa, limit. 11. initio, Rota par. 6. dec. 355. in fine.*

Quæres 17. An dicta in præcedentibus quæſtionibus 13. 14. & 16. locum habeant in legatis piis.

45 R. Defectu conditionis deficere quoque legatum pium, onus autem adiectum ſivè ſub conditione, ſive ſub modo, non expirare, ſi enim adimpleri non poteſt uno modo adimpletur alio modo per commutationem juxtà dicta cap. 14. in legatis piis non videtur ceſſare cauſam finalem, cum ſit honor, & cultus divinus, qui numquam ceſſant, cum Deus colendus ſit ſine temporis limitatione. *Rota par. 3. dec. 233. num. 3. & 4.*

Quæres 18. Locus pius recepit legatum in tot nummis, eoſque inveſtivit in proprietate ſtabili, & frugifera. Modo perit proprietas advenientibus v. g. anterioribus creditoribus, vel alia de cauſa, an adminiſtratores loci teneantur adimplere onus legati?

46 R. Si abſq; culpa adminiſtratorum, qui ſcilicet inveſtiendo pecuniam debita uſi ſunt diligenria, quam adhiberent in ſuis propriis rebus, & ad formā Decreti de celebr. miſſar. fundus periit, vel evictus fuit à vero domino, ceſſat obligatio miſſarū, quia pereunte re legata, perit etiā obligatio, *l. ſi grege 22. l. ſi ita ſcriptum 68 ff. de legat.* 1. Ratio eſt, quia obligatio innititur rei legatæ, ſicut accidens inhæret ſubiecto, ſicut ergo ſubiecto deſtructo, deſinit eſſe accidens illi inhærens, ità fundo pereunte caſu, vel per ſententiam evictionis, perit quoque obligatio miſſarum innixa fundo alieno. Confirmatur, quia talis præſumitur eſſe mens teſtatoris, qualis de jure eſſe debet, ſed de jure celebrans non tenetur de ſuo laborare pro aliis, ergo nec teſtator intendit obligare celebrantem, fundo pereunte, quia laboraret pro aliis de ſuo, & ſine mercede, quod iniuſtum eſt. Ità *ex Parladoro part. 3. dif. 17. §. un. num.*

47 *7. Joſeph. de Janvario Reſol 42. num. 13. Paſqual. q. 1039. num. 5. q. 1074. num. 2.* Verum quidem eſt, quòd adminiſtratores tenentur procurare pro viribus reſtitutionem pecuniæ, & eam in aliud ſecuriusimplicare, ut poſſint ſatisfacere ſuæ obligationi. Quod ſi facta debita diligentia, nihil poſſunt recuperare, ad nihil ulteriùs tenentur.

Quæres 19. Quid ſi ex conventione hæredis adminiſtratores promiſſerint ſatisfacere, quocumque caſu adveniente nunquid fundo pereunte teneantur ſatisfacere?

48 R. Affirmativè, quia in caſu fortuito quis tenetur ex pacto, *l. ſi ut certo 5. §. nunc videndum ff. commod.* tale enim pactū valet *l. ſi quis 10 ff. locati*. Sed ſtultus eſt, qui tale pactum facit.

Quæres 20. Quid ſi non fecerunt debitam diligentiam; aut ignoratur an eam adhibuerint, ſucceſſores teneantur ſatisfacere, ſi fundus perit?

49 R. Nulli dubium eſt negligentes teneri, quia ex ea nemo commodum reportare debet, *cap. intelleximus 7. de judic.* Negligentia enim unius alteri nocere non debet *l. non debet, ff. de reg. jur.* Neque negligentibus ignoſcendum eſt, *l. Velati 7. ff. de edend.*

50 Succeſſores verò, quibus hæc negligentia ignota eſt, ad nihil tenentur, obligatio enim hìc oritur ex ſcientia negligentiæ, quæ in ſucceſſoribus non præſumitur, *l. qui 43. ff. de reg. jur.* imò nec de ea ignorantia dubitandum eſt, niſi temere, quia negligentia non præſumitur in officiali, *l. regula §. 1. ff. de facti, & jur. ign. Rota par. 4. tom. 1. dec. 26. num. 7.*

---

## CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

*De Amiſſione Legatorum ob nuptias.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Arbiter, & moderator quiſq; eſt in re ſua.*
2 *Conditionem, ſeù modum licitum quiſque rei ſuæ apponere poteſt.*
3 *Conditionem non ſervans nec hæreditatem, vel legatum recipere poteſt.*

4 *Reſ-*

4 *Restituere tenetur celebrans missas.*
5 *Restitutio stipendii, & legati facienda in foro conscientiæ.*
6 *Contractus intercedit inter testatorem, hæredem, & legatarium.*
7 *Fornicatione una, vel altera non perditur legatum relictum sub conditione* castè vivendo, *à quocumq; sit relictum.*
8 *Castam vitam ducit, quæ fornicatur semel, aut iterum.*
9 *Idem dic, si legatum viro relictum fuerit.*
10 *Amplexus, & oscula non faciunt perdere legatum relictum in conditione:* si castè vixerit.
11 *Castè per decennium vivens perdit legatum si meretricatur.*
12 *Castè dicitur vivere coniux transiens ad secunda vota.*
13 *Milites Regulares dicuntur castè vivere cum suis uxoribus.*
14 *Uxor mortuo marito statim nubere potest.*
15 *Ergo non facit iniuriam marito.*
16 Servent inviolatum morientis thorum *Auth. de non eligendo explicatur.*
17 *Lenocinium exercens non perdit legatum si castè vivat.*
18 *Si in domo mea castè vixerit.* Non *perdit legatum nuptiis.*
19 *Testatoris mens collecta ex coniecturis habetur pro expressa, intellige pro favore legatarii, & hæredis.*
20 *Si castè vixit aliquibus annis continuè non perdit legatum, utique deinceps semper si meretricatur, aut est concubina*
21 *Sicut enim legatum acquiritur conditione adimpleta in momento, ità & in momento ejus violationis perditur.*
22 *In annuis verò legatis perditur legatum solùm pro eo anno, quo luxuriosè vivit.*
23 *Vidua obligata ad hunc statum perdit legatum nubendo.*
24 *Undè tenetur restituere legatum cum omnibus fructibus.*
25 *Vidua non perdit fornicando, si erat obligata tantùm ad viduitatem.*
26 *Prohibitio ut iodiosa strictè sumitur, & si est expressa.*
27 *Perdit legatum si fornicetur plebeo, cui nubere erat interdicta.*
28 *Luxuria non debet plus prodesse, quàm castitas.*
29 *Perditur legatum sub conditione non nubendi, licèt nuptiæ sint irritæ.*
30 *Pæna incurritur ex actu irrito, si lex considerat factum.*
31 *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum explicatur esse verum respectu effectus intenti, non autem non intenti.*
32 *Pænæ de ratione est involuntarium.*
33 *Vitiosè factum habetur pro non facto ratione sui.*
34 Si pervenerit ad viduitatem *non probibet nuptias.*
35 *Conditio sufficit si adimpleatur in momento.*
36 Si vidua erit *diversum.* Si in viduitate permanserit.
37 *Nobilitas duplex* sanguinis, & ex privilegio.
38 *Non perdit legatum relictum nubenti viro* nobili *licèt talis sit* ex privilegio.
39 *Quia is gaudet omnibus privilegiis* nobilis ex sanguine.
40 *Nobilis nomine in statutis venit nobilis ex privilegio.*
41 Si custodierit lectum, *non perdit Legatum nubendo.*
42 *Legatum non perditur per matrimonium tantùm ratum, si fuit relictum sub conditione non nubendi*
43 *Conditio* non nubendi *non habetur pro turpi.*
44 *Conditio* Nubendi *non facit perdere legatum profitenti in Religione, habetur enim pro non adiecta, cum enim retrabat à Religione habet nescio quid turpitudinis.*
45 *Nubere, & Matrimonium inire ex æquo refertur ad utrumque* Carnale *scilicet, &* Spirituale.
46 *Legatum perdit nubens* Titio; *si debebat nubere* alteri.
47 *Non perdit verò si probibetur nubere alicui de tali loco.*
48 *Legatum non perdit probibita nubere* Titio, *si illi nubat, dum non invenit alterum, cui possit nubere.*
49 *Legatum* cum nupserit *non perdit jam nupta, sed lucratur in secundo matrimonio, si testator sciebat esse nuptam.*
50 *Legatum relictum masculo, & fœminæ si contrabant ad invicem, altero renuente, alter non perdit legatum, sed resistens.*
51 *Conditio habetur pro impleta, quando per alterum non stat.*
52 *Legatum relictum si nubat arbitrio* Tertii, *si is moriatur, lucratur, quia conditio pro non adiecta habetur, cum sit facta impossibilis.*
53 *Acquiritur legatum, & non debetur fideicommissum.*
54 *Lucratur puella legatum licèt vir moriatur ante copulam.*
55 *Probibita nubere Titio, lucratur legatum si post ejus mortem alteri nubat.*
56 *Legatum:* si nupserit *non perdit recipiens Sacros ordines.*
57 *Legatum:* si manserit in viduitate, *non perdit profitendo.*
58 *Legatum:* si manserit cum filiis meis, *non perdit nubendo.*
59 *Occasio cum sit causa remotissima non infert præjudicium.*
60 *Vidua non perdit legatum habitationis, si nubat.*
61 *Legatum usus habitationis:* Dum steterit in ea domo *non perditur à nuben-*

*bente.*

62 *Legatum non perdit ille, cui fuit conces-sum:* Si steterit cum uxore mea, *si vidua transit ad secunda vota cum per eum non steterit, & adhuc cum ea stare possit cum marito.*

63 *Obligata nubere Titio perdit legatum, nisi pæniteat intra triennium post negatas nuptias.*

64 *Conditio* non nubendi *non negat nuptias spirituales.*

65 *Conditio* non nubendi *non est licita secundùm aliquos.*

66 *Conditio non nubendi est licita.*

67 *In hac re non attendendæ sunt Leges Infidelium Imperatorum.*

TEstatores solent in suis testamentis diversas apponere cõditiones subeũdas tùm ab hæredibus, tùm à legatariis, si velint consequi hæreditates, & legata, quod illis omninò licet si sint honestę, & licitæ, quilibet enim in re sua arbiter est, & moderator, *l. Sed & si* 28. *§. consulvit ff. de petit. hæred. l. In re mandata* 21 *ff. Mand.* & conditionem justam, seù modum rebus suis quilibet adiungere potest, *l. In traditionibus* 49 *ff. de pactis, Glos. V. Concessa in Clem. 2. de sepult. & in cap.* 2. 10. *q.* 1. In hoc igitur cap. agendum est de legatis sub conditione præsertim in ordine ad nuptias, an & quando consequi possint legata, servantes, vel non servantes conditiones.

Quæres igitur primò, an non servantes conditiones appositas, dum possunt, faciant legata, & hæreditates suas, an verò illa perdant? Præmitto conditionem concipi posse tripliciter, vel per tempus præteritum sic: *Si castè vixisti. Si nupsisti tali personæ.* Vel per tempus præsens. *Si es virgo. Si es nupta: Si habes virum.* Vel per tempus futurum: *Si castè vixeris: Si non fornicaberis: Si nupseris.* Prætereà conditio concipi potest cum limitatione temporis, e g. *Donec castè vixeris. Quousque vidua fueris. &c.*

2 R. Non servans conditionem hæres, aut legatarius non potest recipere hæreditatem, vel legatum, & receptum restituere tenetur una cum fructibus suis perceptis, quando tempore perceptionis legati, seù hæreditatis non parvit conditioni; si verò post receptionem legati non parvit conditioni, fructus tantùm ab eo tẽpore tenetur restituere cum re legata, & nõ perceptos ante transgressionẽ; similiter in legatis annuis restituit tantùm pro eo anno, quo. e. g. castè non vixit.

Prima pars de restitutione legati, & fructuum ejus ab initio, quando recepit violata jam conditione, probatur illo communi axiomate: Datum ob causam, ea non secuta, restituendum est, *l. 1. ff. de condit. ob causam, cap.* 5. *de donat. inter virum.* Ratio est, quia testator per expressionem conditionis non intendit donare, nisi fiat, quod in conditione exprimitur. Est communis omnium Doctorum, quos magno numero citat *Sanchez. lib.* 7. *disp.* 97. *numer.* 2. Ità quòd res cum omnibus suis fructibus perceptis restituenda est, quia legatum ab initio resolvitur, ac si nunquam factom fuisset, ut dicunt Doctores, quos citabo *numer.* 23.

Secunda pars, quòd non sunt restituendi fructus, quos legatarius recepit ante violatam conditionem, probatur, quia dum non est transgressor conditionis, pænam non meretur. Quare, vidua e. g. quæ recepit legatum frugiferum cum conditione non nubendi, non tenetur restituere fructus, quos percipit ante nuptias, quia ante illas non fregit conditionem, cum ergo dicatur habere bonam fidem, dum parvit conditioni, non obligatur ad restitutionem fructuum respondentium illis annis, quibus viduitatem servavit. Intellige hæc pro foro conscientiæ, ex allatis à Sanchez *lib.* 7. *disp.* 91. *num.* 7. Undè si cautio Mutiana intercessit, tenetur non solùm ad legatum, sed etiam ad omnes fructus perceptos, ut expressè dicitur in *l. cum filius* 78. *§. Qui*

3 *Mutianam cautionem alicujus non faciendi causa interposuit, si posteà fecerit, fructus quoque legatorum, quos in principio promitti necesse est, restituere debet de legat.* 2. Ideò tenetur fructus reddere, quia per Mutianam se obligavit quasi in pœnam, consequenter debentur solùm si exigantur, & non in foro conscientiæ ante sententiam, & exactionem.

Notandum autem est, quòd cautio Mutiana à Mutio introducta datur in conditionibus negativis, quæ consistunt in non faciendo, ut si Capitolium non ascenderis. Si Stichum non manumiseris. Si dotem non exegeris. Si non nupserit &c. *l. Mutianæ. cautionis* 7. *ff. de condit. & dem. Sanchez lib.* 7. *disp.* 91. *num.* 6. & 7. notat dupliciter concipi posse conditionem negativam. Primò ad tempus perpetuum, in quo casu res legata cum omnibus fructibus restituitur, juxtà superiùs dicta. Secundò concipitur ad tempus cum his dictionibus. *Quamdiù, Donec, Quousque vidua fuerit &c.* Et in his res legata restituitur, & fructus solùm à die transgressionis si ulteriùs legatum retinuit post violationem, quia incæpit esse in mala fide.

Procedit hoc in legatis etiam piis, ut restituantur fructus, & res legata, illis non consumptis in onere exequendo, ut probavi *cap.* 1. *num.* 35. *& de onore missarum cap* 9. *numer.* 62. & de hoc nullatenus dubitandum est, cum id decretum sit de celebratione missarum illis verbis. *Itaut*

*quin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimò graviter peccent, &*
4 *ad reſtitutionem teneantur*. Intellige miniſtros Eccleſię teneri reſtituere illa ſtipēdia, quæ correſpondent miſſis omiſſis, vel celebrando, & remittendo miſſas omiſſas, rem autem legatam, ut domum, vel fundum non tenentur reſtituere, quandocumque volunt ſatisfacere.

Tertia pars de legatis annuis probatur, quia cum tot ſint legata, quot ſunt anni, unicuique correſpondet propria conditio, ergo & unicuique propria violatio, itaut ſit aliis incommunicabilis, ergo una violatio non debet præjudicare aliis annis, quibus non violatur conditio, probabo rem hanc infra *q.* 10. *num.* 22.

Quæres An reſtitutio hujuſmodi faciēda ſit in foro conſcientiæ ante ſententiam Judicis? Obſervandum eſt, conditionem, quam teſtator apponit hæredibus, & legatariis, ſervandam violatione non inducere propriè pænam, cum hæc in rigore oriatur ex tranſgreſſione legis pænalis, vel ex ſententia Judicis propter aliquod delictum pænam merens, & præterea pæna propriè dicta ſolvitur ex proprio. Pæna autem à lege impoſita non ſolvitur niſi poſt ſententiam Judicis latam, & condemnationem, loquendo de temporali, ut eſt in confeſſo apud omnes, pænam non obligare ad ſui ſolutionem, niſi poſt ſententiam, *Bald. in cap. 1. de Feudis ſine culpa non amitt. Grammat. deciſ.* 15. *numero* 8. *Covar. par.* 2. *cap.* 6. §. 7. *numero* 10. 4. *Decretal. Navar. cap.* 23. *numero* 66. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *numero* 7. *Paſqual. q.* 137. *num.* 4. Pæna verò conditionata à teſtatore impoſita propriè talis non eſt, ſed conditio, vel modus rei traditæ ſub conditione reſolutiva, hoc eſt, privatio juris quærendi, vel quærendi ſub tali, vel tali modo, *Navar. cap.* 25. *num.* 118. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 101. *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 91. *num.* 2.

5 ℟. Non eſt expectanda Judicis ſententia; ſed hæres, vel legatarius non adimplens conditionem juxtà id, quod debet, & poteſt, tenetur ſtatim in conſcientia, vel non recipere legatum, ſeù hæreditatem, ſi jam violavit conditionem, vel receptum dimittere, & reſtituere.

Probatur, quia teſtator alia ratione non intendit donare ſuum, niſi ſub illa conditione, ergo ea ſpreta non vult dare ſuum, ergo receptum non dicitur jure receptum, ſed uſurpatum, & quaſi ablatum tamquam alienum à fure; ſed is tenetur reſtituere in conſcientia ante ſententiam, ergo & hæres, & legatarius non parentes conditioni.

6 Confirmatur, quia inter teſtatorem, hæredem, & legatarium intercedit contractus innominatus, do, ut des, vel ut facias, vel ut abſtineas &c. qui firmatur acceptatione rei ex parte hæredis, ſeù legatarii, qui proindè obligantur facere, quod eis teſtator præſcripſit, aliter conditione non ſervata tenentur ad reſtitutionem. Ità omnes docent *cum Silv. V. Legatum* 2. *in fine*, *Armilla V. Pæna numero* 3. *Navar. cap.* 23. *numero* 61. *Rodr. par.* 1. *cap.* 96. *numero* 4. *cum aliis*, *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 91. *num.* 2. & 3.

Quæres 3. An puella, ſeù mulier, aut vidua, cui ſub hac conditione: *ſi honeſtè, & caſtè vixerit*. Legatum relictum fuit à patre, marito, vel alio coniuncto, vel etiam ab extraneo, non parendo conditioni, ſed fornicando etiam ſemel amittat legatum?

7 ℟. Per unum, vel alterum fornicationis actum non perdere legatum, ſed cùm facit quæſtum ſui corporis per concubinatum, vel meretricium. Probatur, quia ea verba: *ſi honeſtè, & caſtè vixerit*, important tractum ſucceſſivum eo modo vivendi, nam vita temporis duratione agitur; ergo & vita inhoneſta dicitur traduci diuturnitate temporis, ut dicatur oppoſita vitæ honeſtæ, contrariorum enim contraria eſt diſciplina, ſicut, ergo vita honeſta ponitur duratione temporis, ità & vita inhoneſta ponitur
8 continuatione actuum inhoneſtorum. Confirmatur, quia ille dicitur vivere luxuriosè, qui non ſemel, nec iterum fornicatus eſt, ſed qui fornicationem exercet, juxtà aliud nihil prodigi Lucæ 15. 23. *Et ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxuriosè*. Vita ergo luxuriosa conſtituitur per frequentiam actuum inhoneſtorum, ergo ille non dicitur ſervare vitam caſtam, qui vitam ducit impudicam, ergo non quilibet actus fornicationis ſufficit ad deſtruendam vitam caſtam, dùm enim vita importat tractum ſucceſſivum, importat etiam multiplicationem actuum ad deſtructionem ſui in ratione vitæ caſtæ; undè ſicut una hirundo non facit ver, ut ajunt, ità neque una fornicatio facit vitam de caſta inhoneſtam, cum vita quomodocumque qualificetur ſivè benè, ſivè malè conſiſtat in pluralitate actuum ſibi invicem ſuccedentium. Adde, quòd mercatoris nomen quis non acquirit per unam, aut alteram negotiationem, ſed illam exercendo, ita neque mulier per unam, vel alteram fornicationem appellanda eſt impudica, & meretrix, quæ propriè in hominum opinione dicitur luxuriosè vivere, & ducere vitam contrà caſtitatem, & honeſtatem. Ità Plerique apud Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 91. *numero* 31. *Nald. V. Legatum* 30. *Arca Vitalis de Legat. Inquiſ.* 2. *num.* 33.

Sanchez

Sanchez *lib.* 7. *disp.* 91. *q.* 2. *num.* 33 distinguit, viduam non perdere legatum, aut hæreditatem, quando cum ea conditione sibi relicta fuit ab extraneo, sed tunc requiri frequentiam fornicationum; amittere verò per unicam fornicationem si relictum sit à marito, vel conjuncto, quia cum testator propinquus graviter offendatur etiam per unicam fornicationem, censetur ejus mens esse, ut etiã per unicam fornicationem amittat legatum, seu hæreditatem, quod non præsumitur in extraneo, cui nulla fit injuria, vel si aliqua, parùm ab eo æstimatur.

Confirmatur, quia in dubio mens testatoris interpretanda est secundùm dispositionem legis, quæ mulierem semel adulterantem punit, & pariter viduam per unicam fornicationem, ex allatis à Sanchez. *lib.* 7. *disp.* 90. *num.* 2. ergò, & talis præsumitur mens testatoris, ut per unicam fornicationem vidua ab eo relicta perdat legatum sibi factum sub ea conditione ut castè vivat. Et ità tenent pleriq; cum eo, & Gratian *cap.* 5. *num.* 2.

Respondetur tamen parem esse rationem, sive legatum fiat à marito, & alio coniuncto, sive ab extraneo, quia cùm tàm isti, quàm illi utantur eisdem verbis importantibus habituationem, & frequentiam in delictis carnis, ex usu, & communi intellectu verborum, nulla ratio suadet, quòd unus præsumatur velle, ut per impudicam vitam perdatur legatum, & non per unam, aut alteram fornicationem, utiq; alter præsumatur velle, ut perdatur per unicam fornicationem; neq; enim injuria major, aut minor id suadere potest, cum ea non immutet communen sensum verborum. esto igitur fiat major injuria conjuncto, quam extraneo legatoribus, non indè inferendum est diversam esse coniecturam unius ab alio, sed par omninò; quare maritus, vel alius conjunctus sibi imputet, si non expressit in testamento, se velle, ut legataria amittat legatum etiam per unicam fornicationem. Nec obstat, quòd à lege etiam unica fornicatio puniatur, quia quodlibet peccatum, & delictum est dignum sua pœna, non verò unica fornicatio, nec bina in causa est, ut mulier dicatur impudicè, & luxuriosè vivere, cum non detur hìc tractus successiuus opponens se ex diametro vitæ ductæ in castitate, & licèt castitas per unicam fornicationem violetur, id tamen non tollit vitam castè ductam, ob diuturnitatem, quam includit castè vivere.

Quæres 4. An vir, cui relictum fuit legatum sub conditione castè vivendi, sivè à conjuncto, sive ab extraneo, amittat illud per unicam fornicationem?

9 R. Eodem modo non perdere, sed per concubinatum, seu meretricium. Patet ex dictis, quia ea verba important consuetudinem; & à fortiori id verum est in casu isto, quia testatores non afficiuntur quasi nulla injuria, aut saltem levi, ex opinione hominum. Ità *Sanchez lib.* 7. *disp.* 91. *numero* 34.

Quæres 5 An mulier, puella, seu vidua; cui relictum fuit legatum cum ea conditione: *Si honestè, & castè vixerit*: à quocunque sive conjuncto, sive extraneo, amittat illud, si patiatur amplexus, oscula, & alios actus impudicos tantùm sine tamen fornicatione?

10 R. Non amittit, quia per actus hujusmodi non constituit se in statu impudicitiæ, nec vitam dicitur luxuriosè ducere in ordine ad hunc effectum, sed requiritur concubinatus, vel meretricium? hi enim actus cum sint in se imperfecti tantam vim non habent, sicut illi, inducendi amissionem legati, neque enim tantam merentur pœnam. Ità *Navar cap* 23. *num.* 92.

Contrarium, quòd per plures hujusmodi actus inhonestos perdatur legatum docent ferè omnes cum *Sanchez lib.* 7. *disp* 91. *num.* 40. *cum aliis. Sperell. dec.* 159. *num.* 39 *ex Bartolo, & Gambillone. Bonac. de testam. & legat. q. fin. num* 22. *Vers. Si verò.* Quia hæc adversantur honestati. Sed esto ità sit verum, per hoc tamen mulier non dicitur vitam ducere inhonestam, & impudicam, nec luxuriosè vivere, quia non est in concubinatu, neq; in meretricio.

Quæres 6. An mulier, quæ e. g. per decennium castè vixit, si deinde exerceat meretricium, seu concubinatum, sibi retinere possit legatum factum sub ea conditione: *si castè vixerit*?

11 R. Negativè, quia ea conditio obligat perpetuò, dum in hoc mundo deget, ergò dum se posuit in eo statu statim amittit legatum. Quicquid dicat Homobon. *Vol.* 2. *par.* 7. *Resp.* 44. *quem citat Diana par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 84. Unde si fæmina, inquit, castè vixerit per decennium, licèt posteà in fornicationem inciderit debetur adhuc ei legatum cum tali conditione: *si castè vixerit*. Si id intelligat respectu unius, vel alterius fornicationis, benè loquitur, & cùm eo sensimus *quæst.* 4. Non perdit tamen fructus perceptos ex probatis sub *q.* 1.

Quæres 7. An violet illam conditionẽ: *si castè vixerit*, contrahendo matrimoniũ, & consequenter perdat legatum?

12 R. Non violare; neq; proinde perdere legatũ, quia adhuc dicitur honestè, & castè vivere, quia nuptię stant cũm castitate, vita enim conjugũ honesta, & casta esse dicitur, *cap. Nicæna* 12. *dist.* 31. *Navar.*

13. *de* Regular. *Sperell. dec.* 2. *num.* 64. Unde Regulares militares, quibus conceditur matrimonium, dicuntur castè vivere cum suis Conjugibus profitentes castitatẽ conjugalem, non cognoscendi scilicet aliam mulierem à sua conjuge, *ex eodem Sperello etiam præced. num.* 58. *Poncio de matrim. imped. causa* 47. *q.* 2. *§.* 4. *apud eundem Sperellum*. Ità sentiunt sexdecim Doctores, quos contra se citat *Sanchez lib.* 7. *disp.* 91. *num.* 14. Non perdit ergò legatum vidua contrahens secundas nuptias, illi relictum cum conditione castè vivendi. Ità præter citatos *Vasq. cap.* 7. *de testam. §.* 1. *dub.* 7. *Bonac. de testam. & legat. p. fin. num.* 22.

13

Contrarium, quòd vidua perdat legatum transeundo ad secundas nuptias, sibi relictum à marito, vel alio conjuncto, nõ verò ab extraneo, docent quamplures *cum Sanch. lib.* 7. *disp* 91. *num.* 16. *Sperell. decis.* 159. *num.* 26. Sanchez probat *primò*, quia nuptiæ secundæ viduarum sunt valdè odiosæ suis maritis, ergò ea verba: *si castè vixerit*, accipienda sunt pro omnimoda castitate, ut dicit abstinẽtiã à quacũq; copula, sive licita sive illicita, & talis debet præsumi esse mens testatoris; ex persona enim verba pensanda sunt, *l. fin. in fine, ff. de act. & obligat. Secundò*, quia tacita testatoris voluntas habetur, pro expressa ex conjecturis deducta *in conditione ff. de condit. & dem*. Sed ex odio viri respectu secundarum nuptiarum colligitur, tacitã ejus voluntatem fuisse, ut uxor post ejus mortem castè viveret sine transitu ad secundas nuptias. *Tertiò*, quia per ea verba: *si castè vixerit*, videtur velle, fidem sibi servari post mortem in perpetuum, ac proinde cura prioris conjugii remanere inviolata, ex Auth. De non eligendo, ibi: *Servent inviolatum morientium thorum*. Ità Sanchez in casu, quo apponatur ea conditio à marito, non autem ab extraneo, respectu cujus nuptiæ sunt honestæ, & castæ, & odium non adest, cum id concipiatur solùm respectu mariti testatoris, & pro se refert multitudinem Doctorũ.

Tota vis horum argumentorum interpretandi mentem testatoris ut ea cõditio: *Si castè vixerit*, comprehendat omnimodã castitatem excludendo etiam secundas nuptias, in odium mariti detestandis secundas nuptias consistit.

Sed id non urget. Tùm quia tale odiũ non est rationabile, dum enim uxor est libera à lege mariti defuncti ex D. Paulo I. ad Corinth. *Quod si dormierit vir*

14 *ejus, liberata est, cui vult, nubat, tantùm in Domino*. Ad Roman. 7. 2. idem dicitur, *Sanch. lib.* 7. *disp.* 81: nullam maritus potuit habuisse

15 occasionem odii super re, quæ in uxoris libertate posita est. Tùm quia leges civiles solùm prohibent secundas nuptias infra annũ à die mortis mariti, quia ille annus convertendus est in luctum, non in gaudium, quod nuptiæ solent afferre. Tùm quia ea verba. *Servent inviolatum morientium thorum*,

16 intelligenda sunt de inviolatione thori per fornicationem, non per secundum matrimonium, quod nullius thorum violat, unde ne violetur, ibidem textus subjungit: *Sin autem non valuerit, cùm forsitan, ut juvenis, hoc non patiatur, nec possit contra fervorem naturæ resistere, non est torquenda propter hoc, nec interdicendæ sunt ei communes leges, sed ad viri alterius veniant nuptias honestè & omni luxuria abstineat, frvatur successione filiorum*. Gratis ergò fingitur odiũ in marito, cujus defuncti vidua transit ad secunda vota, cum quibus etiam allatus textus dicit, mulierem accedentem ad secundum virum honestè vivere, & non luxuriari, ergò transiens ad secundas nuptias non amittit hæreditatem, aut legatum relictum sub ea conditione: *si castè vixerit*, ut vivit vidua nubens secundo viro.

Quæres 8. An legatum relictũ: *Si castè vixerit*, perdat exercendo lenocinium?

17 R. Negativè, quia esto sit causa, quòd persona, cui inseruit, non vivat castè, sed luxuriosè, tamen ex hoc non sequitur, quòd ipse vivat luxuriosè, dum in se ipso abstinet à vitio fornicationis.

Quæres 9. An perdatur legatum sub his verbis: *Si in domo mea castè vixerit*, concessum, si transeat ad secunda vota?

18 R. Negativè, quia illa verba, *si in domo mea castè vixerit*, ex nulla necessitate important prohibitionem nuptiarum, non ex illis: *si castè vixerit*, cũ castitas etiã in cõjugio reperiatur, ut probavi *num.* 12. & 13. Non ex aliis: *si in domo mea vixerit*, quia nihil prohibet, quin maritus sequatur uxorem, manendo in ejus domo. Ad hoc facit, quod dicam infra q. 32. Nec obstat, quod nuptæ regulariter transeãt ad domũ mariti. Quia ne perdatur legatũ sufficit manere in domo uxoris Contrariũ tenent pleriq; *cum Sanchez lib.* 7. *disp.* 91. *num.* 16. *in fine*, nituntur ea ratione, quòd non dicatur castè vivere transiens ad secunda vota.

19 Dices est commune axioma; quod mens testatoris collecta ex conjecturis habetur pro expressa, *Mantica de conject. ultimarum volunt. tit.* 3. *num.* 10. *Gratian. cap.* 5. *num.* Unde si id cogitasset, expressisset, *ibidem aliis allegatis*. Quare si testator fuisset interrogatus, vel si prævidisset, suam uxorem transituram ad secundas nuptias, & similiter quilibet alius testator, hanc prohibitionẽ expressisset, ergò habetur pro scripta in testamento.

Cõtra est, quia tunc mens testatoris habetur pro expressa, quando est favorabilis, tunc enim latè interpretatur, ut dixi *cap.* 1. *n.* 136. ubi dixi non valere dictũ: Si

cogi-

cogitasset, expressisset; voluntas enim ejus magis colligitur ex expresso, quam ex tacito. Quare sibi imputet, dum apertiùs non dixit, quod clariùs exprimere potuisset.

Quæres 10. An legatum relictum sub hac conditione: *Donec castè vixerit*. Si primo anno servavit conditionem, secundo verò vixit luxuriosè, acquiratur legatariæ non solùm pro primo anno, sed etiã pro secundo, & subsequentibus, si postmodùm castè prosequatur vivere?

20 R. Debetur illi solùm pro primo anno, quo castè vixit, non verò deinceps, quo cæpit concubinatum, vel meretricium, quia manifestum est; non servare mentem testatoris, qui expresè illi legavit, si servaverit castitatem, & non aliter, quare cùm non impleverit mentem testatoris, se fecit incapacem deinceps utendi legato, ideò illud a se abdicare debet, non obstante, quod deinceps castissimè vivat,
21 quia sicut sufficit ut in momento conditio adimpleatur pro consequendo legato, ità & sufficit ut in momento, seù aliquo tempore non servetur conditio, pro amittendo legato, quod enim operatur propositum in proposito, causat oppositum in opposito ex vulgatis juribus. Ità *Bonac. de testam. p. fin. num. 23. contrà Naldum V. legatum num. 44. ex Imola in Clem. 1. de vita, & honest. cler.*

22 Sed quid dicendum, quando legatum est annuum? In eo casu non amittit legatum pro illis annis, quibus castè vivit, ratio est, quia tot sunt legata, quot sunt anni, ergo unicuique respondet conditio sine ullo ordine ad omnia, ac proindè inobservantia nocet tantùm pro eo anno, quo impudicè vivit. Legatum autem censetur annuum, sub his conditionibus. *Donec castè vixerit. Donec vidualem egerit vitam*, ex Alex. *lib. 4. cons. 29. initio Rota par. 3. dec. 109. num. 5.* Conditio ergo *si castè vixerit. Donec caste vixerit.* multiplicatur ad multiplicationem annorum, ità quòd unicuique anno, & legato respondeat propria conditio incommunicabilis aliis annis, & legatis.

Quæres 11. An legatum alicui relictum sub hac conditione: *Si vidualem vitam conduxerit* perdatur, si transeat ad secunda vota?

23 R. Nulli dubium esse perdere legatum si transeat ad secunda vota, quia matrimonii status destruit statum viduitatis. Confirmatur, quia ea conditio: *Si vidualem vitam duxerit* includit hanc: *Si nupserit*, ut docet *Ruin. lib. 2. cons. 34. num. 4. cons. 190. num. 2. & 3. Jason. in l. sive apud C. de transact. num. 20. fine, ex illis Rota par. 1. dec. 693. num. 1. Gregor. dec. 187. num. 3.*
24 *& in Addit. num. 13.* ubi, quòd tenetur restituere legatum cum omnibus suis fructibus, nec eum excusare bonam fidem respectu fructuum perceptorum, quia conditione violata, statim legatum fuit resolutum usque ab initio contracti matrimonii.

Quæres 12. An legatum perdatur per fornicationem ab ea persona, cui relictum fuit sub conditione servandi vitam vidualem, & non transeundi ad secundas nuptias?

25 R. Negativè, quia hæc diversa sunt, fornicari, & transire ad secunda vota, undè uno prohibito, alterum non censetur interdictum, ex diversis enim non fit illatio, maximè in odiosis, uti est prohibitio, quæ proindè strictè est interpretanda, per quod contraventio, & pæna excluditur, *ex Decio, & aliis Abbas cons. 97. num.*
26 *41. apud Rotam Farinac. Vol. 4. dec. 429. n. 20.* Ità docent *Navar. cap. 25. num. 65. cum aliis Sanch. lib. 7. disp. 91. num. 42. Bonac. p. fin. num. 25.*

27 Contrarium docent Acosta, & Cenedo apud eundem Sanchez, Gratian *cap. 5. num* 8. ubi vidua perdit legatum illi relictum sub conditione, ut non nubat plebeo, si cum illo fornicetur. Ratio est, quia plus non debet prodesse luxuria, quã
28 castitas. Sed non plus prodest, ex quo per sententiam Judicis privari potest fornicans, transiens verò ad secunda vona privatur ex voluntate testatoris, qui vult, legatũ nõ acquiri nubenti, qui sprevit ejus mentem. Casus verò allatus à Gratiano multùm diversus est à nostro, dum enim prohibet nuptias cum plebeo, à fortiori interdicit fornicationem, cum non minùs vilescat matrimonium contrahens, quam fornicans cum vili persona attenta testatoris mente, qui nullo modo vult uxorem suam vilescere.

Quæres 13. An perdatur legatum sub conditione *non nubendi*, si nuptiæ attentatæ sunt invalidæ?

29 R. Perditur, quia conditio violata fuit à coniuge quantùm fuit ex parte sua. Confirmatur, quia incontinentia non debet plus operari quam castitas coniugalis; sed hæc facit perdere legatum, ergo & incontinentia. Ita *Bermundus de publicis concub. §. de adulter. num.* 45.

Contrarium tenent *Sanch. lib. 7. disp. 91. num. 4. Bonac. p. fin. num. 25.* asserentes non amittere in foro conscientiæ, donec per sententiam Judicis vidua condemnentur. Probatur *Primò*, quia conditio verè violata non fuit, cum secundæ nuptiæ non fuerint contractæ. *Secundò*, non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. *Tertiò*, vitiosè factum videtur quasi non factum. *l. quoties ff. qui satisdare cog. l. 4. §. condemnatum ff. de re iudic.*

Hæ rationes non urgent, cum reverà sit contrafactum volũtati testatoris etiã per solam attentationẽ, quæ sufficit ad cõtrariandũ menti testatoris, sicut attentãs rẽ lege prohibitã dicitur illius trãsgressor, &

pænas

pænas incurrere, licèt actus sit irritus,
30 quando lex considerat factum, non juris effectum, *Sanchez lib. 3. disp. 2. num. 3.* referens Doctores, ità & in casu hic attentans matrimonium incurrit pænam hanc perdendi legatum, quia testator consideravit animum legatarii, non impedimentum, quod potuit accidere in eo contrahendo. Ex quo patet *ad primum* verè violatam fuisse mentem testatoris, ac proindè legatarium perdidisse legatum. *Ad se-*
31 *cundum*, verum est, quod non præstat impedimentum, quòd de jure non sortitur effectum, in quantùm scilicet sublato impedimento, fieri potest, quod fieri non poterat, undè sublato impedimento per dispẽsationẽ validè cõtrahitur matrimoniũ, & secũda electio fieri potest, quia prior invalidè facta non impedit fieri validè secũdã, ex adductis à *Sanchez lib. 8. disp. 22. n. 21.* Non præstat ergo impedimentum quod de jure non sortitur suum effectum, scilicet intentum, quia nemo intendit destruere, quod intendit facere, utique potest præstare impedimentum non in ordine ad id quod non intendit, nemo enim intendit pænam, quamvis sequatur ad id,
32 quod fit, de ratione enim pænæ est, ut sit contraria voluntati, *ex D. Thoma 1. par. q. 8. art. 5 & 1. 2. q. 87. art. 2. & 2 2. q. 18. art. 3.* cum ergo vidua non intendat favorem legati, sed matrimonii, nullitas illius non præstat impedimentum, quin validè celebrari possit, sed præstat respectu legati,
33 quod perditur, quia illud intenditur, non hoc. *Ad tertium* verum est, quod vitiosè factum habetur pro non facto quoad suũ valorem, quo tamen ad alios effectus habetur pro facto, si qui ex illo consequuntur, & hoc intendunt illæ leges, referuntur enim ad factum ipsum, quod intendebãtur, ut non sit factum, si nulliter fuit tentatum.

Quæres 14. An legatum relictum sub hac conditione: *Si pervenerit*, vel, *cum pervenerit ad viduitatem*, amittatur à vidua, si nubat, vel fornicetur?

34 R. Negativè, quia illa verba non important perseverantiam in viduitate, sed tantùm qualecumque tempus, in quo possit verificari existentia viduitatis. Ità Baldus, & Paulus de Castro deducit *ex l. fin. §. sed quia C. de in dicta viduit.* illis verbis. *Sancimus cum hujusmodi verbis mulieribus aliquid relinquetur, si vidua erit; vel, quoties vidua erit; vel cum vidua erit; vel è contratrio, maribus si amiserint uxores, vel quando ad cælibatum pervenerint, non vetari ea vindicare.* Reddit rationem lagislator. *Neque enim ut permaneant, vel fœminæ in viduitate, vel masculi in cælibatu videtur esse relictum.* Res est clara in textu,
35 ad consequendum enim legatum sufficit, quod conditio purificetur, & adimpleatur in momento, licèt non perseveret
36 in esse, *l. cum uxori 4. C. quando dies legati cedit.* Diversi ergo sunt conceptus isti: *Si vidua erit. Si permanserit in viduitate.* Nam nubens respectu posterioris perdit legatum, non respectu prioris. Idem dic respectu fornicationis, adhuc enim mulier remanet vidua, fornicando.

37 Quæres 15. An perdat legatum, qui nubit nobili ex privilegio, cui relictum fuit conditione nubendi nobili? Est autem nobilitas in hoc genere duplex, originis, & privilegii illa est naturalis, hæc procedit à virtute, seù ab auro, nàm emitur à valdè divitibus. Ambæ in populo
38 çstimantur, sed pretiosior est nobilitas virtutum.

39 R. Non amittere legatum, quia paria sunt esse nobilem sanguine, & origine, ac esse talem per privilegium, *ex Baldo in l. cum ex ratione ff. de excusat. tutor.* Confirmatur, quia nobilis ex privilegio gaudet omnibus privilegiis quibus gaudent nobiles ex sanguine, *Joan. Grazias de nobilit. Glos. 35. num. 3. & 48 Mastrill. de Magistr. lib. 2. cap. 10 num 105 cum aliis Pasqual. q. 192. in quæstion. Moral. num. 6.* Un-
40 de nobilis ex privilegio comprehenditur sub statuto loquente de nobilibus, *Glos. in l. quid si nepotes ff. de testam. tutor. multis citatis idem Pasqual. num. 8.* Nulla ergo est dabilis coniectura, per quam excludatur nobilis ex privilegio à præfacto legato, cũ testator eodem modo acceperit nomen *nobilis*, quo solet accipi à viris doctis.

Contrarium apud eundem tenent *Melchior Paleez de major. q. 51. num. 4. Pascbal de juribus patr. pot. par. 4. cap. 2. numero 43.* Legatum non deberi nubenti nobili ex privilegio. Sed id gratis asseritur, dum enim is gaudet omnibus privilegiis nobilis originis, gaudet etiam hoc de legato, sicut nobilis sanguine.

Quæres 16. An legatum sub his verbis: *Si custodierit lectum meum donec cu-*
41 *stodierit lectum meum* lucretur, si transeat ad secundas nuptias?

R. Non perdit, quia ea verba important violationem thori, qui non violatur, nisi per fornicationem, non autem per transitum ad secundas nuptias, aliter nulla persona vidua licitè nuberet alteri, si coniugis defuncti violaret lectum, intelliguntur ergo illa verba de violatione per fornicationem. *Albericius l. fin. C. de bonis mater.* Contra Montepicum, & Manticam, quos pro se citat *Sanch. lib. 7. disp. 91. num. 23.*

Quæres 18. An perdat legatum sub conditione: *Non nubendi, seù non transeundi ad secundas nuptias*, si post contractum matrimoniũ, non cõsumat illud?
42 R. Non perdere, quia hactenus nulla iniuria dicitur irrogata, quę sequitur ad copulã tantùm. Cõfirmatur, quia sicut pęnę legales non incurruntur nisi per cõsumationem

nem matrimonii, *ex adductis à Sanchez. lib. 7. disp. 87. num.* 19. ità neq; ex privata mente testatoris. Ità *Sanchez lib 7. disp. 91. num* 45. *Bonac. num.* 26. *vers. Major, cum Gutier. & aliis.*

Quæres 18. An conditio *non nubendi* habeatur pro turpi, & sic nubendo sibi legatum lucretur?

43 R. Conditio non nubendi nullatenus habetur pro turpi, cum negatio nuptiarum ordinetur ad statum virginalem, vel referri possit ad statum regularem, qui sunt meliores statu conjugali, in sententia omnium. Jure autem civili prohibentur non primæ, sed secundæ tantùm nuptiæ non contrahendæ nec infrà annũ luctus, nec deinceps favore filiorum primi matrimonii; & quoad hoc jus civile non fuit correctum à jure canonico nisi quoad pœnam infamiæ inductam à jure civili contra viduam nubentem infrà annum luctus; nõ autem quoad alia, ut expressè dicitur *cap. fin de secundis nuptiis*. Itaque infamis non est nubens vidua infrà annũ luctus, cum Apostolus, quem citavi hìc *num.* 14. dicat, viduam per mortem mariti esse solutam à lege mariti, cui vult, nubat. Ità omnes *cum Covar. de sponsa. par. 2. cap.* 3. *§* 9. *num.* 5. *&* 6. *Gutier. lib. 2. Pract. cap.* 108. *Sanch. lib. 7. disp.* 91. *initio, Barbosa ad dictum cap.* Quare si nubat, perdit legatum, cum transgrediatur licitam conditionem non impositam ex dictis *q.* 11.

Quæres 19. An perdat legatum sibi relictum *si nubat*, transiens ad religionem.

44 R. Non perdere sed sibi illud acquirere, ut multis probavi *cap.* 3. *q.* 20. Nam verbũ *Nubere*, seu *matrimonium* ex æquo refertur tàm ad spirituales nuptias, quã

45 ad Carnales. Et conditio, *Si nubat*. relativè ad spirituales habet nescio quid turpitudinis, cum retrahat ab illis, cùm ergò mens testatoris præsumenda sit rationabilis, per quam conditionem non excludit nuptias spirituales. Procedit *primò* licèt expressè testator loquatur de nuptiis carnalibus, ob adductam rationem, quia retrahit à spiritualibus nuptiis. *Secundò*, licèt exprimat personam certam, cui nubendum est, ob eandem rationem, & hæc omnia ibidem probavi *num.* 29. *ad* 83.

Quæres 20. An perdat legatum sub cõditione nubendi Titio, & nupsit Sejo; vel ejus fratri?

46 R. Amittere, quia non paruit cõditioni testatoris, qui designavit illum cũ exclusione cujuslibet alterius, ea enim conditio includit aliorum prohibitionem. Ità expressè *l. cum ità legatum* 62. *ff. de condit. & dem. ibi. Quæ enim Titio nuberejubetur, cæteris omnibus nubere prohibetur.* Panorm. *part.* 1. *cons.* 90. *num.* 2.

Quæres 21. Siqua prohibeatur nubere alicui de tali familia, aut loco, seu civitate, nunquid perdet legatum nubendo alicui alterius loci?

47 R. Non perdere ut habetur ex eadem *lege* 62. ubi redditur ratio, quia tali conditioni non fuit indicta viduitas.

Quæres 22. An amittat legatum sub hac conditione. *Si non nupserit Titio.* nubendo illi, ex quo alium invenire non potest, cui nubat?

48 R. Non perdere, licèt conditioni non pareat non se abstinendo nubere illi. Colligitur ex *l. Hoc modo* 64. *ff. de condit. & dem.* Quia si alibi facile non potest invenire nuptias, interpretandum ipso jure rescindi, quod fraudandæ legis gratia esset factum, quia utile est reipublicæ habere sobolem, unde ea conditio uti parùm honesta pro nõ adiecta habetur.

Quæres 23. An legatum relictum sub hac conditione. *Cum nupserit*, amittatur si persona jam sit nupta?

49 R. Non amitti, sed dandum esse, cum pervenerit ad secundum matrimonium, quando testator sciebat, esse conjugem tempore conditi testamenti, expressè *l. Si ità legatum* 67. *ff. de cond. & dem.* Quod si testator ignoret Statum personæ, adhuc lucratur legatũ, licèt sit nupta, quia sufficit, ut quovis modo conditio sit adimpleta juxtà dicta *cap.* 17. *q.* 12.

Quæres 24. An legatum relictum Sticho, & Sejæ, si contrahant matrimoniũ simul, amittatur ab utrisq; si alter eorum tantùm reiciat nuptias, altero existente parato parere testatori?

50 R. Eum solùm amittere legatum, qui est in causa, ne matrimonium ineatur, dum alter paratus est, qui proinde lucratur suum legatum, quia unus alteri nocere non debet, & conditio hæc dicitur mixta ex dictis *cap.* 1. *num.* 9. quæ habetur pro completa ex parte ejus, per quem

51 non stetit, ut adimpleretur, *l. Dedi tibi* 3. *§. Quamquam ff. de cond. causa data l. quæ sub conditione* 8. *§. quoties ff. de condit. instit. l. Mævia* 13. *ff. de annuis legat. l. Si Titius* 14. *ff. de cond & dem. l.* 122. *ff. de reg. jur.* Colligitur ex *l. in testamento* 31. *ff. de cond. & dem.*

Quæres 25. An perdatur legatum relictum Titiæ, si nupserit Lucio arbitratu fratris testatoris, in casu, quo moriatur

52 arbitrator ante contractũ matrimonii? R. Non perdit, quia ea conditio de nubendo arbitrio alterius reiicitur uti facta impossibilis per mortem arbitratoris. Ità *l. Filiæ* 28 *ff. de condit. & dem.*

Quæres 28. An legatum sub conditione: *Si non nupserit.* factum personæ, cui fideicommissum sit, ut Titio restituat, si nubat, perdatur, & fideicommissum sit præstandum?

53 R. Acquirere nihilominus sibi legatũ, & fideicõmissũ non deberi, ex *l. quoties* 22. *ff. de*

*ff. de condit. & dem. ibi Glos. V. Posse*, reddit rationem, quia spernenda est conditio, quæ viduitatem inducit. Dicitur tamen ibidem, quod id corrigitur per Auth. *De nuptiis §. quæ verò*, sed sermo est de virgine hìc vide *Auth. CuiC. de indicta viduit. toll.*

Quæres 27. An legatum relictum puellæ si nupserit, amittatur si Sponsus moriatur ante consumationem matrimonii, post illius celebrationem?

54 R. Non perdere, quia adimplevit conditionem nuptiarum per matrimonium ratum, licèt non consumatum, quia ut dicitur *l. Cum fuerit* 15. *ff. de condit & dem.* Nuptias ideſt matrimonium ratum non facit concubitus, sed consensus.

Quæres 28. An fæmina prohibita nubere Titio ad consequendum legatum, illud amittat si alteri nubat?

55 R. Non amittere, sed illud consequi post mortem Titii, quia non prohibetur simpliciter nubere, sed Titio tantùm; post cujus mortem, & non ante debetur legatū, quia ea conditio: *Si Titio non nupserit*, perinde habenda est, ac si legatum fuisset factum consequendum post mortem Titii, unde nec opus est petere satisdactionem Mutianam. Expressè *l. Hoc genus* 105. *ff. de condit. & dem.*

Quæres 29. An legatum relictum sub conditione: *Si nupserit*, perdatur per legatarium promotum ad ordines sacros?

56 R. Non perdi. quia ea conditio habenda est pro non adiecta, dum impeditiva est melioris boni, quod est status clericalis statu conjugali. Idem probavi *Cap. 3. q. 23.*

Quæres 30. An vidua ammitat legatū, si profiteatur in Religione, sibi relictum, si manserit in viduitate?

57 R. Non amittere, sed omninò ei debetur etiam deinceps, quia per professionē non perdit statum viduitatis, sed illum perfecit. Ità *ex Baldo in l. Deo nobis C. de Episcop. Anchid. in cap. Vidua dist. 32. Cremens. singul. 143. cum aliis Rota par. 4. tom. 2. decis. 324. num. 16. ad 18.*

Quæres 31 An vidua amittat legatum sibi factum à marito cum conditione: *Si seu dummodo maneat cum filiis suis*. si transeat ad secunda vota.

58 R. Non amittere legatum, ut colligitur *ex l. Cæterùm 4. ff. de usu & habit.* illis verbis: *Quid ergò si viduæ legatum sit, an nuptiis contractis post constitutum usum mulier habitare cum marito possit. Et verum est posse eam cum viro, & postea nubentem habitare. Glos. V. Sententia l. cum tale* 61. *ff. de condit. & dem.* idem docet. Contractus ergò nuptiarum non facit perdere legatum. Ità docent *Bartol. Imola, & Paulus super dicta lege* 61. *Oldrad. cons.* 213. *Salicetus in l.* 1. *C. de legat. num.* 4. *Angelus de Gambellion. de testam Glos.* 20.

Contrarium tenent alii, quos sequitur Sanchez *lib. 7. disp.* 91. *num.* 48. nimirùm perdere legatum, quia per eam conditionem intelliguntur prohibitæ nuptiæ, cum ex his filii justam habeant causam divertendi aliò, per quos non stat, quin mater legatum habeat, ergò illud perdit ex propria causa. Sed respondetur, quòd cum nuptiæ sint de se bonæ, & licitæ, nec inferre hujusmodi recessum à matre, sed esse merè voluntarium, non inducere amissionem legati, ut dicitur in præallegata lege 4. Non obstat, cum in ea non fiat mentio de casu identico, dum in conditione non ponuntur filii, sed solū, quòd non perditur legatum per nuptias. Quia hoc sufficit, quòd nuptiæ non faciūt perdere legatum, cum neque istæ in casu nostro exprimantur, nec subintelligantur, ideo nec sunt causa conjuncta recessui filiorum, qui voluntariè recedunt; occasione, non causa, tantùm accepta à nuptiis maternis, quæ tantam vim non habet perdendi legatum matri; cum sit
59 causa remotissima *Tiraquel. Cessante causa limit. 13. num* 8. quæ proinde nullo modo attendenda est in præjudicium tertii, qui utitur jure suo. Subdit tamen idem Sanch. *num.* 49 *cum Garone in Rubr. de secundis nuptiis, Pena* 15. *n.* 74 viduam nuptam filiis cum ea commorantibus nō perdere legatum.

Quæres 32. An vidua perdat legatum habitationis, si nubat?

60 R. Viduam, cui maritus, vel alius legavit usum habitationis domus suæ simpliciter, non perdere legatum, si transeat ad secundas nuptias. Ratio est, quia legatum est absolutè, & simpliciter ei relictū, ergò sine conditione prohibitiva, prohibitio enim ut quæ odiosa est, non intelligitur nisi exprimatur. Colligitur excit. leg. Cæterùm 4. de Usu, & habitat. ibi: *Mulieri autem si usus relictus sit posse eam, & cum marito habitare.* Idem habet *Instit. de Usu, & habitat. §. Item is, qui*, ubi *Glos. V. cum marito, scilicet, præsent, & futuro.* In his autem locis sermo est de legato à quocunque fuerit relicto, sive à marito, sive ab extraneo, nam in illis textibus neuter exprimitur testator, unde dispositio in eisdem non minus loquitur de cōjuge testante, quam de extraneo, indefinita enim locutio indifferens est ad utrūque cum legatum habitationis à quocunque relinqui possit. Quibus satisfit opinioni contrariæ Gregorii Lopez Alberici, & Perez apud Sanchez *num.* 50. asserentium, viduam secundò nubentem perdere legatum, quia per nuptias cessat memoria mariti, respondentium Glos. loqui de extraneo testatore, nam de marito, sed id gratis asseritur, ut probavi.

Quæres 33. Uxor, cui à marito relictus fuit usus habitationis domus suæ, *dum steterit in ea* numquid illam amittat transiēs ad secunda vota?

R. Ne-

61 R. Negativè, quia nuptiæ non adversantur habitationi domus primi mariti ex dictis in præcedenti. Nec scio capere, quomodo ea conditio: *Si steterit*, vel, *Donec steterit in domo*, importet statum viduitatis. Contrà Baldum *in l. Voluntatis C. de fideicom. num.* 10. *Jason in l.* 1. *C. de legib. Surd. de Alim tit.* 7. *q.* 23. *num.* 22. *quos pro se citat Sanch. lib.* 7. *disp.* 91. *num.* 53. asserens, perdere legatum, ea ratione, quòd post contractum matrimonium non ampliùs dicitur persistere, & stare in domo prioris mariti. Sed id gratis dicitur, neq; enim per secundum matrimonium usus habitationis dicitur originatus à secundo coniuge, nec illius fit proprietas, sed utrumque remanet ut priùs, ac proindè ulteriùs dicitur esse in domo prioris mariti.

Quæres 34. An ille, cui fuit relictum legatum cum conditione, *ut staret cum uxore sua post mortem*, perdat legatum, si vidua transeat ad secundas nuptias?

62 R. Non perdit legatum, quia per eum non stat, quin impleat adiectam conditionem, sed defectus procedit ab aliis, ergo non habet perdere legatum paratus cum ea stare si velit. Ità *ex Alex. Socino, & Simone de Pretis. Sanchez lib.* 7. *disp.* 91. *num.* 52.

Quæres 35. An amittat legatum relictum sub hac conditione *si nubat Titio*, negando nuptias cum illo, si posteà pœnitens facta se offerat ad nuptias?

63 R. Si apta viro nolit nubere perdit legatum, quia non paret conditioni testatoris, sine qua non vult illam habere legatum. Posita verò pœnitentia intrà triennium, si nubat, lucratur legatum. Ità ferè omnes, & dixi præced. *cap. q.* 10.

Quæres 36. An conditio *non nubendi* excludat etiam matrimonium spirituale, Religionis, aut Ordinis?

64 R. Negativè, quia aliter esset turpis, & pro non adiecta haberetur. Ità *Glos. in l. Mulieri, ff. de cond. & dem. & in Auth. cui relictum C. de indic. vid. toll. Menoch. præsumpt.* 148. *num.* 6. *Galgan. de condit. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 38. *cum aliis Ciarlin. cap.* 118. *num.* 51.

65 Quæres 37. An conditio *non nubendi* sit turpis, ac proindè rejecta in legato, quòd adhuc debeatur nubenti? *Sanchez lib.* 1. *disp.* 33. *num.* 2. *Vers. Contrarium*, docet deberi legatum, esto non servet conditionem, sed nubat, quia leges reiiciunt mentem testatoris in hoc, ob bonum commune Reipublicæ propter procreationem filiorum. *Diana par.* 3. *tract.* 5. *resol.* 57. Deducitur *ex l. cum ità legatum* 63. *& l. Hoc* 64 *ff. de condit. & dem* Quia conditio censetur apposita in fraudem ne nubat, ac prodè ut turpis reiicitur.

66 Ego autem ejus sum opinionis, quòd talis conditio non nubendi sit omninò licita, & honesta, ac proindè sit servanda secundùm mentem testatoris, & si non servatur, non deberi legatum. Probatur honesta conditio *ex* 1. *Corinth. cap.* 7. *num.* 38. *Igitur, & qui matrimonio jungit virginem suam benè facit, & qui non jungit, melius facit.* Nubere ergo est bonum, & non nubere est melius, ergo hæ conditiones legatis appositæ non possunt esse turpes; undè nec negativa potest dici apposita in fraudem, nec retrahere fraudulenter à matrimonio, sed tantùm consulere majus bonum, quod consequi potest *Virgo*, vel *Vidua* servantes hanc conditionem negativam. Nubenti ergo contrà negativam conditionem non debetur legatum, quia non servat mentem testatoris, de qua certò constat. Et ità docent Medina, Ludovicus Lopez, & Carbo, quos contrà se citat Sanchez, & Diana.

67 Allatæ autem leges attendendæ non sunt, quia Imperatores infideles cælibatum, & viduitatis statum spernebant, imò horum sectatores puniebant, inquit enim S. Ambros. de Viduis relatus in Lectionibus in communi non Virg. 2. loco, lect. 5. sic: *Undè & illi, qui Deorum suorum adulteria, & probra venerantur, cælibatus, & viduitatis statuere pœnas, ut æmuli criminum mulctarent studia virtutum; specie quidem, qua fœcunditatem quærerent, sed studio, quo propositum castitatis abolerent.* Sequitur ergo ex his Conditiones, *si non nupserit, si castè vixerit*, esse honestas, & debere adimpleri pro consecutione legati, cui adiiciuntur.

---

## CAPUT DECIMUMNONUM

### *De Legatis Dotalibus.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Dos legatur vel in institutione, vel in restitutione.*
2 *Legatum dotis de se non est pium, sed benè si fiat pauperi puellæ, vel pro salute animæ.*
3 *Interpretandum est latè.*
4 *Legatum à patre factum dotis est purum, ab aliis conditionale.*
5 *Conditio quandoq; mnnitionem importat.*
6 *Dos habet conditionem* Si nupserit *quando datur ab extraneis.*
7 *Dotale legatum est transmissibile post mortem testatoris factum à patre, ab aliis post conditionem purificatam.*
8 *Pro consequendo legatum sufficit cæptum tempus.*
9 *Annus cæptus in favorabilibus habetur pro completo.*
10 *Legatum dotale residuum peti potest, post receptam dotem.*
11 *Solutio partis à toto non liberat.*
11 *Dos nominata in testamento non dicitur legatum, nisi hoc nomine legati exprimatur.*

13 *Legata orpbano dantur carenti ſolo patre.*
14 *Orpbanus enim propriè eſt carens ſolo patre.*
15 *Legata dos reſtituenda operatur, ut ſtatim ſit danda poſt mortem mariti non expectato lapſu anni luctus.*
16 *Certitudo operatur, quod incertitudo operari non poteſt.*
17 *Legatum dotale dari poteſt ante tempus præfixum.*
18 *Niſi ſit aſſignatum in bonorem alicujus Sancti.*
19 *Renuntiatio legitimæ paternæ ob legatam dotem receptam non includit maternam.*
20 *Eſt enim ſtricti juris continens ſolùm expreſſa.*
21 *Minùs præjudicare debet, quàm ſit poſſibile.*
22 *Undè interpretatur in favorem renuntiantis contra renuntiatarium.*
23 *Filius petit legatum ſibi à patre relictum, non obſtante renuntiatione bonorum paternorum, quæ dicitur ab inteſtato.*
24 *Renuntians bonis paternis, non renuntiat maternis, nec fraternis.*
25 *Pater relevatur à dote, ſi fiat ab alio.*
26 *Legatum à marito factum uxori per importunas preces non valet.*
27 *Preces importunæ æquiparantur metui.*
28 *Legatum pro maritandis, datur ingredientibus Religionem.*
29 *Nuptiæ dicuntur etiam ſpirituales profeſſionis religioſæ.*
30 *Pinguius legatum aſſignatum nubenti datur etiam ingredienti*
31 *Et totum expenditur, licèt minùs ſoleat recipi à Monaſterio.*
32 *Legatum dotale præter paternam dotem lucratur factum ab alio.*
33 Si non nupſerit. *Non excludit nuptias ſpirituales.*
34 *Legatum pinguius relictum primò maritandæ datur attenta proprietate nuptiarum, non nativitatis, niſi una proprio nomine exprimatur.*
35 Filiorum *ſub nomine non veniunt nepotes, quãdo exprimuntur proprio nomine.*
36 *Prior nominatus magis dilectus.*
37 *Legatum dotis expreſſa quantitate certa ex errore non datur, ſed tantùm, quæ numerata fuerat.*
38 *Legatum dandum maritandis non diſtribuitur niſi puellis etiam maritatis nondum cognitis, ſeù nullo exiſtente matrimonio, ſi legatum fiat virginibus non nuptis datur.*
39 *Puer, & puella dicuntur uſque ad 25. annum.*
40 *Virgo dicitur incorrupta uſque ad mortem.*
41 *Legatum relictum uxori nominatæ proprio nomine, ei debetur.*
42 *Dilectio non tendit in perſonam incognitam.*
43 Lego uxori meæ *debetur ſuperviventi marito.*
44 *Legatum pro puellis maritandis dari poteſt nuptis ſine dote, vel cum pauca dote.*
45 *Legatum factum Titiæ maritandæ illi datur, ſi teſtator ignorabat eſſe nuptã,*
46 *ſi verò ſciebat, datur eidem, cum ſecundò nupſerit, aliter ei non debetur.*
47 *Compenſatio eſt contributio mutua debiti, & crediti, eſt ſpecies ſolutionis.*
48 *Compenſatio fit, quando debita ſunt pura, & liquida.*
49 *Ejuſdem quantitatis, & ſpeciei.*
50 *Non verò ſi ſunt diverſæ quantitatis, & ſpeciei.*
51 *Legatum de propriis bonis non compenſatur cum debito*
52 *Legatum à conſanguineo factum non inducit compenſationem.*
53 *Debitum minus cum legato majori compenſatur ſi eſt neceſſarius.*
54 *Debitum neceſſarium eſt illud, quod immediatè originatur à lege, non ex facto debitoris, quod tunc eſt voluntarium, dum procedit à facto proprio.*
55 *Aditio hæredem facit debitorem voluntarium.*
56 *Pater legans filiæ, cui nondum dedit dotem cenſetur compenſare.*
57 *Pater debitor neceſſarius in dotatione, in conſervatione dotis pro filiis, in datione legitimæ.*
58 *Maritus legando uxori aliquid non cenſetur compenſare, niſi probetur, eſt*
59 *enim dotis reſtitutio debitum voluntarium.*

1 DOtis factio, & inſtitutio duobus modis contingere poteſt. *Primò* ſimpliciter & abſolutè, & in hoc ſenſu de ea hìc agendum non eſt; *ſecundò* ſub ratione legati, quando teſtator in ſuo teſtamento dotem ſimul inſtituit, & ſub ratione legati relinquit maritandis, & in hoc ſenſu hìc agendum eſt de legatis dotalibus; *tertiò* quoq; contingit dotem jam conſtitutã affici legato, cum ſcilicet maritus legat in ſuo teſtamento, dotem receptam eſſe reſtituendam poſt ejus mortem uxori ſuæ viduæ, de quo egi ſub *cap.* 1. *q.* 50.

Quæres 1. An legatum dotale ſit pium?

2 R. Non eſt pium ex quo dos eſt, utiq; ex conditione paupertatis feminæ legatariæ, vel etiam ex modo legandi cum clauſulis importantibus pietatem, ut ſi relinquit pro amore Dei, pro anima ſua, pro exoneratione ſuæ conſcientiæ &c. juxtà dicta cap. 4. ſine his ergo pium non eſt, quia pietatem ex dote recipere non poteſt. Ità *Surd. tit. 2. de alim q. 12. numer.* 9. *&* 10 *Ruin. lib. 3. conſ. 71. numer.* 15. *Mantica de coniect. ult. vol. lib. 6. tit.* 11. *num.* 18. *ex illis Gratian. cap.* 567. *n.* 8. *&* 666. *n.* 5. Ubi quod dicitur factum

ctum in cauſam alimentorum intuitu paupertatis.

Quæres 2. An legatum dotale latè ſit interpretandum?

3 R. Sic, *Tirarq. in præfat. l. Si unquam C. de revocand. donat. num. 12. ex illo Serapbin dec.* 240. conſtitutio enim dotis continet cauſam pietatis, unde non admittit repetitionem, niſi aliter fuerit conventum, hoc enim ex ſpeciali favore dotis fuit introductum, *ex adductis per Rotam par.* 8. *deciſ.* 280. *num.* 6. & 7. meritò igitur latè interpretatur ſtante pietate *Socin. lib.* 1. *conſ.* 247. *num.* 6. *Tiraq. de privleg. piæ cauſæ* 23. *Surd. de alim. tit.* 8. *privileg.* 25. *num.* 6. *Gratian. cap.* 666. *num.* 6.

Quæres 3. An legatum dotale ſit conditionale, an purum?

4 R. Si à patre fuit relictum eſt purum, & abſolutum, ſi verò ab extraneo relinquatur eſt conditionale, ità quòd illud poſt mortem patris ſtatim debetur, licèt non celebretur tunc matrimonium; hoc verò conditione purificata, ideſt, à die contracti matrimonii. Ratio diverſitatis eſt, quia dos legata à patre filiæ ſuccedit loco legitimæ, ac proinde in hoc conſiderandum eſt tale legatum juxtà naturam legitimæ, quæ nullam conditionem, nec gravamen recipere poteſt, *l. Omnimodo* 30. *l. Quoniam* 32. *C. de inoffic. teſtam.* Ab aliis verò relictum eſt conditionale, quia non induit naturam legitimę, quę ab extraneis non datur, unde quod dicitur *in l. Sancimus* 23. *C. de nupt. & alibi*, ſtipulationem, quæ propter cauſam dotis fit, habere in ſe con-

5 ditionem hanc *Si nuptiæ fuerint ſecutæ*, expreſſè *l. Stipulationem* 22. *ff. de jure dot.* intelligitur de dote danda ab extraneis, non à patre. Ità fere omnes *cum Bald. in l. Titia centum §. Titio genero, ff. de condit. dem. num.* 3. & 4. *Corn. lib.* 4. *conſ.* 229. *num.* 3. *Caſtrenſ. lib.* 2. *conſ.* 16. *num.* 2. *Ludov. dec.* 346. *num.* 3. & 495. *num.* 14. *Craſſus §. Legatum q.* 48. *num.* 5. *Marinus lib.* 1. *cap.* 246. *num.* 8. Nec obſtat, quòd pater adjecerit conditionem ſolutioni, quia hæc non poteſt mutare

6 ſubſtantiam legati de ſe puri *Ludoviſ. dec.* 346. *num.* 4. ea enim conditio monet debitorem ad non procraſtinandam ſolutionem debiti.

Quæres 4. An legatū dotale ſit tranſmiſſibile ad hęredes legatariæ?

7 R. Legatum dotale ex patre eſt tranſmiſſibile ſtatim poſt mortem patris, non autem ab alio relictum, niſi poſt purificatam conditionem, cū neq; ipſi legatariæ ſit debitum, niſi ab illo die, quo matrimonium contraxit, unde ſi ante contractum matrimonium moriatur, caducatur legatum, ex dictis *cap.* 1. *q.* 13. & 14. Ratio utriuſq; deſumatur ex præcedenti queſtione, nam cum paternum ſit purum, acquiritur ſtatim poſt mortem patris, & ideò illud uti proprium fit tranſmiſſibile ad hæredes; non autem extraneum, niſi poſt contractum matrimonium. Ità *Serapbin. dec.* 959. *Rota par.* 1. *dec.* 450 *num.* 2. *Ludoviſ.* 495. *num.* 13. *Ciarlin. cap.* 167. *per totum, ubi num.* 6. ait, eſſe omninò purum, quamvis pater adjeciſſet hæc verba: *Quos tamen ſcutos voluit ſolvi tempore nuptiarum*, quæ cum referantur ad executionē non poſſunt facere legatum conditionale, quòd ſit tale ſolùm, quando adiicitur ſubſtantię legati, ſi non ſit relictum à patre, unde illa verba; potius important admonitionem, quam conditionem, multis ad hoc relatis textibus & Doctoribus, *Ludoviſ. dec.* 301. *num.* 15.

Quæres 5. An puella, cui relictum fuit legatum dotale recipiendum cùm pervenerit ad annos quindecim, poſſit illud petere initio illius anni?

8 R. Si cōſtat, eſſe expectandum exitum ultimi diei anni, nulli eſt dubium, puellam non poſſe ante illum diem, nec eo die petere de jure legatum, cum de mente teſtatoris conſtet, non eſſe dandū niſi expleto anno, neq; proinde petendum eſſe. In dubio autem peti poteſt initio anni, quia in favorabilibus annus cæptus habetur

9 pro completo, arg. *l. Ad rempublicam ff. de muner. & bonor, ibi Gloſ. V. Favoris cauſa, & l. Majores ff. de jure immun. Gloſ. V. Major. Gratian. cap.* 607. *num.* 7. *Marinus lib.* 1. *cap.* 247. *num.* 4. Certum autem eſt, cauſam dotis eſſe fauorabilem, *l.* 1. *ff. ſolut. matr.*

Quæres 6. An nupta, cui octocentum data fuerunt in dotem à teſtatore vivente, petere poſſit reſiduū de mille ſibi ad eodē legatis in dotem? Procedit, ſive nubat carnaliter, ſive ſpiritualiter.

R. Poſſe, *ex l. Filiæ C. de legatis*, ubi,

10 quòd filia non habet actionem petendi legatum ſibi ſolutum in dotem à patre vivente, ſolutum autem dicitur, ſi integrè datum illi fuit, quia ſolutio partis nō

11 liberat à toto, *l. Intereſt* 21. *C. de ſolut.* ergò ſi alia portio manet ſolvenda, filia dicitur habere actionem petendi illam, teſtator enim unam partem dando non præſumitur mutaſſe voluntatem, ſed cępiſſe eam per ſemetipſum exequi, complendam poſtmodùm ab eius hæredibus.

Confirmatur, quia non ceſſavit cauſa legati cum reſpectu ad dotem, ſed tantùm fuit inchoata, abſolvenda ſolutione reſidui, qua confirmatur, quod intendebat teſtator. Facit axioma, quòd factum in favorem alicujus non eſt retorquendum in ejus odium. Eſt communis, *Oldrad. in l. Luciusff. de legat.* 2. *Bartol. ibidem, Craſſus §. Legatum q.* 58. *numero* 3. *Pariſ. lib.* 2. *conſ.* 61. *num.* 44. *Decian. lib.* 2. *conſ.* 56. *numero* 53.

*Mantica lib. 12. tit. 1 num. 13. Gutier. de Sponsal. cap 20 num 29. Ludovis. dec. 236. num. 15. cum aliis Ciarlin. cap. 142. per totũ, ubi agit ad favorem monacatus.*

Procedit concluſio, à quocunq; relictum fuerit legatum pro dote, ſive à Patre, ſive à Fratre, ſive ab alio extraneo, qui eidem nubenti dedit minus, quam legaverit, dum viveret, nam poſt ejus mortẽ hæredes debent dare reſiduum legati, quando aliud ex coniecturis colligi non poteſt, ut docent præcitati. Limitatur verò, ut non poſſit ab ejus hæredibus petere reſiduum, quando illis fecit, vel Patri fines generales, quia per hoc renũtiavit juri ſuo contenta dotis receptę, & cẽſetur teſtamentum tacitè revocatũ quoad legatũ, *Bald. lib. 1. conſ 202. initio Tuſcus V. Legatum concl. 97. num. 6. & 7. ex illis Ciarlin. cap. 142. num 21.*

Quæres 7. An dotationes factæ in teſtamento habeant vim legati?

12 R. Negativè, niſi expreſſè afficiantur hujuſmodi qualitate, ità *Gloſ. V. Referatur l. Donationes 25. C. de donat. inter vir. Gratian. cap. 690. num. 9 & 10.* dicens *ex l. Ex verbis 14. & cit. l. 25 tit. eod.* eſſe confirmationem prioris dotationis, & illius corroborationem, conſequenter non alterari, neque mutari, ſed remanere in ſuis terminis, *ex l. Aurelius 29. §. Teſtamento C. de liber. leg. Caſtrenſiſ. lib. 2. conſ. 187. Crotus lib 1. conſ. 55. num. 17. Alex. lib. 4. conſ. 122. num. 20. Surd. lib. 3. conſ. 340. num 7. & 8. ex illis Gratian. cap. 690. num. 6.* Quando autem non conſtat de dote, licèt confeſſata in teſtamento, tunc valet in vim legati, quia per talem confeſſionem conſtituit ſe debitorem, ac proinde intendit, quòd ejus hæredes tale debitum ſoluant. Ità *Cynus in l. Generaliter C. de non num. pecun. q. 8. num. 11. Gomez de teſtamento cap. 12. de legat. num. 81. Surd. dec. 285 num. 4. Gratian. cap. 116. num. 45 cum ſeq.*

Quæres 8. An legatum pro maritandis puellis orphanis carentibus patre, dari poſſit habentibus tantùm matrem?

13 R. Dari poſſe, quamvis non careat matre, ſed ſolo patre, quia legatum cenſetur factum ad ſublevandam miſeriam indigentis, quali laborat puella carens patre, à quo eſt magnum præſidium, & adjutorium ergà filios, magis, quam à matre poſt illud triennium lactationis, cum ergò adſit cauſa finalis in utroque caſu, ſive careat ambobus parentibus, ſive patre tantùm, ſequitur puellam ſolo patre orbatam eſſe capacem legati relicti pro orphanis. Orphanus autẽ definitur à *Gloſ. V. Sancinus cap. In qualibet 23. q. 8.* ibi: *Orphanotrophium eſt locus venerabilis, in quo pueri parentibus orbati paſcuntur.* Ea pluralis locutio parentibus includit carentiam patris, & matris, quo item verbo utitur textus *in l. 30. de Epiſcop. & Cler. & Gloſ. V. Orphanotrophium l. 16. de Sacroſ. Eccl. Menoch. de arbitr. caſu 66. in addit. n. 7. cum aliis Gratian. cap. 666. à num. 12.* reſpondente, ex illis teſtibus ſufficienter non colligi, orphanum eſſe eum, qui carere debeat utroque parente, ut gaudeat privilegiis. Quare ob rationem à nobis ſuperius adductam capax eſt legati carens ſolo patre. Ità *Gratian cap. eod. num. 3.* quia in materia favorabili lata interpretatio eſt facienda, ut eſt legatum factum orphanis, quod illis dandum eſt, licet ſolo patre careant, cum revera is propriè dicatur orphanus, qui ſolo patre caret,

14 ut colligitur ex ſacris litteris, *Pſal. 10. 14. Orphano tu eris adjutor ideſt* loco patris. *Pſal. 67. 6. patris orphanorũ, & judicis viduarum.* Clarius *in Pſal. 108. 9 Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua.* Et Chriſtus *Joann. 14. 18.* dicit: *Non relinquam uos orphanos.* Hujuſmodi enim locutiones referuntur ad patrem, cujus carentia denominat filios orphanos, ergò is propriè dicitur orphanus, qui caret patre, licèt habeat matrem.

Quæres 9. Quid operetur dosin teſtamento legata à marito reſtituenda per hęredes poſt ipſius mortem?

15 R. Legatum dotis reſtituendæ ab hæredibus concipi poteſt à teſtatore duobus modis, *primò* expreſſa quantitate dotis cõfeſſatæ; *ſecundò* nulla illius expreſſa quãtitate; in primo caſu operatur pro tota dote expreſſa, quamvis totam non receperit maritus, in poſteriori caſu operatur tantùm pro ea parte, quam recipit, & non pro tota. Colligitnr *ex l. fin. C de falſa cauſa adiect Gloſ. in l. Vir uxori. ff. de dote præleg.* ubi in caſu dicitur, quo poteſt peti licèt perierit ſine tamen culpa Creditoris, quando certa quantitas legata fuit, quia

16 tunc legatum eſt loco dotis. Ità *Rota par. 8. dec. 116. num 18 ex Gratian. cap. 823. à num 1. ad 5.* ponẽs eam differentiã de cõmuni Doctorum, ut plus operetur certitudo, quam incertitudo, licèt legatũ operetur reſpectu utriuſq; ut poſt mortẽ peti poſſit non expectato anni lapſu à die mortis mariti, ut dixi *cap. 1. num. 183.*

Quæres 10. An legatum pro maritandis puellis dari poſſit illis ante tempus præfixum?

17 R. Affirmativè, ſi hæres daturus ſit cõtentus, & non ſit aſſignatus dies præciſè in honorem, & devotionem alicujus Sãcti, quia tunc ille dies expectandus eſt, & non poteſt præveniri.

Prima pars, de præventione, probatur, quia hujuſmodi celeris ſolutio eſt juſta, & licita, cum nulli ſit dãnoſa, non teſtatori, quia illi eſt proficua, cum ejus anima ex hujuſmodi anticipata ſolutione citius ſuffragium percipiat; nulli enim creditori diligentia debitoris ſolet nocere, ſed prodeſſe. Non hęredi, dum contentatur, volenti enim, &

consentienti non fit injuria. Non pauperibus, quorũ miserię celeriùs occurritur, cum ergo nulli præjudicet hæc anticipatio, fieri potest. Ità *Bald. in leg. Post mortem 12 C. de fideicom. num. 10 fine, Dec. in l. cum tempus 17. ff. de regul. jur. Covar. in cap. Tuaꝰ, de testam. num. 5. Anchar. consil. 202. cum aliis Gratian. cap 73. initio.*

18 Secunda pars, de solvendo in die præfixo Sancti, probatur, quia mens testatoris rationabilis alteranda non est, maximè quando respicit cultum Sanctorum, & devotionem disponentis. Confirmatur, quia tale tempus censetur appositum pro forma, quod non licet violare. Ità *Gutier. Pract. q. 79. num. 3. & 11. Cevall. q. 186. n. 3. & 4. Covar. cit. Mantica lib. 8. de coniect. tit. 5. num. 20. ex illis Gratian. cit. num. 3. & 4.*

Quæres 11. An mulier, cui legatum dotale factum fuit cum conditione, ut renuntiet omni legitimæ, & doti, quæ peti potest à patre, possit petere legitimam matris?

19 ℟. Affirmativè, quia renuntiatio est quid odiosum, & stricti juris, itaut non contineat nisi expressa, *Cardin. consil. 12.*
20 *Calderin. consil. 5. de præbend. Decius consil. 452. num. 21. cum aliis Ventriglia de renunt. filiæ dotatæ Annot. 151. num 5. Rubeus par. 4. tom. 3. decis. 543. num. 7.* Ità interpretanda
21 est, ut minus præjudicet, quam sit possibile, *Gabriel. lib. 1. consil. 60. num. 6. Surdus lib. 3. consil. 431. num. 32. ubi num 34.* ait, quòd in dubio renuntiatio debet interpretari in favorem renuntiantis, &
22 contrà illum, cui facta fuit, *ex illis Rotæ par. 3. dec. 168. num. 7.* ubi antecedenter dicit, quòd renuntiatio facta à filia nubente hęreditatis paternæ, solùm de juribus ab intestato provenientibus inteligitur, non autem ex testamento, & ideò non prohibitur petere legatum sibi à patre relictum,
23 *ex Bart. in l. Stipulatio hoc modo ff. de verb. obligat. num. 4. Bald. in l. Pactum C. de collat. num. 9. & in l. fin. C. de pactis num. 15. cum aliis ex eadem Rotæ num. 6.* Et renuntiatio limitata ad bona paterna tantùm, non extenditur ad materna, cum manifestè
24 appareat esse diversa, *Gratian. cap. 637. num. 18.* Bona autem alia sunt paterna, alia materna, alia fraterna, quando quis renuntiat uni generi horum bonorum, non renuntiat alteri, quia renuntiatio est stricti juris, & in ea non veniunt nisi bona renuntiatione expressa, *l. Si unus §. Ante omnia ff. de pactis ibi Bart. & Jason. Alex. lib. 2. consil. 4. col. 5. Peregr. de fideicom. art. 52. num. 25. Ventriglia Annot. 1. de renunt. filiæ num. 5.* Quare renuntiatio limitata ad bona paterna, & materna, non extenditur ad fraterna, *Rota par. tom. 2. dec. 375. num. 11.* licèt ad eum pervenerit ex paterna hæreditate, *ibidem num. 20.*

Quæres 12. An legatum dotale relevet patrem, qui non teneatur dotare filiam?

25 ℟. Relevat, ut docent *Mandellus consil. 658. num. 4. Eugen. lib. 2. consil. 54. num. 13. Ruin. Vol. 2. consil. 196. num. 6. Bimius consil. 47. num. 4. ex illis Ottobon. dec. 15. num. 5. 6. & 7.* Et dos sic legata respicit favorem patris, & vocatur profectitia proveniens ex consanguineis, *Bald. in l. Profectitia ff. de jure dot. Dec. consil. 81. num. 6. cum aliis Rota cit.*

Quæres 13. An legatum per importunas preces uxori à marito relictum valeat?

26 ℟. Negativè defectu perfectæ voluntatis, quæ per importunas preces debilitatur, & infirmatur, cõparãtur enim metui,
27 *ex adductis à Sanch. lib. 4. disp. 7. num. 4.* Ità docent *Decian. Vol. 2. consil. 65. num. 3. Segura in l. 1. §. Si viri ff. de acquir. possess. num. 129. apud Sperell dec. 150. num 23.*

Quæres 14. An legatum relictum nubentibus sit dandum etiam volentibus ingredi Religionem?

28 ℟. Affirmativè, quia nubere & nuptiæ sunt conceptus ex æquo convenientes tàm Spiritualibus nuptiis, quàm carnalibus, Paulus 1. ad Timoth. 5. 11.
29 *Cum luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt.* hoc est, observare castitatem vidualem. cap. *Quæ Christo Spiritualiter nubunt 10. 27. q. 1 Mantica de coniect. lib. 11. tit. 18. num. 26. Natta consil. 296. Surd. consil. 192 nu. 19.* Ita in his terminis *Ludovis. dec. 301. Ciarlin. cap. 218. num. 18. vbi infinitos refert Doctores, Sanch. lib. 1. disp. 33. num. 29 Sperell. dec. 146. num. 52 Pasqual. q. 250.* Eandem quæstionem tractavi cap. 3 q. 20. à numero 79. Procedit, sivè testator loquatur de puellis certis, sivè incertis; ut ibidem probavi q. 21.

Quæres 15. An legatum dotale minus dandum ingredientibus Religionem, & majus dandum nubentibus in sæculo sit licitum? & volenti ingredi sit dandum majus?

30 ℟. Non esse licitum, ac proindè illi dandum esse majus legatum, nulli enim dubium est, quod puellam retrahit ab ingressu Religionis, & testator facit volentem ingredi esse deterioris conditionis, quam si nuberet in sæculo, quod est inconveniens, cum perfectior sit status Matrimonii Spiritualis, quam carnalis, undè & melior debet esse conditio ingredientis, quam manentis in sæculo. Quare illi dandum est majus legatum, ut pluribus probavi cap. 3 q. 22. & docuit. *Mobed. dec. 12. de consuet. & 3. de testam. apud Ludovis. dec. 1301. num. 9.* Licèt nunc Rota contrarium sequatur plausibile mundo, & plangibile Ecclesiis.

Quæres 16. An monasterium pro dote ingredientium non solens recipere pinguiorem dotem, sed tantùm mille e. g. numquid dicta in præcedentibus quæstionibus 14. & 15. recipere possit?

31 ℟. Affirmativè in eo scilicet sẽlu, quòd parẽtes ingredientis pręter dotẽ minorẽ

laxa-

taxatam, debent facere alias expensas prævias, ideò totum legatum licèt pingue dicitur dari puellæ, dum pro ea expenditur. Unde ratio svadet, quòd puella, seù ejus parentes dent monasterio dotem taxatam, & residuum legati cedatur illis pro expensis, censetur enim testator ità disposuisse, ne plus gravarentur ejus hæredes. *Farin. in Posthum. par. 2. dec. 113. & Giovagn. lib. 1. cons. 56. & 57. & Ciarlin. cap. 218. num. 13. & 14.* sentientes quod dixi.

Quæres 17. An quando mulier fecit sibi dotem de suo, & sibi quoq; ab extraneo relictum fuit legatum in dotem, non tamen à patre; illud legatum sibi lucretur?

32 R. Affirmativè, quia nihil prohibet, quin dos augeri possit. Ita *Ciarlin. cap. 142. num. 20. jura, & Doctores citati.* Vide supra *q.* 6.

Quæres 18. An legatum: *Si non nupserit* excludat nuptias spirituales, ac proindè ingrediens lucretur, vel non lucretur legatum?

33 R. Non excludere nuptias spirituales, sed tantùm carnales, nemo enim præsumitur delinquere, maximè testator, cujus verba ita intelligenda sunt, ut non sit peccatum in constitutione testamenti, *l. Plautius 9 ff. de auro, & arg. leg* esset autem peccatum prohibere nuptias spirituales, cùm ordinentur ad salutem animæ. Quare legatum relictum non nubenti consequitur profitens in Religione, quia cum pro non adiecta habeatur ea conditio respectu nuptiarum spiritualium nihil prohibet, quin dictum legatum lucretur. Ita *Glos. in l. Mulieri, & Titio, ff. de condit. & dem. & in Auth. cui relictum C. de indicta viduit. toll. Menoch. præsump. 148. numer. 6. cum aliis Ciarlin. cap 218. num. 51.*

Quæres 19. An legatum relictum pinguius filiæ primò maritandæ dari possit secundæ primo loco maritatæ? Quod est quærere, an proprietas referatur ad nativitatem filiarum, an ad actum nuptiarum earumdem?

34 Pasqual. q. 249. num. 2. respondet, legatum non deberi nisi primogenitæ, quāvis secunda, vel tertia priùs nubat, quando pater expressit nomine proprio primā nubentem, utiq; verò si earum nomen non expressit. Rationem reddit, quia ea sola censetur specialiter dilecta, ergo ei debetur legatum illud majus. Confirmat, quia nomine filiorum veniunt etiam nepotes, quando filios non expressit eorum propriis nominibus, *Bart. in l. Liberorum Vers. sed mihi ff. de verb. signif. num 5. Ruin. vol. 3. cons. 129. num. 8. Dec. cons. 510. num.* 35 *5. Curt. jun. cons. 161. num. 3.*

Ottobon. dec. 15. in simili casu horum verborum: *All' altra figliola del medesimo N. che in secondo luogo si mariterà, voglio, che se gli diano altri scudi seimilla,* eodem modo, & forma, sicut legavit Margaritæ, & subiunxit: *ad Anna Maria altra figliola del suddetto N. voglio, che la mia heredità paghi scudi due milla.* Et quamvis innupta, & in sæculo decederet volvit *che con questo legato di scudi due milla, si proveda all' altre sorelle, che ci saranno inferiori d'età di Anna Maria con le conditioni sudette.* Respondet, legatum semille fuisse relictum secundò nupturæ attenta prioritate nuptiarum, non nativitatis, licèt ea esset tertia, aut quarta. Ità docet *ex Imola in cons. 1113. nu. 3. Simon. de Prætis de interpret. ult. vol. lib. 4. Interpretat. 1. dub. 9. num. 14. Borella cons. 96. num. 30.* Stando in distinctione Pasqu. videtur legatum dandum esse Annæ Mariæ ibi nominatę, ac proindè magis dilectę.

R. Distinctionem Pasqualigi procedere, quando tempore testamenti conditi omnes filię sunt natę, nā tunc præsumitur magis diligere nominatam, quàm non no- 36 minatas, *l. Si communis 37. ff. de stipul. servor. cap. Si quis 46 de elect. in 6.* & inter nominatas primò scriptas, ut dicitur locis citatis. Decisionem verò Ottoboni, quando non omnes natæ sunt, sed nasci possūt; tunc enim cum non possit fieri comparatio inter natam, & nondùm natas, cum dilectio habeat pro obiecto personam existentem, persona nominata non dicitur magis, nec minùs dilecta illis, quæ nondum sunt.

Quæres 20. An legatum restitutionis dotis factum à marito suæ uxori cum expressione majoris quantitatis, quàm in re ipsa sit dos, totum sit restituendum secūdùm illum excessum, an solùm ipsa dos secundùm debitam quantitatem?

37 R. Deberi solùm dos secundùm ejus quantitatē, quam primò dedit pater filiæ suæ nuptę, quando constat testatorem errasse in expressione quantitatis, tollendus enim est error calculi, ut probavi cap. 1. q. 50.

Quæres 21. An legatum relictum pro maritandis fæminis, seù mulieribus dari possit eis, quæ secundò nubunt.

38 R. esse dandum solùm nondum maritatis, inter quas connumeratur etiā nupta primo matrimonio existente *nullo*, aut nondum consumato; dicitur enim nondum maritata, cum non fuerit cognita à marito. Colligitur ex l. Boves 86. ff. de verb. signif. ibi: *Hoc sermone dum nupta erit primæ nuptiæ significantur. Ità Bald. in Proœm. Decret a l. num. 25. cum aliis Sanch. lib. 7. disp. 91. num. 55* Si non consumavit, quia reputatur ac si nunquam nupsisset, *Decius in Rub. C. de secund. nupt. n. 4. cum aliis idem Sanch. num. 56.* Item si nullæ fuerint priores nuptiæ, quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *ibidem*. Si tamen nullæ essent nubendæ dari posset viduis quia talis esset præsumenda mens testatoris, ne esset inutilis ejus dispositio.

39 Demùm, quando testator mentionē facit

cit

cit de virginibus, & puellis maritandis, cetum eſt, mentem ejus fuiſſe excludere nuptias, quæ ſecundò nubere volunt factæ viduæ, neque enim virgines ſunt, neque puellæ. Et differentia eſt inter puellas, & virgines, nam puer, & puella di-
40 cuntur uſque ad 25. annum, *Gloſ. V. Additio cap. un. de deſponſ. impuber. Inſtit. de curator. initio, l. 1. C. ſi minor ſe major. l. fin. ff. Si major factus.* Virgo autem ulteriùs uſque ad mortem, quę nunquam ſe, neque per alium corrupit, ſicut enim homo naſcitur virgo, ità & talis mori poteſt.

Quæres 22. An & cui uxori debeatur legatum à marito relictum, quando plures habuit?

41 R. Si eam expreſſit nomine proprio, ſine dubio debetur illi, quia per nomen proprium fuit limitata perſona, quam nō debet excedere legatum. Ità *Sanchez lib. 7. diſp. 91. num. 58. ex Menocb. lib. 4. præſumpt. 122 num 14.* Si autem in legando uſus fuit nomine appellativo ſic: *Lego uxori meæ* Legatum cenſetur debitum illi uxori cum qua vivebat tempore conditi teſtamenti, quia ſtante ejus præſentia præſumitur ex ſpeciali dilectione illius motus ad legandum, & non reſpectu alterius, quam ignorabat, quam diligere non poterat, dilectio enim cum ſit actus voluntatis non fertur, niſi in prægnitum. Ità
42 *Covar. cap. Requiſiſti num. 3 Mantica de conject ult. volunt. lib. 8. tit. 15 initio, ex illis Sanchez lib. 7. diſp. 91. num. 59.* Si verò vir ſolutus, & non conjugatus facit
43 legatū uxori ſuæ, quam non habet, tenet legatum, & dabitur ei, quæ ſupervixerit illi, quæcunq; ea fuerit, ſive prima, ſive ſecunda, movetur enim indifferenter ex affectu maritali in genere, & cum unica illi ſupervivere poſſit, ea lucrabitur legatum, ut docent præcitati *cum multis aliis apud Ottobon. dec. 15. num. 4. Paſqual. q. 249. num. 5.*

Quæres 23. An legatum pro maritandis puellis dari poſſit jam nuptæ ſine dote.
44 vel cum modica dote?

R. Affirmativè, quia adhuc ſubeſt cauſa pietatis, & neceſſitas ſuſtinēdi onera Matrimonii. Ità *Baldus Novellus de Dote par. 5. n. 12 Joannes Lupus in cap. Per veſtras, de donat inter vir. notab. 3. §. n. 8. ex illis Sanch. lib 7. diſp 91 num. 63.*

Quæres 24. An legatum relictum pro maritanda Titia, quę tempore teſtamēti erat jam maritata, dandum ſit illi?

45 R. Labeo *l. Si ita legatum eſſet: Cum nupſerit, ſi nupta fuerit, & hoc teſtator ſcierit, alterum matrimonium erit expectandum, nihilque interierit, utrum viuo teſtatore, an poſt mortem ea iterùm nupſerit. 67. ff. de condit. & dem.* Si verò teſtator ignorat eſſe nuptam, ſtatim debetur legatum. Expreſſè *l. Si jam facta ſint, quæ conditionis loco ponantur, & ſciat teſtator, quæ iterùm fieri poſſunt, expectantur ut fiant. Si verò neſciat, præſenti die debentur 11. eod.* Eſt communis apud *Sanch. lib. 7. diſp. 91. n. 65. Paſqual. q. 243. n. 2.* ubi dicit, legatum deberi, etiam ſi teſtator neſcierit eſſe nuptam, ſed Doctores ab eo citati intelligendi ſunt ſecundùm leges citatas, quæ claræ ſunt, nec egent conjecturis ad ſui explicationem. Vide quæ dixi *cap. 17. q. 2. & cap. 18. q. 22.* in his ferè
46 terminis. Quid ſi nolit nubere, nunquid legatum habebit? R. non, quia conditionale eſt, non debitum, niſi conditione adimpleta.

Quæres 25. An, & quando in legatis inter conjugatos, vel inter patrem, & filiam, & alios conſanguineos cenſeatur facta compenſatio dotis cum legato? Cōpenſatio eſt debiti, & crediti invicem inter ſe contributio, *l. 1. ff. de compenſat.* Eſt
47 reductio duarum obligationum in unam; debiti ergò ad debitum compenſatio, & per ſolutionem unicam duo extinguūtur, nam compenſatio eſt ſpecies ſolutionis, *l. Si debitor ff. qui pot. in pign. Surd. dec. 117. num. 1. Afflict. deciſ. 121. num. 4. Ottobon. dec. 16. num. 28.* Compenſatio autem quādo in terminis ſuis non exprimitur, ex conjecturis colligenda eſt, aliter in dubio non præſumitur.

48 *Prima* autem conjectura eſt, quando ambo debita ſunt pura, & liquida, nam datur compenſatio liquidi ad liquidum *l. fin. C. de compenſ. Roland. conſ. 17. num. 18. lib. 1. Afflict dec. 381. num. 6. Rota par. 4 tom. 1. dec. 424. initio, Ciarlin. cap. 189 num. 39.*

49 *Secunda*, fit compenſatio, ſi ambo ſunt ejuſdem quantitatis, & ſpeciei, *ex l. Si convenerit ff. de pignor. act. Gloſ. in l. fin. C. de compenſ. Surd. conſ. 112. num. 61. & 62. Seraphin. dec. 1455. num. 5.*

*Tertia*, ſi ſunt diverſarū monetarū de-
50 bita non fit in eis compenſatio, *Corneus lib. 1. conſ. 288. num. 4. Phanut. de dote Gloſ. 8. num. 94. Surd. conſ. 112. num. 63. ex illis Ciarlin. cap 189. num. 42.*

51 *Quarta*, ſi teſtator de bonis ſuis expreſsè legavit, non fit compenſatio, quia bona ſua dicuntur, deducto ære alieno, *ex l. ſub ſignatum §. 1. ff. de verb. ſignif. Bald. conſ. 84. lib. 2. Menoch. præſumpt. 109. numer. 6. 7. 8. lib. 4. Ciarlin. cap. 189. numer. 45.* Cùm ergo bona ſua alia ſint à debitis, non potuit animum habere compenſandi.

52 *Quinta*, ſi teſtator ſit conſaguineus præſumitur donare, non compenſare, id ſvadente amoris affectione, ex quo ſolent ſe liberales exhibere, *ex l. fin. C. de dot. promiſſ. & l. cum alienam C. de legat. Corn. lib. 1 conſ. 292. col. 3. Surd. eo conſ. 112. num. 47. ad 50. ex illis Ciarlin. cap. 189. numer. 46.*

*Sexta*, ſi debitum ſit minus, computatur
53 cū legato majoris quātitatis, *Honded. lib. 2. conſ.*

*cons.* 50. *num.* 23. *Menoch. lib.* 4. *Præsumpt.* 110. *num.* 32. Procedit in debito necessario, non in voluntario, quod non compensatur cum legato majoris quantitatis, *ex l. Un. §. Primùm C. de rei uxor. l. Creditorum ff. de legat.* 1. *l. Creditor C. de legat. Alciat. cons.* 498. *num.* 5. *Corn. lib.* 1. *cons.* 292. *num.* 2. *& 3. ex illis Ciarlin. cap.* 189. *num.* 47.

54 Distinguunt Doctores debitum in necessarium, & voluntarium. Debitum necessarium vocant illud, quod immediatè procedit à lege, à qua initium, & causam suæ necessitatis habet, sine facto ipsius debitoris, à sola ergò lege inducitur. Voluntarium verò est illud, quod oritur ex contractu, vel quasi contractu, omnis enim contractus ab initio est volũtatis, post verò incipit esse necessitatis, cõtractus enim est, ex quo oritur obligatio saltem ex una parte contrahentium quocunque modo, licèt contractus pressè acceptus inducat utrinque obligationem. Doctores refert Sperell. decis. 172. num. 43. & 47. Hinc sequitur, additionem hæreditatis inferre debitum voluntarium in hærede, cum descendat ex contractu, quem quasi init hæres cum testatore adeundo hæreditatem, *ex Castro. lib.* 2.
55 *cons.* 36 *Capra cons.* 29. *lib.* 3. *Corn. lib.* 1. *cons.* 292. *Sperell. dec.* 172. *num.* 45. Ex his præmissis.

56 ℟. Pater, qui promissam dotem nondum soluit filiæ suæ nuptæ, si illi faciat legatum censetur compensare dotem in legato; non autem maritus, nisi id expressè dicat, vel ex coniecturis id colligatur.

Prima pars de Patre probatur, *ex l. Hujusmodi* 36. *§. cum pater ff. de legat.* 1. *Auth. Uxore mortua C. de secundis nup. l. Si cum dotem* 23. *§. Si pater ff. soluto matr. Ciarlin. cap.* 189. *num.* 3. *Mantica lib.* 10. *tit.* 2. *n.* 5. *Paris. lib.* 2. *cons.* 98. *n.* 5. *Sperell. dec.* 176. *num.* 81. Ratio est, quia in debitis necessariis datur compensatio per legata ex allatis legibus; sed debitum dotis paternæ,
57 & ejus conservationis pro filiis, & legitimæ dicitur debitum necessarium, cum immediatè originetur à lege, quæ mandat patri prædicta tria dare suis filiis, ergò si faciat illis legatum censetur cum eo compensare debitum. Ità etiam docent de legitima *Surd. lib.* 3. *cons.* 388. *num. Menoch. lib* 3. *cons.* 266. *n.* 86. *ex illis Gratian. cap.* 448. *num.* 15.

58 Secunda pars de marito, & aliis, probatur à *Glos. V. Tantùm acceperit, in cit. l. Si cum dotem* 23. *§. Si pater ff. solut. matr. ibidem Doctores*, & sequuntur *Osacb. dec.* 168. *Paris. lib.* 2. *cons.* 95. *num.* 37. *Surd. dec.* 112. *num.* 41. 42. *& 64. Cephal. cons.* 254. *num.* 11. *& 12. cum aliis Ciarlin. cap.* 189. *num.* 10. *Sperell. dec.* 172. *num.* 54. Ratio est, quia debitum voluntarium non compensatur cum legato, *Mantica lib.* 10. *tit.* 2. *initio*, *Surd. cons.* 112. *num.* 42. *Cyriacus. contr.* 261. *num* 39. *Ciarlin. cap.*
59 189. *num.* 24. sed debitum mariti dotale est voluntarium, non necessarium, cum non originetur à lege, sed ex facto ejus, qui matrimonium contraxit ex quo sequitur tamquam facto proprio teneri post mortem restituere dotem uxori superviventi, ergò non compensatur cum legato.

---

## CAPUT VIGESIMUM.

### *De Cautione Mutiana.*

### *SUMMARIUM.*

1 *Cautio est provisio, per quam quis assecuratur super re stipulata instrumento vallato juramento, pignore &c.*
2 *Mutiana dicta à Mutio jureconsulto locum habet in legatis conditionalibus negativis.*
3 *Ea ratione, ut legatarius illud consequi possit, aliàs non consecuturus nisi post suam mortem, qua adimpletur cõditio.*
4 *Duplex est negativa conditio, expressa verbis negativis, & virtualis verbis affirmativis, quæ resolvuntur in negativam.*
5 *Datur alia cautio dicta Trebatia à Trebatio in modalibus, restituendi scilicet rem legatam cum fructibus perceptis, modo non impleto.*
6 *Cautio præstatur pro legatis non solùm profanis, sed etiam piis*
7 *Privilegia libertatis tribuuntur etiam legatis piis.*
8 *Legatum libertatis non est subiectum cautioni mutianæ.*
9 *Conditio negativa limitata tempore* Donec *&c. non admittit cautionem mutianam.*
10 *Conditio tempore limitata principaliter importat tempus, secundariò conditionem.*
11 *Mutiana duo petit perseverantiam, & quòd morte compleatur.*
12 *Hæreditates admittunt cautionem mutianam.*
13 *In contractibus locum non habet.*
14 *Non præstatur nisi petatur.*
15 *Cautio hæc parit jus ad excipiendum tantùm.*

1 CAutio est provisio, per quam quis assecuratur super re stipulata, juramẽto, pignore, vel fidejussione, & aliis modis, de quibus hìc agendum non est, sed tantùm in ordine ad legata.

Quæres 1. An in legatis detur cautio pro eorum consecutione?

2 ℟. Affirmativè, tã in legatis conditionalibus

nalibus oneroſis, negativis, quàm in modalibus.

Prima pars deducitur *ex l. Mutianæ 7 ff. de condit. & dem. Auth. cui relictum, C. de indicta viduit. toll.* Cautio autem hæc vocatur Mutiana à Mutio Jureconſulto inventa, ipſe enim conſiderans conditionē ſuſpendere relictum uſque ad purificationem, & adimpletionem conditionis negativæ, pro qua ſolùm datur cautio, quæ tantùm in extremo vitæ purificari, & certificari poteſt; ne legatum foret illuſoriū adinvenit hujuſmodi cautionem, per quā legatarius promittit ſi contraveniat menti teſtatori, ſe reſtituturum rem legatam cum omnibus fructibus perceptis, ut dicitur in dictis legibus; hęc ergo cautio ſubſtituitur loco purificationis, & adimpletionis conditionis, ut legatarius poſſit conſequi legatum. Ità omnes, *Pariſ. lib. 3. conſ. 95. num. 26. & 32 Natta lib. 2 conſ. 292. conſ. 459. num. 15 Gratus lib. 2. Reſp. 101. num. 11. & 45. Sperell. dec. 159 num. 2. & ſeq. Rota par. 5. tom. 1. dec. 241. numer. 36.*

3 Datur autem in ſolis legatis conditionalibus negativis, non affirmativis, ea ratione, quia in iſtis, legatarius ſtatim poſt mortem teſtatoris poteſt, ſi vult conditionem adimplere, ut lego tibi certum ſi nupſeris. In negativis verò, ut dictum fuit, adimpletio non datur, niſi per mortem legatarii, nàm tunc res eſt certa, quod non aſcendet Capitolium, quòd nō fornicabitur, quòd non nupſerit, ideò ne legatum ſit inutile, data cautione, ſtatim acquiritur.

4 Conditio autem negativa duplex eſt, Expreſsa, & Virtualis, illa exprimitur dictione negativa, ſic: *Si non aſcendes capitolium; Si non nupſeris; Si non receſſeris à domo mea; Si non fornicaberis &c.* Virtualis verò eſt illa, quæ verbis affirmativis concipitur, quorum ſenſus reſolvitur in negativam: *Si vitam duxeris vidualem; Si manebis in domo mea: Si vitam caſtam duxeris.* Reſolvuntur enim in negativam ſic. *Si non nupſeris. Si non receſſeris à domo mea. Si fornicata non fueris.* De his ergo, & ſimilibus datur cautio. Ità *Bartol. & alii in l. Mutianæ 7 ff de condit. & dem. Ruin. lib. 2. conſ. 34. num. 4. & lib 3. conſ. 170. nu. 7. Rota par. 5. tom 1 dec 241. num. 38 Sanch. lib. 7. diſp. 91. num 6. Sperell. dec. 189. numer. 3.*

5 Secunda pars de cautione danda etiam in legatis modalibus obligantibus ad aliquod opus faciendum probatur *ex l. Si tibi 19. ff. de leg. 3. l. Quibus 40 §. Termilius ff. de cond & dem. l. Eas cauſas 79. eod.* Et dici poteſt cautio Trebatia à Trebatio, qui fuit auctor *l. cit.* 40. nàm prioris fuit Nerva, & Atticilinus, teſtis verò Papinianus, poſteriores Trebatio. Legatarius ergo debet cautionem præſtare de modo, & onere implendo, cum obligatione reſtituendi rem cum ſuis fructibus, ſi non adimpleat mentem teſtatoris, ut colligitur ex dictis legibus, *& l Si hæres 11. ff. de condit. ob cauſam* Ità Bartol. *in l. Quibus 40. cit. Paris Vol. 2. conſ. 15. col. vlt. & conſ. 19. num. 52 & 55. Rota part. 5. tom. 1. dec. 241. num 43. de Lugo diſp. 24. num. 247.*

Quæres 2. An cautio præſtanda ſit non ſolùm pro legatis profanis, ſed etiam piis?

6 R. Affirmativè, quia omninò eadem ratio in utriſque reperitur, cum in eis conditio non mutet ſuam naturam, ſed talis remanet, ut ſi non ſuppleatur ejus implementum per cautionem, remaneat legatum inutile legatario.

Sperellus *deciſ. 159. num. 12. & ſeq* probat non requiri cautionem mutianam in legatis piis ex conditione negativa, quando teſtator eam non expreſſit, ea ratione, quia omnia libertatis privilegia attribuuntur legatis piis, ſeù ad piam cauſam factis, *Bart. in l 1 ff de bis, quæ in teſtam. debent. Roman. in Auth Similiter C. ad leg.*

7 *Falcid. Bald. in l 1. §. 1 C. de caduc. toll. cum aliis idem Sperell. num* 13 Sed legatum libertatis non admittit cautionem mutianam, *l. Libertas 17 ff. de manum. teſtam.*

8 ergo neque legata pia. Subdit in fine nu. 15. ſed id non reperiſſe ab ullo tactum, putat tamen verum.

Ego autem puto falſum, quia ex ſolo textu allegato id non colligitur, cujus verba ſunt hæc: *Hæc autem ſcriptura: Stichus ſi Capitolium non aſcenderit, liber eſto, ità accipienda eſt, ſi cum primùm potuerit Capitolium non aſcenderit, iſto enim modo perveniet Stichus ad libertatem, ſi facultate data aſcendendi Capitolium, abſtinuerit.* In quibus verbis nullum apparet verbum cautionis, nàm ea verba libertatis nihil aliud important, quàm conditionem poteſtativam, qua legatarius liber ſit reſpectu hujus actus aſcenſionis, libertate quoad hoc ſibi facta, ſicut habent alii reſpectu conditionis negativæ e. g. *Si non nupſeris, ſi non fornicatus fueris &c.*

Quæres 3. An cautio mutiana danda ſit in legatis ſub conditione negativa cum limitatione, & diſtributione temporis, e. g. *Donec vixerit in viduitate, quouſque donec, quamdiu, &c.* hæ enim limitationes dividunt, & diſtribuunt tempus.

9 R. Negativè, *ex l. Titiæ 22 ff de legat. ann. l. Pater 10 § fin. ff de condit. & dem.* Ità docent plerique *cum Aymone conſ. 360. numer. 5. Ruin conſ. 170. numer. 2. Natta conſ. 159. numer. 17. Mantica lib. 10. tit. 2. numer. 14. & lib. 11. tit. 19. numer. 22. ex illis Sanch. lib. 7. diſp. 91. numer 7. Sperell. deciſ. 159 numer. 19. Gratian. cap. 563. num. 11.* Ratio eſt, licèt enim importent

10 conditionem, tamen principaliter denotant limitatum tempus, ſecundariò, conditionem, *Bartol. in l. pen. ff. de excuſat. tutor. Cardin. in Clem. 2.*

*S. 2. de ætat. Gratian. cap.* 563. *num.* 11.

11 Adde tu, quòd cautio mutiana duo petit, perseverantiam in conditione negativa, & quòd morte compleatur, huic autem obstat tempus limitatum, & distributum per annos.

Quæres 4. An cautio matuniana locum habeat in hæreditatibus, & non solùm in legatis?

12 R. Etiam in hæreditatibus relictis sub præfatis conditionibus, expresè *l. Mutianæ 7 ff de condit. & dem. Sperell. dec.* 159. *num* 4. *Rota par* 5. *tom* 1 *dec.* 241. *num.* 35. *Sanch lib.* 7 *disp* 91. *num.* 6.

Quæres 5. An cautio mutiana locum habeat in contractibus?


13 R. Negativè, quia lex præcitata loquitur tantùm de hæreditatibus, & legatis, ut visum fuit. Ità *Jason in l. Dedi pecuniam ff. de condit. ob causam num.* 15. *Molina de primog. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 26. *Ludovis dec.* 428. *num.* 8.

Quæres 6. An cautio hæc præstetur, si non petatur?

14 R. Non est præstanda, nisi petatur, quia solùm parit jus excipiendi. Ità *Peregrin. de fideicom. art.* 11. *num.* 115. Undè,

15 qui eam non petiit, censetur renuntiasse ex lapsu 30. vel 40. annorum, *ad tex. l Sicut in rem, & l. cum notissimi C. de præscript.* 30. *annor l.* 1. *§. fin. C. de annal. except. Ciarlin cap.* 88. *num.* 53. *&* 54.

# FINIS.



INDEX

# INDEX.

## RERUM DE LEGATIS.

### Primus numerus indicat Caput, ſecundus marginalem.


A

Abbas nullius, non verò Regularis localis carens populo, reducit miſſas. 15. 12. ad 14. & 45.
Abſolutio datur etiam mortuis. 7. 20. ad 26.
*Abſolutè*, ideſt indifferenter. 11. 13.
Acceſſorium ſemper quid minùs principali. 9. 33. Sequitur principale in favorabilibus. 15. 38.
Actiones tres dantur pro conſequendis legatis. 1. 160.
Ædes ſacra quid ſit. 10. 75.
Agens nunquam habet rationem formæ, aut ſolemnitatis. 15. 72.
Alienatio, & repudiatio diverſa. 1. 171.
*Alienum*, ideſt, diverſum, non contrarium. 5 62. remotum 65.
*Alimentorum* nomine quid veniat in legatis. 1. 153.
*Alius* refertur ad ſimilia, quamvis non ejuſdem rationis. 7. 112.
Altaris privilegiati materia tractatur cap. 7. per totum.
Amor non tendit in perſonam incognitam. 19. 42.
Anathematizare eſt ſolemniter excommunicare. 7. 27.
Anniverſarium eſt miſſa cantata cum officio, vel ſine. 15. 33.
Annus cæptus habetur pro completo in favorabilibus. 19. 9.
Applicatio Sacrificii miſſæ cap. 9. per totum.
Arbiter eſt quiſq; in re ſua. 18. 1.
Arbitrium boni viri eſt quod ratione regulatur. 10. 42.
Argumentum valet à lege ad teſtatorem. 6. 49.
Argumentum valet à foro externo ad internum. 13. 30.
Auxilium divinum efficax quid ſit. 8. 16.

B

Bannitus eſt incapax legati. 3. 15.
Baptiſmus collatus dormienti, qui illum petierat, valet. 7. 85. ad 96.
Beneficiorum ultimus ſtatus attenditur. 6. 16. cap. 12. 6.
Sacerdotale exigit Sacerdotem. 6. 43. & 44.
Confertur habenti ſolùm primam Tonſuram inchoato decimoquarto anno. 6. 45.
Perpetuò confertur. 12. 11. & 12.
Beneficii Rector contrà voluntatem Conſortialium celebrare non poteſt in Cathedrali. 12. 30.
Beneficium non expectat egentem, ſed egens beneficium exoptat. 7. 100.
Bona fides neceſſaria ad præſcribendum. 16. 38.
Bona fides, ideſt, bona conſcientia; quod ex fide non eſt, peccatum eſt. 16. 39.
Bona fide celebrans non tenetur reſtituere ſtipendia, quibus unica miſſa ſatisfecit. 11. 41.
Bona fides fundata in opinione probabili non mutatur in malam præjudicialiter. 11. 41.
Bonum non opponitur bono, quando referuntur ad eundem effectum. 3. 64.
Bulla Cœnæ Domini præſcribit, non præſcribitur. 16. 113.

C

Calculi error ſemper corrigi poteſt 1. 187.
Calix legatus ſufficit argenteus. 1. 111.
Cancellatum teſtamentum non præſumitur à teſtatore in cauſa pia. 4. 59.
Capellanìa alia Eccleſiaſtica, alia laicalis. 6. 15. ad 30. ubi multa de Capellanìa, & cap. 12. per totum.
Capellanus cap. 6 & 12.
Capellano debet hæres providere de paramentis. 10. 89. ad 92. & cap. 12. 18.
Capellanus aſſimilatur procuratori. 6. 100.
Capellanus à quo eligendus ſit. 12. 20.
Capituli nomine qui veniant in reductione miſſarum. 15 48.
Capitulum ſede vacante reducit miſſas. 15. 11.
Capucini quomodo capaces legatorum. 3. 49. & 70.
Caput: *Cum eſſes* exponitur. 5. 53. ad 58.
Capſulæ miſſarum auferendæ. 6. 126.
Cardinales offendens incapax legati. 3. 25.

Cardinales reducunt missas in suis titulis. 15. 10.
Castè vivere quis dicatur pro lucrando legato 18. à num. 8.
Casus omissus relinquitur dispositioni juris communis. 6. 121.
Casui fortuito quis se potest obligare. 17. 48.
Causa principalis in legatis piis quænam. 4. 2. & 51. cap. 13. 18.
Causa pia non continetur sub generali prohibitione. 4. 34.
Nulla est, si desit voluntas. 4. 38.
Est mixti fori. 5. 97.
Causa finalis non extendit legem, quando varii sunt effectus. 15. 25.
Causa finalis, & impulsiva quid. 17. 42.
Causa respicit tempus tàm futurum, quàm præteritum. 17. 43.
Cessante causa finali cessat legatum. 17. 45.
Non tamen in legatis piis. 17. 45.
Causa alia necessitatis, alia voluntatis. 13. 33.
Cautio Mutiana quid sit cap. 20. 2.
Cælibatus in hominibus viduis. 18. 34.
Censuræ executionem habent paratam. 6. 131.
Pari passu currunt. 6. 132.
Census inter immobilia computantur. 10. 83.
Certitudo debet magis operari, quàm incertitudo. 19. 16.
Cessatio legatorum cap. 17. per totum.
Claus. *Si voluisset, expressisset.* 1. 136. & 6. 101. & 10. 58. & 11. 44.
*Asque alia declaratione* scilicet criminis. 6.
*Quamprimùm*, idest, infrà trimestre. 6. 137. & 9. 80.
*Non nisi* importat certam formam. 14. 17.
*Si prævidisset* dispositurus esset. 10. 58. & 15. 81.
*Si castè vixerit*. 18. 7. & seq.
*Si nupserit*. 17. 26.
*Non nubendi*. 17. 13. 16. 21. & 25. 43. & 64.
*Volumus* in Indulgentiis explicatur 7. à numer. 177. ad 191.
Clerico datur legatum nolenti nubere. 3. 86.
Et ingredienti Religionem. 5. 87.
Communitas capax legati. 3. 44.
Communionem sacram recipiens in una specie recipit tantùm, quantùm si utramque recepisset. 9. 25.
Commutatio legatorum à quibus fiat cap. 24. per totum.
Comparativum non tollit positivum. 6. 106.
Compensatio quid sit, & quomodo fiat in legatis dotalibus. 19. 47. ad 59.
Concessio immediatè acquiritur, cui fit. 7. 76.
Facta tempore prohibito conferenda in tempus concessum valet. 7. 179.
Concubina quomodo capax legati. 3. 9.
Et ejus legatum est pium in ordine ad conversionem ejus. 4. 44.
Conditio quid, & quotuplex sit. 1. 9. ad 13.
Ubi ejus varia axiomata referuntur.
In dubio legatum censetur conditionale. 1. 32. 11. 32.
Alia axiomata. 1. 55.
Quisque rei suæ conditionem apponere potest. 18. 2.
Conditio: *Si nubat* quando habeatur pro non adiecta. 3. 79.
*Non nubendi* non est turpis. 18. 43.
Non facit perdere legatum professo. 18. 44.
Nec ordinato. 18. 56.
Conditio adimpleta in momento etiam ante mortem testatoris habetur pro impleta. 18. 51.
Conditio triplex. 17. 29.
Quibus verbis cognoscantur. 17. 30.
Cessante, quomodo cesset legatum. 17. 33. & 41. item cap. 18. 51.
Quandoque monitionem importat. 19. 5.
Conditio negativa duplex expressa, & virtualis. 20. 4.
Perpetua, & ad tempus. 20. 9.
Confirmatio in forma communi *non habet* insertum confirmatum, sicut specifica. 5. 35. & 36.
Confraternitas est pia congregatio ad exercitia pietatis. 4. 9.
Connexorum idem judicium. 7. 18.
Conscientia dubia ab initio impedit præscriptionem. 16. 41.
Consecratio non potest remitti arbitrio alieno, sicut applicatio sacrificii. 9. 30.
Conscientiæ commissum non delegatur. 15. 10.
Conscientia est testimonium boni, & mali. 15. 70.
Consilium petendum, non sequendum, nisi sit collega. 15. 51.
Consvetudo particularis non facit legem. 10. 45.
Consvetudo quomodo differt à præscriptione. 15. 8.
Contractus intercedit inter testatorem, hæredem, & legatarium. 18. 6
Correctio jurium vitanda est, quantùm fieri potest. 5. 19. & 7. 62.
Correlativorum uno destructo, alterum deficit. 17. 36.
Criminis læsæ majestatis reus est incapax legati. 3. 40.

## D

Datum ob causam, ea non secuta restituitur. 10. 4.
Debita etiam inimici solvere possunt. 8. 58. 62. 76.
Debitum duplex necessarium, & voluntarium. 29. 54.
Decretum irritans inficit consvetudinem etiam futuram. 16. 108.
Decreta de celebr. missar. explicantur cap. 6. à num. 123. ad 138. cap. 10. à num. 73. ad 81. cap. 11. per totum.

Defun-

Defunctorum animæ liberantur per modum ſuffragii ideſt aliis orantibus 7. 5.
Abſoluuntur excommunicati. 7. 15.
Subduntur judicio Eccleſiæ ſicut vivi. 7. 17. 20.
Mortuus creari poteſt miles, doctor, injuriari poteſt. 7. 21.
Alia multa ibi vide, quæ poteſt Eccleſia pro, vel contra defunctos; ſunt Eccleſiæ militantis 7. 16. & 37.
Delicta quomodo præſcribantur. 16. 110. ad 112.
Demonſtratio falſa an vitiet legatum. 1. 139.
Deportatus dicitur exiliatus in perpetuum. 3. 21.
Incapax legati. 3. 22.
Deus movet ad actum peccati, ſed non peccat, quia non habet debitum legis ſervandæ. 9. 29
Diœceſis Papæ eſt totus mundus. 7. 29.
Dies in legatis eſt multiplex. 1. 56. ad 60.
Dilectio non tendit erga perſonam ignotam. 19. 42.
Diligentior nemo tenetur eſſe. 4. 22.
Diſpenſare quis poteſt ſeipſum. 4. 30.
Diſpenſatio facta ab inferiore ſine cauſa eſt nulla. 15. 3. 65.
Diſpoſitio ſpectatur in ſuo effectu quando perficitur. 6. 142.
Diſtributor eleemoſynarum partem ſibi retinere poteſt, ſi eſt pauper. 4. 29.
Etiam Religioſus. 4. 31.
De diſtributione legati facti pluribus. 1. 204.
Diverſum, non contrarium. 5. 62.
Domus paulatim refecta eſt eadem numero. 17. 4.
Dos in mobilibus reſtituitur viduæ poſt annum luctus mariti; ſtatim verò, ſi fuit prælegata, ſicut & in immobilibus licèt non prælegata. 1. 183.
De dote legata plura cap. 19.

## E

Eccleſia militans ſervit triumphanti pro mortuis. 7. 63.
Translatione Eccleſiæ transferuntur etiam jura, & privilegia. 7. 115. & 116.
Eccleſiæ non datur legatum diſtribuendum pauperibus. 4. 27.
Legatum transfertur ad aliam Eccleſiam. 6. 90.
Electio in legatis cujuſnam ſit. 1. 107. & 108.
Elevatio operum in Indulgentiis non datur. 7. 75.
Enixè quid. 4. 70.
Epiſcopus ex cauſa mutat Altare celebrationis. 6. 85.
Parmæ ex privilegio reducit miſſas. 15. 76. & 77.
Epiſcopus quomodo reducat onera miſſarum. 15. 15. ad 24.
In creatione Epiſcopi quatuor ſunt, electio cõfirmatio, poſſeſſio, & conſecratio. 15. 6. ad 9.
Dat licentiam recipiendi onera. 6. 124.
Error communis facit actũ officialis ficti validũ. 5. 46.
Error quando obſtat præſcriptioni. 16. 42.
Errantis nulla voluntas, nullus conſenſus. 1. 185.
Error non debet nocere, neq; mutare ſubſtantiam rei. 1. 186.
Error calculi ſemper emendari poteſt. 1. 187.
*Etiam* excluſiva præcedentis obligationis. 9. 73.
Excommunicatus capax legati. 3. 24
*Ex opere operato* non eget auxilio alterius. 7. 83
Exhæredatio licèt nulla non deſtruit legata. 5. 9.
Expenſæ pertinent ad habentem intereſſe. 15. 57.
Expreſſio ejus, quod tacitè ineſt non inducit novam diſpoſitionem. 6. 61.

## F

Faciens plus non facit contrarium. 5. 64.
Facultas quid ſit in actibus facultativis. 16. 98. ad 103.
Factum præſumitur ex neceſſitate, non voluntate. 13. 33.
Falcidia in legatis. 1. 75. ad 92.
In quo differt à Trebellianica. 1. 75. & 89.
Non detrahitur ex legatis piis. 4. 55
Familiares, & de familia quinam dicantur. 7. 132. & 133.
Fœmina in nullo teſtamento teſtis idonea. 5. 80.
Feſtus dies quis dicatur. 6. 77.
Filiusfamilias de ſuis bonis caſtrenſibus, vel quaſi teſtatur, & de adventitiis poſt clericatũ quæſitis. 2. 13.
Eſt capax legati. 3. 2.
Spurius non niſi ex lege canonica. 3. 3. ad 8.
Filius petit legatum patris, cui aliàs renuntiavit 19. 23.
Filius renuntians paternis, non renuntiat maternis, nec fraternis. 19. 24;
*Filiorum* nomine non veniunt nepotes, quando exprimuntur eorum nomina. 19. 35.
Fiſco acquiruntur tantùm exiſtentia ſub dominio Rei. 3. 31.
Fiſco nemo tenetur acquirere 3. 35.
Fiſco non debentur legata. 5. 11.
Quando præſcribitur contra fiſcum. 16. 95.
Forma cenſetur impleta legitimè impedita. 7. 58.
Forma impletur per æquipollens. 7. 59.
Fornicatione non una, vel altera, ſed meretricio tantùm perditur legatum. 18. 7.

Forus conſcientiæ, & externus ab uno ad aliũ valet argumentum 13. 30.
Fructus in legatis quando debeantur. 1. 161. ad 164.
Fructus Sacrificii miſſæ triplex 8. 29. ad 40. cap. 9. initio, plura cap. 11. initio.
Fructus alii naturales, alii induſtriales. 10. 64.
Furtum non præſcribitur. 16. 37.

G

Generalis quomodo det licentiã recipiendi onera miſſarum. 6. 124.
Generalis abſoluit tranſgreſſores 6. 135.
Generalis reducit miſſas jure communi. 15. 16.
Genus quando reſpiciat ſpecies in moralibus 7. 165. & 166.
Gratia non requiritur ad lucrum Indulgentiarum pro defunctis 7. 73.
Gratia habitualis, & actualis quid operetur. 8. 50 ad 55.

H

Hæres adeundo hæreditatem dicitur quaſi contrahere cum defuncto, & legatariis. 1. 92.
Hæres debet convenire de juſto pretio cum Sacerdote. 10. 49.
Hæreditatis bona obligantur pro miſſa. 10 50.
Hæredes tenentur dare paramenta Capellano celebranti. 12. 18.
Apud Hæredem Legatum caducum remanet. 13. 28.
Hæreditas vacans, & jacens quid. 5. 15.
Hæres univerſalis acquirit omnia jura, quæ habebat teſtator tempore mortis. 12. 21. ad 26.
Hæredi nocet mala fides teſtoris ad præſcribendum. 16. 46.
*Hæredis* nomine veniunt omnes in infinitum 17 12.
Hæreticus incapax legati. 3. 27.
Hipotheca, & pignus quid. 1. 93.
Hoſpitale capax legati. 3. 89.
Hoſpitali non datur legatum diſtribuendum inter pauperes. 4. 26.

I

Jejunium ex vana gloria non eſt meritorium 8. 69.
Ignorantia quando obſtat præſcriptioni. 16. 44.
Ignorantia etiam juris probabilis excuſat in foro conſcientiæ. 11. 42.
Ignorans obligatus ſcire excuſatur, ſi non prævidit obligationem. 11. 43.
Impedimentorum duorum majus urget. 14. 34.
Impedimentum non præſtat, quod de jure non ſortitur effectum, exponitur. 18. 31.
Impoſſibile dicitur multis modis. 14. 20. & ſeq.
Incertum quomodo determinetur. 1. 84.
Indulgentiæ Altarium Privilegiatorum, quos effectus producant cap. 7. q. 2. q. 18. de earum ſuſpenſione q. 22. & 23.
Non eſt neceſſe eſſe in gratia pro defunctis 7. 73. ibidem plura.
Indulgentiæ duæ ſimul in eodem loco non ſunt. 7. 187. ubi plura de clauſula *Volumus*.
Infinitas vitanda, niſi adſit cauſa perpetua. 17. 18 & 22.
Infirmitas excuſat à celebratione. 6. 64. & cap 12. 16.
Inimititia non impedit ſolutionem debiti. 8. 58.
Intentio in applicatione miſſæ. 9. 9. ad *16*.
Intentio eſt de ſe ſubſtantia actus. 15. 66.
Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ quid 10. 74.
Interdicuntur ſeculares ab ingreſſu Eccleſiæ recipientes onera miſſarum ſine licentia. 6 125.
Involuntarium eſt de ratione pœnæ. 18. 32.
Interpretatio triplex. 1. 112.
Doctrinalis non prohibetur. 11. 35.
In legatis quomodo fiat. 1. 112. ad 137. cap. 19. 3.
Inſtrumentum facit probationem. 1. 188.
Inteſtati hæres tenetur ad legata. 1. 43. cap. 4. 57.
Judex in cauſis legatorum eſt eccleſiaſticus contra laicum. 5. 97.
Juramentum in contractibus habet rationem cauſæ non acceſſorii. 5. 88.
Juramentum an in præſcriptione locum *habeat*. 15. 11.
Juriſdictio exercenda in foro conſcientiæ non eſt de legabilis. 15. 71.
Juſpatronatus præſcribitur. 16. 89.

L

Labor annuus in legatis caducat legatum, ſi nõ laboratur. 17. 34 & 35.
Laborare de ſuo nemo tenetur pro alliis. 17. 47.
Laicus caret juriſdictione ſpirituali. 15. 75.
Laudemium datur pro emphiteuſi legata. 1. 203.
Legatum quid ſit cap. 1. per totum.
Legatum capitur de manu hæredis. 1. 48.
Legatum acquiritur ignoranti. 1. 51.
Legatum verius acquiritur à morte teſtatoris, quàm ab adita hæreditate. 1. 52. 53. & 54.
Legati tranſmiſſio quando fiat. 1. 62. ad 70.
Legatum de re incerta. 1. 102.
Legatum de alienis. 1. 140. ad 148.
Legatum quando dandum majus, vel minus. 1. 110.
De compenſatione legatorum. 1. 149. ad 151. latè 19 47.

Legata pia valent facta incertis perſonis. 1. 177.
Legatum non habet rationem contractus. 5. 87.
Legatum ſimplex, conventionale, & in limine fundationis. 6. à num. 6. & ſeq.
Legatâ transferuntur ab una ad aliam Eccleſiam. 6. 90.
Legatum pium cap. 4. per totum. V. Pium.
Legata ex imperfecto teſtamento cap. 5. per totum.
Legata miſſarum cap. 6. per totum.
Legata caduca cap. 13. per totum.
Legata etiam pia cadunt. 13. 27.
Legatorum amiſſo per nuptias cap. 18. per totum.
Legatorum ceſſatio cap. 17. per totum.
Legata dotalia cap. 19. per totum.
Legatum fit etiam extrà teſtamentum ſi ſit pium. 2. 4.
Legata quinam poſſint facere 2. per totum.
Legatorum quinam ſint capaces cap. 3. per totum.
Legatum eſt ſpecies hæreditatis. 3. 28.
Speciale derogat generali. 1. 176.
Legatarius incertus. 1. 99. ad 102.
De alienis. 1. 140. ad 148.
Qui primus ſcribitur. 1. 109.
Legatarius immediatè ſuccedit teſtatori. 1. 42.
Legatarius non plus acquiſivit, quàm fuerit in teſtatore. 1. 46.
Legatarius dicitur quaſi hæres. 1. 181.
Legatarius quomodo ſolvat onera, & debita. 1. 157. ad 160.
Legatarius incertus acquirit jus ad legatum cum eligitur. 1. 180.
Legata miſſarū nunquam præſcribuntur contra teſtatorem. 16. 74.
Legata alia quomodo præſcribuntur. 16. 74. ad 83.
Legatum nubenti ſpiritualiter, datur habentibus votum ſolùm caſtitatis. 3. 71. ad 79.
Legitima non poteſt gravari. 10: 52.
Legitimum id dicitur, quod lege fit. 5. 78.
Lex reſpicit commune bonum ſine exceptione. 10. 39.
Lex dat formam futuris. 10. 57. & cap. 11. 37.
Libertas contradictionis, & contrarietatis. 9. 27.
Libertatis legatum non exigit cautionem mutianam. 20. 8 eſt pium. 4. 65.
*Librorum* nomine quid veniat. 4. 45. ad 47.
Licentia Superiorum neceſſaria pro recipiendis oneribus miſſarum perpetuis. 6. 123. ad 137.
Limen fundationis quid. 7. 17. 19.
Locus, & tempus non vitiant pium teſtamentum. 5. 89.
Loci diſtantia eſt cauſa diſpenſationis. 15. 39.
Luxuria non debet plus prodeſſe quàm caſtitas. 18. 28.

M

Mala fides, quæ eſt peccaminoſa, impedit præſcriptionem. 16. 50.
Mala fides teſtatoris non nocet legatario. 16. 51.
Matrimonium facit conſenſus, non concubitus. 18. 54.
Megdalea non liberat à pœnis, ſed Indulgentia. 7. 46. & 72.
Meretrix quomodo capax legati. 3. 12.
Meritum de condigno, & de congruo. 8. 55.
Melius agere nemo tenetur. 4. 22.
Militares quomodo teſtentur. 5. 9. & 57.
Militares caſti in conjugio. 18. 13.
Minores quomodo capaces legatorum. 3. 49. ad 63. & 70.
Minus in profanis datur majus in piis. 1. 110 & 111.
Miſſa de Requiem in Altari Privilegiato. 7. 49. 53. & 69.
Miſſa dicitur à miſſione, quia Chriſtus per conſecrationem mittitur ſub ſpecieb. panis, & vini. 8. 7.
Miſſæ Sacrificium eſt propitiatorium, & ſatisfactorium. 8. 3.
Miſſa una ſufficit in die Natalis pro ſatisfactione. 6. 75.
Miſſæ defunctorum quomodo celebrandæ. 6. 103.
Miſſæ defunctorum magis proſunt, quàm vivorum. 6. 119.
Miſſa S. Gregorii quomodo celebranda. 6. 120.
Miſſæ in die Defunctorum fit communis applicatio. 6. 75.
In triduo ante Paſcha non tenetur pro patrono. 6. 76.
Miſſæ anticipatæ prohibentur. 6. 78.
Miſſa currenti ſatisfit. 6. 117.
Miſſa mali Sacerdotis tantùm valet, quantùm boni, quoad opus operatum. 8. 97.
Miſſarum obligatio contra defunctum non præſcribitur. 16. 118.
Miſſa conventualis. 9. 75. & 77.
Miſſarum legata dicuntur modalia. 1. 36.
Miſſarum celebratio quomodo probetur. 10. 26. ad 30.
Miſſarum legatum perpetuum perpetuò durat uſq; ad diem judicii. 17. 11.
Miſſarum ſtipendium cap. 10 per totum.
Miſſarum reductio cap. 15. per totum.
Miſſarum ceſſatio, cap. 17. per totum.
Miſſa unica an, & quando pluribus poſſit ſatisfieri. 11. per totum.
Modale legatum in dubio non cenſetur, ſed cõditionale. 3. 32. 1. 32. 17. 39.
Modus in legatis quid ſit. 17. 37.
Molendinum etiam in navibus eſt immobile frugiferum. 10. 84.

Monaſterio non datur legatum pauperibus diſtribuendum. 4. 27.
Monica mater S. Auguſtini de applicatione Sacrificii miſſæ. 9. 7.
Monopolium quid ſit. 5. 22. ad 24.
Mora unicuiq; nociva, non intelligitur eſſe, niſi præceſſerit petitio. 1. 164.
Mortuorum ſuffragia, & ſubiectio latè tractatur cap. 7. ferè per totum.
Mutiana cautio in legatis. 18. 3. per totum.

N

Nepotes non veniunt ſub nomine filiorum, quando iſti vocantur nomine proprio. 19. 35.
Negligentia fundo pereunte, non ceſſat obligatio. 17. 49.
Nobilis ex privilegio gaudet omnibus privilegiis, quibus nobilis ex ſanguine. 18. 37. ad 40.
Nominatus prius, magis dilectus. 19. 36.
Notarius papalis, ſeu imperialis ubique terrarum ſcribunt teſtamenta. 5. à num. 20. ad 50.
Nubentibus legatum, datur etiam ingredientibus. 3. 79. ad 86.
Numerus taxatus de ſe invariabilis. 10. 63.
Numerus Sacerdotum pro Altari Privilegiato. 3. 123.
Nuptiæ etiam fiunt per ingredientes Religionē. 19. 29.
Nullitas teſtamenti, & legatorum non præſumitur, ſed probanda. 13. 4.
Nullum dicitur, quod nunquam habuit eſſe ibid.

O

Obedientia præſcribi non poteſt. 16. 25.
Oblatio in miſſa, alia applicativa, alia conſecrativa. 9. 54.
Obligatio numeralis inalterabilis. 10. 63.
Obligatio oritur, vel à jure, vel ab homine. 10. 89.
Obligationem non inducit nihil exiſtens. 13. 6. etiam in foro animæ. 13. 7.
Obligatio major tollit minorem. 14. 32.
Obligatio in dubio non præſumitur eſſe. 15. 68.
Obſervantes, & Capuccini translati ſunt capaces legatorum, & ſucceſſionis. 3. 70
Occidens ſuum teſtatorem perdit legatum. 3. 43.
*Omninò* importat decretum irritans. 6. 122.
Onus in legatis quid ſit. 17. 37.
Opera bona facta in mortali quomodo proſunt, & quibus. 7. 102. cap. 8. à num. 50. ad 95.
Opinio ſuperioris in re certo licita prævalet opinioni ſubditi. 9. 58.
Opinio probabilis non mutatur à bona fide in malam præjudicialiter. 11. 41.

P

Papa nulli intendit præjudicare, niſi ſe explicet. 11. 38.
Parmæ Statutum Notariorum refertur. 5. 33.
In Diœceſi *Parmenſi*. 1. in Ducatu. 5. 45.
Parochus ſcribit teſtamentum. 5. 52. & ſeq; ubi plura.
Pater propria manu ſcribit ſuum teſtamentum. 5. 56.
Patrimonium fieri poteſt ex legato. 3. 88.
Pauperum legata. 4. 10. & ſeq.
Pauper quis dicatur. 4. 13. ad 25.
Pauperibus dandum non poteſt *dari loco pio*. 4. 26. & 27.
Pauper fictus an retineat ſibi legatum. 4. 50.
Peccatores non audiuntur à Deo de condigno. 8. 68.
Peccatum actuale eſt cauſa peccati habitualis. 16. 110.
Peccator non eſt poſt pœnitentiam. 3. 14.
Peccata quomodo præſcribantur. 16. 111. ad 112.
Peccare graviter ideſt mortaliter. 11. 13.
Peccunia reproba non relevat debitorem. 1. 96.
Pecunia data pro miſſis, quomodo inveſtienda. 10. 76. ad 86. cap. 17. 8 & 9.
Pœna incurritur ex actu irrito, ſi lex referatur ad factum. 18. 30.
Pœnitentia facta in peccato mortali juvat quoad deletionem pœnarum, non quoad meritū. 8. 50.
Perpetuum in dubio cenſetur legatum. 1. 39.
Perpetuum dicitur tribus modis. 6. 21.
Perpetuum eſt, quod in ſingulo anno ſolvendū eſt. 1. 206.
Periculum legati cui ſtat. 1. 165.
Perſona eſt natura intellectualis perfecta, & completa. 7. 169.
Perfectum, cui nihil deeſt 5. 3.
Perfectum non revocatur per imperfectum. 13. 21.
Pignus, & hypotheca quid. 1. 93.
Pium legatum cap. 4. per totum, petit cautionē mutianam. 20. 6.
Pio legato tribuuntur omnia privilegia libertatis. 20. 7.
Pompoſe dictum non attenditur. 1. 288.
Poſſeſſio in legatis quomodo acquiratur. 1. 72. & 73.
Poſſeſſio ſupponit dominium. 3. 47. quid ſit 15. 14.
Poſthumi præteritio rumpit teſtamentum. 5. 7.
Poteſtas data Chriſto in terra, & in cœlo. 7. 33.
Poteſtas eadem communicata Papæ ibidem.

Potestas major papalis, quàm imperialis 7. 147.
Preces importunæ metui comparantur 19. 27.
Præcedentia quinquennio præscribitur 16. 109.
Præscriptionis materia latè cap. 16. per totum.
Præteritio filiorum rumpit testamentum 5. 7.
Principali destructo, tollitur etiam accessoriũ. 5. 18.
Principis mens talis præsumitur, qualis de jure debet esse 7. 51.
Principis bona quomodo præscribantur 16. 91. ad 96.
Privandus nemo jure suo 5. 21.
Privilegium non datur rei non existenti 4. 4. & cap. 7 114.
Privilegia de unica missa cum pluribus collectis sunt revocata 11. 25. & sequet.
*Pro defunctis* ideſt de defunctis 9. 74.
Probatio missarum dictarum quomodo fiat 10. 26.
Profitentibus datur legatum relictum nubentibus 3. 79. ad 85.
Prohibitio prohibitioni additur 15. 26.
Prohibitum una via, alia non permittitur 15. 31.
Prohibitio est stricti juris 15. 53.
Prohibitio est odiosa 18. 26.
Provincialis missas reducit 15. 15.
Puer, & puella usq; ad 25. annum in legatis 19. 39.
Purgatorium an detineat animas usq; ad diem judicii 17. 13. ad 23.

## Q

Qualitas non præsumitur, sed probatur 7. 68
Qualitate deficiente definit dispositio 7. 125.
Quarta non debetur ex legatis piis 4. 54
*Quotidie* celebrare ideſt ut plurimum 7. 131.

## R

Ratio expressa in lege compehendit tantùm expressa, ubi agitur de obligationibus 10. 81.
*Recta via* ideſt nullo interposito 1. 45. 3. 45.
Rector beneficii non potest exequi universariũ in aliena Ecclesia, ubi est fundatum 12. 30.
Reductio missarum cap. 15. per totum.
Rei suæ quilibet apponere potest conditionem, & onus 12. 8.
Relatio falsa non attenditur, sed relatum verũ 1. 184.
Religio capax legatorum 3. 45.
Relegatus dicitur exiliatus ad tempus 3. 21.
Relegatus capax legati 3. 23.
Religiosus capax legati 3. 45. ad 63.
Religiosus præscribit monasterio 16. 21. ad 23.
Religiosus connumerat se inter pauperes 43. 31.
Renuntiatio est odiosa, & stricti juris 19. 19. ad 23.
Residentia non obligat in beneficiis simplicibus 6. 72.
Repudiatio quid 1. 167. ad 174. cap. 13. 15. & 31.
Responsa duo S. C. de Altari Privilegiato 7. 52. & 55.
Responsa S. C. non sunt leges 7. 70.
Restituere est reddere rem acceptam 1. 192.
Restituendum est legatum si non adimpletur in foro conscientiæ 18. 3. & 4. cap. 1. 35.
Restituere debet celebrans stipendium missæ non celebratæ 9. 62.
Restituere non tenetur celebrans si bona fide celebravit unam pluribus satisfaciendo 11. 41.
Revocatio non præsumitur 7. 61. cap. 13. 4. & 25.
Non revocatur quod non est præjudiciale 7. 160.
Revocatur, quod actu est 9. 38.
Revocatio tacita non præsumitur contra favores, sed debet esse expressa 9. 41.
Revocatio cum sit odiosa, interpretatur ut minus lædat 11 40.
Revocatio oretenus quandoq; fit 13. 24.
Romæ in testamentis servatur jus Civile de septem testibus 5. 67. & 72.

## S

Sacerdos novellus quomodo celebrat, & applicat 9. 31. & 70.
Sacramenta in operando alterius consortio non egent 7. 84.
Sacramenta nec elevantur per Indulgentias 7. 97.
Sacrificium, & Indulgentia per modum unius liberant animas à pœnis 7. 45.
Sacrificii fructus prodest etiam ignorantibus 7. 103.
Sacrificium est propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium 7. 105.
Triplex sacrificii fructus 7. 106. cap. 8. 29.
Sacrificium missæ oblatio incruenta 8. 2. ubi plura de ejus effectibus;
Sacrificium differt à Sacramento 8. 6.
Sacrificium quomodo dicatur perfici in secunda consecratione 9. 24.
Sacristiæ libro de missis credendum 10. 28. & 29.
Sacristia manutenenda ex stipendiis legatorum 10. 71. & cap. 15. 56.
Salvianum datur pro legatis 1. 96.
Satisfactio sacramentalis non elevatur per Indulgentiam 7. 95. de ea cap. 8. 50. & 57.

Scriptura ſacra varios ſenſus habet 7. 28.
Seminarium Clericorum eſt locus pius 4. 37.
Septennium de Indulgentiis 7. 135.
Sepulturæ fabricandæ Legatum pium 4. 36.
Servitutes quomodo præſcribantur 16. 84. & 86.
Servire aliis gratis nemo tenetur 15. 79.
Servus non teſtatur 2. 9.
Servus incapax legati pro ſe 3. 18.
Servus acquirit illud domino ſuo 3. 19.
Servus minoris emens ex induſtria ſibi illud retinet in opinione aliquorum 10. 70.
Servus non ſibi ſed Domino præſcribit 16. 20.
*Serve nequam omne debitum dimiſi tibi* 8. 62.
Simonia eſt pactum in beneficiis 6. 30.
Simoniacum non eſt legatum factum Monaſterio, ut juvenis recipiatur ad Religionem. 4. 72.
Stipendium duplex petens pro celebratione in Altari privilegiato eſt ſimoniacus 7. 192.
Simoniacum non eſt ſtipendium miſſæ ſi referatur directè ad celebrationem 6. 97.
*Sine me nihil poteſtis facere* exponitur 9. 28.
*Synodi* nomine quid veniat in reductione miſſarum 15. 48.
Solemnitas cantus præſcriptus in limine fundationis non commutatur 15. 40.
Solemnitas cõſiſtit in circonſtantiis 15. 73.
Solutio partis à toto non liberat 19. 11.
Statutum laicale nihil contrà legatum pium 4. 61. & cap. 5. 38.
Statutum eſt Lex territorii 5. 29.
Statutum Notariorum Parmæ 5. 33.
Non inhabilitat niſi ſubditos 5. 33.
Statutum in perſonam, non in rem 5. 42.
Statuta imponuntur rebus propter perſonas 5. 43.
Stipendium miſſarum 10 per totum.
Succedit legatarius immediatè teſtatori 1. 42.
Succeſſor in adminiſtratione tenetur ad onera miſſarum, ſi nota ſit ſibi negligentia anteceſſoris 17. 49.
Suffragium animæ cauſa perpetua in legatis miſſarum 6. 95.
Suffragium in Indulgentiis defunctorum quid 7. 5. 40. 79.
Summa major continet minorem 5. 63.
*Super terram* explicatur 7. 29. 30. 143.
Superior quid poſſit præcipere ſuis ſubditis in celebratione miſſarum 9. 45.
Superior habens jus præcipiendi poteſt uti medio efficaci, ut exequatur præceptum. 9. 59.

## T

Tempus modicum pro celebrandis miſſis receptis 9. 80.
Tempus de forma actus 15. 47.
Temporis defectus non vitiat teſtamentum 5. 89.
Tempus longum, longiſſimum, & immemoriale in præſcriptione 16. 3. ad 5. & à num. 67.
Tertiarii capaces legatorum 3. 58. 66 ad 70.
Teſtamentum imperfectum quid ſit cap. 5. per totum.
Teſtamentum requirit ſcripturam ad ſui valorem 5. 51.
Teſtamentum nuncupatiuum, quod ſcribitur à Notario; in ſcriptis quod ſcribitur manu Teſtatoris 5. 81.
Teſtamentum ſuum pium ſcribens non eget teſtibus 5. 93:
Teſtamentum ore factum quomodo valeat. 5. 94.
Teſtamentum nutu, interrogatione, alieno arbitrio quomodo valeat 5. 96.
De teſtamento à Parocho ſcripto agitur cap. 5. à num. 53.
Teſtamentum examinatur à Judice etiam eccleſiaſtico contra laicum 5. 97.
Teſtamentum non cantat, neq; ego cantabo 10 60.
Teſtamentum morte perficitur 6. 141. & 143.
Teſtamentum prius revocatur per poſterius 13. 20.
Teſtandi voluntas, non eſt teſtamentum 5. 11.
Teſtator diligit magis ſuos, quàm extraneos in legatis profanis, in piis magis Eccleſiam 1. 137. & 138.
Teſtari quinam prohibeantur cap. 2.
Teſtari prohibitus non poteſt diſponere ad cauſas pias 2. 14.
Teſtator meretur, & ſatisfacit in *legatis, licèt ſit in peccato mortali*, decedens etiam ſine ratificatione in gratia Dei 6. 140.
Teſtator reliquens miſſam quotidianam non dicitur contemplatus fuiſſe Eccleſiam, nec Capellanum, ſed ſibi conſulviſſe 12. 27.
Teſtator non præſumitur peccare in factione teſtamenti 15. 80.
Teſtatoris voluntas recipit interpretationem à Charitate 15. 82.
Teſtatoris mens ex coniecturis *collecta*, habetur pro expreſſa favore legatarii 18. 19.
Teſtator cenſetur ſe accommodare juri communi 6. 48. cap. 10. 48.
Teſtatoris mens interpretatur ſecundùm diſpoſitionem juris 6. 114.
Teſtator non poteſt excludere leges à ſua diſpoſitione 6. 115.
Teſtator dat legatum lagatario, ſicuti hæreditatem hæredi 1. 47.
Teſtes ſeptem de valore teſtamenti, vel quinq; pro ruſticis 5. 49. & 50.
*In ore duorum*. intelligitur de teſte ſe ſubſcribente 5. 61. 66. & 69.
Taxativa in teſtibus non ſubintelligitur 5. 68. ad 71.
Teſtes debent eſſe maſculi etiam in teſtamento

mento ad pias cauſas, idonei, & præſentes, & rogati 5. 75. ad 80.
Theſaurus Eccleſiæ quid, & quomodo applicetur 15. 83. ad 87.
Titulus ad præſcribendum quid 16. 61.
Transfactio in legatis non datur 4. 66.
Trebellianica quomodo differat à falcidia 1. 75. & 89.

V

Vacatio miſſæ quomodo concedatur 2. 58. & 59.
Velle, & nolle caret Religioſus etiam in celebratione 9. 52. & 56.
*Veſtis* nomine in legato quid veniat 1. 152.
Via executiva an detur in legatis 1. 97.
Vidua ſtatim nubere poteſt 18. 14.
Nec facit injuriam marito 18. 15.
Vires hæreditatis 1. 175.
Virgo etiam uſq; ad mortem dicitur 19. 40.
Viſitatio non præſcribitur ſi ſit neceſſaria 16. 26.
Viſitatio voluntaria præſcribitur 16. 102.
*Vitioſè factum pro non facto habetur*, explicatur 18. 33.
Uſucaptio differt à Præſcriptione 15. 17.
Uſusfructus non tranſmittitur 1. 70.
Uſusfructus extinguitur morte uſusfructuarii 17. 16.
Uſusfructus non durat ultra centum annos loco publico factum 17. 15. & 21.
Uſusfructus, & Legata annua æquiparantur 17. 17.
Uſusfructuarius legatarius 1. 155.
Uſurarius capax legati 3. 42.

FINIS.

Scriptura ſacra varios ſenſus habet 7. 28.
Seminarium Clericorum eſt locus pius 4. 37.
Septennium de Indulgentiis 7. 135.
Sepulturæ fabricandæ Legatum pium 4. 36.
Servitutes quomodo præſcribantur 16. 84. & 86.
Servire aliis gratis nemo tenetur 15. 79.
Servus non teſtatur 2. 9.
Servus incapax legati proſe 3. 18.
Servus acquirit illud domino ſuo 3. 19.
Servus minoris emens ex induſtria ſibi illud retinet in opinione aliquorum 10. 70.
Servus non ſibi ſed Domino præſcribit 16. 20.
*Serve nequam omne debitum dimiſi tibi* 8. 62.
Simonia eſt pactum in beneficiis 6. 30.
Simonaicum non eſt legatum factum Monaſterio, ut juvenis recipiatur ad Religionem. 4. 72.
Stipendium duplex petens pro celebratione in Altari privilegiato eſt ſimoniacus 7. 192.
Simoniacum non eſt ſtipendium miſſæ ſi referatur directè ad celebrationem 6. 97.
*Sine me nihil poteſtis facere* exponitur 9. 28.
*Synodi* nomine quid veniat in reductione miſſarum 15. 48.
Solemnitas cantus præſcriptus in limine fundationis non commutatur 15. 40.
Solemnitas cõſiſtit in circonſtantiis 15. 73.
Solutio partis à toto non liberat 19. 11.
Statutum laicale nihil contrà legatum pium 4. 61. & cap. 5. 38.
Statutum eſt Lex territorii 5. 29.
Statutum Notariorum Parmæ 5. 33.
Non inhabilitat niſi ſubditos 5. 33.
Statutum in perſonam, non in rem 5. 42.
Statuta imponuntur rebus propter perſonas 5. 43.
Stipendium miſſarum 10 per totum.
Succedit legatarius immediatè teſtatori 1. 42.
Succeſſor in adminiſtratione tenetur ad onera miſſarum, ſi nota ſit ſibi negligentia anteceſſoris 17. 49.
Suffragium animæ cauſa perpetua in legatis miſſarum 6. 95.
Suffragium in Indulgentiis defunctorum quid 7. 5. 40. 79.
Summa major continet minorem 5. 63.
*Super terram* explicatur 7. 29. 30. 143.
Superior quid poſſit præcipere ſuis ſubditis in celebratione miſſarum 9. 45.
Superior habens jus præcipiendi poteſt uti medio efficaci, ut exequatur præceptum. 9. 59.

## T

Tempus modicum pro celebrandis miſſis receptis 9. 80.
Tempus de forma actus 15. 47.
Temporis defectus non vitiat teſtamentum 5. 89.
Tempus longum, longiſſimum, & immemoriale in præſcriptione 16. 3. ad 5. & à num. 67.
Tertiarii capaces legatorum 3. 58. 66 ad 70.
Teſtamentum imperfectum quid ſit cap. 5. per totum.
Teſtamentum requirit ſcripturam ad ſui valorem 5. 51.
Teſtamentum nuncupatiuum, quod ſcribitur à Notario; in ſcriptis quod ſcribitur manu Teſtatoris 5. 81.
Teſtamentum ſuum pium ſcribens non eget teſtibus 5. 93:
Teſtamentum ore factum quomodo valeat. 5. 94.
Teſtamentum nutu, interrogatione, alieno arbitrio quomodo valeat 5. 96.
De teſtamento à Parocho ſcripto agitur cap. 5. à num. 53.
Teſtamentum examinatur à Judice etiam eccleſiaſtico contra laicum 5. 97.
Teſtamentum non cantat, neq; ego cantabo 10 60.
Teſtamentum morte perficitur 6. 141. & 143.
Teſtamentum prius revocatur per poſterius 13. 20.
Teſtandi voluntas, non eſt teſtamentum 5. 11.
Teſtator diligit magis ſuos, quàm extraneos in legatis profanis, in piis magis Eccleſiam 1. 137. & 138.
Teſtari quinam prohibeantur cap. 2.
Teſtari prohibitus non poteſt diſponere ad cauſas pias 2. 14.
Teſtator meretur, & ſatisfacit in *legatis, licèt ſit in peccato mortali*, decedens etiam ſine ratificatione in gratia Dei 6. 140.
Teſtator reliquens miſſam quotidianam non dicitur contemplatus fuiſſe Eccleſiam, nec Capellanum, ſed ſibi conſulviſſe 12. 27.
Teſtator non præſumitur peccare in factione teſtamenti 15. 80.
Teſtatoris voluntas recipit interpretationem à Charitate 15. 82.
Teſtatoris mens ex coniecturis *collecta*, habetur pro expreſſa favore legatarii 18. 19.
Teſtator cenſetur ſe accommodare juri communi 6. 48. cap. 10. 48.
Teſtatoris mens interpretatur ſecundùm diſpoſitionem juris 6. 114.
Teſtator non poteſt excludere leges à ſua diſpoſitione 6. 115.
Teſtator dat legatum lagatario, ſicuti hæreditatem hæredi 1. 47.
Teſtes ſeptem de valore teſtamenti, vel quinq; pro ruſticis 5. 49. & 50.
*In ore duorum*. intelligitur de teſte ſe ſubſcribente 5. 61. 66. & 69.
Taxativa in teſtibus non ſubintelligitur 5. 68. ad 71.
Teſtes debent eſſe maſculi etiam in teſtamento

mento ad pias cauſas, idonei, & præſentes, & rogati 5. 75. ad 80.
Theſaurus Eccleſiæ quid, & quomodo applicetur 15. 83. ad 87.
Titulus ad præſcribendum quid 16. 61.
Transfactio in legatis non datur 4. 66.
Trebellianica quomodo differat à falcidia 1. 75. & 89.

V

Vacatio miſſæ quomodo concedatur 2. 58. & 59.
Velle, & nolle caret Religioſus etiam in celebratione 9. 52. & 56.
*Veſtis* nomine in legato quid veniat 1. 152.
Via executiva an detur in legatis 1. 97.
Vidua ſtatim nubere poteſt 18. 14.
Nec facit injuriam marito 18. 15.
Vires hæreditatis 1. 175.
Virgo etiam uſq; ad mortem dicitur 19. 40.
Viſitatio non præſcribitur ſi ſit neceſſaria 16. 26.
Viſitatio voluntaria præſcribitur 16. 102.
*Vitioſè factum pro non facto habetur*, explicatur 18. 33.
Uſucaptio differt à Præſcriptione 15. 17.
Uſusfructus non tranſmittitur 1. 70.
Uſusfructus extinguitur morte uſusfructuarii 17. 16.
Uſusfructus non durat ultra centum annos loco publico factum 17. 15. & 21.
Uſusfructus, & Legata annua æquiparantur 17. 17.
Uſusfructuarius legatarius 1. 155.
Uſurarius capax legati 3. 42.

FINIS.

ci

[illegible] 1826